RERVM
REGVLARIVM
Quadripartitæ Praxis Resolutoriæ,
TOMVS SECVNDVS.

COMPLECTENS TERTIAM, ET QVARTAM PARTEM: in quo citò, tutè, ac iucundè, sub diuersis Tractatibus, deciduntur omnes ferè Quæstiones.

De { Nat. elect. canon. / Loco elect. / Tempore elect. / Electoribus / Eligendis / Electis / Confirm. elect. / Dominio in genere / Prælatis / Potestate Prælat. }

De { Potest. dispens. & absol. / Author. Cap. Generalis / Recip. ad habit. Relig. / Bull. & Decret. Recip. / Qualit. Recip. / Informat. & examin. Recipiendorum / Magist. Nouitiorum / Priuil. Nouitiorum / Bonis Nouitiorum }

De { Domibus Nouitiorum / Nouitiatu Recip. / Profess. solemni / Profess. nulla / Reclamat. Profess. nullæ / Oblatis Religiosorum / Conuersis eorundem / Tertiarijs intrà septa. / Tertiarijs extrà septa. / Sororibus in sæculo }

OPVS, NEDVM PRAELATIS REGVLARIBVS, ECCLESIASTICIS, cęterisq; Sacerdotibus: verùm etiam Causarum Patronis, omnibusq; Iudicibus in vtroq; foro versantibus vtilissimum: immò valdè necessarium.

AVTHORE ADM. REVER. PATRE

F. HYACINTO DONATO LAYNENSI, SAC. THEOL. MAG. AC V. I. D.

Olim Regente in Generali Studio Sancti Dominici Ciuitatis Cosentiæ, longęq; diùq; Prouinciali vtriusquè Prouinciæ Calabriæ, Ordinis Prædicatorum.

ACCEDVNT DVO INDICES LOCVPLETISSIMI, TRACTATVVM, & Quæstionum vniuscuiusquè partis vnus, Rerumq; omnium quatuor partium alter.

CVM PRIVILEGIO, ET SVPERIORVM PERMISSV.




Conuincny





S. maria di Scala



NEAPOLI, Typis Iacobi Gaffari. M. D. C. L II.

INDEX TRACTATVVM,

Et Quæstionum, Quæ in hac Tertia Parte continentur.

TRACT. II. *De Loco Electionis fol.39.*

TRACT. III. *De Tempore Electionis fol.45.*

TRACT. IV. *De Electoribus fol.50.*

TRACT.V. *De Eligendis.fol.86.*

44. So-

TRACT.

TRACT.VII. *De Confirmatione Electionis fol.138.*

TRACT.VIII. *De Dominio in genere. fol.148.*

TRACT.IX. *De Prælatis,fol.160.*

TRACT.

Index Tract. & Quæstion.

F I N I S.

DE ELECTIONE,
ET POTESTATE
PRÆLATORVM REGVLARIVM
PRAXIS RESOLVTORIA:

In qua citò, iucundè, ac tutè sub diuersis Tractatibus deciduntur ferè omnes Quæstiones

De
- Natura Electionis.
- Loco Electionis.
- Tempore Electionis.
- Electoribus.
- Eligendis.
- Electis.


De
- Confirmatione.
- Dominio in genere.
- Prælatis.
- Potestate coactiua Prælatorum.
- Potestate dispensandi.
- Potestate Capituli Generalis.

TOMI SECVNDI PARS TERTIA.

AVTHORE

AD.M R.DO P. F. HYACINTHO DONATO LAYNENSI

Sac. Theol. Mag. ac Vtriusquè Iuris Doctore, olim Regente in Generali Studio S. Dominici Ciuitatis Cosentiæ, longèq; diùq; Prouinciali vtriusquè Pouinciæ Calabriæ, Ordinis Prædicatorum.



SVMMA QVAESTIONVM

Tractat. I. de Natur. & Form. Elect. Canon.

DE NATVRA, ET FORMA ELEC. CANON. Tractatus I.

Electio quid sit? Quæst. I.

1 Electio communitèr sūpta, hoc est, quatènus sub se comprehendit electionē cuiuscunq; rei, est multorum placentium in ordine ad finem, vnius præacceptio, vt constat ex ipso nomine, & docet *Arist. 5. Ethic. & D. Thom. 1. 2. q. 13 art. 3. in corp.* sicut si ad iter habendum occurrant simul duo media, nempè Equus, & Nauis; & magis placeat Nauis, & præaccipiatur vt citius fiat iter, in tali casu, Nauis dicitur eligi; quia electio de intrinseca sui natura, liberum exigit arbitrium, secus non electio, sed necessitas diceretur. Vndè *B. Albertus Magnus, cap. 23.* Top dicit, *quod eligere est duorū, vel plurium, quæ sunt præposita, alterum, vel alterum præoptare. & D. Thom. vbi suprà* ait, *quòd in his, quæ sunt pœnitùs determinata ad vnum, electio locum non habet.*

2 Electio autem Canonica multipliciter considerari potest, largissimè, largè, & propriè: primo modo sumpta, præsupponit pro quacunquè vocatione, aut institutione ad beneficium Ecclesiasticum, vt in *cap. Cùm Ecclesia 31. de elect.* vbi collatio Canonicatus appellatur electio, ibi, *Vlteranus Episcopus, Canonicos quosdam elegit,* cùm potiùs creatio Canonici appellanda sit; & in *cap. quærelam 24. eod. tit.* supponit pro præsentatione ad beneficium, ibi, *sed ipse per electionem Populi*, hoc est, per præsentationem: Secundo modo supponit pro omni eo, ad quod alicui ius tribuitur per suffragium, vel alterius confirmationē, vti est in quibusdam Ecclesijs, in quibus Dignitas, v. g. Decanatus, aut præpositura electiua est, & confirmatio ad Episcopum pertinet, vt in *cap. nosse, & seq. distinct. 63.*

3 Tertio verò modo, electio est alicuius personæ ad prelationem, vel societatem fraternam vocatio canonicè facta, hoc est, habita secundùm formam præscriptam in sacris Canonibus, & præcipuè in *cap. quia propter, de elect.*

4 Electio propriè sumpta differt à præsētatione, quia ius presentandi, ceu est ius patronatus, ex gratuita Ecclesiæ concessione, pertinet etiam ad laicos, qui Patroni sunt, idest, Fundatores, Constructores, aut Datores Ecclesiarum, & Beneficiorum, vt latè *Glos. in cap. Piæ mentis 26. caus. 16. q. 7.* vbi latè de Iure Patronatus, & an sit spirituale, vel temporale, aut mixtum, & *Conc. Trid. sess. 14. cap. 12. de reform.*

5 Ius autem eligendi laicis, Ecclesia non concedit, prout exprefsè dicitur in *cap. Massana 56. de elect.* ibi, *Edicto perpetuo prohibemus, nè per laicos, Pontificis electio præsumatur, quæ si fortè præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem*, vbi *Glos. in ver. per laicos*, rationem assignat, quia scilicèt, ius eligendi in Ecclesia, est merè spirituale, & laici non sunt capaces possidendi iura merè spiritualia, & secus fateri, est hæresis lutherana.

6 Secundò, quia per electionem publicatam acquiritur ius electo, *capit. publicato scrutinio 58. de elect.* secùs autem per præsentationem, nam vbi Patronus laicus aliquem collatori ordinario præsentauit instituendum, non prohibetur alium præsentare, prout exprefsè dicitur in *cap. cùm autèm 24. de iure Patron.*

7 Tertiò, quia electio insinuāda est electo, antequàm ad Superiorem deferatur, vt appareat vtrum consentire, vel repudiare velit, vt exprefsè dicitur in *cap. quàm sit 6 de elect. in 6.* ibi, *Electores electionem ipsam, quàm citius commodè poterunt, electo præsentare, ac petere consensum ipsius procurent*, Electus verò illum adhibere, infra mensem à tempore præsentationis huiusmodi, teneatur; quod non procedit in præsentatione: hæc enim directè ad Superiorem dirigitur.

8 Item differt à libera collatione, seù prouisione, tùm quia de iure communi per electionem non acquiritur ius in re, seù dominium beneficij, sed tantùm ius ad rem, hoc est, postquàm electio fuerit acceptata, Electus haber ius ad beneficium, ad quod fuit vocatus. Verumtamèn per prouisionem acquiritur quasi dominium; & ius reale in beneficio, vtpotè Episcopatu, Abbatiatu, &c. quapropter, si Electus ante confirmationem, moriatur, in tali casu, beneficium censetur vacare, non per mortem huius, sed prioris Prælati: tùm etiam, quia Electus, ante acceptam confirmationem, potest liberè beneficio, ac prælaturæ abrenunciare, non requisito Superioris consensu; secus autem si Prælatus habeat ius in re per collationem, aut per quamcunque institutionem: quia renunciare validè non po-

potest: nisi de consensu sui Superioris, arg. *cap. ad audientiam 5. de rescript.* & docet *Gl.* communitèr recepta *in cap. si electio 26. de elect. in 6.* quæ omnia intellige de iure cõmuni Canonico, quia de spetiali, fallunt. etenim in Dominicana familia, Electus Canonicè in Priorem alicuius Monasterij, nõ potest statim, pronũciata electione, cedere iuri suo, quia taliter Electus in ordine prædicto, ex tali electione, nihil iuris acquirit, vt habetur in *cap. 2. de elect. Prior. ad text. 3. declarat. lit. L. pag.* 111. *col.* 3.

9 Itèm differt à nominatione, & Præpositura, quia per nominationem non acquiritur aliquod ius nominato, sicut per electionem; & præcipuè vbi fuit acceptata, *cap. cùm inter 21. de elect.*

10 Quot autẽ modis possit fieri nominatio, & an Capitulares astringat ad eligendum, docet *Layman. in fin. Summa inter quæst. Canon. de elect. Prælat, cap. 2.*

11 Itèm differt à postulatione, tùm quia electio innititur iuri, postulatio verò gratiæ: etenim postulatus per postulationem præsentatur Superiori, vt ex gratia illum dispensatiuè admittere, & instituere dignetur, Electus autem Canonicè præsentatur Superiori, vt ipsum de iure confirmet, proùt confirmare tenetur, si Electus sit persona habilis, & vitium in electione non sit, proùt docent *Hostiens. in sum. de Postulat. Prælat. nu. 1. & Glos. in cap. vnic. eod. tit. in 6.* tùm etiam; quia per electionem ius quæritur electo, secus autem per postulationem: quod pariter intellige verum de iure communi Canonico; nàm in Ordine Prædicatorum, ex priuilegio Apostolico, quòad effectum confirmationis, nulla prorsus dignoscitur differentia inter postulationẽ, & electionem: fiunt .n. eodem modo; & Confirmator potest confirmare Electum, vel Postulatum, proùt melius ei visum fuerit, & sępè potiùs hunc, quàm illum: ex rationabili tamèn causa, quia fortè magis vtilis, ac necessarius Conuentui, cui præfigitur, existimatur; proùt habetur *dist. 2. de elect. Prioris Conuent. cap. 2. text. 3. col. 2. pag.* 110. *& infrà in declarat. fol.* 111. & aduertit *Tabiena ver. postulat. num. 1. & Castell. de elect. Canon. cap. 1. num. 15. & in cap. 2. in princip.* per extensum ponit Priuilegia.

Forma Electionis Canonica quotuplex sit? Quæst. 2.

1 ET dico, quòd potest esse triplex, nẽpè per modum scrutinij, quãdo scilicet assumũtur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligentèr exquirãt, & per modum compromissi, quando scilicèt committitur aliquibus Viris idoneis facultas eligendi, nomine omnium aliorum; & per modum inspirationis; quando scilicèt omnes Electores, Deo inspirante, in vnum eligendum conspirant, absquè vlla malitia, vt constat ex *cap. quia propter 42. de elect.* cuius verba sunt hæc:

Quia propter diuersas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Ecclesijs viduatis. Statuimus, vt cùm electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possant commodè interesse, assumantur tres de Collegio, et fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligentèr exquirant, & in scriptis redacta, mox publicent in communi: nullo prorsùs appellationis obstaculo interiecto: vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars capituli consentit, vel saltèm eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Ecclesia viduata prouideant de pastore, alitèr electio facta non valeat; nisi fortè communitèr esset ab omnibus, quasi per inspirationem, absquè vitio celebrata; qui verò contra præscriptas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur; illud autem penitùs interdicimus, nè quis in electionis negotio procuratorem constituat; nisi sit absens in eo loco, de quo debeat aduocari, iustoque impedimento detentus, venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento: & tunc si voluerit, vni committat de ipso Collegio vicem suam. Electiones quoquè clandestinas reprobamus, statuentes, vt quàm cito electio fuerit celebrata, solemnitèr publicetur.

Forma d. cap. quia propter an sit obseruanda in omni Electione quorumcunq; Prelatorum? Quæst. 3.

1 SYlu. Verb. Electio *2. q. 1. num. 7.* ait, quòd dispositio *d. Decretalis*, & maximè in ordine Prædicatorum, debet habere locum in omni electione, tàm in causis ciuilibus, quàm criminalibus, quorumcunquè Prælatorum habentium iurisdictionẽ ordinariam, ecu sunt Generales, Abbates, Prouinciales, Priores Conuentuales, & similes:

2 Nec nocet, quòd in *d. cap.* fiat sermo de Ecclesijs viduatis: quia etiam Ecclesiæ Regularium dicuntur viduatæ, si suo legitimo careant Pastore, vt constat ex *cap. ne pro defectu 41. de elect.* & docet *Sylu. cit. loc.*

Mi-

Mirandi tom. 2. Manual. q. 23. art. 3. concl. 1. & Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 31. in fin. & notat *Castell. de elect. can. cap. 7. num. 4.*

3 Verùm in collatione beneficij Ecclesiastici, non habet locum dispositio dicti *cap. quia propter*, prout expressè dicit *Glo. in cap. sicut 21. eod. tit. in 6. verb. formam*, vbi habetur, quòd si ad plures spectat collatio alicuius beneficij, possunt omnes simul cõferre, nec est necesse, quòd id fiat per scrutinium secretum, nec per compromissum, sed sufficiunt singulares assensus, ad quod facit *l. per fundum, ff. de serui. rustic. prædior.*

4 Nec in postulatione, in qua non est necesse formare Decretum, nec facere omnia ea, quæ fiunt in electione, quod intellige de rigoroso iure communi, secus ex priuilegio, & vrbanitate; nam in Dominicana Familia postulationes, & electiones fiunt eodem modo, *Sylu. ver. postulatio 2. nu. 2. & Miranda* cit. *loc. art. 4.*

5 In electione verò Diffinitorũ, & Discretorũ, seù sociorũ Priorũ, euntiũ ad Capitulũ Prouinciale, & similium, debent attendi, & obseruari propria statuta, & maximè si reperiantur approbata à Sancta Sede, cum suis derogatorijs.

Forma Electionis sita in d. cap. quia propter an sit necessariò obseruanda in electione, & prouisione deuoluta ad P. Generalem, & P. Prouincialem, aut Diffinitores Capituli? *Quæst.* 4.

1 M*Egalius 2. p. sui promp. ver. electio, num. 29.* multis citatis ait, quòd tunc tantùm necessariò seruanda est forma *d. cap. quia propter*, quãdo Electio pertinet ad Collegium, seù ad Monasterium, non autem quando pertinet ad Superiores, siuè hoc ad illos pertineat ex negligẽtia inferiorũ, vt puta, quia nõ curauerũt eligere infra legitima tempora, siuè ex priuilegio, siuè ex Constitutione, à Sancta Sede Apostolica confirmata: vndè subnectit, *satis est, vt huiusmodi electiones, ac prouisiones deuoluta ad Superiores maiores, fiant de consensu maioris partis Capituli, absq; alia forma, & solemnitate præscripta in d. cap. quia propter.*

2 Huius oppositum docent multi, dicentes, omnia, quæ de forma, & substantia requiruntur in electionibus Canonicis, proportionabilitèr seruanda esse à prædictis Prælatis in eorum prouisionibus, & se fundant in *cap. Statuimus, cap. vt circa, cap. si postquàm, §. fin. si compromissarius, cap. Constitutio, & cap. Procurator, de elect. in 6. & in Clem. fin. eod. tit.* quibus in locis Electiones, & Prouisiones parificantur, vt docet *Glos. in d. cap. si postquàm 33. de elect. in 6. ver. Prouisione*, ibi, *Sed cùm quotidiè iura ista parifacent electiones, postulationes, & prouisiones, certum est, vt quod iuris fit de vno, fiat de alio*, & in d. *Clem. fin. de elect. in verb. prouisioni*, dicit, quòd istud verbũ, nempè, *prouisio*, comprehendit electionem, & prouisionem, & idem repetit in *Clem. 1. ver. dispositionem, de supplenda neglig. Prælat.* & sequitur *Nicol. Garz. de benef. 1. par. cap. 6. num. 31. & seq.*

3 His accedit, quòd statuta, & constitutiones Ordinum Regularium, dùm priuant Electores Conuentuum potestate eligendi Priores, Abbates, & consimiles Superiores, camque præstant Generalibus, Prouincialibus, ac Diffinitoribus, non mutant formam eligendi, quin potiùs velint huiusmodi ab eisdem fieri debere, cum eisdem qualitatibus, cum quibus fieri debent à principio, iuxtà formam *d. cap. quia propter, & cap. 6. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.*

Confirmatur; aliud .n. est auferre auctoritatem eligendi, & aliud mutare formam electionum, ergò licèt Constitutiones in proposito, mutent Electores, non tamèn mutant formam electionis: nec potest fieri extensio de vno ad aliud, vt quantũ possibile est, vitetur iuris cõmunis correctio, *cap. cùm dilectus, de consuet. coniug. & cap. cùm expediat, de elect. in 6.* & maximè circa formam seruãdam, quæ cùm sit verè, & realitèr electionis substantia, nullatènus potest abrogari: nisi in specie abrogetur.

4 Nec statuta possunt disponere contra ius commune: nisi habeant clausulas sufficientèr derogatorias, ex *tex. l. quod verò cõtrà, ff. de legibus*, & docent communitèr *Doctores in l. si constabit, ff. de solut.*

5 Neque est integrum Prælatis, à Decretis Conciliaribus recedere, ergò. *Samuel.* multis citatis *tract. de elect. disput. 1. controuers. 13.*

Ego autem dico, hoc casu seruanda esse statuta ordinum, iuxtà *Decretum Clem. 8. 36.* inter cætera *de reform. regul.* & habetur inter *Bullas Vrb. 8. 4. to. Bull. pag. 272.* ibi, *in Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à S. C. Trid. & Ordinis Constitutionibus inuiolabilitèr seruetur:* hæc *ibi*, ergò standum est Constit.

6 Quapropter electio deuoluta in Ordine Prædicatorum, non indiget, vt fiat per modum scrutinij, iuxtà dispositionem *d. cap. quia propter, de elect.* sed sufficit, vt habeatur à maiori parte Capituli per secreta suffragia, præcedente aliquali tractatu de persona eligẽda, prout declaratur *tex. 6. dist.*

dist.2.de elect. Prioris Conuent. cap.2. lit.O. pag 115. col.2.ver.quòd si cōtingat,ad finem, ibi,*tunc electio reuoluitur ad Prouinciales, qui de consilio quatuor,ad minus,grauiorum Patrum,maxima consideratione prouidere debebunt, eorumquè conscientias, super hoc, aggrauantes sicut fuit authoritate Apostolica declaratum Romæ 1601.* hæc *ibi*, vbi nihil dicitur de scrutatoribus, nec de scrutinio,per vnum ex illis publicando, nec de eligendo per schedulas in scriptis,nec de alijs.

7 Secundò dico,de iure veteri, electiones illorum tantùm comprehendi sub dispositione *d. cap. quia propter*, per quorum mortem Ecclesiæ in ordine, remanent viduatæ,prout *ibidem* habetur.

8 Hinc Suppriores,Vicarij locorum,vel Conuentuum,socij,seu Discreti,Diffinitores cuncti ad Capitulum Generale,& consimiles Officiales,qui carent dignitate, & cura animarum,in vtroquè foro, de iure communi non sunt eligendi per modum scrutinij; secùs autem de iure speciali, si quod habent Regulares, *Iul. Lauorius var.lucubrat. tom.1 tit.4. cap.19 nu.7. Barbosa de Iur. Eccles lib.1. cap. 19.num.150.*

Forma d.cap. quia propter an sit abrogata à Sac. Conc. Trid.? Quæst. 5.

1 SAcrum Concilium Tridentinum *sess.25.de Regul cap.6.* statuit,electiones Canonicas in posterum fieri debere per vota secreta, ità vt singulorum eligentium nomina nunquàm publicentur,sub tali forma verborum.

In electione Superiorum quorumcunquè Abbatum temporaneum, & aliorum Officialium,ac Generalium,& Abbatissarum,atquè aliarum præpositarum, quò omnia rectè, & sine vlla fraude fiant, inprimis sancta synodus districtè præcipit, omnes supradictas eligi debere per vota secreta, ità vt singulorum eligentium nomina nunquàm publicentur, nec in posterum liceat,&c.

2 Quibus in verbis, vt vides, non abrogatur forma eligendi per scrutinium,iuxtà dispositionem *d cap. quia propter*, sed tantùm restringitur, & limitatur: *ibi* enim dicebatur, quòd exquisitio votorum, seu exploratio electorum deberet fieri per tres Scrutatores de Collegio: in d. autem *Trid.* habetur,vt nomina eligentium nunquàm publicentur,nec quidem dictis Scrutatoribus,nequè alijs de Collegio, ad hoc, vt electio,fit omninò secreta; quod optimo iure factum censeo,tùm ad consulendum aliquorum pusillanimitati, tùm etiam ad occurrendum malis, quæ exindè possent oriri: etenim quando Scrutatores vident, aliquem non dare votum, vt ipsi prætendunt,concipiunt erga eum malam voluntatem, & sæpissimè odia, ex quibus rumores, rixæ,contentiones,rancores,& similia: vndè huiusmodi electores,sæpè sæpiùs ad redimendam propriam vexationem non eligunt liberè, prout notant *Panor. in d. cap. quia propter, Syl.ver. elect 2.q.10. num.13. Miranda tom.2. Manual.q.23. art.29. ver. septimo substantiale est,in fin.* & *Peyr. to.1. de subd q.1.c.31.ver.noto sextò,* & *Lezan. 2. p. cap. 12.num.18.*

3 Hinc in Dominicana Familia abolita est illa antiqua forma eligendi Prælatos per scrutinium,iuxtà præscriptum in *d cap. quia propter*;etenim in illo tempore electores sigillatim accedebant ad scrutatores,& singuli oretenùs eligebant, prout expressè habetur in *cap. 1. de elect. Prioris Conuent. tex.1. fol.105.col.3.*

4 Nunc verò in omni Canonica dicti Ordinis electione, seruatur *d. cap. Conc. Trid.* quod nobis fuit impositum in *Capitulo Generali Bononiensi 1564.* celebrato, sub tali forma verborum:

In huius ergò Decreti Concilij Tridentini exequutionem præcipimus vniuersis fratribus nostris,vt in futuris electionibus, infrascripta forma deinceps obseruetur, & si secus facta fuerint,irritæ habeantur: singuli electores in schedula scribant electi nomen, vel scribi faciant; eligentis autem nomen nunquàm scribatur, nec scrutatoribus; nec confirmatori vnquàm reueletur, & habetur in *cap.2.de elect cit.loc.fol.108.col.3.*

An sit de forma, quòd vota eligentium præstentur secretò? Quæst. 6.

1 NIcolaus Garzias *in tract. de benef p.5.cap.4 num.183.* respondet affirmatiuè,& mouetur ex multis,primò,ex verbis Bullæ Leonis X.incip. *in suprema* quam *ibidem* per extensum ponit pro electione Canonicarum Ecclesiarum Cathedralium Regnorum Hispaniæ, ibi, *quodq; maiori parte votorum secretò de necessitate præstandorum*, nota ly *de necessitate.*

2 Secundò, ex decreto irritante *d. cap. 6.Concil.Trid.sess.25.de Regular.* ibi. *Si verò contra huius Decreti Constitutionem, aliquis electus fuerit, electio irrita sit,& is qui, &c.* Decretum enim irritans,seu clausula annullatiua, seu decreti irritantis, inducit formam,vt dixi in *p. p. Praxis,tract.8.de clausul.Priuil clausul.12.ver.ac proindè.*

3 Tertiò,quia eligere ità occultò,& secre-

cretò, multa bona parit, & præcipuè defendit eligentium conſcientiam, & libertatem, quæ ſunt de intrinſeca ratione electionis canonicę, *Nouar. in Lucer. Regular. ver. electio, num.* 4. Quamobrem in Ordine Prædicatorum cautum eſt, vt prædicta forma ad vnguem obſeruetur, & electiones alitèr factæ, ſint ipſo iure nullæ, vt dictum eſt ſuprà, & ratio eſſe potuit, quia nomina eligentium, nedùm præſtanda ſunt ſecretò, verùm etiam nunquàm poſteà publicanda, prout expreſsè, & abſolutè dicitur in *d. cap. 6. Concilij Tridentini, ſeſſ. 25. de Regul.* ibi, *eligentium nomina nunquàm publicentur.*

4 Quæ verba ità ſtrictè ſunt intelligenda, vt electio ſit ipſo facto nulla, ac irrita, ſi poſt eius celebrationem in bullis confirmationis, ſeù in literis patentibus exprimantur nomina eligentium, prout Sacra Congregatio declarauit, & refert *Caſtell. cap. 4. num* 61. *Barboſa in collect. ad dictum cap 6. Trid. nu.* 8. & *in Summ. Bull. ver. electio, num.* 15. *Nouar.* in cit. *loc. num.* 2. & noſter *P. Franciſcus Maria Samuellius diſpu.* 5. *controu.* 1. *concluſ.* 5.

Secus electio non eſſet omninò ſecreta, prout à *Trid* deſideratur.

5 Hinc in ordine noſtro ſancitur, vt ſchedulæ eligentium, habito, eorundem numero, & collatione facta numeri ad numerum, à Scrutoribus, ante publicationem ſcrutinij coram eligentibus, in communi capitulo comburantur, vt dicitur in citat. *loc. pag.* 107 *col.* 3. *ver. decimum eſt.*

6 Et quidèm meritò, nè ex charactere poſſit ille cognoſci, qui votauit; inſupèr, & neceſſariò; quia electio facta per ſcrutinium, in qua non comburuntur omnes ſchedulæ ſecundùm ritum prædictum, eſt ipſo iure nulla, ex declaratione *Pij V.* inter cæteras relata à *Roſr. tom. 2. Bullar. in fin. Bull. huius Papa, pag.* 427. *num.* 4. ibi, *declarauit ad mentem Conc. cap. 6. ſeſſ. 25. de Reg. & ad ſupplicationem multorum Religioſorũ, vt omnes electiones fiant per vota ſecreta, medijs ſchedulis; & nunquàm publicentur eligentium nomina, & peracto ſcrutinio eorũ, qui plura habent ſuffragia vltrà medietatem, habeantur electi, quò facto coràm Capitulo crementur ſchedulæ, ſecus irrita ſint electiones.*

7 Ex qua declaratione noſter *Lucas Caſtel. de elect. Canon. cap. 4 num.* 62. colligit, Regulares omnes ex neceſsitate in eorum electionibus Canonicis debere procedere per viam ſcrutinij, ſeù per ſchedulas, aliter eorum electio erit irrita, & conſtat ex illis verbis, *irritando electiones, quæ non ſeruauerint prædictum modum*, & ſequitur *Lezana par. 2. cap. 12. num. 34. in fin.* licèt *Bordon.* aliter dicat *reſolut. 26. num.* 49. & ad maiorem claritatem.

Pone, quòd quis eligentium, ſuum votum palàm præſtet, vel quòd alteri oſtendat, an exindè electio ſit irrita? Quæſt. 7.

1 G*Arz. in d. cap. 4. num.* 183. reſpondet ad primum quæſitum affirmatiuè, ex quo votare ſecretò, eſt de forma, vt dictum eſt ſuprà, quæ remanet violata, etiam ſi vnus tantùm publicè ſuffragetur; forma enim indiuidua eſt, & ſine nullitate actus, nec quidèm in minimò lędi poteſt, quod procedit, etiã ſi taliter eligens ignoraret diſpoſitionem *d. cap. quia propter, & d. cap. 6. Conc. Trid.* quia clauſula annullatiua appoſita in vtroque *cap.* quòad forum fori, afficit etiam ignorantes; & ità bis in *Rota Rom.* deciſum refert *Caſtell. de elect.* Canon. *cap. 4. nu.* 1. *Nouar. in luc* Regul. *ver. electio, num.* 5. & 6. *Barboſ. in ſumm. Bull. verb. elector. Peyr. to. 1. de ſubd q. 1. cap. 31. §. 8. verb dico tertiò,* & poſt allegat. *Samuell. Dominicanus de elect. Canon. diſput. 5. controu. 2. concluſ.* 2.

2 Amplia, vt electio, in qua vnus eligentium data opera ſignauit ſchedulam, patẽti ſigno, vt exindè noteſcat ſcrutatoribus, vel vni ex illis, quòd talis elector eligit. N. ſit nulla, & irrita, quia talis obſignatio abſque dubio facit electionem non ſecretam, contra formam *d. Conc. Trid.* prout eruditè ex multis oſtendit *Caſtell. in d. cap 4. nu.* 61. *Peyr. tom. 1. de ſubd. q. 1. de obedientia, cap.* 21. *Barboſa in d. Summ. Bull. ver. elector.* & magis authenticè in *collect. d. cap. 6. Conc. Trid. num.* 9.

3 Benè verum eſt, quòd ſi quis electorũ, ante ſcrutinium verbo dicat, pro quo ſuum ſuffragium eſt laturus, vel ſi poſt publicet; pro quo ſuffragium tulit, non ideò vitiabitur electio, licèt talia publicando, malè faciat, tùm quia, non ob id electio deſinit eſſe ſecreta, potuit. n. variare, & alteri ſuffragari, tùm etiam quia non cenſetur, quis ſimpliciter, & formaliter elector: niſi in actu electionis, ſeù emiſsionis voti, prout Sacr. Congreg. Conc. declarault, *Garz. in d. cap. 4 num.* 196 *Caſtell. de elect. cap. 5. n.* 26; *Barboſ. in Summ. Bull. ver. electio, & in collect. d. cap. 6. Trid. nu.* 14. *& Samuell. de elect. diſput. 5. contr. 2. concl.* 1.

4 Quò verò ad ſecundum dubium, variant *Doctores*, Tu autem dic, quòd ſi quis eligentium ſecretò oſtenderit alicui ſuam ſchedulam, ad effectum, vt videat, quem ipſe eli-

eligat, non ob id violatur electio, sed remanet valida, quia per puram, & simplicem ostensionem schedulæ, electio non desinit esse secreta, quod procedit, etiam si ostensio schedulæ fiat per malitiam, & errorem, quia defectus particularis vnius de Capitulo, nō debet, nec potest nocere toti Capitulo, & actui ab eo, aliàs legitimè facto, ex *cap. firma*, cum ei adnotatis, *de Procur.* tùm etiam, quia alioquin positum esset in voluntate cuiuslibet electorum, electionem quamlibet irritare, & aliàs legitimam, illegitimam facere quod est contra ius naturale, ex quo fraus, & dolus nemini debet patrocinari, *Ricc. 4. p. decis. 197. num. 1.*

5 Secus autem dicendum, si manifestatio vnius, vel plurium votorum, esset causa realis, vel præsumptiua rationabilitèr, quòd electio subsequatur in hanc, vel illam personam particularem, ex vi illius ostensionis, vel si fieret, vidente, vel consentiente capitulo, vel maiori parte illius: hoc .n. casu electio censeretur facta contra formam à *Trid* præscriptam, vbi supra, & actus contrarius dispositioni iuris est nullus, *l. non dubium, C. de legib.* proùt sapientèr loquitur *Nauar. cons. 4. in 1. edit. de elect.* quem sequitur *Rodr. tit. 1. q. 51. art. 9.* cum suo *compendio, resol. 58. nu. 8.* & fusè in *Summ. cap. 102. num. 4. Lud. Miran. tom. 2. Manual. q. 23. art. 19. Garz. in d. par. 5. cap. 4. num. 193.* vbi adducit quandam declarationem Sact. Congreg. eamquè intelligit sub distinctione prædicta, *Sayr. dec. 4. eod. tit. Moisesius 1. par. Summ. Moral. tract. 6. cap. 16. num. 153. Castell. de elect. cap. 4. num. 3. Barbos. in collect. d. cap. 6. Trid. nu. 4. & 5. Nouar. in Luc. Reg. verb. elect. num. 49. Samuel. disput. 5. controu. 2. concl. 5. de elect.*

6 Nequè obstat *Conc. Trid. in d. cap. 6. sess. 25. de Regul.* quia mens *Concilij ibi* fuit, vt electio fiat secreta, in hoc sensu; nè scilicèt permittatur à Capitulo fieri aliquid, per quod manifestentur nomina eligentiū, quia secus, esset electio nulla, quando hoc ueniret, culpa Capituli, ve dictū est suprà: ad hoc malum euitandum Præses Capituli mandet, *Tridentinum* esse omninò ab electoribus obseruandum, & si quem illorum, sibi legitimè constiterit, violasse electionis secretum, castiget, puniat; & à numero eligentium excludat, proùt eruditè docet *Nauar.* cum præcit. *vbi suprà.*

Electio Abbatissæ an debeat fieri per vota secreta? Quæst. 8.

1 ET quidèm sic, quia ità expresè habetur in *d. cap. 6. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* ibi, *Abatissarum, vel aliarum præpositarum*: hìnc si electio Abbatissæ fiat per vota non secreta, etiam ex ignorantia *d. Decreti*, non valet, nec Episcopus potest dispensare, vt valeat, sed solus Dominus Papa, consideratis circumstantijs, proùt cēsuit Sac. Cong. & refert *Bell. in d. c. Trid. inter declarationes purpuratorum, Aloys. Ricc. 4. p. dec. 197. n. 7. & Nouar. in noui iur. pract. tit de elect. concl. 1.* aliàs 86. vbi expendit propria verba.

2 Et potest fieri, etiam per vota viuæ vocis, seu per suffragia oretenùs expressa, dummodò secretò præstentur coràm Scrutatoribus deputatis, & per aliquem ipsorū scribuntur, & nemini reuelentur, quia per huiusmodi suffragia, non desinit esse secreta, prout eadem Sacr. Congreg. super *d. cap.* declarauit, per hæc verba:

Si electi fuerint à Superioribus aliqui, vt putà, quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur secreta, & Canonica, *cap. quia propter, de elect.* & refert per extensum *Garz. in d cap. 4 num. 189. Castell. cap. 4. n. 4. de elect. Rodr. in addit. tom. 4. cap. 3. num. 12.* cum suo *Compend. resolut. 2. num. 22. de Abbatiss. Zerola in prax. Episcop. par. 1. verb. Abbatissa, §. 6. & Tambur. de iur. Abbatis. disp. 28. q. 4. num. 3.* quod dictum verum intelligo, si deputatio Scrutatorum, & huiusmodi ritus suffragandi, non aduersetur proprijs statutis, & Constitutionibus ordinis; quia in Superiorum, & Officialium omnium electionibus, forma præscripta à *Sac. Conc. Trid.* & ordinis Constitutionibus, inuiolabilitèr debee obseruari, prout expresè dicitur in *Decretis pro reformat. Regularium*, editis iussu *Clem. VIII. & Vrb. VIII. num. 36.*

4 His accedit alia declaratio, habita ab ead. Sac. Congregat. in *d. cap. 6. Triden.* sub tali forma verborum: *In electione Abbatissæ, de qua in præsenti, potest Episcopus cum suo Vicario, vel Secretario, vel alio ab ipso assumpto, vota singularum Monialium oretenùs expressa audire*; & refert Garz. cit. *loc. n. 190. Castel. Tambur. Ricc. Nouar. cit. loc. Barbos. in sum. bull. ver. electio, & in collec. d. cap. 6. Trid. nu. 7. & de iur. Eccles. cap. 45. nu. 31. & Bell. in d. cap. Trid. in obseruatione Doctrina, verbo nominis.*

5 Nec obstant suprà decisa, in quibus fuit dictum, quòd mos eligēdi coram scrutatoribus secretò; hodiè non est in vsu, ex quo fuit abrogatus per *Trid. in d. c. 6.* quia hoc non fuit dictum respectu Monialium, in quibus electiones debent fieri, iuxtà earum statuta, & *Decretum cap. 7. Conc. Trid. d. sess. 25. de Regul.* ibi: *Is verò, qui electioni præest, Episcopus, siuè alius Superior. Clau*

stra,

stra Monasterij, non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestrellum, Vota singulorum audiat, vel accipiat. in reliquis seruentur singulorum ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones, hæc ibi.

Per quæ Moniales censentur exceptæ à modo eligendi, iuxtà dispositionem *dict. cap. 6.*

6 Nec nocet alia declaratio super *d. cap. 6.* ab eadem Sac. Cong. habita sub his verbis, *In electione Abbatissarum vota oretenùs accipi non possunt à suis Superioribus cum duobus testibus, nec potest proximus Superior huiusmodi electionem irritam, utpotè factam contra formam huius Decreti, confirmare, & reualidare, absquè Sedis Apostolicæ authoritate*, quia loquitur, & procedit, quando vltra Deputatos, adhibentur aliqui testes, per quos posset publicari, prout sapientèr aduertit *Garz. cit. loc. num. 191.* at secus si illi duo testes assumerentur tanquàm deputati ad illum actum, quia hoc casu valeret electio, prout ead. Sac. Congreg. declarauit. *Ricc. par. 4. decis. 197. num. 5. & Nouar. in Luc. Regul. Ver. elect. num. 7.*

Electio Canonica an necessariò debeat esse libera? Quæst. 9.

1 ET dico, quòd sic; cùm pendeat à consensu qualificato, hoc est, intrinsecè libero, & spontaneo, & constat ex ipso nomine, nam eligere, est vnum ex pluribus accipere, vt dictum est suprà: vndè alitèr facta, est ipso iure nulla; quandoquidèm substantia contractus, consistit in consensu libero, *l. obligationum, ff. de action. & obligat.* & est expressa decisio *cap. vt periculum 3. de elect. in 6. §. caterùm*, ibi, *cessat electio, dùm libertas adimitur eligendi*, & meritò, quia deficiente substantia, omnia corruunt, *Megul. rur. resolut. 130. tom. 2. num. 3.*

2 Confirmatur, nàm sicut matrimonium carnale, est ipso iure nullum, si metu contrahatur, ex *cap. 14. de sponsalibus*, ibi, *cùm locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit; necesse est, vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur:* ità electio canonica, & professio Religiosa, erit nulla, si fiat per vim, & metum, cadentem in virum constantem, *Glos. in cap. quisquis, de elect.* & constat ex *cap. inter corporalia 2. de translat. Episcop.* vbi habetur, quòd matrimonium carnale, & spirituale æquiparantur, *Syl. ver. elect. 1. quæst. 23. nu. 26. Tabiena eod. ver. Nauar. lib. 1. consil. 5. nu. 2. in 1. edit.*

3 Hinc electiones, si fiant per metum reuerentialem, erunt irritæ, saltem in foro conscientiæ, *Nauar. in sum. cap. 17. num. 29. & cap. 22. num. 51.*

4 Vndè electiones factæ per pacta, conuentiones, intendimenta, vel subornationes, ex quo libertatem auferunt, sunt nullæ, *cap. cùm terra 13. de elect.* quamobrem, ad valorem electionis canonicæ, in Ordine Prædicatorum, satis prudentèr cautum est, nè aliquis prece, pretio, promissione, comminatione, ex certa scientia, & ex animi deliberatione præsumeret, ad eligendum aliquem, inducere, & qui prædicta fecerit, sit per triennium omni voce priuatus, & pœnis alijs acritèr punitus, & eandem pœnam incurrat ille, qui hoc sciuerit; nisi statim, habita opportunitate, debita, Prælato suo ipsum inductorem reuelauerit, *de elect. Prior. cap. 2. tex. 7. lit. Q. ver. item declaramus pag. 116. col. 4.*

5 Item propter eandem rationem, repertur sancitum, nè infra duos menses antecedentes futuram electionem, fiant nouæ assignationes; & mutationes fratrum *ibidem*, & infra *cap. 16. de ordinat. tex. 4.* ibi, *cùm electiones nostræ maximè liberæ esse debeant, pag. 193. lit. C. col. 2. & 3.*

6 Quibus accedit Decretũ, inter cetera editã à *Clem. & Vrb. VIII. pro reformat. Regul. tàm pro Monachorum, quàm Mendicantium*, sub numero 35. tenoris sequentis.

Vt omnis officiorum ambitus occusio præcludatur, caueatur omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tàm prò seipsis, quàm prò alijs, tùm in capitulis localium, tùm in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi quicunque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras, hactenùs contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque inhabiles, paritèr habeantur: super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel successoribus nostris; & pro qualitate culparum, grauius etiam plectantur. porrò supradictas omnes pœnas ad complices, & simpliciter scientes, & non reuelantes, extendimus, hæc ibi.

Electio coarctata ad tres, vel quatuor Personas, cum exclusione caeterorum; an valida sit? Quæst. 10.

1 QVòd electio coarctata ad certum genus hominum, sit valida; certum est; nec quidèm reperitur, qui de hoc dubitet, ex quò huiusmodi coarctatio, eligentium libertati non præiudicat, Pauor.

communitèr receptus in *cap. cùm terra*, *de elect. num.4. & in cap. licet. eod. tit. num.12. Syl. Ver. elect. 1. quæst. 23.* & fusè *Nauar. lib. 1. de Const. cons. 5. num. 1. in 1. edit.*

2 Ducunturque ex multis, primò; quia valet consuetudo, vt Abbas certi Monasterij eligatur solùm de certo quodam Monasterio, *cap. cùm dilectus, de consuet.*

3 Secundò, quia potest institui beneficium, vt non conferatur: nisi alicui de familia Patroni, iuxtà dispositionem *cap. cùm in Ecclesia tua, de præbend. in 6.*

4 Tertiò, quia talis est verè omnium praxis; nã Papa eligitur de Collegio Cardinalium tantùm, in Hispania nõ fiunt beneficiati, nisi Hispani, & in Gallia, nisi Galli.

Ac proindè P. Generalis in sua præpositura poterit legitimè, tutè, ac iustè præcipere, in casu contingentiæ, vt non fiant Prouinciales, in hac, vel illa Prouincia, nisi fuerint Magistri, Diffinitores, Priores, vel tot annorum: hoc enim non est coarctare libertatem, sed procurare, vt aptiores, ac digniores eligantur.

5 Nec nocet, quòd in electionibus, debet esse plena libertas eligendi, ex *cap. 6. Trid. sess. 25. de Regul.* quia libertas electionis potest restringi multis modis, itaut remaneat tanta, quanta est necessaria, ad hoc vt electio remaneat valida, vt constat ex matrimonio carnali, quod liberè debet contrahi; nihilominùs potest restringi, vt sit nubendum, huic, vel illi familiæ.

6 An verò possit coarctari ad singulares personas? non vno modo resoluitur.

Rodriq. tom. 2. quæst. 51. artic. 11. & in sum. capit. 105. numer. 1. cum suo *Compendio resolut. 58. num. 10. de elect. Miranda tom. 2. Manual. art. 22. conclus. 2. Portellus in dub. Ver. electio 1. nu. 4. & par. 3. cas. 48. Ver. vltimò dico, Peyr. tom. 1. de subd. quæst. 1. cap. 31. Ver. dico 2. pag. 154.* respondent, quòd electio debet esse libera, & non coarctata ad tres, vel quatuor tantùm.

Vndè si coarctetur, erit inualida, & Prelatus coarctans peccat mortaliter, & incurrit penam priuationis positam à *Pio V.* ex quo violentiam facit electoribus, & libertatem eligentium infringit, & se fundant in *cap. cùm terra 13. de elect.* vbi electio coarctata ad duas personas, declaratur irrita, & contra libertatem habita, ibi, *duas personas nominet, &c.* & in vim probationis, *Rodr. in d. ar. 11.* testatur, se in ordine Minorum vidisse annullatas tres electiones Guardianorum, factas cum tali coarctatione ad tres, vel quatuor tantùm.

7 *P. Sigismundus de elect. in addit. ad dubium 52. num. 5. Rober. Cardinal. Vbaldinus, Lauorius tit. 4. cap. 21. num. 11. & 16. Peyr. tom. 3. in addit. ad constit. Clem. VIII. cap. 11. num. 31.* referunt, ità fuisse à Sac. Congregat. decisum, sub his verbis.

An stante libertate electionis, liceat Prelato Superiori proponere duos, vel tres, ex quibus necessariò vnus eligatur, Sac. Congregat. respondit, non licere.

8 *Castel. cap. 3. numer. 7. de elect.* dicit, quòd nullus superior, inferior Papa, potest, aut debet limitare electiones ad tres, vel quatuor personas, cum exclusione aliorum, quando Electores sunt parati eligere aptiores, & meliores; secus autem, si electores præstiterint causam restrictionis; tunc enim potest Superior restringere ad tres, non autem ad vnum, alitèr tolleretur libertas, & per consequens electio esset nulla.

9 *Bordon. resolut. 26. quæst. 8. num. 25.* dicit, quòd valet dicta restrictio, quando electores contenti sunt illo præfixo numero, quia tunc dicuntur remanere in eorum libertate, & eo fortiùs, si coarctatio non sit facta cum aliorum exclusione, vt cùm Superior declarat, se per dictam limitationem, non velle excludere meliores, si quos habent.

10 *Lezana 1. par. sum. cap. 15. nu. 21.* non audet damnare huiusmodi limitationem, quia talis est consuetudo multarum Religionum, & præcipuè Carmelitæ, in qua Prouinciales non eliguntur, nisi ex propositis à Generali, nec Priores locales, nisi ex propositis à Prouinciali.

11 *Marcell. Megalius in. 2. par. promptuarij verb. elect. nu. 3.* vbi, examinauit dicta prædictorum, dicentium, quòd electio coarctata ad tres, vel quatuor personas, sit contra Canones, nempè contrà *cap. cùm terra, de elect. & cap. vbi periculum, §. cæterùm, eod. tit. in 6.* dicit, benè, & verè, præfatam sententiam, de iure nõ esse simplicitèr verã, quia, vt verificetur ista vox, electio, in qua vnus ex pluribus, est eligendus, vnum ex duobus eligere sufficit, in quo casu, valere electionem, quando alij non sunt idonei, tenet *Butr. in cap. cùm in iure, num. 30. de elect.* pluralitas enim saluatur in duobus, vt in *§. fin. de iure personarum*, & ex illo *textu* notat *Bartol. in l. 1. §. hoc scriptum, ff. ad Syllan.*

12 Hinc qui ex duobus vnũ eligit, verè, & liberè illum eligit, si tamen ità illum eligere valeat, ut si uellet, possit illum non eligere, quia non est hoc contra Canones; quandoquidèm remanet libertas in uoluntate eligentium, eligendi, & non eligendi personas propositas, vt in *d. cap. vbi periculum. §. cæterùm.* illa tantùm cassatur electio, in qua necessitas adigit, idest, cogit, & compellit ad certum talem eligendum: nàm in illo, tunc libertas adimitur eligendi,

di, quando necessitas ad hoc cogit: in casu autem posito, possunt electores illum non eligere, etiam si vnus solus ad passiuè eligendum, proponatur; ergo electio nulla non est, quia libertas eligendi, tunc non adimitur, nec aufertur, nàm cùm possit quis eligere, & non eligere, si eligat, non ex necessitate, sed liberè eligit, quia quod possibile est non esse, non necesse est esse, vt docet *D. Thom. in 1. 2. quæst. 13. ar. 6.*

13 Quapropter si prædicta coarctatio ex electorum volontare proueniat, vel ex alio accidente, tunc electio potest ad duos, vel vnum restringi, eritquè valida, etiam si electio fieri deberet de certo græmio personarum, ex vi alicuius statuti, seu approbatæ consuetudinis, vel ex priuilegio, *cap. cùm dilectus, de consuet. & cap. Abbate, de verb. significat*, nā si ibi nō essent nisi duo, vel vnus idoneus ad regimen; tunc certè electores compellerentur ad vnum ex illis duobus eligendum, & ualeret, & bona esset electio, prout plures testantur, quos allegat, & sequitur *Sigismundus* cit. *loc. Lauorius tit. 4. cap. 21. num. 11. & 16. & Samuel. tract. 2. disput. 1. controuer. 4.*

14 Et ità egomet uidi practicari à Reuerendissimo, ac Doctissimo P. Generali Rodulfio in facti contingentia, cùm ageretur de futura electione Prouincialis per viam alternatiuæ, & in illa Prouincia, ad quam pertinebat futurus Prouincialis, non reperirentur idonei ad gubernium, nisi vnus, vrbanè, ac suauitèr scripsit ad quos spectabat; *doleo, quòd in vestra Prouincia non reperiantur apti ad officium Prouincialatus, præter vnum N. quem si volueritis eligere, benè quidèm, secus mittam aliundè.* electio exindè ad illum unum peruenta, fuit ualida, & canonica omnibus modis.

15 In Ordine Prædicatorum non fit propositura, nisi in casu necessitatis; & tunc hi, ad quos spectat, non proponunt minus, quàm tres, in singulis electionibus, quomodocunquè habendis; ceterùm si electores alioquin dignum, quamuis non de propositis, elegerint, eam tamen electionem, tenentur confirmare, *cap. 2. tex. 4. lit. N. de elect. Prior. pag. 112. col. 2. ver. itèm declaramus*: ibi; *Quòd si necessariū esse existimabunt, non pauciores, quàm tres in singulis electionibus proponant. Cæterùm si electores, alioquin dignum (quamuis non de propositis) elegerint, eam tamen electionem Cōfirmator confirmare non differat.*

16 Ex quibus collige, quòd electio Canonica potest ob multa limitari, & coarctari ad personas particulares, quæ zelo, ac prudentia sint alijs præstantiores.

Nec nocet declàratio Sacræ Congregationis, antè lata, quæ licèt sit authentica, nihilominùs loquitur de coarctatione facienda à Prælato ad suum libitum, non autem de ea, quæ posset esse ex necessitate, causa rationabili, lege, vel constitutione Ordinis, in quam Religiosi consenserint. *Lezan. cit. loc. in addit. ad dict. numerum 21. 1. par. sum. cap. 15.*

Electio, in qua non præcedit debitus tractatus, an sit nulla? Quæst. 11.

1 VT certum, in hac re, ab incerto separetur, debet aduerti, quòd tractatus præcedentes electionem, possint esse in duplici differentia, nàm quidam sunt mali, vti ambitiosi, pactionales, factionales, conuentionales, conditionales; & huius generis similes; & hi reddunt fermè electionem cassam, & annullandam, ex *cap. cùm post petitam 46. de elect.* vbi eius electio annullanda fuit, qui requisitus, antequàm foret canonicè electus, consensit electioni de se faciendæ, ibi, *assensumquè tuum ante quàm electus fueris, &c.* quia præsumitur ambitiosus, *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 23. ar. 30. conclus. 1. Barbosa in eodem cap. num. 2. Diana 2. par. tract. 16. Miscell. resolut. 37. & Megal. 2. par. prompt. Ver. electio num. 50. §. cùm autem*, vbi eruditè expendit causam dictæ annullationis, & ex *cap. per inquisitionem 26. eod. tit.* vbi statuitur, electionem Episcopi, ob multa esse irritandam, & cassandam, & præcipuè, quia ipse, & eius amici antè suam electionem habuerant colloquium cum quibusdam Canonicis, eosque sollicitauerant precibus, vt ipsum eligerent in Episcopum, ibi, *iurauit se sciuisse pro certo, R. olim Tholosanum Episcopum, & amicos ipsius, antè suam electionem habuisse colloquium cum quibusdam Canonicis, nominatim expressis, eosque precibus sollicitasse, vt ipsum eligerent in Episcopum*, hæc *ibi*, vbi *Abbas Panor. num. 5.* ait, quòd sollicitans electores pro sua electione, facit se indignum; quia probatur ambitiosus; & hoc non solùm, quando sollicitat per se, sed etiam per alios, vt patet ex *textu.* & eruditè *Remigius Scropha* Dominicanus in *Moral. quæst. 20. num. 2.* vbi ex multis ostendit, quòd magis ambitiosus sit, qui quærit, aut rogat pro suffragijs, quàm qui tantùm electioni consensit de se fiendæ, addit enim peculiarem deformitatem; etenim qui rogat, promittit, & etiam consentit, & multò magis, qui se eligit.

2 Quidam vero tractatus sunt boni, & virtuosi, ceù sunt tractatus consultorij, in quibus discutiuntur merita, partes, & qua-

ſitates eligendorum; & hi de neceſſitate habendi ſunt, in qualibet electione, alitèr non valeret electio; & eſt manifeſta deciſio *cap. cùm in veteri lege 52. de elect.* ubi irritatur electio, ob defectum debiti tractatus, vbi *Gloſa ver. in tract.* ait, *hic patet, quòd tractatus debet haberi antè electionem, & collationem ad inuicem, aliàs quomodò eligerent; niſi primò de aliquo eligendo tractarent*; id ipſum *Gloſ. in cap. in nomine Domini diſtin. 23. in ver. tractantes*; etenim præ-requiritur nominatio, iuxtà *textum cap. cùm terra 13. eod. tit.* ibi, *perſonam nominent, quòd ſi in perſona fuerit peccatum, &c.* & *cap. in Geneſ. 56. eod. tit.* vbi electio eſt irrita, ex quo tractatus debitus non fuit adhibitus, ibi, *non tractatum, nec diſcuſſum,* & *cap. in cauſis 30. eod. tit. in principio*, ibi, *cùm Capitulum Eccleſ. ad tractandum de elect. Episcopi conueniſſet*, & *cap. inter Canonicos 21. eod. tit.* ibi, *in capitulum ſe receperunt, de futura electione Pontificis tractaturi*: ex quibus benè conſtat, quòd tractatus conſultorius debet præcedere, & eſt omninò neceſſarius: eſt enim aliquid ſubſtantiale, ſine quo non poteſt fieri electio, quæ cùm ſit aſſumptio unius præceteris, eo quòd præillis debeat eligi, non poteſt talis aſſumptio habere locum, ſine tractatu; quia ſine ipſo, non poteſt electoribus innoteſcere, qui nàm ſit præ ceteris præferendus, & cùm debeat collegialitèr preferri, debet etiam collegialitèr innoteſcere, quis ſit præferendus. *Peyr. tom. 3. in addit. ad conſtitution. Clem. VIII. & Nald. in ſum. ver. elig. num. 2.*

3 Hìnc collige, huiuſmodi tractatum, eſſe tantæ neceſſitatis, ut non poſſit in quauis electione Canonica prætermitti, nec per contrariam conſuetudinem abrogari. Conſuetudo enim non poteſt induci contra formam ſubſtantialem electionis, præſcriptam in *Canonibus*, cum clauſula annullatiua; nàm non datur locus conſuetudini, contra Decretum irritans; aliud enim eſt quærere, Vtrùm conſuetudo legitimè præſcripta, præualeat iuri communi; & aliud, an præualeat iuri communi qualificato, hoc eſt, habenti clauſulam annullatiuam, vt reperitur in *d. cap. quia propter, & in cap. 6. Trid. ſeſſ. 25. de Regul.*

4 Nec obſtat *Sigiſmundus à Bononia par. 2. de elect. cap. 1. dub. 55. num. 11.* dicens, quòd ad euitandam ſubornationem in electione, poteſt conſuetudine introduci, vt nullus habeatur tractatus, quæ conſuetudo, licèt ſit contra ius Canonicum, eſt tamèn ex cauſa vrgenti, & veriſimilitèr non præuiſa à *Canone*, nempè, nè occaſione tractatus fiat ſubornatio; vndè toleratur, cùm conſurgat ex tacito conſenſu; & quòd, hoc caſu, non præſumitur ambitio, & quòd, maius ſcandalum oriretur ex reprobatione talis conſuetudinis.

Quia *Canon* optimè præuidit, tractatum poſſe ſubornationē euadere; ac proindè decreuit pœnas cōtra ſubornantes: nec ſufficit tacitus cōſenſus, vt poſſit tolerari; nàm hoc ſolùm locum habet, quando conſuetudo, aliàs ſubſiſtere poteſt, quod in caſu noſtro, nō contingit; cùm ſit contra ſubſtantiā electionis præſcriptæ, cum Decreto irritāte. & in hoc ſenſu non loquitur *Panor.* per eundē allegatus in *Clem. & ſi principalis, num. 6. de reſcriptis*; & licèt non præſumatur ambitio, præſumitur tamèn ignorantia præiudicialis electioni: nec verum ſcandalum oriri poteſt ex reprobatione prauæ conſuetudinis, & tollentis neceſſaria ad electionem, *Zacch. Paſqualigus deciſ. 252. Franciſcus Samuellius tract. 1. diſput. 4. controuer. 9. de Canon. elect.*

5 Nec quidèm in Capitulo Generali poteſt fieri ſtatutum, & lex ferri ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Superioribus localibus reſeruatæ, nè quis electorum tractatum habeat, vel collocutionem faciat, vllo modo antè electionem; tùm quia Capitulum Generale, non poteſt ſtatuere contra ius commune, & præcipuè qualificatum, ſine expreſſa licentia Domini Papæ; tùm etiam; quia hæc ordinatio eſt nimis rigida, atquè indiſcreta, tùm item quia in proprijs terminis fuit abrogata ab *Vrb. VIII.* quippè qui voluit, ſtatuitque, electores poſſe habere tractatum iuxtà diſpoſitionem Sacrorum Canonum, ſcilicet antè vnum, aut duos dies, antequàm ad electionem procedatur, prout conſtat ex literis Domini Fagnani. Datis Romæ, Die x. Octobris 1626. Patribus Clericorum Regularium, teſte *P. Samuellio cit. loc. in controuer. 8. concluſ. 1. in fin.*

6 *V*ndè iure optimo in Ordine Prædicatorum prohibetur, ne de electione peragenda, aliquis tractare audeat: niſi antè diem vnam electionis; per ſe, vel per alios, verbo, aut ſcripto, ſub pœna grauioris culpæ, ſiue is vocem habeat in electione, ſiue non; & Prælati talem pœnam tranſgreſſoribus infligere tenentur, proùt melius eſt videre *in declarat. cap. 2. de elect. Prior. diſtin. 2. tex. 7. lit. Q pag. 117. col. 3. in fin.*

7 Nec nobis obijcies uerba *Bullæ Pij V.* quæ incipit *Paſtoralis officij*, editæ Romæ, apud Sanctum Petrum, 28. Maij 1571. ibi, *vt qui in electionibus, vel antè eas, per ſex menſes, pro ſe, vel pro alio, ſubornauerit, excommunicationis ſententiam, ipſo facto incurrat, &c.*

8 Nequè illa *Clem. VIII.* habita in *Decre-*

tis

tis editis *pro reformatione Regularium, sub n.*35. ibi, *vt omnis, &c.*

Quia, vt benè aduertunt *Rodr. tom.*2. *q.*56.*art.*1. cum suo *Compen. resolut.*58. *nu.* 45.*de elect.Castell.cap.*3.*nu.*6. *eod.tit.Nal.in sum.Ver.Religios.n.*42.Bullæ, & Decreta Romanorum Pontificum, debēt tantùm intelligi de mala procuratione, & subornatione proueniente ex aliquo affectu inordinaro, vel passione humana, qua ambiuntur officia Ordinis, pecunia, & alijs donis, vel qua indignus digno, & minus dignus digniori præfertur, cùm hoc euidentèr sit in damnum communitatis, ex *cap.nihil, de elect.*

9 Non autem de bona, & virtuosa, in qua licitè suadentur virtutes, & merita alicuius: etenim subornatio, seu suasio, qua suadetur verum, vel falsum, in bonum, vel malum finem, vt notat *Card. in clem.*2. *de testibus*, potest esse bona, & mala: si enim dirigitur ad bonum Reipublicæ, est bona; si verò in malum, erit mala; etenim specificatur à fine, in quem dirigitur: quæ animaduersio desumitur ex doctrina *Nauarri in Manuali, cap.*23.*num.*209. vbi explicans *Bullam Pij V. de Confidentia Beneficiali*, ait, illam esse intelligendam de mala confidentia, non autem de virtuosa.

10 Et quidèm meritò, tùm quia Constitutiones non obligant vltrà finem intentum à legislatore, *cap.final.de prabend.& l.in aqua, ff.de acquir.rer.dom.* at finis *d.Bull.* est prouidere, ne eligantur indigni, & ambitiosi, & minus digni, dignioribus antefe rantur; ergo in supradictis *Decretis, & Bullis*, illi tantùm tractatus vetantur, qui huic fini aduersantur, non autem illi, qui ordinantur ad electionem dignæ personæ: tùm etiam, quia prædictæ Constitutiones non possunt extendi ad id, quod est contra ius naturæ, sed cooperari bono communitatis est de iure naturæ; quia multum interest Reipublicæ, vt boni Rectores eligantur ad sui regimen, ex *cap. nihil, de elect.* & ex vi eiusdem iuris, vnusquisq; hoc tenetur procurare: ergo nequeunt Electores prohiberi, ne procurent bonum electionis; immò cogi possunt, vt hoc faciant, quod si fecerint, laudem merentur, suntq; remuneratione digni, *Castell.* cit.*loc.& Peyr.in formul. l.t.E. cap.*7. *nu.*1.

11 Nec replices, quòd debeant intelligi prohibitæ, etiam tractationes, quæ respiciunt bonum electionis, ne harum occasione, etiam vitiosæ, & iniustæ subrepãt. Quia hoc pacto præcluderetur via ad canonicam electionem, in qua debet inuestigari de moribus, & qualitatibus eligendorum; prout omnes docent, quorum quidam ampliant, vt tractatus iustus respiciens bonum electionis, sit licitus, quocunq; tempore præcedat electionẽ; quia ex eo quòd tẽpore præcedat, non euadit iniustus, cùm non sit perniciosus, immò neq; inutilis, sed cõducit ad eligendam personam dignam, *Pasqual.* cit. *loc.* verùm debet attendi tempus à iure cõmuni, vel speciali præscriptũ, vt dictum est suprà.

***Electio per sortes facta an sit valida? Quæst.*12.**

1 NEgatiuè dic, tùm quia forma eligendi Prælatos præscripta in *cap.quia propter* 42.*de elect.* absq; nullitate actus, non potest variari; quandoquidèm deficiente forma, deficit formatum, tùm etiam; quia electio debet esse certa, & non dubia, fortunæ commissa, tùm item, quia sic expresè reperitur decisum in *cap. Ecclesia* 3. *de sortilegijs*, ibi, *sortis vsum in electionibus, perpetua prohibitione damnantes*; de qua re eruditè *D.Thom.*2. 2.*q.*95. *art.*8. & *ibi* luculentèr *Caiet.& in sum. ver.sors.*

2 Nec obijcies, quòd Matthias fuit sorte electus in Apostolatum, & quòd sors non est aliquid mali, tùm quia illud Matthiæ factũ fuit, Diuina inspiratione, 14.*q.*5.*Canon. dixit*, tùm etiam, quia tùnc temporis, Iura Pontificia non reperiebantur, per quæ electores cogerentur ad eligendum iuxtà formã à Sacris Canonibus præscriptam; & quamuis sors non sit aliquid mali, vt in se cõsiderata; verùm ex causa prohibetur, *Glos.in d.cap. ver. in elect.* Etenim sortes iudicantur ex causa, à qua expectatur sortiũ euẽtus; scilicèt, an à Deo, à Cœlo, à Fortuna, an à Dæmone; prout latè *Caiet.* cit. *loc* 2. 2. *in princ. comm.*

***Forma eligendi per communem inspirationem, quæ nàm sit? Quæst.*13.**

1 ARchid. *Panor.Hostien.in d.cap. quia propter*, quos sequitur *Syl. ver. elect.*2. *nu.*27. *Rota coràm Reuerendiß.Coccino, Castell.de elect.cap.*4.*num.*4. *Samuel.eod. tit. tract.*1. *disput.*1. *contr.*3. *concl.*2. 3.*&* 4. & *Miranda tom.*2. *Manual. Prælat. quæst.*24. *art.*42. dicunt, quòd circa modum eligendi per communem inspirationem, non reperitur in iure determinata forma, secundùm quam eligẽtes possint se regulare, nec quidèm in *d.cap.quia propter*, præscribitur, sicut illa scrutinij, & compromissi; sed prætermittitur, & relinquitur arbitrio Dei; & meritò, quia quæ spiritu Dei aguntur, humanis

nis

nis legibus non debent, nec possunt subesse, teste *Apost. ad Galatas cap.5. & 1. Corinth. 3.* & *Can. duæ sunt 19, q.2.*

2 Verùm *Gl. in c. perpetuò, de elect. in 6. ver. præsupponendum*, dicit, quòd forma Spiritus Sancti, est, quando nullo habito tractatu, inter eligentes, nec conuentione, statim, quòd eligentes conuenerût in loco solito, clamant vnanimitèr, *nos talem eligimus*, nullo contradicente, & nulla disputatione facta inter eos; vel si vnus eligêtium dixit, *ego eligo talem*; & omnes alij dicût similitèr.

3 Id ipsum dixit *Hostien. in dict. cap. quia propter nu.50. & in sum. de elect. nu. 15. ver. tertia forma*, vbi dicit, quòd eligere per viã Spiritus Sancti, seu per eius communem inspirationem, est, quando nullo inter eligentes, ordine seruato, ipsi quasi inebriati, & calefacti Paracleto, & super se quasi facti, eligût tepentè, vna voce; sicut per communem inspirationem electi fuere ad Episcopatum D. Ambrosius, Martinus, Nicolaus, & alij huiusmodi Sancti, vt dicitur in *cap. statuimus, §. his omnibus, distin. 61.* quippè quæ sic notoriè facta, non indiget confirmatore, nec vt fiat in loco Capituli, quia non subditur legi humanæ; & constat ex prædicta electione Sanctorum.

4 Verùm tamen hæc electio per viam Spiritus Sancti, hac nostra tempestate, aut rarò, aut nûquàm euenit, id fortasse nostris demeritis requirentibus, prout notant præcitati *Doctores*.

Electio autem facta per quasi inspirationem Spiritus Sancti, est, quando subitò, ac repentè, aliquo tamen ordine seruato inter Electores, vt nempè in loco capituli, vnus post vnum, sine interuallo, omnes eligunt, & hæc indiget necessario confirmatore, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, quia quodammodò subest legi humanæ, & differt ab electione supradicta, per illam dictionem (*quasi*) quæ de sui natura, est denotate in proprietatem, fictionem, & diminutionem, vt in *l. të Mela, §. Celsus, & §. quamuis, ff. ad legem Aquil.* & ostendit ex multis *Barbos. dict. 261.*

5 De substantia huius electionis est, vt omnes congregentur simul, secundò, vt vltrò conueniant in talem viam procedendi, tertiò, vt omnes eligant, vt nullus discrepet, secus non diceretur facta à Deo specialitèr inspirante; argum. *cap. si ergo, 8. q.1.* at quia hæc nô est in vsu, procedamus ad alia.

Forma eligendi per compromissum, quæ nam sit? Quæst. 14.

1 QVòd electio possit fieri per compromissum, patet ex *d. cap. quia propter 42. de elect. §. vel saltem*, & talitèr fit, cùm eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, vt vice omnium, Ecclesiæ viduatæ prouideatur de Pastore, vt *ibidem* dicitur.

2 Est enim compromissum voluntaria conuentio inter partes, vt lis, seu differentia aliqua, arbitrio certi boni viri terminetur, & dicitur compromissum, quasi simul à pluribus promissum, ex eo, quòd inter partes simul promissum est, stare sententiæ côpromissarij, seu arbitri, vel arbitratoris.

3 Dicitur voluntaria conuentio; quia regulatitèr compromissum non fit, nisi voluntariè; nam de iure communi, nemo compellitur compromittere, vt docet *glos. & Bart. in l. furti, §. quod iussu, de his, qui notantur infam.* & docent vnanimitèr *DD.* nec necessum est, huiusmodi compromissarios esse de Collegio, per *cap. causam, quæ, extra eod. tit.* oportet tamen, quòd sint viri Religiosi, *ibi glos. ver. viris.*

4 Et licèt compromissum possit fieri vni ad Ecclesiæ facilius prouidendum, nihilominùs, melius, ac tutius est, vt fiat impari numero, hoc est, ad minus tribus Religiosis viris, ad hoc, ut in casu discordiæ, maior pars eorum, possit electionê facere; etenim standum est maiori parti, per *cap. cùm causis, cap. cùm dilectus; & cap. cùm in iure, eod. tit.* compromissum ad hoc, ut valeat, debet fieri ab omnibus votum habentibus in capitulo, nemine discrepante, *Glos. in d. cap. quia propter, ver. vice omnium, & Syl. ver. elect. 2. q. 11. nu. 14.*

5 Potestas tradita compromissarijs potest reuocari, etiam facta commissione, re tamen integra, hoc est, vsquè dùm hi non cœperunt de tali persona tractare, nam negotium Arbitris commissum per tractatum de persona eligenda, desinit esse integrum, *Syluester.* post allegatos cit. *loc.* & côstat ex *cap. in causis, de elect. §. quia verò*, ibi *cùm res non esset integra; quia in tractatu, iam processerant Electores, capitulum minimè potuit reuocare*: ergo re integra, per argumentum à contrario sensu, capitulum potest reuocare.

6 Compromissum factum ab uno, nomine, seu vice omnium, alijs præsentibus, & non contradicentibus, non ualet; quia in re graui, & magnæ importantiæ, qualis est ista, de qua agitur, taciturnitas nô nocet, *Glos. in Regula, qui tacet, consentire videtur.*

7 Quapropter omnes, ad quos pertinet, in hac re debent requiri, & expressè consentire, *Syluestr.* cit. *loc.* multis citatis.

Compromissum potest fieri absolutè, & amplè, ac etiam strictè, & limitatè, prout videbitur partibus expedire: Compromissarij

ſatij tamen tenentur ſequi formam ſibi à partibus præſcriptam, quòad tempus, locum, & ſimilia.

8 Dico quòad formam, quia compromiſſarij in eligendo nō tenentur ſequi formam ſcrutinij, quia realitèr diſtinguitur ab illa, niſi forſan fuerit ſibi à partibus præſcripta, de qua re fusè *Mirād. tom. 2. Manual. Pralat. q. 23. ar. 34.* & *Megal.* in ſuo *prōptuario ver. compromiſſum, & ver. elect. num. 12.* vſq; ad *num. 16.* Nos autem aliò diuertamur, ex quo apud Nos, non eſt in vſu.

Electio per compromiſſum, & communem inſpirationem, an ſit abrogata à Trid. in d. c. 6. ſeſſ. 25. de Regul. Quæſt. 15.

1 Rodr. *tom. 2. q. 51. art. 9. in fine, & in 1. p. ſummæ cap. 102. de elect. nu. 2. & cap. 105. de eis, qui poſſunt eligi, in med. Miranda tom. 2. Manual. q. 23. art. 3. in fin. & in tract. de Monialibus, q. 7. ar. 3. concl. 1.* ſed ſibi contrarius in *loc.* infrà citandis, reſpondent ad quæſitum negatiuè, quia *Tridentinum* per ſupradictum *Decretum* nihil innouauit, nec contrarium indixit, ſed ſolummodò ſtatuit, quæ ſeruanda ſunt in electione habenda per ſcrutinium, iuxtà diſpoſitionem *d. cap. quia propter,* quibus arridet *Tambur. tom. 1. de iur. Abbat. diſput. 5. qu. 6. in 5. ſubſtantiali,* ſibi contrarius infrà, & *Lezana 1. p. ſum. cap. 15. n. 11.* at ſe corrigit in *Ver. elect. num. 3.*

2 Tu verò, his non obſtantibus, dic, quòd dictæ electiones faciendæ per compromiſſum, vel per communem inſpirationem, cēſentur abolitæ, tùm quia, dùm *Tridentinum in d. cap.* ſtatuit, omnes electiones Prælatorum deberi fieri per ſcrutinium, & per vota ſecreta, ita vt nomina eligentium nunquàm publicentur, neceſſariò ſequitur, eas non poſſe fieri per compromiſſum, & communem inſpirationem: in his enim manifeſtantur nomina eligentium; tùm etiam, quia *Tridentinum*, vbi ſuprà præter formam ſcrutinij, vult omnem aliam eſſe irritam, & nullam, ibi, *ſi verò contra huius, &c.* prout benè aduertit *Ludouic. Mirand. tom. 2. q. 23. art. 15. concluſ. 2.* ibi, *quæ forma ferendi ſuffragia coràm ſcrutatoribus, ſublata eſt per Tridentinum* cit. *loc. & art. 29.* eiuſdem *quæſtionis in ſeptimo ſubſtantiali,* ibi, *ſed hæc omnia, vt diximus, iam ſunt ſublata per Concil. Trid.* tùm item, quia ità Sacra Congregatio Conc. declarauit in proprijs terminis ſibi propoſitis, cuius propria verba refert, & ſequitur *Garz. p. 5. cap. 4. nu. 203. de Benef. Caſtell. cap. 7. num. 7. de elect. Barb. in Collect. Bull. ver. elect. num. 16.* & in *Coll. ad d. cap. 6. Trid. nu. 15. Nouar. in praxi noui Iur. Pont. de elect. concluſ. 1.* aliàs *86. n. 5. & in Luc. Regul. ver. elect. num. 10. Tamb. de iur. Abbatiſ. diſput. 28. q. 4. nu. 14.* vbi refert, Sacram Cōgregationem Eminentiſs. Cardinal. declaraſſe, Prouincialem quendam Carmelitam, qui vnanimi conſenſu, & vnica voce acclamatus fuit ab eligentibus, Prouincialis Terræ Laboris, non eſſe verè electum, irritamq; fuiſſe eius electionem, tanquàm per vota ſecreta non factam, & loco illius fuit alter electus, quā Declarationem prius retulit *Lauretus de Franchis* in ſuis *controuerſijs inter Epiſcopos, & Regulares de Abbat. q. 2. §. 5. Lezana in ſum. ver. elect. num. 3.* & fusè *Samuel. diſput. 1. controu. 5. concluſ. 2. tract. 1.* tùm tādèm, quia ità obſeruat communis praxis omnium Mendicantium, in quibus Prælati eliguntur per modum ſcrutinij in ſchedulis obſignatis, & præcipuè in Dominicana familia, prout habetur in *declarat. lit. C. de elect. Prior. cap 2. pag. 108. col. 3.* ibi, *abrogata igitur electione per communem inſpirationem, & per compromiſſum, ſemper per ſcrutinium facienda eſt electio;* quibus in verbis debet attendi illa dictio (*igitur*) quæ ponitur illatiuè, vt illationem, ſeù conſequentiam faciat ad verba *Concil. Trid.* ſuprà poſita.

Electio per modum compomiſſi mixti, an ſit valida? Quæſt. 16.

1 SI contingat, fieri compromiſſum limitatè, cum hac clauſula, nempè, *vt compromiſſarij ipſi exquirant vota ſingulorum, illumq; eligant, in quem maior, & ſanior pars conſenſerit;* electio huiuſmodi dicitur mixta, & talitèr facta, eſt valida, ex *Conſtit. Innoc. III.* quæ habetur in *cap. cùm dilectus 32. de elect.* quæ non fuit reuocata per *Conſtitutionem Alexandr. 3. in Concilio Generali de anno 1225.* & habetur in *d. cap. quia propter,* vt declarat *Bonifac. 8. in cap. cùm expediat 29. de elect. in 6. cap. ſi cui 27. eod. tit.* prout firmitèr docuit *Syl. ver. elect. 2. q. 5.* & *Rota Rom. coràm Reuerendiſſ. Decano in vna Treueren. Abbatiæ Sancti Maximi,* ſub *anno 1625.* quam per extenſum refert noſter *Caſtell. de elect. cap. 4. inter Deciſiones Rotæ Rom. num. 32.* quos ſequitur *Lezana ver. elect. inter Regulares, nu. 3. in fin.* & hunc eligendi modum ſeruant hodiè Patres Capuccini, in electione eorum P. Generalis, & Prouincialis; eligunt enim tres de Collegio eligētium, & tres extrà Collegium, qui, ſcrutatis omnium votis, eum debent eligere, & electum eſſe, vnus ex eis debet

pro-

pronunciare, in quem maior pars eligentium consenserit, *Megal. 2. part. prompt. ver. elect. nu. 58.*

Electionis scrutinalis substantialia, quæ nàm sint? Quæst. 17.

1 DE forma, & essentia electionis scrutinalis, latè scribunt noster *Syl. ver. elect. 2. nu. 12. Tab. eod. ver. num. 19. Rosella nu. 23. Mirand. tom. 2. Manual. q. 23. art. 29. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 3 t. not. 2. Tambur. de iur. Abbat. tom. 1. disput. 5. q. 6. Megal. tom. 2. promp. ver. elect. nu. 30. Lezana 2. p. sum. cap. 12. nu. 27.* dicuntq; multa esse de substantia electionis.

2 Primò, vt liberè fiat, proculq; sit ab omni specie coactionis, vt constat ex decisis hîc suprà *quæst. 9.* & docet *Glos. in cap. quisquis 43. de elect. ver. casus*, ibi, *nota, quòd in electionibus debet esse liber consensus eligentium, si verò coactus, non valet: immò irrita est electio*; & habetur in *cap. periculum, §. cæterùm, de elect. in 6.*

3 Secundò, vt fiat per electores, collegialitèr congregatos in vnum: tunc enim dicuntur collegialitèr congregati, quando iussu legitimi superioris, reperiuntur coniunctim in aliquo publico, & honesto loco Monasterij, *cap. coràm 35. & cap. bonæ memoriæ 36. & cap. quod sicut 28. de elect.* ibi, *non contempti, sed ad electionem vocati*, in quo *ver. Glos.* multa docet, & colligitur ex *d. c. quia propter*, vbi ad Canonicā electionē celebrandam per modum scrutinij, requiritur, vt præsentes sint omnes, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, ibi, *statuimus, vt cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volūt, & possunt commodè interesse*, & habetur expressè in *cap. in Genesi 56. de elect.* ibi, *nec etiam electio communitèr celebrata, quoniam licèt in eundem G. singularitèr singuli consensissent, non tamèn debuit subsequi singularis electio, sed communis.*

4 Ex quibus plura collige, Primò, quòd non omnes vocandi sunt ad electianem, sed hi tantùm, qui debent venire, hoc est, qui habent ius ad suffragandum in Capitulo. Secundò, quòd consensus eligentium, singularitèr præstiti, nihil valent, vt si quilibet in Camera sua consentiret, sed oportet, vt collegialitèr præstētur. Tertiò, quòd electores debent esse præsentes, verè, & realitèr: non enim sufficit interesse moralitèr.

5 Tertiò, vt scrutatores assumantur de collegio, & per collegium, ex *d. cap. quia propter*, ibi, *assumantur de collegio*, sed assumendi sunt ab omnibus de capitulo, vel à maiori parte, vt constat ex illo *verbo, assumantur*, quod refertur ad id agentes, in eodē capitulo: non enim debent se ingerere, quia sic redderentur suspecti, ex *tex. l. quæ omnia, ff. de Procuratoribus.*

6 Verùm, in Ordine Prædicatorum non assumuntur ad libitum, sed antiquiores in habitu post professionem, vt dicitur in *cap. de elect. Prior. in declarat. ad text. 1. sub lit. E. pag. 109. col. 3.*

7 Quartò, vt modo prædicto assumantur tres scrutatores, non plures, nec pauciores, vt expressè dicitur in *d. cap. quia propter*, quod *DD.* intelligunt verum, quando seruari potest, alias proptèr electorum paucitatem, sufficiunt duo scrutatores; immò vnus solus, testibus vocatis; immò nullus, si ius eligendi penès vnum reperiatur, vt dicunt *Syl. Mirand. Peyr. Tamb. cit. loc.* tùm quia lex non ligat, quando de facto seruari non potest, *l. 1. §. dies, ff. quando appellandum sit*; tùm etiam, quia in *cap. erit autem, 4. dist.* habentur illa verba, *erit autem lex honesta, iusta, possibilis*; ergo quando est impossibilis, non obligat: tùm item, quia in *d. cap. quia propter*, dicitur, *assumantur tres fide digni, & præsentibus omnibus*, quod ad minus, de quatuor intelligi oportet, ad hoc, vt ex illis, tres assumi possint, præsentibus omnibus: ergo quando electores sunt in minori numero, non tenentur sequi d. dispositionem *cap. quia propter*, nec eligere per compromissum; Electores enim non tenentur inuitè ius suum alteri committere, *l. in vēdendis, Cod. de contrah. empt*, sed eligere possunt, quomodò volunt. nempè de iure veteri, & naturali, adeo, vt ille verè dicatur electus, in quem maior pars consensit, *Megal. cit. loc. nu. 32. ver. prædicta tamen limita.*

8 Sed in Dominicana familia, quando in aliquo Conuentu non reperiuntur, ad minus, tres electores, electio, & prouisio pertinet ad Prouincialem, & sic liberi sumus à tot angustijs: quòd autem scrutatores non possint esse plures, quàm tres, hoc procedit, inspecto iure *d. cap. quia propter*, quia de iure speciali approbato à S. Sede, secus practicatur; nam in ordine nostro ad libitum interessentiū potest eligi quartus scrutator per viua suffragia, oretenùs expressa; & in celeberrima Religione Theatina ad libitum maioris partis capituli, eliguntur duo, vel tres scrutatores, ex *Const. Clem. 8.* prout habetur in *3. p. Constitutionum eiusdem Religionis, cap. 2. num. 12*, & Patres Cassinenses eligunt quatuor scrutatores, ex speciali cōcessione, sibi facta à *Greg. 13.* & sic de alijs, qui eligunt iuxtà suas constitutiones.

9 Quin-

9 Quintò, vt dicti scrutatores assumātur de capitulo eligentium, nō autem aliundè, vt in *d. cap. quia propter*, ibi, *de collegio*, quia electionis negotium fideliùs prosequuntur illi, ad quos de iure spectat electio, quàm alij, ad quos spectare non potest; electio enim, vt infrà dico, de iure spectat ad eos, qui sunt de collegio eligentium, non autem ad eos, qui sunt extrà, licèt sint de eodem ordine, & congregatione, *Syl.* cit. *loc.*

10 Hinc coràm Illustriss. & Reuerendiss. D. Coccino Decano Rotæ Romanæ sub anno 1628. fuit dictum, electionem Abbatis Monasterij de Matero, fuisse nullam, eo quòd in tali electione non fuerunt assumpti tres scrutatores de Collegio, sed duo Notarij extrà Collegium, vt per extensum refert *Castell. in cap. 4. de elect. in princ. inter decisiones Rot. Rom.*

11 Verùm, si in aliqua electione assumerentur tres scrutatores de Collegio, & tres aliundè, potest sustineri, vt ex multis ostēdit *Megal.* cit. *loc. nu. 32. in tertio substantiali*, quod fortiùs procederet, si assumerentur ex indulto Apostolico, prout fit in electione P. Generalis, vel Prouincialis Capuccinorum, in qua tres scrutatores eliguntur, de corpore Capituli, & tres alij extrà Collegium, vt dictum est.

12 Sextò, vt hi scrutatores, exquirant vota singulorum in secreto, vt expresſè dicitur in *eod. cap. quia propter*, ibi, *vota cunctorum diligentèr exquirant*; hoc autem dupliciter fieri potest, primo modo, vt singuli electores viua voce proferant coràm scrutatoribus, quem eligunt, & aliquis ipsorum scrutatorū scribat, secundo modo, vt vnusquisquè eligentium in schedula votum suum scriptum deferat, eamq; coràm illis in vrnam, ad id paratam, ponat; adeò, vt votum in illa scriptum, neq; ipsis scrutatoribus notum fiat; & hic modus hodiè est omninò necessarius ad eligendum Prælatos masculorum Regulariū, iuxtà præscriptum *Conc. Trid. c. 6. sess. 25. de Regul.* per q̄ sublatus est primus modus suffragandi, vt notat *Miranda in dict. q. 23. ar. 15. conclus. 2. & in artic. 29. in septimo substantiali*, & dixi suprà.

13 Septimò, vt inquisitio ista fiat sigillatim, vt expresſè habetur in *dict. cap. quia propter*, sicut obseruatur in testibus, qui non debent plures commisceri in examinatione, aliàs depositio non valeret; vt dicunt *Doctores in cap. venerab. 11. de testibus*: vndè non turmatim, nec bini, aut trini, sint vocandi, sed singularitèr, & seorsùm ab alijs, qui sunt in Capitulo, ad hoc vt eorum votum sit secretum, vt dicitur in *text.* quod verum intelligo, si versamur in primo modo suffragandi, secus in secundo; nàm cū electio fit per schedulas, parùm refert, quòd electores turmatim in vrnam schedulas mittant, dùm per scrutatores, bis, ter, enumerantur vota, antè immissionem schedularum in vas paratum; & postmodùm iterū, & de nouo denumerantur schedulæ, an correspondeant numero eligentiū; si enim reperiuntur excedere, vel deficere, comburuntur omnes, fiuntquè de nouo, ad finem integrè, ac fidelitèr eligendi.

14 Octauò, vt hi scrutatores vota omniū exquirāt, quia si vnus, qui Collegio adesset, proptèr contemptum, omitteretur; ità vt suum votum non daret, electio non valeret; sic enim intrinsecè læderetur, secus autem, si esset absens; nàm, vt dico infrà, vocatio absentium, non est de substantia electionis, sed de iustitia.

15 Quod autem dicitur de electoribus interessentibus electioni, si omittantur inquiri, & scrutari, habet etiam locum in infirmis, qui decumbunt in Claustro, & ob eorum infirmitatē, nequeunt electioni interesse: debent enim scrutatores in tali casu ad eos ire, & vota singulorum inquirere, & notare, si electio fiat per scrutinium, *Innoc. in d. cap. quia propter, nu. 2.* si verò fiat per schedulas, debent ad eos ire, & ab illis schedulas in vas ad id paratum, accipere, prout practicatur in ordine nostro, ad *tex. 7. cap. 2. de elect. Prior. lit. Q. pag. 116. col. 2. in princ.*

16 Nonò, vt vota exquisita redigantur in scriptis, & hoc faciendum est, facto cuiuscunq; scrutinio, vt patet ex *d. cap. quia propter*, ibi, *qui secretè sigillatim, vota cunctorum diligentèr exquirant, & in scriptis redacta, &c.* vbi *Ioan. Andr. nu. 11.* dicit, scripturam, in hac forma, esse faciendam; *talis interrogatus, & adiuratus*, seù *præstito ei iuramento, respondit, Ego nomino talem*, seù *consensio in talem*, vel *eligo talem*, vel *talis interrogatus, consensit in talem*; quod dictum potest habere locum in electione per scrutinium, habita coràm scrutatoribus; sed hodiè ob *d. decretum Conc. Trid.* vacat; fit enim per schedulas, in quibus supprimitur nomen eligentis, & scribitur solùm, *eligo talem in Priorem huius Monasterij*; & schedulæ sic inuolutæ mittuntur in vrnam, absq; eo, quòd scrutatoribus innotescant: & quòd hæc scriptura fienda à scrutatoribus, vel ab electoribus, sit de substantia electionis, patet ex *d. c. quia propter*, & docet *Gl. in cap. 1. §. postquàm autem, ver. in scriptis, de censibus*, vbi enumerat triginta tres casus, in quibus scriptura requiritur necessariò, & in octauo loco numerat electionem ob *d. cap. quia propter*, & fusè *Tamb.* cit. *loc.* in 6.

in 6. substantiali, & *Megal. num. 45. in fin.*

Nec nocent *Syl. ver. elect. 1. nu. 21.* & *Castell. eod. tit. cap. 12. nu. 30.* dicentes, scripturam non esse de substantia, sed de solemnitate electionis; quia loquitur de scriptura, quæ mittitur ad confirmatorem, pro confirmatione electi, quæ fit completa electione, in qua seriatim narrantur omnia, quæ in electione sunt habita.

17 Decimò, vt visis votorum scripturis, vel apertis, & lectis schedulis eligentium, per supradictos scrutatores, fiat collatio numeri ad numerum, maximè vbi electio non erit vnanimis.

Secus electio esset ipso iure nulla, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars, &c.* & in *cap. Cumana 50. de elect.* ibi, *vndè Nos electiones ipsas præsumptas, etiam contra formam Concilij Generalis*, (supple *cap. quia propter*) *cùm collatio in communi omissa fuerit, quæ post publicationem scrutinij fieri debuisset, &c.* vbi *Glos. in ver. contra formam* ait, quòd inquisitio, publicatio, & collatio, sunt de substantia electionis.

Dixi, vel apertis, & lectis schedulis, quia sunt, qui dicūt, quòd procedere ad electionem per schedulas, non est de substantia simpliciter electionis: sed in Ordine nostro est absolutè de essentia, & meo videri, est itā communitèr dicendū, de omnibus alijs electionibus Prælatorum Regularium, ex nouo iure *Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de Regul.* vbi inter cætera, hæc habentur, *in primis Sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ità vt singulorum eligentium nomina, nunquàm publicentur, nec in posterùm liceat*, hæc ibi, per quæ verba, vt vides, censetur reformata forma *cap. quia propter*, & maximè, quoad illam particulam, nempè, *& sanior pars Capituli consenserit*, quia cùm ex *d. Trid.* nomina eligentium nequeant publicari, nullus respectus haberi potest ad merita, & zelum electorum, sed tantùm potest fieri collatio numeri ad numerum, ac proindè, quoad hæc, vacat dispositio *cap. in Genesi, & cap. Ecclesia nostra, de elect.* ex quibus *Gl.* dixit in *cap. quia propter*, *quòd collatione facta numeri ad numerum, & zeli ad zelum, & meriti ad meritum*, vndè benè dicunt, *Miranda tom. 2. Manual. q. 23. in septimo substantiali*, & *Lezan. 2. p. cap. 12. nu. 28.* quòd collatio de merito ad meritum, & de zelo ad zelū, hodiè recessit ab aula, quia maior pars Capituli, præsumitur sanior, & zelosior.

18 Decimoprimò, vt facta collatione pdicta, fiat votorum publicatio mox, idest, incontinenti, & statim, absq; vllo internallo, seu intermedio, & in communi Capitulo coràm omnibus de Collegio, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *mox publicentur in cōmuni*, & *c. cùm post petitam, de elect.* quia, vt notat *ibid. DD.* electio protracta ex ignauia, vel ignorantia electorum, non tenet. Secus autem, si id fiat in fraudem electi, hoc est, malitiosè, ad hoc, vt congregatio electorum dissoluatur, non publicata electione.

19 Et huiusmodi publicatio, combustis priùs schedulis, est facienda ab vno ex scrutatoribus, vel ab vno ex electoribus, sub hac forma verborum.

Priorem habemus, nàm cùm essemus decem vocales, P. Frater N. habuit nouem vota, qua publicatione facta, pro complemento electionis, requiritur pro forma substantiali, verbalis, seu vocalis electio facienda ab eodem scrutatore, nomine omnium electorum, sub tali modo.

Ego Frater N. vice mea, & omnium electorum præsentium, qui mecum consenserunt, eligo in Priorem huius Monasterij, P. Fratrem N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

20 Et ista verbalis electio, facienda per vnum de scrutatoribus, nomine totius Capituli, est de substantia electionis, ex *dict. cap. quia propter, & cap. Ecclesia 48. de elect.* vt liquet ibi, *considerauimus nihilominùs, quòd post publicationem consensum, & collationis tractatum, ad electionem nullus habitus est processus*, hoc est, nulla subsecuta fuit electio verbalis, facienda per vnum de Collegio, nomine totius Capituli, vt *ibid.* notat *Gl. in casu, & Abbas nu. 3.* ait, quòd non sufficit factum electorum, sed requiritur verbalis electio: & meritò, quia communis electio, quæ est veluti vnus actus totius Capituli, nunquàm intelligitur consumatus, donec fiat per vnum de Collegio, nomine totius Capituli per verba singularis numeri, eligendo P. talem, vt expressè habetur in *cap. sicut 21. de elect. in 6.* ibi, *est per vnum pronuncianda, & facienda communis electio, secundùm Canonica Instituta*, & magis expressè in *cap. cùm ab vno 4. de senten. & re Iudic. in eod. 6.* ibi, *vt censeatur euidentiùs vnica, & communis, est ab vno, vice omnium (siuè per compromissum, siuè per scrutinium procedatur) electionis pronunciatio, per verba singularis numeri pronuncianda*, hæc ibi.

Ex quibus benè vides, quòd huiusmodi decretum, seu scrutinium, vel communis electio, est de medullis electionis canonicæ, qua omissa, euanescit electio, etiam quoad nomen.

21 Decimosecundò, vt prædicta votorū publicatio, & cōmunis electio, fiat solemnis, hoc est, alta, & intelligibili voce, coràm omnibus de Capitulo, ex *d. cap. quia propter*, ibi,

ibi, *mox publicent in communi*, secùs non diceretur electio publica, sed clandestina, nec actus solemniter factus.

22 Decimotertiò, vt electio prædicta fiat de eo, in quem maior pars capituli cōsentit, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *& is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars capituli consensit.*

23 Decimoquartò, vt successiuè omnia prædicta per ordinem, vt numerata sunt, obseruentur: secùs autē interuerteretur ordo, & electio non valeret, ex *d. cap. quia propter, in fin.* ibi, *alitèr electio facta non valeat.*

24 Decimòquintò, vt electio fit secreta, nedùm ex dispositione *d. cap. quia propter*, ibi *secretè*, verùm etiam ex dispositione *Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de Regul.* prout lepidissimè probatum est à *Rot. Rom. in vna Treuer. Abbatiæ Sancti Maximi, & in alia Meten. Monasterij, coràm Domino Coccino Decano*, quas refert *Castell. in d. tract. de elect. concur. ad Parochial. Prælud. 8. nu. 31. & sequentibus, Ricc. 4. p. prax. resol. 18. Nouar. forens. q. 55. nu. 15. lib. 1. & in prax. iur. Pontif. conclus. 1. nu. 5. de elect.* & in *Luc. Regul. eod. tit. num. 15.*

Quia forma à lege introducta, nequit mutari sine nullitate actus, & est seruanda, non obstante quauis contraria consuetudine: quia lex qualificata Papæ, non potest per consuetudinem abrogari, sine scientia eiusdem Papæ, prout ex multis elegantèr probat *Riccius cit. loc.*

25 Vltimò, his tandèm accedit, vt secundùm quosdam præstandum sit iuramētum de eligendo magis idoneo, secundùm Deū, & eorum conscientias: verùm, an tale iuramentum sit de substantia electionis, dico infrà in *tract. de electoribus.*

26 Hactenus de conditionibus substātialibus electionis canonicæ, celebrandæ per scrutinium, quæ omnes coniunctim, ac copulatiuè sunt ad vnguem obseruandæ, quia prætcritio vnius, sufficiens est ad cassandum electionem de facto: etenim forma electionis, est indiuisibilis, adeò, vt nec in minimo lædi possit, absq; nullitate actus, vt dictum est suprà.

An verò capitulum possit statuere contra ea, quæ sunt de forma, & iure communi? habes infrà.

Quæ nàm sint de solemnitate, & iustitia electionis canonicæ? Quæst. 18.

1 ET quidèm multa sunt de solemnitate, & iustitia, electionis, per scrutinium celebrandæ, non autem de substantia, & essentia eiusdem.

Primò tractatus de electione habenda, est de solemnitate, *Panor. in cap. cùm veteri, de elect. nu. 11.*

2 Secundò, præfixio diei ad eligendum, non est de substantia, sed de iustitia, *Panor. in cap. quia propter, eod. tit. nu. 16.*

3 Tertiò, quòd scrutatores sint fide digni, *Panor. ibid.* etenim supponuntur tales, dùm sunt de collegio electionis, & de contrario non constat.

4 Quartò, locus non est de substantia, at de honestate, & iustitia: nisi alitèr habeat consuetudo, *ibid. Panor. & in cap. cùm Monasterium, eod. tit. n. 4.*

Verùm, si fieret in Camera, & per occulta conuenticula, censeretur clandestina, ac facta contra dispositionem *d. cap. quia propter, ibi, in communi*, supple, capitulo, & coràm omnibus de collegio, & ob id esset cassanda, *Syl. ver. elect. 1. qu. 8.* & dicetur infrà in *tract. 2.*

5 Quintò, quòd in casu mortis Prælati, non fiat electio antè sepulturam defuncti, *Panor. in d. quia propter.*

6 Sextò, quòd vocentur absentes, *Gl. in cap. nulli, de elect. in 6.* & *Tabiena ver. elect. num. 19.*

Nec obstat dicere, quòd si absentes non vocentur, videntur contemni, ac despici, & consequentèr electionē fieri nullā, ipso facto, vt dictū est, si vnus de interessentibus capitulo, omitteretur exquiri, & scrutari.

Quia non est æqua ratio vtrobiq; nàm omittere aliquem ex vocatis, est contra intrinsecam formam electionis per scrutinium, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, & sic esset omittere vnum de substantialibus intrinsecis ipsius electionis canonicæ: at non vocare aliquem ex electoribus, est contemnere circa præambula ad electionem, non autem circa formam electionis.

Confirmatur, quia inter conditiones substantiales integrantes intrinsecam formam electionis, non fit mentio de vocatione electorum; ergò non est de forma; ità *Panor. cit. loc. & Tamb. tom. 1. de iur. Abbat. disput. 5. q. 6. nu. 9.*

7 Septimò, scriptum, in quo continetur quidquid sit actum in electione à principio vsq; ad finem, quod mittitur confirmatori pro confirmatione electi, non est de forma; sit enim solùm ad faciendam fidem, quòd forma seruanda in electione, fuit seruata, & vt electores, quod gestum est, negare non possint.

Hinc quando Superior, ad quem pertinet confirmare, est præsens, sufficit, quòd facto sibi verbo per vnum eligentium, vel per scrutatores; absq; alia scriptura, electum

ctum confirmet; *S. Anton. 3. p. tit. 19. cap. 2. §. 10. Syl. ver. elect. 1. q. 18. nu. 21.* & ità in Ordine nostro practicatur.

8 Octauò, Missa de Spiritu Sancto, cui omnes electores debent interesse, Eucharistiæ Sacramenti susceptio, per eosdem habenda, antequàm eligantur Prælati, & inuocatio eiusdem Sancti Spiritus, qui solet fieri in capitulo, antè actum electionis, sunt de præambulis, & ad formam electionis nō pertinent: Idem dic de Cantico, *Te Deum laudamus*, quod solet cantari in fine electionis, *Castell. de elect. d. cap. n. 8. substantiali, Peyr. tom. 1. de subdit. qu. 1. cap. 31. ver. noto quartò, Tamb. cit. loc. nu. 28.* & *Lezan. in dict. p. 2. sum. cap. 12. nu. 27. in fin.* quidquid dicat *Rodr. tom. 2. q. 52. ar. 1.*

Et colligitur ex *cap. cùm terra 13. de elect.* ibi, *electores in vnum locum, in quo fuerat electio celebranda, conueniant, & innocata Spiritus Sancti gratia, personam nominent:* ergò conuentio electorum, & innocatio Spiritus Sancti sunt præambula ad eligendum Prælatum, secundùm formam Canonicam, & magis clarè ex *cap. cùm inter 18. eod. tit.* ibi, *mandamus, quatènus inuocata gratia Spiritus Sancti, personam idoneam per electionem canonicam concorditèr assumatis, ad regimen Capuanæ Ecclesiæ*, ergò electio canonica subsequitur ad prædicta.

Confirmatur, nullus modus, nullaquè conditio potest dici, quòd sit de essentia electionis, nisi in Sacris Canonibus reperiatur præcepta, cum Decreto irritante. Sumus enim in odiosis, in quibus non fit extensio.

9 Hinc si prædicta reperiantur iussa ex particulari statuto cum clausula irritante, fiunt de essentia: Igitur prætèr ius commune, inspiciendæ sunt propriæ Constitutiones, *Abbas in cap. cùm Ecclesia, 1. not. de caus. poss.*

10 Nec obstat *Concil Basiliense*, in quo, sub clausula irritante cautum est, vt antè electionem Prælati, audiatur Missa de Spiritu Sancto, & sumatur corpus Domini nostri Iesu Christi, & præstetur iuramentum, & similia, quia hoc *Concilium*, fuit reprobatū in *sess. 11. Concil. Lateranens.* sub *Leone X.* vbi Conciliabolum, schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus authoritatis dicitur, *Megal. 2. p. prompt. ver. elect. nu. 57.*

11 Propterea aduerte differentiam inter ea, quæ sunt de substantia electionis, & ea, quæ sunt de solemnitate, quòd illa irritant ipso facto, & nullam reddunt electionem.

Hæc autem non annullant ipso facto, sed reddunt annullandam, si fiat oppositio, *Syl. ver. elect. 2. q. 10. nu. 13. Passarell. in Scholijs priuileg. minimor.* & *Peyr. cit. loc.*

12 Prætereà, aduerte, quòd Decretum irritans contentum in *d. cap. quia propter*, nempè ly *alitèr electio facta non valeat*, & in *cap. 6. sess. 25. Conc. Trid. de Regul.* ligat omnes, etiam ignorantes quoàd nullitatem actus, secus autem quoad alias pęnas, vt constat ex *cap. dudùm, & cap. vltim. de praben. in 6. & cap. si eo tempore de elect. in 6. ibiq; gl. ver. ignorantes*: quod dictum fallit in Monialibus, quia ignorantia iuris excusat mulieres.

13 Hinc si Moniales eligerent contra formam *d. c. quia propter*, non forent priuandæ potestare eligendi, ad quod facit regula *ff. de iur. & fact. ignorant. l. iuris ignorantiam*, vbi communitèr id docent *DD.*

Electio nulla ob inobseruantiam formæ, an valeat in foro conscientiæ? Quæst. 19.

1 SYlu. *ver. elect. q. 10. Rosella eod. ver. nu. 29. Nauar. lib. 1. cons. 4. num. 2. in 1. edit. & cons. 10. in 2.* post *Innoc.* communitèr receptum in *cap. in iure, & c. quod sicut, de elect.* respondent affirmatiuè, dummodò in ea concurrant cætera, quæ requiruntur de iure naturali, & Diuino, nempè consensus liber omnium ius habentium ad eligendum, vel maioris partis ad idem peragendum; quandoquidèm forma naturalis electionis, est consensus omnium, vel maioris partis vocalium, *cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte capit.*

2 Societas enim humana habet ius naturale ad sibi eligendum caput, à quo naturalitèr appetit regi, & gubernari, *c. quia diuersitatem, de conces. præbend.*

3 Hinc talitèr electus, potest confirmari ab habente authoritatem dispēsandi, super defectibus solemnitatis iuris positiui, *Castell. cap. 4. nu. 45. de elect. Peyr. tom. 1. de subd. qu. 1. cap. 31. §. 6. ver. dico 5.* & *Lezan. ver. elect. nu. 2. in fin.*

4 Et vbi confirmatus fuit, est verus Prælatus, nec tenetur, in foro conscientiæ resignare, & facit fructus suos, *Samuell.* multis citatis *disput. 1. contr. 6. concl. 2. tract. 1. de elect.* & non potest deponi, nisi causa cognita, & discussa, præcit. *DD.*

Electio Simoniaca, antè Iudicis declarationem, an sit ipso iure nulla? Quæst. 20.

1 REspondeo, quòd sic, loquendo de iure Ecclesiastico; prout constat

ex

ex *Canone ea, quæ à Sanctis* 5. 1. *quæst.* 3. ibi *quidquid ergo in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vnquàm vires habere censemus*, & *cap. cùm Clerici 6. de pactis*. ibi *appellatione cessante, cos taliter adeptis Ecclesiis, spolietis, & cap. plerique 7. eod. tit.* ibi, *pactum huiusmodi pœnitùs reprobamus*; quæ dictio *pœnitùs*, importat nullitatem actus, ipso iure, & ex *cap. nobis 27. eod. tit.* ibi, *cius tamen electio, tanquàm simoniaca prauitate præsumptu, est pœnitus reprobanda*, & *cap. Matthæus 23. eod. tit.* vbi dicitur, quendam simoniacum, benè sibi cõsulere, celeriter dimittendo beneficium, quod simoniacè fuit adeptus, & ex *cap. sicut tuis, de sim.* vbi habetur, obtinentem bona fide per simoniam ab alio commissam, teneri beneficium deponere; ergo Rom. Pontif. *in d. cap.* supponit, adeptionem beneficij inualidam esse; secus, renuntiationem debere fieri nõ præciperet: deniquè patet *in extrauag. 2. cum detestabile, lib. 3. inter communes de simon.* ibi, *per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seù quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant, in Ecclesiis, Monasterijs, dignitatibus, personatibus, officijs Ecclesiasticis, & quibusuis beneficijs, nut aliquo eorum, cuiquam, ius nullatenus acquiratur, nec indè faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit restitutionem, sub unima sua periculo sit adstrictus*.

Statuentes præterea, quòd vniuersi, & singuli, etiam præmissis Dignitatibus præditi, qui quomodolibèt dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seù procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolui, præterquàm in mortis articulo constituti.

2 Quod procedit, etiam si simonia sit occulta; prout ex *ead. extrauag.* ibi, *& eorum quemlibet, tàm manifestum, quàm occultum, &* ex *d. cap. Matthæus*.

3 Vndè antè omnem Iudicis sententiam, etiam declaratoriam, nullum ius, seu effectum confert; immò ipso iure, talem electum, seu confirmatum, inhabilem reddit ad obtinenda officia, licèt non inducat vacationem obtentorum; *Put. decis. 80. lib. 2. Achill. de Graffis decis. 2. de sim. Rodr. to. 1. quæst. 20. art. 13.* & post allegatos *Barbos. alleg. 57. num. 232.* & latè *Nicol. Garz. de benef. p. 8. c. 1. nu. 3. Paul. Squill. de obligat. Cler. par. 4. dub. 15. Ver. an verò, Bonac. tom. 1. disput. 1. quæst. 7. pun. 2. num. 11. de sim. Peyr. tom. 1. quæst. 1. cap. 31. §. 9. ver. dico 19. & Thes. de pœn. Can. par. 2. prax. ver. simonia*.

4 Quapropter, simoniacè electus, tenetur in conscientia, sub mortali peccato, Prælaturam, seu Prioratum, vel Canonicatum renunciare, nec absolui potest, priusquàm renunciet; & hoc etiam, si simonia sit occulta, siue commissa sit ab eodem, qui Prioratum obtinuit, siue ab alijs, ipso quoquè nesciente, vt constat ex dictis.

5 Nec dices, quòd nullus debet puniri pro eo, quod non est factum, eo sciente, & volente; ex quo pœna debetur peccato, quod est voluntarium. quia ad hoc, vt aliquis priuetur eo, quod accepit, non solùm est pœna peccati; sed quandoquè est effectus acquisitionis iniustæ, ex quo Ecclesia non consensit, in simoniacos bona ecclesiastica conferri; & simoniacus est incapax, & inhabilis, vt benè ex multis ostendit *D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 6. in respon. ad 3*.

Simonia vndè dicatur, quid sit, & quomodò contrahatur? Quæst. 21.

1 SImonia dicitur à Simone Mago, qui primus in nouo testamento, voluit emere à *S. Petro Apostolo*, gratiam Spiritus Sancti, hoc est, gratuitum donum sanandi infirmos, quòd scilicet ad impositionem manuum eius, daretur Spiritus Sanctus, visibili signo; prout dicitur in *act. Apostol. cap. 8.* voluit enim emere, vt postea maiori pecunia vẽderet; vndè *S. Petrus* dixit Simoni, *nõ est tibi pars, neq; fors in hac fide; quia cor tuum non est rectum apud Deum*; prout expressè habetur *in Can. Petrus 19. 1. quæst. 1. ibique Glos.* in casu posito subnectit, *cùm Simon Magus, nupèr ad fidem conuersus, videret ad vmbram Petri, infirmos sanari, vt hoc donum carius venderet, voluit à Petro emere, quem Petrus damnauit, dicens, pecunia tua sit tecum in perditionem, quia existimasti, pecunia donum Dei possidere*.

2 Hinc, teste *D. Thom. 2. 2. quæst. 100. ar. 1. in resp. ad* 4. illi, qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago, in intentione: in actu verò illi, qui emere volunt; illi autẽ qui vendunt, in actu imitantur Giezi Discipulum Helisæi, qui in veteri testamento, accepit pecuniam à leproso mundato, vt dicitur *in 4. Regum cap. 5.* quamobrem Vẽditores spiritualium, possunt dici, non solùm simoniaci, sed etiam Giezitæ, *S. Raym.* in sua *sum. lib. 1. de sim. tit. 1. & D. Ant. 2. p. sum. tit. 1. cap. 4. eod. tit.* quos Sanctos sequuntur omnes alij *Thomistæ*; & meritò: quia

quia loquuntur de hac re satis piè.

3 Simonia inter omnes hæreses obtinet primum locum, vt 1. *q.7. Can. vlt.* ibi, *omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur*; & patet ex eo; quia simoniaci sunt ab omnibus respuendi, & ab exteris potestatibus opprimendi, tùm quia donum Dei nequit æstimari, aliquo pretio, *prouerb.3.* tùm etiam, quia cùm aliquis vendit donum Spiritus Sancti, protestatur, se esse Dominum spiritualis doni, quod est error, errorum omnium maximus, *D.Thom.* cit. *loc. in corp. & in respon. ad secundum*, nullus enim potest vendere rem non suam.

4 Simonia consueuit, sic strictè definiri, quòd sit spiritualium acceptio, vel collatio non gratuita; aliquando strictissimè, quòd sit pactio temporalium, propter spiritualia danda, vel accipienda, vel facienda: sæpiùs verò largè, quòd sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum, pro temporali pretio: in qua diffinitione ponitur voluntas, non pro potentia, sed pro actu eius: omne enim peccatum committitur actu voluntatis liberæ.

5 Dicitur studiosa, hoc est, deliberata; nàm sola deliberatione voluntatis, potest committi, quæ solet dici, Simonia Mentalis, etiam actu externo nō subsequuto, quæ licèt sit perniciosa: nihilominus ab Ecclesia non punitur, quia Ecclesia non iudicat de occultis: nisi procedāt ad extrà, *D.Ant.* cit. *loc.* §.1. *in princ.*

6 Nomine emptionis, & venditionis, comprehenditur omnis contractus non gratuitus, vt transactionis, & renunciationis, & huiusmodi, excepta permutatione, quæ est licita, quibusdam tamèn seruatis, prout notant præfati *Sancti.*

7 Ly *spirituale* potest esse tripliciter; essentialitèr, vt fides, spes, & charitas, aliæq; virtutes, & dona Spiritus Sancti, vt prophetia, & potestas faciendi miracula: causalitèr, vt Sacramenta, quæ actualitèr, seù effectiuè causant gratiam; & instrumentalitèr, vt prædicare, corrigere, visitare, orare, & huiusmodi, qui sunt actus spirituales.

8 Ly *spirituali annexum*, potest esse dupliciter, teste eod. *D.Thom. in d.q.100. ar.3. in corpore*: vno modo, vt ex spiritualibus dependens, vt habere Ecclesiastica beneficia, nempè decimas, oblationes altarium, pensiones Ecclesiasticas, possessionē, seù tenutam alicuius iuris patronatus, & similia, quæ non possunt competere, nisi habenti actu officium Clericale.

9 Alio modo dicitur spirituali annexū, vt antecedens, quia scilicèt ordinatur ad officium Clericale, vt vestes sacræ, libri, vasa, & alia sacramentalia, quæ ordinantur ad peractionem actus sacramentalis, & veluti est ius patronatus nominandi, & præsentandi, quod ordinatur ad præsentādum Clericum ad beneficia.

10 Ly *pro temporali pretio*, aduerte, quia hæc dictio, *pro*, denotat causam immediatam, & importat causam finalem; interdùm verò causā impulsiuam, & sæpè sæpiùs appretiationem, seù commutationem; *Barbos. in tract. de dict. & claus. dict.* 240.

11 Sub nomine pecuniæ, seù pretij, venit totum, & quidquid habent homines in terra, quorum sunt Domini; pecunia vocatur, seruus, ager, vas, arbor, pecus, & huiusmodi, ideòq; pecunia dicitur, quasi à pecu, quia quidquid antiqui habebant, in Pecoribus habebant, vt expressè dicitur in *Can. totum.6. caus.1. q.3.* quamobrèm quidquid pretio temporali æstimari, seù mensurari potest, ceù sunt nedùm pecunia numerata, aurea, argentea, & similia; verùm etiam bona omnia, mobilia, stabilia, iura, actiones, preces, fauores, obsequia, & huius generis alia, pecunia dicuntur; quia sunt pretio comparabilia, prout omnes docent.

12 Simonia potest committi tribus modis, hoc est, per munus à manu, ab obsequio, & à lingua; prout dicit *D.Gregorius in Homil.* super illum locum *Esaiæ cap.23.* vbi Propheta, cùm describeret virum iustum, ait, *Beatus vir, qui excutit manus suas ab omni munere*, subiungit *Greg. non dixit tantùm à munere; sed ab omni munere, quia aliud est munus à manu, aliud ab obsequio, & aliud à lingua*, quod dictum lętantèr amplectitur *D.Thom.* in cit. *loc.2. 2. & in quodlib. 5. art.23.* vbi tractat ea, quæ pertinent ad Religiosos.

13 Munus à manu, est pecunia numerata, vel simile munus pretio appretiabile; ab obsequio est seruitus indebitè impensa, munus à lingua, est fauor mundanus, prout clarè habetur in *Canon. sunt nonnulli* 114. *caus.1. q. prima*, & clariùs *Can. salnat.*8. eiusdē *caus. q.3.* ibi, *qui easdem res spirituales, non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obsequij, vel pecuniæ, largitur, vel adipiscitur, simoniacus est*; & fusè *D.Ant. in d. c.4. de simonia*, §.2. vbi aduertit, quòd pecunia potest dari, & recipi pro spirituali re, vel circa spiritualia licitè, & sine simonia, quinque modis: scilicèt ratione præmiationis, substentationis, prouocationis, punitionis, & vitandæ vexationis.

14 Primo modo dat, qui vult remissionē peccatorum cōsequi, debet, si potest, eleemo-

mosynas dare pauperibus, iuxta illud. *Dan. 4. peccata tua eleemosynis redime*: Secundo modo ratione substentationis, vt Sacerdos pro Missa, quam dicit, accipit pecuniam, vel præbendam. Tertio modo ratione prouocationis, vt si dantur Eleemosynæ pauperibus ad inducendum eos, & excitandum, ad orandum pro benefactoribus suis.

Vndè *Sapiens* dixit, *absconde eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te*, hoc est, inducet pauperem ad orandum. Quarto ratione punitionis, sicut fit in absolutione ab excommunicatione, aliquando exigitur pecunia, non pro ipsa absolutione, quia hoc esset simonia, sed in pęnā, & punitionem culpæ præteritæ, qua quis passus fuit in excommunicatione se dare. Quinto ratione redimendæ vexationis, quam quis patitur super beneficio adepto, quod totum potest colligi à *D. Thom. in d. 2. 2. & in 4. sent.* vbi diffusè de his agit.

15 Quibus *Nauar. in Manual. cap. 23. nu. 102. & 103.* addit, quòd dare aliquid per modum liberalis doni, ad gratiam referendam, vel ineundam, vel per modum reuerentiæ, & honestatis, idest, ob reuerētiam Sacramenti, vel pro solutione obligationis legis, vel consuetudinis, non est simoniacum, sed tantùm, quando datur temporale pro spirituali, vt pretiū, & ob id, cauendum est ab intentione, quia de ratione simoniæ, est intentio vendendi, vel emendi spiritualia pro pecunia, vt dictum est.

16 Simonia potest esse triplex, nempè realis, conuentionalis, & mentalis: Realis propriè dicitur ab actu, scilicèt à rei traditione, quia in dando rem, vel accipiēdo, consistit, & tunc fit, quando pactio, ex vtraquè parte, est completa, saltem inchoatiuè, vt si collatio beneficij facta sit, & pretij pars soluta, *Layman. lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 6. Tyrr. Corr. in praxi lib. 5. cap. 9. nu. 7.*

Conuentionalis dicitur à conuentione, seù pactione, in qua aliquid promittitur pro spirituali re, & potest definiri, quòd sit conuentio, seù pactio de re spirituali pro temporali, absq; tamen executione, saltem vtrinquè facta; pactum enim est duorum, vel plurium, in idem placitum, seù est consensus ad aliquid faciendum, vel dandum, *l. 1. ff. de pactis*, & notat *Sylu. ver. pactum, in princ.*

17 Dixi, absquè executione, quia quando promissum non mandatur executioni, sed ob pœnitentiam, vel impotentiam, receditur à pactis simoniacis: tunc simonia, quoad crimen, licèt non possit dici purè mentalis, cùm sit exterior, & in pactum transierit: tamèn debet dici conuentionalis, quia remanet in puris terminis nudæ promissionis, & consequentèr non subest pœnis censurarum, ab Ecclesia præfixis, *Caiet. in sum. ver. simonia, in fin. ver. tertiò, ex eo.*

18 Si verò fuerit consumata, saltem ex vna parte, transit in realem si complementum fiat ex parte illius, qui promisit spirituale; tunc enim sufficit ad constituendum simoniam realem; secus autem in complemento promittentis temporale; non enim sufficit, vt simonia desinat esse conuentionalis, & fiat realis, *Nauar. p. 2. consil. lib. 5. de sim. consil. 40. nu. 2. in 1. edit.* fusè *Bonac. tom. 1. de sim. disp. 1. q. 2. n. 5.* & *Garz. de benef. p. 8. cap. 1. nu. 45. & 46.*

19 Verùm secundùm stylum Curiæ, ad hoc, vt dicatur realis, debet esse ex vtraq; parte completa, idem *Nauar. cit. loc. cons. 3. nu. 2. & cons. 18. num. 1.* & noster *Candidus Disquisitionum Moralium tom. 1. disquisit. 18. artic. 38. dub. 1. Tyrr. Corr. in praxi dispensat. Apostol. lib. 5. cap. 9. nu. 6.*

20 Mentalis est illa, quæ tantùm mente concipitur, citrà omnem conuentionem expressam, vel tacitā; & potest esse duplex, altera, quæ neq; peruenit ad conuentionem, nequè ad dationem rei spiritualis; altera verò, quæ peruenit ad dationem, citrà omnem conuentionem; & hæc aliquando est tantùm ex parte dantis spirituale, aliquando autem, ex parte recipientis: interdùm verò vtraq; pars illam committit, sine tamèn pacto tacito, vel expresso, *Nauar. in sum. cap. 23. nu. 103.* quippèquæ quomodocunq; sumatur, nec obligat ad pœnas, neq; ad restituendum quodcunq; temporale datum, vel acceptum in collatione, vel renunciatione beneficij per simoniam, animo tantùm, vel voluntate conceptam, etiam ex vtraq; parte commissam, mentalitèr tamèn; teste *D. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 6. ad sextum*, ibi, *quòad Deum, sola voluntas facit simoniacum, sed quòad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur, vt simoniacus, abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere*; hæc ibi, cui adhæret *ibid. Caiet. Syl. ver. sim. q. 20. Armil. eod. ver. n. 58. Lopez 1. p. instruct. cap. 30. ver. ignar*, & habetur expressè in *cap. mandato 46. de simonia*, ibi, *ad resignationem spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, vtrinq; talitèr acquiruntur, in quo casu delinquentibus sufficit, per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, hæc ibi.

21 Nec obijcies, quòd vsurarius mentalis tenetur restituere totum illud, quod sibi persuadet impendi, ratione mutui, & non aliundè gratis dari, *cap. consuluit, de vsuris*; quia non est æqua ratio vtrobiq; nā quod talitèr datur vsurario, non datur spontè,

sed

sed inuoluntariè, quandoquidèm inuitè soluuntur vsuræ; simoniacus autem mentalis, non tenetur ad restitutionem eius, quod à mentali simoniaco accepit, quia fuit ei spontè datum, & à spõtè dante licet accipere; prout ex multis docet *Caiet. in 2. 2. q. 100. ar. 6. in respon. ad tertiam obiectionem*, & antè eum *Panor. in d. cap. mandato, Nauar. in Manual. cap. 23. num. 103. ver. 5.* vbi declarando, ait; quod vsurarius, vltrà sortem principalem aliquid accipiens, ratione mutui, iniuriã facit mutuatario, contra iustitiam commutatiuam, inducentem obligationẽ restituendi; mutuatarius enim non spontè, sed quasi inuoluntariè soluit vsuras, velut redimendo iniquam vexationem, quam patitur ab vsurario; quod autẽ datur pro simonia, spontè, ac voluntariè datur, quoniam confertur animo emendi, vel vẽdendi, constat autem, quòd tàm emere, quàm vendere sunt contractus voluntarij, absq; inuoluntatio mixto: ideòq; non est restituendum in conscientia, quia non læditur iustitia commutatiua inter personas priuatas, licèt sic agentes, grauissimè peccent, contra virtutem Religionis, rebus sactis iniuriam facientes, prout perdoctẽ dixerat *Caiet. vbi suprà*, quod, vt magis pateat, argumẽtis expungit noster *Candidus cit. loc.* & *Garz. vbi suprà, nu. 52.* post *Vict. in relect. de sim.* vide quæ dico in *tract. de datis, & promissis pro gratia, & iustitia; & de bon. Monast. non alien.*

Electio, in qua electores, ità paciscantur, si tu eliges me in Prouincialem, ego te eligam in Priorem: an sit simoniaca?

Quæst. 22.

1 Affirmatiuè dic, quia electio Canonica, ad hoc, vt simoniaca non sit, necessatiò, requiritur, vt ab electoribus fiat gratis, & amore, hoc est, sine pacto, pretio, & mercede, veniente à manu, lingua, & obsequio, vt dicitur in *Can. ordinationes 113. caus. 1. q. 1.* & *cap. quam pio, secundo eiusdem causæ, qu. 2.* ibi, *dummodò omnis absit pactio, & omnis cesset conuentio*, & *cap. plerique 7. de pactis*, ibi, *pactum huiusmodi penitùs reprobamus*, & *cap. fin. eod. tit.* ibi *omnis pactio omnisq; conuẽtio debeat omninò cessare*, & *ratio est*, *tũ quia electio ad hoc vt non sit simoniaca, necesse est, vt celebretur omninò liberè, cap. præterea, el primo de transactionibus*, & *cap. tua nos*, & *cap. de hoc autem, de sim.* electio autem, quæ fit ex aliqua obligatione iustitiæ, nempè ex pacto, & conuentione, non potest dici libera simpliciter; ergò præiudicat libertati, seù substãtiæ electionis: tùm etiam, quia in huiusmodi conuentionibus electorum, ius spirituale datur cum onere, vt aliquid fiat, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa mediata illam habendi, ergo; *D. Thom. quolib. 8. ar. 11. Sylu. ver. simon. q. 13. dict. 4. Caiet. in sum. ver. eod. §. circa tertium, Armilla eod. tit. nu. 24. ibid. Tab. q. 45. n. 46. Lopez p. 1. c. 299. Garz. de benef. p. 8. cap. 1. nu. 1. & sequentib. Diana*, multis citatis, *p. 3. tract. 2. de Reg. resolut. 125. & cap. 4. tract. 4. Miscell. resol. 150. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 31. §. 9. ver. dico secundò, Pasqualigus decis. 224.* & nupèr noster *Samuell. tract. 2. disput. 2. contr. 3. de elect.*

2 Nec obijcies nobis *cap. ad quæstiones de rerum permut.* vbi habetur, quòd per se licet commutare spirituale cum spirituali, quia in *d. cap.* nihil dicitur de electione Canonica, ex pacto inita, vel habenda; sed tãtùm quòd seruatis seruandis possunt Ecclesiæ Parochiales, ad inuicem permutari, cũ earum possessionibus, & pro minus valentibus, pretium suppleri.

3 Nequè est verum, quòd spirituale possit ex pacto, & conuentione cum spirituali commutari, absquè labe simoniæ, prout expresè dicitur in *cap. quæsitum, de rerum permutatione*, ibi, *generalitèr, itaq; teneas, quòd commutationes præbendarum de iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia; vel connexa spiritualibus, labem semper continent simoniæ*, hæc ibi, vbi *Glos. in ver. sim.* subnectit, *quia in spiritualibus, vel spiritualibus annexis, nulla pactio, vel conuentio debet interuenire, caus. 1. q. 2. Can. quàm pio*, & patet ex alijs præcitatis *Canonibus.*

4 Nec dices, quòd iura allegata prohibent tantùm commutationem beneficiorum, quod cùm sit quid pœnale, non debet extendi ad alia, quia iura allegata non solũ prohibẽt commutationem beneficiorum, sed etiam, omne pactum circa spiritualia, vt constat ex illato *cap. pactiones 8. de pact.* & *in cap. non satis 8. de sim.* vbi definitur, quòd simoniacum est, pretium recipere pro ingressu Religionis, pro Prioratibus, vel Capellis concedendis, & pro Prælatis instituendis, pro concedenda sepultura, pro Chrismate, pro oleo Sancto, pro benedictionibus nubentium, vel alijs sacramentis, nec valet consuetudo in contrarium, & ex toto illo *titulo* constat, plurima, quæ non sunt beneficia; immò omnia spiritualia, non posse subijci contractui humano; non enim simonia in eo tantùm consistit, quòd spirituale pro temporali commutatur; sed etiam in eo, quòd spirituale quomodocunq; subijcitur contractui humano,

&

& in hoc præsertim simonia consistit, quia hæc est præcipua iniuria, quæ fit rei spirituali; & propter hoc maximè, debitus ordo rerum inuertitur; nam sicut spiritualia sunt in ordine superiori, & hominem eleuant ad participandum, aliquo modo, esse Diuinum; ità si humano contractui subijciantur, iste ordo inuertitur; quia homo disponit de eo, de quo non habet dominium, & facit subesse, quod debet præesse, & venit contra præceptum Domini, dicētis, *Matth. 10. gratis accepistis, gratis date*; per quæ verba omnis contractus, omneq; pactum, circa spiritualia prohibetur, vt constat ex *d. cap. pactiones final. de pactis*.

5 Hìnc electio, in qua quis electorum dicit, *nunquàm, me viuente, fiet aliquis Canonicus in ista Ecclesia, vel Prior in Conuentu tali: nisi ille, pro quo rogaui, priùs fiat Canonicus, vel Prior, vel, ad minus, cum alijs admittatur*, est simoniaca.

6 Amplia, illa electio, in qua Canonici, seù Electores adinuicem dicunt, *Canonizemus Nepotulos nostros, placeat tibi de meo, & mihi placebit de tuo*, & sic paciscuntur per hæc verba, vel æquipollentia, est simoniaca, vt constat ex dictis *iuribus*, ibi, *absit omnis pactio, & cesset omnis conuentio*; & fusè docet *S. Raym. in sum. lib. 1. de sim. tit. 1. §. 23. fol.* mihi 24. & *Syl. eod. ver. q. 13.*

7 Si verò aliquis ex electoribus, alteri dicat, *sicut tu fuisti exauditus in vna electione pro N. ego debeo exaudiri in alia pro A.* si preces sint spirituales, non est simoniaca, quia verba hæc non inducunt pactum, sed quandam decentiam, argum. *cap. quia distin. 63.* omnes enim, qui in vna Ecclesia vni Domino famulantur, pari debent libertate gaudere, *cùm pondus, & pondus, mensura, & mensura, &c.* extrà de *constit. cùm omnes.*

8 Verùm, si sint carnales, vel ex pacto quôdam facto, vel nunc faciendo, simoniaca est, vt constat ex decisis, & *ibid.* docet *S. Raym.* amplia, vt decisio habeat locum, etiam in eo, qui acquisiuit beneficium, seù Prioratum per simoniam, cum consiliario, seù amico commissam, ipso prouiso, & etiā collatore, ignorantibus; nàm is etiam ex dictis, tenetur resignare Prioratum, & beneficium, tanquàm nullitèr collatum; dùm hoc sciretur, nisi factum esset in fraudem, vtputà, si inimicus meus daret fraudulētèr pecuniam pro electione mea, vt posteà cassaretur electio, & ego remanerem infamis, vel si, me inuito, & expresè contradicente, aliquis latentèr dedit, & promisit pecuniam confirmatori, vel electoribus, vt constat ex allegatis *Capitulis*, & præcipuè ex *cap. Nobis 27. de sim. Samuel. vbi suprà, cō-clus. 4. Sum. Corona, p. 3. tract. de sim. Garz.* cit. *loc. nu. 8.* quod procedit, etiam si electores, aliàs essent illum electuri, & confirmator cōfirmaturus, si etiam motus fuit à cōsilio, vel intercessione illius, vt dicitur in *d. cap. Nobis.*

9 Amplia, vt procedat, etiam si illa simonia fuisset commissa cum vno ex multis electoribus, quorum maior pars aliàs eum elegisset; prout expresè dicitur *in d. cap. nobis, de sim. & cap. Matthæus, eod. tit.* & notat *Nauar. in Manual. cap. 23. nu. 103.* & ità in Rota Romana fuisse decisum, refert *Garz.* cit. *loc. n. 10.* & *Paul. Squillāt. in tract. de obligat. Clericor. p. 4. dub. 15. nu. 85. in fin.* & *Alphon. de Leon. de offic. capell. q. 4. num. 204.* vbi conclusionem admittit, quando dicta vox habita fuit, sciente ipso præsentato; secus autem ignorante.

10 Amplia, vt electio, in qua electores paciscuntur, nō circa substantiā electionis, sed circa commmodum proueniendum ab illa, nempè si conueniant, *eligamus amicum N. quia erit nobis gratus, dabitq; nobis multa commoda*, fit simoniaca: aliud enim est, electoribus commodum electionis proponere, & aliud, electores inter se pacisci circà commodum, à tali electione proueniendum; hoc enim simoniacum est, ex quo fit ex pacto præcedente, quod violat electionem, eamq; inficit, labe simoniæ: quia vendere spirituale, vel spirituali annexum pro temporali, simoniacum est, vt constat ex diffinitione simoniæ; sed hoc commodum, de quo agitur, est annexum electioni, & ab ea dependet necessariò, vt effectus à causa, qui non potest haberi, nisi per positionem causæ, nempè electionis, ergò paciscens de tali commodo, implicitè paciscitur de electione; paciscitur enim de illo, vt sequatur ex electione, ac proindè tale pactum est illicitum, ex quo venit in contractum ipsa electio, quæ debet fieri omninò gratis, & liberè, iuxtà Verbum Domini, *gratis accepistis, gratis date*, quo pacto dici potest, quòd electio fiat liberè, ac gratis, si ordinatur ad lucrum, & eius causa finalis, sit temporale commodum? prout expresè docet *D. Thom. quodlib. 8. ar. 11.* & colligitur ex *cap. non satis, cap. sicut pro certo, & cap. de hoc 11. de sim.* vbi Episcop. Oxomen. dicitur simoniacus, ex quo antè suam electionem promisit Archidiacono quoddam beneficium, & cuidam Clerico quendam Prioratum, vt vterq; electioni consentiret, & ex *Can. si quis obiecerit 7. 1. q. 3.* vbi sic dicitur.

Quisquis alterum vendit, sine quo, nec alterum peruenit, neutrum inuenditum relinquit; at in casu posito, venditur cōmodum, q inseparabilitèr dependet ab electione: er-

gò; & mordicùs cõclusionẽ defendunt *Sot. de iustitia lib.9.q.5.ar.2.ad tertium, & Victoria in relect. de sim. nu.17.* & *Samuel.cit.loc. controu. 5.*

11 Limita, vt illa electio, in qua Superior, vel eligendus, per verba generalia, electoribus dicit; *relinque hoc amore meo, vel Dei, & prouidebitur tibi de alia re, si fuero electus, vel ero vobis ingratus*, vel quid simile, non sit simoniaca: quia per verba generalitèr prolata, nõ inducitur pactum, sed tantùm spei oblatio, quæ non inducit simoniam, prout ex multis docet *Nauar. in Manual. cap.23. nu.101.* vbi agit de causa impulsiua, excitatiua, & sine qua, non fieret actus spiritualis, & super *extrauag. Greg.13. de datis, & promissis, n.21. Rodr. tom.3.q.63.ar.4.ver. aduertendum, & Portel. ver. sim. nu.2.*

12 Verùm tamen, hæ rei futuræ oblationes, subornationis speciem præseferunt; ideòq; à Religiosis debent esse maximè alienæ; quia abstinendum est, nedùm à malo, sed ab omni specie mali, *Hier. Rodr. in comp. resolut. 129. nu.3. Diana p.3. tract.2. de dub. Regul. resol.135. in fin.* & *Samuel. disp.2. contr.2. concl.2. tract.2. de elect.* vbi in allegat. *DD.* refert, ità fuisse à *Sac. Congreg.* decisum *coràm Gypsio in vna Britonensi*, & *Rota Romana decis. 1029. coràm Cardinal. Seraphin.*

Vexationem, quam quis in electione patitur, an sit licitum, pecunia emere, absq; labe simoniæ? Quæst. 23.

1 D. *Thom. 2.2. qu.100. art.2. ad sextum*, cum distinctione respondet, quòd antè ius acquisitum, nulli licet, pecunia data, vel promissa, vexationem redimere; secus autem, post ius quæsitum, ibi, *dicendum, quòd antequàm alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacunq; dignitate, vel præbenda, per electionem, vel prouisionem, seu collationem, simoniacum esset, aduersantium obstacula, pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam; sed postquàm ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam, iniusta impedimenta redimere*; hæc ibi, quem indifferentèr *DD.* sequuntur, & præcipuè noster *Cardinal. Hugo*, qui primus ex ordine nostro, est ad Cardinalatum assumptus, quem allegat, & sequitur *Eminent. Cardinal. Ioan. Turrecremata in cap. quæsitum 1. q.3. nu.2.* & *Cardinal. Caiet. in d. art. Sanctus Raim. in sum. lib.1. tit. de sim. §.20. S. Anton. p.2. tit. prim. cap.5. de sim. §.13.* vbi mirificè agit de redemptione spiritualium, & habetur *in cap. plures, 1. de vsuris, ibi, nisi fortè Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum, ei hoc modo de manu laici videtur*: quo in verbo *ibid. gl.* subiungit, *nec est vsura, cùm tantùm, quod suũ erat, redimat*; & magis expressè in *cap. dilectus, il primo 28. de sim.* vbi *Prælatus cogitur restituere monetam, sibi à vexato datam, pro molestijs illatis in iure quæsito, ex quo pactum non seruauit*, vbi *Glos. in ver. restituere*, dicit, *nota ex eo, quòd præcipitur ei restituere, quod accepit, ei, qui dedit, innuitur, non esse turpitudinem ex parte dantis, ius suum redimere volentis.*

Et in *cap. quæsitum 4. 1. q.3.* vbi quidã Episcopus de simonia damnatur, ex quo cogebat quosdam Monachos soluere quãdam pecuniam pro redimẽdis iuribus, eorum Ecclesijs quæsitis, vbi *Hugo*, cui inhæret *Gl.* marginalis *in d. cap.* dicit, quòd *simonia incurrebatur ex parte recipientium, Monasteria tamèn crimen simoniæ non incurrebant; quia ius suum redimebant*; & patet ex *cap. nullus Episcopus, 124. 1. q.1.* vbi Episcopi imponentes Clericis quædam grauamina, ad finem pretia exigendi, iubentur à grauaminibus abstinere, & coguntur eisdẽ Clericis restituere, ex quo illud simoniacè acceperunt, & ex *cap. Matthæus 23. de sim.* vbi quidam Clericus cogitur suam administrationem celeritèr, ac spontè dimittere, ex quo dando pecuniam quibusdam contradictoribus, ius in electione habentibus, simoniam commisit, vbi *glos. in ver. paucis*, videtur assignare rationem, ob quam illi, qui receperunt pecuniam, poterant licitè resistere; quia scilicet habebant fortè ius contradicendi, vt potè, quia fuerunt contempti, vel quia poterant opponere aliquã exceptionem, vt putà, quia Clericus, qui fuit beneficium adeptus, erat maritus corruptæ, & Clericus, de quo ibi agebatur, nullum ius habebat ad vexationem iustam propulsandam; vndè cogitur renunciare: ergo iusta redemptio vexationis illatæ, fundatur in iure quæsito.

2 Quod etiam ratione probatur, tùm quia vexatio, quæ infertur, est quid temporale, & pecunia, quæ ad illam redimendam, elargitur, est etiam temporale: ergo simonia non committitur, dùm temporale traditur pro temporali; tùm etiam, quia vnicuiq; licet rem suam, ab alijs detentam, redimere, si detentor non vult restituere, *C. de condict. ob turp. caus. l. quod euitandi.*

3 Proindè iniustè interdictus, excommunicatus, vel suspensus ab officio, & beneficio, potest pecunia redimere restitutionem sui beneficij, vel officij, aut absolutionem ab excommunicatione; *Hugo, & Turre-*

Turrecremata in d. cap. nullus Episcopus. vbi aiunt, quòd ex parte dantis pecuniam, nō est simonia, licèt ex parte recipientis sit simonia; nā dans, nullū ius acquirit, sed dat, vt acquisitum sine vexatione, in pace retineat, argum. *cap. quæsitum* 1. *q.* 3.

4 Secus autem dicendum, si iustè sit excommunicatus, aut interdictus, quia in tali casu, simonia committitur ex vtraq; parte, nempè dantis, & recipientis, *Hostiens. in sum. cod. tit.* vbi dicit, *quòd vnicuiq; licet ius suum redimere; quando in illo iniustè vexatur, secus iustè*: ex quibus clarè apparet, quòd *Gregorius de Valentia in* 2. 2. *D. Thom. disp.* 6. *qu.* 16. *pun.* 3. immeritò recessit à dicta distinctione.

5 Verùm tamen, nè circa hanc vexationem redimendam, contingat errare, debet aduerti; quòd aut versamur in re temporali, aut in re spirituali; circa primum, est dicendum, quòd licitum est vnicuiq; dare pecuniam, pro temporalibus, tàm pro iure quæsito, quàm quærendo, si illam dat ad vexationem redimendam, sed percipiens pecuniam iniustè, ac indebitè, tenetur ad restitutionem, ex quo accepit contra iustitiam commutatiuam, & patet ex *l.* 1. *& l. generalitèr, ff. de calumn. & l.* 4. §. *quotiès, ff. de condict. ob turp. cauf. Abb. in d. cap. Matthæus, de sim. Graff. decis. Aur. p.* 1. *lib.* 2. *de sim. cap.* 96. *num.* 51. & noster *Ioan. Bapt. Conrad. tom.* 1. *in responsis casuum conscientiæ, q.* 43. *in addit. Peyr. tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 31. §. 9. *ver. dico* 13. *Tamb. tom.* 1. *de iur. Abbat. disp.* 10. *q.* 4. *Bonac. tom.* 1. *de sim. disput.* 1. *pun.* 5. *num.* 1. *Samuell. Dominican. de elect. tract.* 2. *disput.* 2. *controuer.* 8. & *Diana p.* 5. *tract.* 14. *Miscel. resolut.* 2.

6 Quod dictum, meo videri, etiam fundatur in iure quæsito, nàm vnusquisq; habet ius, seù dominium, & facultatem, ad defendendum vitam propriam, famam, & honorem, omniaquè bona fortunæ, quæ faciunt ad eorundem conseruationem, & consequentèr ad propulsandam iniuriam, vexationem, & inuasionem, quæ circa talia possent fieri.

Si verò loquamur de spiritualibus, nō licet vexationem redimere, nisi quando vexatus habet ius acquisitum, *D. Thom. cit. loc.*

7 Hoc autem ius, potest esse multiplex; nempè remotum, & largè sumptum, ceù stantibus Romanorum Pontificum constitutionibus, p quas iubetur, quòd beneficia, & dignitates Ecclesiasticæ, dandę sint dignioribus: certum est, quòd dignus, in præsentia minus digni, & dignior, in præsentia digni, habet ius ad petendum beneficium, & ad concurrendum cum prætendentibus, *Nauar. in sum. cap.* 17. *nu.* 74. vbi elegantèr ostendit, q̄ impediens, ne beneficium cōferatur digniori, tenetur ad damnum illatū, eumq; sequitur noster *Candidus tom.* 1. *de benef. disp.* 18. *art.* 37. *dub.* 1. & hoc ideò, quia habet ius remotum, aut proximum, & hoc paritèr potest esse duplex, aliud, nempè in re, & aliud ad rē, seù in habitu, vel in actu; ius in habitu, seù ad rem, dat electio ad beneficium; in actu verò, & in re, dat confirmatio, *Megal. in suo promp. ver. elect. nu.* 59. *in princ.* vbi ex multis causam ostendit.

8 Hinc plura inferuntur, & primò, quòd tradens pecuniam ad tollendam iustam vexationem, quam quis circà rem spiritualem patitur, simoniam committit, ceù est ille, qui tradit pecuniam, ne priuetur beneficio à Prælato, qui eum iustè priuare potest, vel ne accusetur de crimine, digno priuatione: quia in tali casu, pretio parat sibi viam ad rem spiritualem, nempè ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum, vel ad conseruandum ius, in quo vexatur, vt *D. Thom.* dixit vbi suprà *in respon. ad quintum*, & constat ex *d. cap. Matthæus, de sim.* idem procedit, ob eandem rationem, si pecuniam tradat præcisè, ne lis iusta, vel dubia circà beneficium moueatur, vel ne alter se opponat, seù concurrat ad beneficium, aut ne defectus ętatis, aut irregularitatis, vel aliud canonicum impedimentum detegatur, & manifestetur, ex cuius manifestatione non promoueretur ad beneficium, vel ordinem, *Nauar. cap.* 39. *de sim.* & *Bonac.* post allegatos *tom.* 1. *de sim. disp.* 1. *q.* 6. *pun.* 5. *num.* 5.

9 Secus autem dicendum, si pecuniam tradit ob iniustam vexationem, *Glos. in d. cap. Matthæus, ver. maioris*, intelligens *text.* solùm de contradictione iusta, quando scilicèt aliquid rationabilitèr opponitur electo, & in *cap. dilectus, il primo, de sim. in fin. casus*, quia in tali casu licet electo defendere se, & sua, omnemq; perturbationē cauere, etiam præueniendo, atquè omnem iniustitiā propulsare; est enim hoc species defensionum, quæ de iure naturali debentur, *Pasqual. decis.* 234. *nu.* 4.

10 Quod amplia, habere locum, etiam in vexatione iusta, si tamèn iniustè fiat, quia ratione defensionis, quæ nobis competit de iure naturæ, vt dictum est, possumus à nobis propulsare omne malum, præsertim quando iniusto modo infertur, etiā si alioquin de se iustum sit, vtputà, si quis mortem mereatur, potest se defendere contra conantem, eum occidere iniustè, nempè, priuata authoritate, aut iuris ordine non seruato: dummodò hæc defensio dirigatur ad effectum deponendi malum animum,

quem quis gerit ergà Reum, & non alitèr.

11 Amplia, vt hæc defensio fieri possit, absq; simonia, & sine peccato; pecunia enim, quæ in his vexationibus solet tradi, est de se indifferens, & potest ex bono fine cohonestari; dùm ergò pretium elargitur pro vincendo malo animo ipsius, qui intendit iniustò modo vexare, licitè traditur: quia, vt supponitur, ad vincendum malum animum, malumq; cauendum, datur: quod obiectum est iustum, & honestum; ergo,

12 Hinc etiam sequitur, quòd si, dùm agitur de electione alicuius, quis vellet illũ diffamare apud electores, ex odio, & mala voluntate, vel eosdem electores subornare, pretio, vel precibus, ad finem impediendi electionem illius, etiam si vera opponeret; quia tamèn ex malo animo opponeret, posset pretio redimi huiusmodi vexatio; dummodò pecunia detur ad propulsãdam malam voluntatem, & ad vincendum malum animum ipsius diffamantis, & non alitèr, quod intellige habere locum in foro Dei, qui corda scrutatur, secus in foro Ecclesiæ, quæ de occultis nõ se intromittit.

13 Amplia ad eum, qui dùm agitur de electione alicuius, se opponit, vera dicendo, at non zelo charitatis, sed animo peruerso, vt scilicèt electione impedita, quoad illum, de quo agitur; fiat pro suo amico; quia, quod prouenit ex inordinato animo, dum vult, eligi amicum, quia amicus est, & non quia dignus, vel dignior illo, malum est, *Pasqual.* multis citatis *dec.237.n.7.*

14 Amplia, vt redemptio vexationis locum habeat, non solum in eo, qui potest electioni obesse, & non prodesse, vt dixit noster *Petrus de Palude in 4. senten. distin.5. ar.3.* & *Caiet. in 2.2. q.100. ar.2. ver. ad hoc dicitur*, à quibus hanc distinctionem cęteri mutuati sunt.

Verùm etiã, & in eo, qui potest prodesse, electionem iuuare, & suffragari; dummodò pecunia non detur pro electione, vel collatione beneficij, sed pro deponẽdo prauo affectu; quod malum intrinsecè non est, sed potiùs bonum, iustum, & honestum, vt dictum est suprà: quod intellige verum, coràm Deo, non autem in facie Ecclesiæ, vt perbellè, post allegatos, ex multis ostendit *Bonac.* cit. *loc. de sim. q.6. pun.5. num.4. limit.3.* vbi docet de praxi, & stylo Rom. Eccles.

15 Amplia, vt huiusmodi redemptio vexationis, habeat locum in confirmatore, qui malitiosè prorogat, vel repugnat, aut opponit electum confirmare, dùm quis per Bullas Papæ, vel per electionem habet ius certum ad beneficium, licèt confirmator huiusmodi, malè accipiat, & simoniacè peccet, & illi restituere teneatur, ex quo pro iure spirituali, temporale accepit.

16 Nec obstat *Sotus lib.9. de iust. q.7. ar.1.* vbi dicit, quòd huiusmodi confirmatio, est res spiritualis, & quòd temporale pro spirituali iure dari non potest, absq; labe simoniæ; quia dans pecuniam, sic iniquè vexatus, si aliàs sit idoneus, nihil iuris spiritualis intendit emere, nec eius dationis causa principalis, & mediata, est iuris spiritualis acquisitio, sed est emptio impedimenti iniustè illati, ad beneficium consequendum: vndè hæc iniqua vexatio, absq; vitio simoniæ, licitè potest redimi, à quocunq; inferatur; nec vexatio, de qua agitur, est quid spirituale, sed quoddam malũ temporale, *Candidus* cit. *loc. dub.5.*

17 Amplia ad eum, qui à possessione capienda impeditur, si priùs pecuniam minimè tradat, quia possessio secundùm se, non est quid spirituale, sed id habet ex titulo, cuius vi capitur, quem titulum, cùm iniquè vexatus retineat, accedente possessione, non accedit noua ratio spiritualis, sed possessio ipsa, ex coniunctione cum titulo, *Candidus* cit. *loc. Layman. lib.4. Moral. tract.10. cap. ult. §.2. nu.22. assert.7. ver. exindè probabiliter, Bonac. vbi supra, nu.8.* vbi latè ostendit, quod possessio beneficij non est materia simoniæ, nec fructus eiusdem, *Diana p.4. tract.4. resolut.152.* & antè eos *S. Raim. in d. lib.1. de sim. §.5. in fin.* & est decisio *cap. dilectus, eod. tit.*

18 Nec dices, quòd non licet, quemquã inducere ad peccandum, vel cooperari aliorum peccatis, quia redimens vexationem iniustam, non intendit aliquem inducere ad peccandum, sed vtitur iure suo, in redimẽdo iniustam molestiam, sicut Pater patitur, pecuniam pro redemptione filij, latronibus dare, non quòd velit eos inducere ad peccandum, at quia scit, filium aliundè absolui non posse, absq; illa pecunia, vtitur illorum iniquitate, ex quo sunt ad hoc spontè parati.

19 Amplia, vt ad vexationem redimendam licitum sit, pecuniam offerre electoribus, ne eligant indignum, vel minus dignũ, si has personas fortè sint in voto eligendi, *Caiet. tom.2. opuscul. tract.9. de sim. qu.3.* & *Sot. de iust. lib.1. q.6. ar.1. in fin.* tùm, quia pecunia, in casu posito, non datur pro electione alicuius determinatæ personæ: hoc enim simoniacum est, sed ad remouendum malum affectum eligentium, quo remoto, electores remanent in bona dispositione, & rectitudine eligendi meliorem, iuxtà Sacros Canones; tùm etiam, quia pecunia in tali casu datur, ne electores peccent, eli-

eligendo indignum, & vt caueant à malo, quod Ecclesijs solet euenire ab indignis Prælatis, quod etiam iustum est; *Ledesma 2.p.sum.tract.12. conclus.29. Nauar.in sum. cap.23.num.102.ver.octauò, Layman lib.4. tract.10.cap.vlt.§.2.de sim.nu.23. & Peyr.de subd.tom.1.q.1.cap.31.§.9. ver.dic.*

20 Quod dictũ *Caietanus*, & *Sotus cit.loc.* ampliando dicunt, pecuniam dari posse, non solùm, vt non eligatur indignus, vel minus dignus, verùm etiam, vt eligatur dignus in communi, quia hoc etiam bonũ est, & constat ex tractatu, qui debet fieri, antè electionem de persona eligenda.

21 Nec obstat *Bonac.tom.1.de sim.disp.1. q.7.§.5.nu.11.& Diana p.5.tract.14. Miscell. resolut.1.* dicendo, quòd hanc loquendi formam non approbant, ex quo videretur pecunia dari, non solùm ad remouendam voluntatem ab indigno, seu ad redimendam iniquam vexationem, verum etiam, pro ipsa electione, quam constat, esse functionem Ecclesiasticam; quia, vt constat ex dictis; pecunia in casu posito, nõ datur pro re spirituali, nec pro exercitio eiusdem, nec ad comparandum spirituale, aut ad sternendum sibi viam ad spirituale; sed ad expellendum ab electoribus malam dispositionem, eosq; constituendum in debita rectitudine, & dispositione, quam quilibet electorum, debet habere, ad hoc, vt sic benè affectus, & dispositus, rectè procedat in electione, nempe reijciendo indignos, dignosq; eligendo; quod obiectum, cùm sit iustum, & honestum, & specificatiuũ huius actus, de quo agitur, fit, vt actus ipse, sit licitus, & honestus; actus enim morales specificantur à fine. Quòd autem ad remotionem odij electorum, sequatur huius, vel illius digni electio, est per accidens, quod non potest officere bonæ intentioni dantis pecuniam, ad effectum tollẽdi obstaculum, quod obstat rectæ electioni, & non vltrà progrediendi, *Pasqual.g.decis.227.nu.8. & Samuell.tract.2.contr.10.concl.2.*

22 Amplia, vt titulo vexationis redimendæ, ob prædicta, licitum sit, pecuniam offerre electoribus, vt eligant aliquem dignum determinatè, si ex odio, & mala voluntate, nollent talem dignum eligere, quod verum intelligunt *Caiet. & Sot. vbi suprà*, si nullus reperiretur dignus, præter vnum, quia dare pecuniam pro re spirituali, ait *Sot.* non est intrinsicè malum, sed quia prohibitum ab Ecclesia, & ob id potest honestari ex fine licito, vt occurrit in casu necessitatis, quæ cùm sit extrema, non habet legem: alij intelligunt hanc ampliationem absolutè; dummodo elargitor pecuniæ, pro fine, & obiecto, tantùm habeat, remouere ab electoribus rancorem, & odium, quo deposito, Electores constituuntur in bona dispositione, & rectitudine eligendi benemeritos, quòd autem ad depositionẽ odij, & malæ voluntatis, electores eligant hanc dignam determinatam personam, non procedit ex mente, aut pacto ipsius, qui dedit pecuniam; hoc enim foret, absq; dubio, omninò simoniacum; sed per accidens subsequitur ad voluntatem eius: dans enim pecuniam, vt supponitur, non alio fine donat: nisi, vt electores concilientur cum persona eligenda, benemerita, quod obiectum bonum, & iustum est: vndè noster *Ledesma in d.2.p.sum.tract.12.* post *conclus.29.ver. dico lo terzero*, ait, quòd postquàm data est pecunia, nè electores eligant indignos, sed dignũ in cõmuni, licet bona fide, & debitis medijs, procurare electionẽ digni in particulari: quia vterq; actus habet obiectũ honestũ, neq; vnus actus ordinatur ad aliũ, & sequitur *Pasqu.dec.228.& Samuell.in d.cõtr.10.cõcl.3.*

Quæ omnia intellige quòad forũ Dei, qui cordis intima nouit.

23 Quas quidèm ampliationes, & similia, quæ exindè inferri possunt, intellige iuxtà solemnẽ doctrinam *Caiet.2.2. q.100. ar.2. & Sot.de iustitia lib.9.q.6.art.1.* post *responsionẽ ad primũ argumentũ D.Thom.* vbi docet, quod redemptio vexationis, honestatur ex causa extremæ necessitatis, quia quãdo vexatio aliundè vinci, & superari potest, illicitè pretio emeretur: necessitas enim extrema, illicitum, licitum facit: quandoquidèm electio facta per simoniam, regulariter loquendo, est nulla; & quàmuis tradens pecuniam, non sit simoniacus, ex quo dat illam, titulo vexationis; recipiens tamen illam, sæpè sæpiùs simoniacus est, & consequentèr simoniacè eligit; vndè electio sic facta, est inualida, & regularitèr loquendo, non licet procurare electionem inualidam, etiam si procuretur intentione, obtinendi posteà confirmationem à D. Papa, *Bonac.tom.1.de sim.disput.1.pun.5.nu.11. ver. obseruandum tamen est*: Verùm quòd dans pecuniam ad redimendam vexationem, non procurat electionem inualidam, sed vtitur iure suo, & per accidẽs, est, quòd electio sit inualida, & proueniat ex malitia electorum, *Pasqual.decis.239.nu.3.*

Vexatio ad hoc, vt in electione, pretio redimi possit; an debeat esse actualis, vel satis est, vt probabilitèr timeatur? Q.24.

1 C*aiet.in 2.2.D.Thom. qu.100. ar.4. num.8. ver.in eod.art.in fin.* vult, quòd

quòd debeat esse actualis, ibi, *redimere vexationem, præsupponit vexationem actu*; id ipsum fatetur *Sot. in d. lib. 9. de iust. q.6.art.1.* post *responsionem ad quintum*, vbi dicit, quòd licet pecunia redimere vexationem ab eo, qui per vim electionem studet impedire, ibi, *illos excipias, qui vim inferunt; si enim quis antè electionem, ne dignitatem peteres, te in carcerem obtruderet, aut electorem quemlibet, nè te eligeret, porrò pecunia, illam redimere posses iniuriam; secus si per ambitum verborum, vel palpationem, quam subornationem dicunt, te procuraret, excludere*, hæc ille.

Per quæ verba, vides, quòd hi se fundant in illa regula, qua dicitur, *quòd vim vi, repellere licet, cum moderamine, &c.* sed non licet vim tollere, nisi vis inferatur; ergo non licet pecuniam dare ad tollendam vexationem, nisi adsit vexatio.

Confirmatur, quia moderamē nequit adhiberi, quin referatur ad vim præexistētem, *Bonac. disp. 1. de sim. q. 6. pun. 5. nu. 11. in secunda obseruat.*

2 Verùm tamen *Reginald. lib. 23. praxis fori pœnit. num. 126. Fernandez p. 3. exam. Theol. moral. cap. 14. nu. 28.* dicunt, vexationem posse præueniri, & pretio redimi, quādo certò cognoscitur inferenda, *Pasqual. decis. 240. nu. 3.* dicit, prædictam sententiam esse veram, nedùm quando vexatio certò cognoscitur ferēda, verùm etiam, si probabilitèr timeatur; quia quotiescunq; imminet malum, siuè certò, siuè probabilitèr, possumus vti iure naturali defensionis, & ipsū propulsare, nec debemus expectare, quòd sit præsens; nisi quando medium ad propulsandum, est de se illicitum, & fit licitum, ob necessitatem euitandi mali præsentis, ac proindè requiri præsentiam mali, vt honestetur, vt esset homicidium pro defensione propria, quod de se, non est licitum, sed honestatur ex necessitate defendendi propriā vitam, ab actuali vi illata.

3 In casu autem nostro, adest malum, quod probabilitèr timetur, & medium, q; assumitur ad ipsum euertendum, non est de se illicitum, sed indifferens; traditio enim monetæ, aut elargitio munerum, potest esse mala, & bona, iuxtà qualitatem finis, ad quem ordinatur; at in casu posito, ordinatur ad finem, qui est ius naturale, hoc est, ad propriam defensionem, mediante reconciliatione illius, qui paratus est nocere, aut reductione illius ad beneuolam affectionem; cur hoc non erit licitum, cùm nihil turpitudinis, in his omnibus, reperiatur, anteaquàm vexatio præsens fiat?

4 Nec obstat, quod dictū est de vi; quia vis non est de se licita, sed illicita; quia est iniuriosa; fit tamèn licita, existente vi in contrarium; & ideò non potest adhiberi, nisi ad repellendam actualem vim: quæ opinio mihi non displicet, ex quo non aduersatur doctrinæ prædictæ: illa enim regula de vi repellenda, nō vno singulari modo intelligitur, multas namq; habet fallentias, de quibus latè, ac eruditè *Graff. decis. Aur. tom. 2. p. 2. lib. 2. de homicid. cap. 19. decis. 16. nu. 24. & sequent.* adeò, vt iuxtà dictam regulam, etiam licitum sit, præuenire propulsando, nedùm vim illatam, verùm etiam, inferendam; etenim cùm non debeā expectare, me percuti, in cum nullo remedio, tollatur illa percussio, vt not. in *l. si quis prouocatus, Cod. de appellat. & l. bello, § fieri, ff. de capt.* eò magis si inuasor, resoluto animo, velit me insultari, sine aliquo genere armorum, volens meam maxillam percutere manu aperta, ego non debeo expectare, priùs percuti, sed repellēdo præuenire, vt notat *Gloss. in l. 1. & Bald. ibid. Cod. vnde vi.*

5 Idem procedit in eo, qui minis territus ab eo, qui solet minas exequi; non enim debet expectare illapsum minarum, sed debet præuenire, quod extende ad omnem casum, in quo periculum esset in mora, nisi fieret præuentio, vt si minator expectaret socios, ad me inuadendum, quibus non possem resistere; licet præuenire, si aliàs vim inferendam, non potero euertere; de qua re, est omninò videndus *D. Gregorius Carafa*, Episcopus Cassanen. *tract. 3. de duelli speciebus, quæst. 5.* vbi sapientèr, ac fusè ex multis ostendit, quomodò liceat præuenire, & quòd in dictis casibus dicitur vis illata, licèt non completa, & consumata; per quæ optimè defenditur opinio *Caietani*.

Simoniaci, in quas pœnas incidunt? Quæst. 25.

1 Simoniacus primò, priuatur omni eo, quod per simoniā acquisiuit, prout docet *D. Thom.* cōmunitèr acceptus in *2. 2. q. 100. ar. 6. ibiq; Caiet.* omnesq; *Thomistæ*; & quidèm meritò; quia nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisiuit, sed Christus Dominus, eiusq; Vicarius non consentit, vt bona Ecclesiæ, siuè sint spiritualia, siuè temporalia, conferantur simoniacis, quippè qui, iussu eiusdem, incapaces fiunt adipiscendi bona Ecclesiæ; hinc simoniacus in ordine suscepto, non recipit executionem ordinis collati, sed est, ipso iure suspensus quoad se, & quoad alios, siuè crimen sit occultum, siuè

finè manifestum, vt dicit *S. Raym. in sum. lib. 1. tit. 1. de simon. §. 9. ver. circa pœnam*, & *Syl. ver. suspēsio, q. 7.* vbi dicit, quod huiusmodi simoniacus, est suspensus, nedū ab ordine, simoniacè recepto, sed ab omnibus alijs; & ratio esse potest, quia suspensus per sententiam canonis, vel hominis; tenetur abstinere ab officio Clericali, & illi, qui hoc sciunt, tenentur illum euitare, quantum ad executionem illius officij; quod intelligo verum, quando factum est notorium, nam si sit occultum, qui hoc scit, credo, quòd nō tenetur euitare coràm alijs ad euitandum scandalum, sed tantùm quòad se, & habetur in *Canon. reperiuntur, 7. caus. 1. quæst. 1.* ibi, *vt quicunq; deinceps propter accipiendam Sacerdotij dignitatem, quodlibet præmium, fuerit detectus, obtulisse; ex eodem tempore, se nouerit anathematis opprobria condemnatum, atq; à participatione Christi Corporis, & Sanguinis alienum, ex quo illum constat, execrabile Christo perpetrasse flagitium; quòd si aliquis extiterit, accuset; ille, qui hunc ordinem, munerum fuerat datione lucratus, & suscepto honoris gradu priuetur, & in Monasterio sub perenni pænitentia detrudatur;* hæc ibi.

Per quæ vides, quòd simoniacè ordinatus, est insupèr, & ipso iure, excommunicatus, vbi *Gl. in ver. anathematis*, dicit, quòd hoc est speciale in notorio crimine simoniæ, vt simoniaci sint suspensi quòad se, & quòad alios.

2 Vndè in detestationem huius criminis, potest quilibet, simoniacum accusare, siuè sit seruus, siuè meretrix, aut quæuis alia persona infamis, vt expressè habetur *in fin. d. Can. & in cap. tanta 7. de sim.*

3 Id ipsum habetur in *Can. si quis Episcop. 8. eiusd. quæst. & caus.* ibi *nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationē facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate, vel solicitudine, quam pecunijs acquisiuit*, quamobrèm, simoniacus tenetur restituere totum id, quod per simoniam acquisiuit, vt dictum est, & nisi restituat, non potest absolui; non enim dimittitur peccatū, nisi restituatur ablatum; sunt nàmq; simoniaci, sacrilegi latrones, qui furantur bona patrimonialia Iesu Christi.

4 Secundò, simoniacus punitur depositione, & infamia, si de eius simonia iuridicè cōstat, vt expressè legitur in *Can. sanè 4. caus. 15. q. 3.* ibi, *ad instar publici criminis, & læsæ Maiestatis, accusatione proposita, à gradu Sacerdotij retrahatur; nec solùm hac deinceps honore priuari, sed perpetua quoq; infamia damnari, decernimus*, vbi *Gl. in ver. ad instar*, eruditè loquitur, ibiq; subnectit, *quòd crimen simoniæ, est maius crimen, quàm hæresis; immò est maius crimen, quàm sit omne aliud crimen*, & quòd sicut socij criminis læsæ Maiestatis, admittūtur ad probandum tale crimen; ità ad probandum crimen hæresis; & consequentèr simoniæ.

Verùm tamèn, licèt in iure peccatum hoc, hæresis simoniaca passim appelletur, vt in *cap. quotiès, de sim. & cap. Presbiter, cap. quisquè, cap. quicunq; cap. fertur, & cap. Petrus 1. q. 1.*

Nihilominùs, hoc vitium potest esse sine errore intellectus, vt notat *Suar. lib. 4. de sim. cap. 1. num. 6.* & *Pyrr. Corrad. in praxi lib. 5. cap. 9. nu. 2.* & habetur ex *Gl. in cap. firmissimè, ver. Hæreticam, de Hæreticis.*

Et magis expressè id, quod dicebatur, reperitur in *cap. inquisitionis, 21. de accusationibus*, vbi crimen huiusmodi, punitur pœna depositionis, & priuationis à beneficio.

5 Tertiò, simoniaci cuiuscunq; dignitatis, vel status, sunt, ipso facto, excommunicati, priuati ordinis executione, & beneficijs, ex *extrauag. inter communes lib. 5. de sim. cap. 2.* ibi, *prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, ac etiam omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas, dudùm à Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis, contra simoniacos quomodolibèt latas, & illos, qui cuiuscunq; status, gradus, ordinis, cōditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiam si Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel alia quauis Ecclesiastica, seù mundana, dignitatibus præfulgeant, & eorum quēlibet, tàm manifestum, quàm occultum, quas ipso facto, eos incurrere volumus, confirmantes, & innouantes, Apostolica authoritate declaramus, quòd omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suarum sint ordinum executione suspensi. Per electiones verò, postulationes, cōfirmationes, prouisiones, seù quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Ecclesijs, Monasterijs, Dignitatibus, Personatibus, Officijs Ecclesiasticis, & quibusuis beneficijs, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec indè faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus; statuentes prætereà, quòd vniuersi, & singuli, etiam præmissis dignitatibus præditi, qui quomodolibèt dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seù procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolui, præterquàm in mortis articulo constituti, &c.*

6 Quæ quidèm *extrau.* fuit confirmata, & innouata per *Pium V.* per eius *constit.* incip.

incip. *Cùm primum,in §.& vt simoniacæ prauitatis*; ad intellectum huius *extrau.* facit *cap.veniens, & cap.Iacobus,de sim. Decret. Conc.Trid. sess.24.cap.14.de refor. & sess.21. cap.1.de refor. D.Thom.2.2.q.100.ar.2. ad 4. Sot.lib.9.q.6.ar.1.Nauar.in sum.cap.23.num.* 102. & *Tolet, in sum.lib.5.cap.*88. & *Prosp. Aug.in addit.ad Steph.Quaran.ver.sim.Rodr. 2.p.sum. cap.5. de sim.concl.6. Barthol.Vgol. in tract.de sim.tab.4.cap.3.* latè *Bonac.tom.1. disp.1. q.7. §.2. à num.1. P.Carol. Thes. 2.p. praxis de pœnis,ver.sim. cap.2. à nu.3. Suar. tom.5,de cens.disput.22. sect.5,de excom. contra simoniacos,nu.22.* & *Peyr.tom.1. de subd. q.1.cap.31.ver.dico* 18. & fusè idem *Sot. de inst. lib.9. q.8. ar.1.*

7 Quartò, sunt irregulares, ac inhabiles ad cetera consequenda, vt liquet in eisdem *extrauagantibus, & constitutionibus.*

Pœna d. extrau. an habeant locum in simonia conuentionali, vel tantùm reali, vtrinq; completa, & perfecta? Quæst. 26.

1 HÆc quæstio est grauis, circa quam variant *Doctores*; Tu autem pro puncto difficultatis, ex decisis, aduerte; quòd cùm simonia conuentionalis possit esse duplex, vna scilicet, ex neutra parte executa, vt cùm à pactis desistitur, anteaquàm collatio fiat; vel ex vna tãtùm parte: & hæc alio nomine appellatur realis imperfecta, vt si simoniacè vendens rem spiritualem, tradat emptori, pretio expectato; Perfecta autem, si ex vtraq; parte sit completa, & consumata, adeò vt ex parte vendentis, res spiritualis sit tradita; & ex parte ementis, pretium, sub conuentione promissum, sit solutum.

Nauar.in repet.cap.final.de sim. à *n.*28. *& in cap.si quando,de rescript. exceptione* 4. & in *Manuali latino cap.23. à nu.103. & in consil.3.nu.2.de sim. in 1.edit.*ait, quòd tàm pœnæ *d.extrau.Pauli Secundi*, quàm *Constit. Pij V.*incip. *Cùm primùm,de sim cõfidentiali*, non habent locum; nisi in simonia reali consumata, ex vtraq; parte, in ordine, vel beneficio suscepto; adeò vt collatio beneficij, vel ordinis, nunquàm sit nulla, nec excommunicatio incurratur, neq; restitutio debeatur per simoniam conuentionalem; nisi fuerit executa, & ex vtraq; parte completa; tùm quia, ità obseruat stylus, & praxis Curiæ Romanæ, tùm etiam, quia pœnæ sunt restringendæ; adeò vt non procedatur, nisi in casu vero, & proprio, vt constat ex pœnis, quæ imponuntur sodomitis, *Iul.Clar.in §. sodomia,q.vlt. Afflict. decis.*276. tùm item; quia casus reseruati, regularitèr petunt actum consumatum, ex vtraq; parte, *Graff.in pract.casuum reseruat. lib.1.de sim.reali, cap.9. num.5. & decis.Aur. 1.p. lib.2.eod.tit.cap.96. num.25. & tom.1. consil.lib.5.consil.3.de adult.& stupro, nu.26.* tùm item, quia ità colligitur ex illis verbis *d.extrau.cùm detestabile*, ibi, *qui conuentione facta quomodolibèt, dando, vel recipiendo, simoniam commiserint*, per quæ verba clarè apparet, quòd pœnæ imponuntur in simonia reali, quæ fit, ex eo, quia pactio, & conuẽtio executioni demandatur à dante, vel recipiente: Et hanc *Nauarri* opinionem sequitur *Conar.in regula peccatum, 2.par.§.8. num.7.* & alij peritissimi *Iuris Consulti, ac Theologi, Armil. ver. sim. num.3. Rodr. in sum. p.2.cap.55.nu.3. & cap.56.nu.6. Lud. Lopez* Dominicanus dicit, hanc opinionem æquiorem, & probabiliorem, *Instruct. tom.1.cap.305.& 256.* & *P.Ledesma in sum. p.2.tract.12. in fin. Suar.de Relig, lib.4.c.56. num.33.& cap.57.num.51.& tom.5. de cens. disp.22.sect.5. de excom. contra simon. n.22.* & quòad praxim, & vsum Ecclesiæ, est cõmunis, *Bonac.tom.1. disp.1. de sim. quæst.6. §.2. nu.6.dub.3.*

2 Hinc sequitur, eum non incurrere irregularitatem, qui celebrat post completam simoniam, ab altera parte tantùm, si non sit ab alia parte completa, *Nauar.in d. Manual.* & *Graff.in d.decis.nu.27.*

3 Nec, eum, qui tradit pecuniam pro consecutione beneficij, vel ordinis, incurrere in censuram prædic.*extrau.* antequàm beneficium, vel ordinẽ actualitèr sit adeptus, propter eandem rationem.

4 Nec dices, quòd excommunicatio nõ potest remanere in suspenso; quia censura in *d.extrau.* apposita, non remanet in pendenti, sed retrò trahitur, à die completi criminis, *Nauar.in d.Manual.cap.23.n.104.*

5 Sed pone, quòd ex parte promictentis temporale sit traditum instrumentum debiti, vel chirographum, seù albaranum, aut aliqua *Poliza de Banco*, in qua simoniacus constitetur, se debere cẽtum Episcopo, vel alteri: an ob hæc, simonia dicatur completa ex parte promictentis, ac proindè ambo censuras incurrant?

*Nau.vbi suprà,num.*106. *Graff.*cit.*loc. nu.22. Peyr.de subd. q.1. cap.31. §.9. ver.dico* 23. respondent affirmatiuè, quia paria sunt, dare, & remittere, vel certò debere; *Gl.1.in cap.veniens 1.de testam.* & colligitur ex *textu l.si fundum, §.Titio, de legat.*1. & ex alijs iuribus per eosdem allegatis.

6 Quod intellige verum, si per obligationem, & cautelam sit beneficium, vel ordinem adeptus; cùm enim habetur effectus

ctus intuitu pretij, non est curandum de modo, *Paris. de confid. benef. q. 1. num. 142.* & *Pyrr. Corrad. in praxi dispensat. Apostol. lib. 5. cap. 9. nu. 6. in fin.*

Sub nomine beneficij Ecclesiastici, an comprehendantur Regularium dignitates? Quaest. 27.

1 Affirmatiuè *Caiet. in sum. ver. excom. 72. in fin.* ibi, *appellatione autem beneficij, intellige, non solùm illud, quo aliquis dicitur habere beneficium, sed etiam Prioratum, Guardianatum, & similia, quouis nomine vocentur, quæ sunt Prælationes, & Officia Pastoralia, apud Mendicantes: quoniam Monasteriorum, seù Conuentuum, sunt electiones, confirmationes, seù prouisiones huiusmodi; quamuis non computentur, inter beneficia ecclesiastica,* hæc ille, quem sequitur *Armilla ver. excom. 59. in extrau. Pauli 2. in fin. Suar. tom. 5. de cens. disput. 22. sect. 5. num. 24. & disputat. 31. sect. 4. num. 45. & tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 57. num. 47. Sanch. opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 104. n. 11. & dub. 107. nu. 3. Portel. in dub. ver. sim. n. 5. Sorb.* Capuccin. in *compen. eod. ver.* vbi dicit, tales simoniacè promotos, manere priuatos in foro animæ, absq; alia declaratione, atq; ideò teneri ab officijs acceptandis abstinere, adeptaq; omnibus vijs, & modis possibilibus, renunciare, nisi ex eo insurgat grauissima infamia, quia lex positiua non obligat cum tanto detrimento honoris, *Hier. Rodr. in comp. resol. 129. nu. 5. Tamb. de iur. Abbat. tom. 2. disp. 10. q. 5. num. 3. & 4. Nouar. in Luc. Regul. ver. sim. nu. 9.* vbi ampliat conclusionem ad Regulares, si emant officia, & beneficia Sacristiæ, Procurationis, Ordinis, & similia, *Thesaur. de pœn. 2. p. praxis, ver. sim. cap. 2. nu. 10. ampl. 1.* & alij plures, quos allegat, & sequitur *Diana p. 4. tract. 4. Miscell. resolut. 156.* & noster *Samuell. tract. 2. contr. 2. de elect. Canon.*

Et patet ex dicta *extrau. Paul. 2. de sim.* ibi *per electiones verò, &c.* Item ex nouo, & speciali *Decreto Clem. VIII. num. 35.* inter cætera, *pro reformat. Regul.* quæ per extensum habes suprà *par. 2. de Monaster. ædif. tract. 3. in fin.* ibi, *vt omnis officiorum ambitus, &c.*

Et habetur in *Bulla d. Clem. VIII.* edita anno Domini 1599. & 1601. in *Bull. Cherub. tom. 3. pag. 80. & tom. 4. pag. 170.* inter *Constitut. Vrb. VIII.* post *Decreta de recipiendis ad habitum*, & in anno Domini 1640. die 16. Octobris per *Constit. Vrb. VIII.* incip. *Nuper à Congregat. nonnullorum Regularium, &c.*

2 Nec obstat dicere, quòd beneficium Ecclesiasticum, verè, & propriè, de sui natura debet esse perpetuum, cum cura animarum; tùm quia, sumus in claris, nàm Constitutiones Papales clare loquuntur de Regularibus, & Monasterijs, tùm etiam, quia perpetuitas, & temporalitas in ordine, vel officio, simoniacè adepto, non variat pœnas simoniacorum; tùm item, quia Regularium prælaturæ habent curam animarum annexam, & in nonnullis Religionibus, sunt vitalitiæ, ac perpetuæ, vt Abbates, semper sunt Abbates, & Generales in Ordine nostro, & Iesuitarum, perpetuò durant, eorum vita durante.

An verò officium Vicariatus alicuius loci, vel Monasterij Regularis, simoniacè obtentum, subsit pœnis prædictis? Q. 28.

1 Diana cit. loc. §. *verùm his non obstantibus, in fin.* dicit, quòd officia Ecclesiastica, quæ sunt in Religione, sine electione canonica, sed ad libitum pendent à voluntate Propositi, non subijciuntur simoniacorum pœnis; quod intelligo verum, respectu *d. extrau. Paul. II.* quia nomine beneficij, ac dignitatis, non venit officiũ Subprioratus, & Vicariatus: at fallit respectu *Decretorum Clem. VIII.* confirmatorum à *Paul. V.* & bis ab *Vrb. VIII.*

2 Vndè Subpriores, vel Vicarij locorũ, simoniacè promoti, sunt ipso iure excõmunicati, excõmunicatione lata à *Clem. VIII. vbi suprà*, & sũt in malo statu, ex *c. nõ satis 8. de sim.* ibi, *nec Prioratus, vel Capellaniæ, quælibet Monachorum, aut Clericorum, annua distractione vendantur*; ac tenentur renunciare, & ab illis desistere, ex *cap. mãdato 46. eod. tit.* nisi secretò dispensationem procurent; & habetur expresè in *can. Saluator 8. caus. 1. q. 3.* ibi, *nomine verò Procuratoris, intelligit præfata Synodus, quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, vt v. g. Præpositum, Aeconomum, ViceDominum, Defensoris nomine, Aduocatum, siuè Castaldum, & Iudicem, in subiecto verò Regulæ, Archipresbyterum, Archidiaconum,* Canonicum, *Monachum, vel quemlibet, Ecclesiastico mancipatũ officio,* hæc ibi, & ex *cap. Monachi 2. de statu Monac.*

3 Hìnc simonia committitur, si prouisio Præceptoriæ S. Iacobi, & Calatrauæ fiat mercede, & pretio, vel cum aliquo pacto, & conditione, & non gratis; prout S. Congr. declarauit, teste *Garz. de benef. par. 1. cap. 7. nu. 4.* & *Nouar. cit. loc. nu. 6.* & *Bonac. disp. 1. de sim. q. 5. proposit. 2. nu. 7.*

Mediatores simoniæ, in quas pœnas dant? Quæst. 29.

1 SImoniæ mediatores, de iure veteri, possunt excommunicari, vt dicitur in *cap. si quis Episcopus* 8. 1. *q.* 1. *in fin.* ibi, *si quis verò mediator extiterit, & ipse siquidē Clericus fuerit, proprio gradu decidat, si verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur*; verùm ex *d. extrau. Paul. II. de sim.* sunt ipso facto excommunicati, excommunicatione Papali, §. *statuētes*, ibi, *aut quòd illa fiat, mediatores extiterint*, & *Bulla Pij V.* incip. *cùm primùm*, §. 8. & licèt in *d. extrau.* reperiatur illa particula, *incurrent*, quæ est futuri temporis, nihilominùs intelligitur latæ sententiæ, vt omnes aduertunt.

2 Amplia, vt teneantur restituere, quidquid simoniacæ mercedis receperunt, in foro tamen conscientiæ, & antè omnem Iudicis declarationem, *Nauar. in cons.* 59. *de sim. in* 1. *edition.*

3 Nec non tenentur ad omne damnum, illatū Ecclesiæ læsæ, & ad quodcunq; aliud interesse; quod intellige verum, secundo loco, & in subsidium, hoc est, si principales non restituerint, ad id ipsum obligantur, nō solùm mediatores, proxenetæ; verùm etiā, mediatores, & intercessores quicūq; : quāuis mediatè hoc præstiterint; *Steph. Quaranta in summa Bull. ver. simon.* §. *est, & alia pœna.*

4 Hìnc, qui fuerunt mediatores ad simoniacè consequendum, in aliqua Religione, aliquam dignitatem, vel officium Ecclesiasticum, sunt excommunicati, & tenentur ad restitutionem, vt suprà, *Diana p.* 4. *tract.* 4. *Miscell. resol.* 156. *in fin.*

5 Amplia id ipsum ad Cōfessores, si absoluendo simoniacos penitentes, causa fuerint, quominùs restituant damna illata; *Vgol. tab.* 4. *de sim. cap.* 8. *nu.* 3. & *Thes.* 2. *p. de pœnis, ver. sim. c.* 2. *ampl.* 2. & *Samuel. tract.* 2. *contr.* 1. *disp.* 3. *de elect.*

6 Limita, mediatores huiusmodi, non incurrere pœnas priuationis officiorum, nec inhabilitatis ad cetera consequēdum; quia hoc in *dict. Constit.* non reperitur expressum, *Nauar. in d. cons.* 59 *& in sum. cap.* 27. *nu.* 51.

7 Verùm, si essent participes simoniæ, æquè participalitèr, incurrunt omnes pœnas, quia sic dicuntur principales; secus autem, si minus principalitèr, vt consilium, vel auxilium dantes, quia hi non reperiuntur expressi; *Steph. Quarant.* cit. *loc.*

Pœna inhabilitatis ad beneficia, tàm obtenta, quàm in posterùm obtinenda, apposita contra simoniacos, in Bulla Pij V. cùm primum, an incurratur antè declaratoriam Iudicis? Quæst. 30.

1 HÆc quæstio est grauis, nec quidèm vno modo resoluitur; tu verò cum distinctione dic, quòd inhabilitas potest sumi duplicitèr, vno modo, vt est quædam incapacitas, vel quatènus est pœna priuatiua, priuans simoniacos, dignitatibus, beneficijs, officijs, iàm obtentis, vel in posterùm obtinendis.

2 Si sumatur, vt pœna priuatiua, & maximè respectu beneficij obtenti, antè simoniam commissam, & sic, non incurritur, eo ipso, in foro conscientiæ, antè sententiā Iudicis declaratoriam ipsius criminis, quia pœna, qua quis priuatur re sua, iàm antè possessa, non debetur, antè declaratoriam Iudicis, per ea multa, q̄ dico in *tract. de leg.*

Et docet *Sylu. ver. assassinus, q.* 5. *nu.* 4. *Sot. de Iust. lib.* 1. *q.* 6. *ar.* 6. *in fin. Victoria in relect. de Indis, Lopez de pœnis positiuis, in d. Constit. Pij V. Nauar. par.* 2. *lib.* 5. *de simon. consil.* 92. *nu.* 1. *&* 2. *Rodr. q.* 14. *tom.* 1. *ar.* 8. *ad finem, Candidus tom.* 1. *disquis.* 18. *ar.* 44. *dub.* 1. *Sanchez de matrim. lib.* 9. *disput.* 30. *nu.* 1. *& in sum. lib.* 6. *cap.* 15. *nu.* 65.

3 Nec obstant dictæ *Constitutiones Apostolicæ*, dicentes, pœnam inhabilitatis, & priuationis beneficiorum, iàm antè obtentorum, incurri ipso facto; quia debent intelligi piè, & verè interpretantur, si dicatur, quòd intelliguntur, ipso facto, beneficia, dignitates, & prælationes amitti, sine sententia Iudicis declaratoria ipsius pœnę, non autem sine sententia declaratoria ipsius criminis.

4 Dixi maximè, respectu beneficij obtēti, antè simoniam; quia prædicti *DD.* ampliant prædictam decisionem, etiam ad simoniacè obtenta, & ad obtinenda in posterùm; adeò, vt simoniacus in foro conscientiæ, non teneatur renunciare beneficium, quod simoniacè fuit adeptus, nec alia, si in posterùm talitèr obtinebit, antè Iudicis sententiam; quia licèt simoniacus in materia beneficiali, per simoniam sit inhabilis ad illud, & ad quodcunq; aliud adipiscendum, per *d. Const. Pij V.*

Tamen, quia prædicta *Pij Constitutio* aut non fuit vsu recepta, quòad hoc, vt dixit *Nauar. in d. consil.* 92. aut est, vt suprà interpretanda.

Nec dices, quòd pœnæ priuatiuæ, ad sui executionem, non indigent actione Iu-

Iudicis; quia hoc intelligitur,respectu censurarum,sed fallit,quoad alias pœnas: etenim inhabilitas ad suffragium ferendum, est pœna priuatiua; nihilominùs non incurritur,antè sententiam Iudicis,*Sot.cit.loc.ad fin. quarti argumenti*, *Nauar.in extrau. Gregor.XIII. de datis,& promissis,pro gratia, & iustitia obtinendis, nu.41.*

6 Si verò inhabilitas sumatur, vt est quoddam impedimentum canonicum, & quædam incapacitas ad obtinendum beneficium,super quo committitur simonia, & ad omne aliud,in futurum adipiscendum; & sic contrahitur antè Iudicis sententiam.

7 Ac proindè simoniacus huiusmodi, in foro conscientiæ, tenetur simoniacè adepta renunciare, & de nouo pro adipiscendis dispositionem habere, *Graff. 1.p. decis. Aur. lib.4.cap.23.nu.12.* & *Azor. p.3. instit.Moral.lib.12.cap.21.dub.3.*

8 Quæ quippè sententia, quoad forum conscientiæ, mihi tutior, ac verior apparet,& moueor ex multis.

Primò,quia huiusmodi inhabilitas,& irregularitas,pari passu ambulāt: sūt enim ambo impedimētum canonicum,quo quis irretitus, nequit adepta exercere, neq; futura consequi. Sed irregularitas incurritur,antè Iudicis declaratoriam; ergo.

Secundò,quia ita expressè habetur in *d.Const.Pij,incip.cùm primùm,§.8.ibi,qui dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit,ipso iure,priuatus,& in futurum inhabilis,ad eas, & quascunquè alias obtinendas,* hæc *ibi.*

Et velle dicere, hanc *Pij extrauagantem*, quoad hoc nō esse in vsu, voluntarium est; etenim apud timoratos conscientiæ, quoad forum Poli,fuit semper in vsu.

Tertiò,ex praxi,& stylo Curiæ Romanæ;Prætoriū .n.sacræ pœnitentiariæ dispēsat in simonia occulta, quoad forum conscientiæ,& dispēsando,vult, fructus exindè perceptos restitui,vel in pauperes erogari, prout ex multis fusè ostendit *Pyrr.Corrad. lib.5.suæ prax.cap.11.nu.6.& sequent.* Non enim dispensaret, si simoniacus in consciētia non foret irretitus, nec iuberet, fructus restitui, nisi fuissent iniustè percepti.

Prælati Regulares,an possint suos subditos à censuris absoluere,& in pœnis simoniæ dispensare? Q. 31.

1 Certum est, ex *d.textibus, & bullis,* tot Romanorum Pontificum, & præcipuè *Pauli II.Pij V.Sixti V.* & *Gregor.XIII.* simoniacos in ordine, & beneficio, incurrere in excommunicationem Papæ reseruatā, suspensionem, & interdictum,nec nō irregularitatem, priuationem beneficij, & inhabilitatem, ad quodcunq; aliud beneficium obtinendum.

2 Et magis certum est, Inferiorem non posse dispēsare in lege sui Superioris,vt ex multis fusè ostendit *Bonac.in tract.de legib.* nisi de voluntate eiusdem;ergò Regulares Prælati non possunt dispensare super simonia,iure canonico,introducta; nisi ex concessione Rom.Pontif. secus foret immittere falcem in messem alienam.

3 Quòd Regulares habeant ferè infinita priuilegia absoluendi sibi subditos, in foro conscientiæ, ab omnibus excessibus, censuris,sententijs, & pœnis; nisi sint talia, quæ meritò essent ad Sanctam Sedē Apostolicam referenda.

4 Verùm, ista verba generalia, quoad factum, de quo quæritur, mihi non sufficiunt; tùm quia,aliud est, absoluere à censuris, & aliud, super irregularitate dispensare;tùm etiam,quia in generali concessione, non veniunt casus, quos specialitèr D.Papa solet sibi reseruare, vt fecit in simonia,prout testatur *Viuald.in Cādel.Aur. in tract.de irregularitate,* & *Corr.in d. prax. lib.5. cap.9.nu.2.& 3.*

5 Vndè oculatim inspicienda sunt priuilegia,quibus vti intendit Prælatus Regularis ad absoluendum, & dispensandum cum sibi subdito.

6 Hinc Patres Dominicani, ad particularia descendentes, pro se adducunt *Mare magnum*, sibi concessum à *Sixto IV.* incip. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, & signantèr illa verba abhibita in declaratione concessorum à *Gregorio*, ibi, *præterea, quia idem Gregorius prædecessor in dictis suis literis,Magistro,Prioribus, Prouincialibus,& Cōuentualibus, & eorum Vicarijs, absoluendi Fratres eiusdē Ordinis; nec non Fratribus dicti Ordinis,quos ipsi Magister,Priores,Prouinciales, & Conuentuales habuerint pro tempore,in Confessores,absoluendi ipsos Magistrum, Priores, Prouinciales, ac Conuentuales, ab excessibus,& censuris; nisi talia forēt,propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi,ac eum eis desuper dispensandi,concedit; & præterea,qui sint destinandi persæpè, reuocetur in dubium, vt absoluentium,& absoluēdorum, dispensantium; & dispensatorum, pro tempore, puritati conscientiæ consulamus, declaramus, hæreticos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent,dùmtaxat ad Sedem prædictam, meritò destinandos, reliquis verò omnibus,etiam simonia,qualitercūq; irretitis,posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutio-*

nis beneficium, & dispensationis gratiam, iuxtà casum, indulgentiam impartiri; hæc ibi, & refert per extensum *Ioan. Bapt. Confectius in princip. Bullarum d. Papæ Sixti, pag.* mihi 52. in Impressione Veneta.

7 Attamèn, hæc, & similia, quòad simoniacos in ordine, fuerunt reuocata per *Sixtum V.* sua *Constit.* quæ incipit, *sanctum, & salutare*, edita 1588. *§. & nihilominùs*, fel. recor. *Pij II.* ibi *eosdem Clericos, post hoc, malè promotos, ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores, perpetuò suspensos declaramus, & si in eis ministrare præsumpserint, illos, sic irregulares effectos, omnibus, & quibuscunq; per eos in titulum, commendam, aut aliàs, obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis cũ cura, quomodocunq; qualificatis, secularibus, aut cuiusuis ordinis, aut militiæ, Regularibus, etiam si ipsi Clerici Regulares fuerint, actiua, & passiua voce, ipso facto, priuamus, & ijs priuatos, atq; ad illa, & alia similia, vel dissimilia, in posterùm obtinenda, in perpetuum inhabiles, & incapaces decernimus, & declaramus, dignitatum, officiorum, & beneficiorum huiusmodi, sic pro tempore vacantium, dispensationem nobis, & Apostolicæ Sedi perpetuò reseruantes, &c.*

8 Quò verò ad pœnas, & ad nullitatem facultatum, & priuilegiorum, & quòd eædẽ pœnæ, à nemine possint absolui, nec quidẽ in foro conscientiæ, etiam si crimen fuerit occultum; nisi à Rom. Pont. sunt attendenda verba *§. aut etiam*; ibi, *caucãt in futurum, tàm absoluendi, quàm dispensaudi, facultatem in casibus superiùs expressis, etiam in foro conscientiæ, nobis, & successoribus nostris, dũtaxat auctoritate, & tenore præmissis perpetuò reseruamus; inhibentes, ne à quoquam seculari, vel cuiusuis Regulari, Presbitero, vel Prælato, quauis auctoritate, &c.*

Nè vigore, aut prætextu facultatum, aut priuilegiorum, Mare magnum, aut aliàs quomodolibèt nuncupatorum, quibusuis ordinibus, congregationibus, aut personis Regularibus, aut Episcopis per Decreta Conc. Trid. aut officio Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ, vel minoribus, aut etiam maioribus Pœnitentiarijs nostris, & Rom. Pontif. pro tempore existentis, &c.

Et in §. *verùm enim verò*, ibi, *semper, quàmuis delictum adhùc occultum extiterit.*

9 Ex quibus patet, simoniacos in ordine, intuitu priuilegiorum, & *Conc. Trid.* hodiè non posse à suis Prælaris absolui, & dispensari, etiam si crimen sit occultum, nec quidèm in foro conscientiæ, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, *Rodr. tom. 1. q. 20. artic. 13. Peyr. tom. 1. priuileg. in 2. Constit. Iul. 2. §. 29. nu. 88. Lezan. 1. par. sum. cap. 38. num. 39.*

10 Et quàmuis *Clem. VIII.* sub anno Domini 1595. motu proprio, & ex certa sciẽtia, supradictas literas *Sixti V.* ad terminos sacrorum Canonum, & dispositionem *Decretorũ Conc. Trid.* restrinxerit, & reduxerit; addir tamèn verba sequentia, *præterquã contra simoniacè ordinantes, & ordinatos nisi factas; has enim voluit in suo robore permanere*, hæc ibi; prout meliùs est videre in *d. Constit. Sixti V.* & moderatoria *Clem. VIII.* quam per extensum ponit *Steph. Quaranta in sum. Bull. ver. ordo.*

11 Tu autèm aduerte, quòd idem *Clem. VIII.* suiq; successores, nostra, & aliorum confirmarunt priuilegia, cum illa clausula; *dummodò non aduersentur sacris Canonibus, & Decretis Conc. Trid.* peindè Prælati Regulares possunt, sibi subditos, simoniacos, in beneficio, occultos tamèn, & in foro cõscientiæ, absoluere à censuris, & in pœnis dispensare, eosquè ad beneficia adepta, & adipiscẽda rehabilitare; tùm ex dictis priuilegijs, totiès confirmatis, quòad forum Poli; tùm quia, possunt in suos, quod, & Episcopi, ex *cap. 6. Sac. Trid. sess. 24. de reform.* prout testatur *Candidus tom. 1. disquisit. 18. ar. 45. dub. 4. Ioan. Lacrux de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 15. concl. 3. Samuell. tract. 9. de elect. disput. 3. controu. 10. Rodr. tom. 1. qu. 20. ar. 21.* & *Sanch.* multis allegatis *lib. 2. sum. cap. 36. nu. 18. Barthol. à S. Faustio lib. 3. Thesauri Religiosorum, q. 125. Portell. in dub. ver. Prælat. nu. 36. Sayr. lib. 7. Thesauri cap. 7. nu. 24.* & *Diana p. 7. tract. 2.*

12 Et facit ad hoc declaratio Sac. Congregat. habita in *cit. loc. Trid.* consulta enim, an Episcopus, virtute *d. Decreti Conc. Trid.* possit absoluere Sacerdotem subditũ suum, à simonia occulta, & rehabilitare eum ad ordines, & beneficia; tàm obtenta, quàm obtinenda; censuit, posse absoluere, & ad ordines rehabilitare, & beneficia, tàm obtenta, quàm obtinenda; non tamèn rehabilitare ad beneficia, quibus propter simoniam fuisset priuatus; & refert *Garzias p. 8. de benef. cap. 1. nu. 27. Prosp. Farin. vol. 4. decis. 77. vers. an Episcopus.*

13 Quæ quidèm declaratio, etiam si appareret authentica; nè videatur fateri contraria, est dicendum, quòd in primis verbis loquitur de simonia occulta, & in foro poli, & in vltimis autèm de simonia, declarata per Iudicis sententiam, vt patet ex ly, *quibus fuit priuatus*; prout eruditè *Machadus de perfecto confess. tom. 1. lib. 3. p. 3. tract. 6. docum. 2. nu. 3. Castrus Palaus tom. 2. disp. 3. pun. vlt. nu. 4.* & alij plures, quos contra se allegat *Diana p. 7. tract. 2. resol. 36.* & sequitur

tur *Bellarmin.* in ordine doctrinæ ad *d. cap. Conc. Trid.* post disputationem præfati dubij, *ver. dubitabam*; vbi ex multis ostendit, conclusionem nostram veram esse; & primò, quia cùm de iure communi, potuisset Episcopus dispensare in omnibus casibus, etiam reseruatis; etiam in quibus venit pœna priuationis, ipso iure; cuiusmodi sunt omnes aliæ simoniæ, præter quàm in ordine, & beneficio, *D. Thom. 2. 2. q. 100. ar. vlt. ad primum, & vlt. Syl. ver. sim. nu. 19. & verb. casus, nu. 2. & ver. dispensat. nu. 16.*

14 Sequitur, quòd per *Concil.* in *d. loc.* amplietur Episcopi iurisdictio, & extendatur ad præfatos duos casus, nempè simoniacos, in ordine, & beneficio, aliàs eius verba, nihil operarentur, nihilq; de nouo adderetur iuri veteri Episcoporum.

Secundò, *Concilium*, vbi suprà, vtitur illa dictione vniuersali, *omnibus*, quæ omnes casus amplectitur, etiam si maior ratio sit in vno, quàm in alio, *cap. sedes*, vbi *Fel. in 4. declarat. de reseruat. l. in fraudem, §. fin. ib. q; Bald. de milit. testam.*

Tertiò, ad hoc facit exceptio de homicidio voluntario, quæ cùm sit de reseruatis, videtur includere Regulam in contrariū, etiam in casibus reseruatis, argum. *l. nam quod liquido, d. pœn. leg. Syl. ver. homicidium, nu. 3. & ver. dispensatio, n. 16.*

Quartò, facit, quia de iure communi, quilibet, etiam scienter, etiam publicus simoniacus in beneficio, est ipso iure suspēsus, quoàd se, & quoàd alios, si sit notorius; vel quoàd se tantùm, si sit occultus; ergò omni casu intrat *Concilium*, permittens Episcopis dispensare in omnibus suspensionibus: nec obstat *Bulla Pij V.* quia non loquitur de simoniaco occulto, sed manifesto, quod patet ex illis verbis, *si conuictus fuerit*, quæ referuntur ad forum exterius, cū præsupponat delictum, argum. *d. cap. Trid.* si enim *Bulla Pij V.* voluisset comprehendere casum occultum, declarasset, sicut fecit *Martinus V.* per aliam suam *extrau.* hæc *Bellarm.*

15 Nec possunt obstare aliæ declarationes Sac. Congregat. quæ circumferuntur, hinc indè, tùm quia authenticæ non apparent; tùm etiam, quia nō habent vim legis, *Sanch. lib. 8. de matrim. disput. 2. nu. 10.* Nec dices, quòd priuilegium per *Tridentinum*, vbi suprà cōcessum Episcopis, à iure communi exorbitans, non est ad Regulares ad libitum extendendum; quia *Trid. in d. loc.* non exorbitat à iure communi, sed restituit Episcopis sublatam olim iurisdictionem, quam habebant de iure communi, ac Diuino, subordinatam tamèn, & restringibilem à Papa: nàm Episcopi de iure communi, nisi expresè limitentur, habent pro subditis, quidquid habet Papa, pro tota Ecclesia.

16 Vndè *Trid.* hac in parte, est lex, non noua, sed correctoria, quæ reducit iurisdictionem Episcoporum ad ius antiquum, & commune; *Couar. lib. 3. var. cap. 6. nu. 4.* & fusè *Rodr. tom. 1. q. 20. art. 10.* vbi ostendit, quòd idem sit dicendū de Prælatis Regularibus, ex quo habent in suos subditos iurisdictionem, quasi Episcopalem; & dicūtur Episcopi æquipollēter, & virtualitèr.

17 Nec replices, dicendo, quòd illa pœna inflicta sit simoniacis, post *Concil. Trid.* & cōsequentèr, quòd facultas data à *Concilio*, non extenditur ad casus, noua lege Pontificia, reseruatos post *Concil.* quia hoc non est verum; nisi forsàn in noua lege Pōtificia, poneretur clausula derogatoria, per quam resisteretur huic *Decreto Conc. Trid. Bonac. de censuris disput. 1. q. 3. pun. 2. num. 1. Gauan. in Manual. Epis. ver. absolutio, num. 4. Bellarm.* sapientèr, vbi suprà, & *Diana* luculentèr *p. 7. tract. 2. resol. 20.* tùm quia, de natura legis est comprehendere futura, *cap. fin. de cens. & l. Arriani, Cod. de Hæreticis*, vbi dicitur, quòd lex simplicitèr loquens, est in viridi obseruantia, tum etiam, quia *Concilium* concedit Episcopis dictam facultatem generalitèr, non distinguendo inter reseruationes præteritas, & futuras, ergò generalitèr est intelligendum, *l. de pretio, ff. de publ. in rem act. & c. solitæ, §. fin. de maior. & obed.* tùm item, quia facultas absoluēdi, quæ datur in Iubileis, extenditur ad futura.

18 Nec tandem officiunt illa verba §. 13. *Bull. Pij IV.* ibi, *caueat, etiam Pœnitentiarius, nè in absolutionibus à simonia reali, vel conuentionali, etiam occulta; vnquàm concedat, vt ipsi simoniaci beneficia, super quibus simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia, pro illis accepta, aut fructus exindè, post commissā simoniā, perceptos, in toto, vel in parte, retinere possint; Quinimmò, in absolutionibus huiusmodi, ponatur clausula, quòd vterquè ab beneficium, super quo commissa fuit simonia, perpetuò inhabilis existat.*

19 Tùm quia, hæc diriguntur ad praxim seruandam in sacra Pœnitentiaria, in facti contingentia; tùm etiam, quia ibi Papa loquitur ad Pœnitentiarios; quid enim debeant facere, ex vi potestatis traditæ, nō autèm loquitur ad Episcopos, potentes hoc, vel illud, virtute *d. Decreti Trid.*

Electio alternatiua, quæ nàm sit, & ad quid tuueta, & quādo valida? Q. 32.

1 Electio alternatiua dicitur, quæ sit vicissim, & inter diuersas Nationes

tiones alternatim celebratur, vel quia ea, pari ordine, diuersæ Nationes alternant, eligendo,

Quippè quæ dicitur debitoris, quia eligentes tenetur ex debito eligere ex nominatis in alternatiua, secundùm concordata, & pacta inita, secus læditur ius tertij, quod acquisitum est ex pacto, vel antiqua consuetudine, & electio est nulla, vti celebrata contra ius, & iustitiã alterius partis.

2 Alternatiua regularitèr debet concedi à Sancta Sede, vel fulciri, eius speciali authoritate, prout fusè ex multis ostendit *Petrus de Baisio* in suo *directorio elect.*

3 Verùm, in Ordine Prædicatorum, potest constitui, fieri, & approbari per Capitula generalia, eiusdem Ordinis; & hoc ex permissione, & approbatione eiusdem Sanctæ Sedis Apostolicæ, pro pace, & quiete, ac pro seruanda iustitia distributiua inter Regulares eiusdem Prouinciæ, *Castell, cap.1.nu.36.de elect.* Canon.

4 Et de facto, in multis Prouincijs nostri Ordinis reperitur concessa, & instituta; in Prouincia enim Calabriæ ab antiquo Prouinciales eliguntur alternatim, ac Diffinitores Capituli Prouincialis, & Generalis, & Electores Magistri ordinis; & vicissim celebrantur Capitula Prouincialia, nempè, vna vice in Calabria Citra, altera verò vice, in Calabria Vltra: hìnc duo Diffinitores, illìnc paritèr, & duo; si hìnc eligitur Diffinitor Capituli Generalis, illìnc assignatur socius, & vicissim, vt pari passu ambulent, & æmulentur Charismata meliora, quod non semel Capitula Generalia approbarũt, vt constat ex *Capitulo Generali*, Romæ celebrato sub Reuerendissimo P. Fratre Hippolyto Maria Beccaria, anno Domini 1589. *§. ordinationes*, ibi, *ordinamus pro nostra Prouincia Calabriæ, eius petitionibus annuentes, vt quemadmodùm Priores Prouinciales, altera vice, ex Superiori Calabria, altera ex Inferiori; eligi solent: idem etiam obseruetur in electione Diffinitoris* Capituli *Generalis*, hæc, ibi *pag.* mihi 9.

5 His tamèn accedit, quòd quando in dicta Prouincia eligitur, vel instituitur Prouincialis aliquis, qui non est filius dictæ Prouinciæ, talis Prouincialis, non venit pro rata partis dictæ Prouinciæ, sed tali Prouincialatu completo, ius passiuè eligendi in Prouincialem remanet, & pertinet ad illam partem, ad quã pertinuisset, si aliquis filius Prouinciæ electus fuisset; tunc, cùm electus fuit, vel institutus Prouincialis, alterius Prouinciæ filius, quod fermè sub eisdem verbis fuit Valẽtiæ declaratum anno 1647. sub Reuerendissimo Fratre Thoma Turco, *declarat. 18. fol. 9. à tergo.*

6 In Prouincia Neapolis, paritèr obseruatur alternatiua, in electionibus Prouincialium, & Priorum, faciẽdis per Nationes, itaut altera vice ex Fratribus Neapoli ortis, altera verò ex exteris eligatur; prout latè constat ex literis patentibus à Reuerendissimo Fratre Nicolao Rodulfio, tunc Generali totius Ordinis, quę literæ per extensum habentur in actis Capituli Prouincialis, celebrati in Conuentu Sancti Dominici Ciuitatis Neapolis anno 1639.

7 Nec dices, quòd in alternatiuis, Electores compelluntur eligere aliquem de certo genere personarum, eoquè consequentèr eligunt coactè, quia eligentium libertas coarctata ad certum genus personarum, nõ adimitur, sed aliqualitèr restringitur, quod nõ officit validitati electionis, vt constat ex decisis *qu. 10. suprà*, & docet *Panor. in cap. licèt de uitanda 6. in fin. de elect.*

Electio scrutinalis, si fiat per fabas, vel calculos, aut lupinos; an sit valida, & Canonica? Qu. 33.

1 RESpondeo negatiuè, quia omnis electio ad hoc, vt sit Canonica, & valida, debet fieri per modum scrutinij, iuxtà dispositionem *cap. quia propter, de elect. & cap. 6. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.*

2 Modus autèm eligendi per scrutiniũ, nequit obseruari in electione habenda per fabas; nàm in electione huiusmodi, nequit fieri votorum supputatio, vt in scriptis redacta, publicetur; quod est de substantia electionis, vt dictum est suprà *quæst. 17. in nono substantiali*, & constat ex *d. cap. quia propter*, ibi, *qui scrutatores secretè, sigillatim vota cunctorum exquirant, in scriptis redacta, &c.* quandoquidèm in fabis, & lupinis, nullum nomen reperitur inscriptum, & quod non est, nequit numerari, neq; ad numerum redigi: ergo.

3 Confirmatur, quia ad eligendum canonicè per modum scrutinij, requiritur maior pars Capituli, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior pars capituli consensit*; sed facta hypothesi, quòd electio scrutinalis, non sit concors, & vnanimis, quomodò dignosci poterit, quòd A. habuit quinque vota, & B. habuit septem? cùm ex fabis, & lupinis, nihil certum habeatur, vt sapientèr aduertit noster *Sylu. ver. elect. 2. q. 3. nu. 6.*

4 Nec dices, quòd per fabas, & lupinos, in omni ferè Ordine, multæ fiunt prouisiones, & electiones, quia hæ non sunt Canonicæ, neque possunt dici scrutinales, iuxtà prædicta.

SVM-

SVMMA QVAESTIONVM,

Tractat. II. De Loco Electionis.

DE LOCO ELECTIONIS

Tractatus II.

Electio, in quo loco, est celebranda? Q. 1.

1 ET dico, quòd debet celebrari in Ecclesia, vel Capitulo: dummodò non sit locus clādestinus, vt habetur in *cap. in causis, 30. de elect.* ibi, *mandantes eis, vt redirent ad Capitulum, & paritèr cum alijs Fratribus de electione tractarent.*

2 In casu verò necessitatis, fieri potest extrà Ecclesiam, seù Monasterium; prout antiquitùs fiebat electio Episcoporum.

Quòd tamèn fallit in electione Papæ, vt dicitur in *cap. vbi periculum 13. de elect. in 6. Sylu. ver. elect. 1. q. 8. nu. 6.*

Electio celebrata in loco interdicto, an sit valida? Quæst. 2.

1 AFfirmatiuè dic, tùm quia, locus non est de substantia electionis, tùm etiam, quia per interdictum, solùm suspenduntur Diuina, & Ecclesiastica Sacramenta, *cap. final. de sent. excomm. in 6.*

2 Electio autem non est Sacramentum, sed quædam obligatio, seù cōtractus; tùm item, quia ità colligitur ex *cap. ad hæc, 1. de postulatione Prælat.* vbi *in fin.* Papa concedit, & admittit, postulationem, & electionem posse fieri in loco interdicto; quod etiam *Glos. in cap. vbi periculum 13. de elect. in 6. ver. interdicta, §. præterea*, extendit ad electionem Papæ: verùm malè facerent Electores, eligendo in loco interdicto, *Sylu.* cit. *loc. nu. 9.* & *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 23. ar. 9.*

Capitulum quid, & quotuplex sit, & pro quo supponat? Q. 3.

1 CApitulū inter Regulares, diuiditur in Generale, Prouinciale, &

Con-

Conuentuale: Si Religiosi Regulares, in aliquo certo loco, & determinato tempore, ex omni parte Religionis, congregentur in vnum corpus, ad aliquid coniunctim peragendum, erit Capitulum Generale, seù Congregatio, vel Collectio vniuersalis:

2 Si verò Religiosorum cętus, erit, ex aliqua vna sola Prouincia, erit consequentèr eorum Congregatio Prouincialis: si tandèm Collectio Fratrũ, erit vnius Monasterij, dicetur paritèr Capitulum Conuentuale, qualis ergò est Religiosorum Congregatio, tale erit, eorundem Capitulum; quod præsupponit Congregationem Religiosorum, legitimè congregatorum, in aliquo certo loco, & tempore, ad collegialitèr tractandum negotia Monasterij, vt dixi in *tract. de rebus Monasterii non alienandis*, & patet ex his, quæ immediatè dicuntur.

Quæ nàm sint de substantia Capituli ad hoc, vt actus factus, dicatur Capitularis? Quæst. 4.

1 MVlta, re vera, sunt de intrinseca ratione Capituli; prout constat ex eius diffinitione, nempè locus, qui debet esse certus, & tempus determinatũ, personæ insimul collectæ, & authoritas in congregante, & quod decidendum est, decidatur, sitquè volitum ab omnibus de Capitulo, vel à maiori, & saniori parte suffragantium.

2 Capitulum, vt dixi, sæpè pro situ, & loco vsurpatur, in quo plures personæ cõgregantur, & dicitur à capio capis, quia multos capit, & habet; à quo denominantur Capitulares, sicut collegiatæ, à collegio, & priuilegiatæ à priuilegio: etenim Capitulum definitur, quòd sit congregatio plurium Ecclesiasticorum, vnum corpus facientium, & colligitur ex *l. 1. & l. fin. ff. de colleg. & corporibus illicit.* & docet *Dominicus à S. Gemimano in cap. cupientes, §. ad hæc, nu. 2. de elect. Sylu. in ver. capitulum, nu. 1.* & *Megal. tom. 1. prompt. ver. capitulum, nu. 1.* & probatur in *cap. cùm in cunctis, de ijs, quæ fiunt à maiori parte capitul.*

3 Proindè tunc dicitur Capitulum, quãdo more solito, & consueto, & legitima authoritate, est congregatum, in tempore pręfixo, & determinato loco; secus diceretur conspiratio, aut rebellio; prout fit, cùm plures, priuata authoritate, clandestinè congregantur ad malum finem, *l. 1. 2. & 3. ff. de collegijs illicit. Reg. Sa felic. in Praxi, in addition. ad lect. 16.* sub *num. 7. fol. 262.* & *Illustr. Dom. Reg. Capyc. Latro dec. 169, tom. 2.* Vndè, simulatione iuris fit, vt Capitulum dicatur esse vna quædam persona legalis, & intellectualis, separata à Ciuibus, & à Canonicis, & à personis Capitulantibus.

4 Sicut hæreditas, differt à rebus hæreditarijs, sic Capitulũ, Vniuersitas, & Collegium, differunt à personis eorum.

Quæ quidèm persona simulata, & ficta, integratur, & resultat ex supradictis circumstantijs; prout *Gabriel. in tract. commun. concl. tit. quod cuiusquè vniuer. nomin. conclus. 1.* & *Marcell. Vulpes* in sua *praxi fori Eccles. cap. 13. nu. 38.*

5 Hinc est, quòd actus gesti per Decuriones, & Electores, extrà Concilium legitimè congregatũ, & per Canonicos extrà Capitulum, licèt omnes de Regimine Vniuersitatis, & omnes Canonici de Capitulo concurrant, non idcircò censentur actus Vniuersitatis, nec Capituli, *Bartol. in l. omnes Populi, ff. de iust. & iure. & Bertrandus consil. 42. nu. 7. lib. 2.* quia ad faciendum actum Capitularem, & validum, requiruntur supradicta omnia copulatiuè.

6 Quò fit, vt in hoc nostro Regno, non possit Vniuersitas mittere literas alicui, nisi congregato Consilio, vt iuris, & moris, & subscriptas manibus Sindicorum, & Decurionum: præcedente conclusione, scripta in libro Conclusionum, iuxtà *Pragm. D. Petri Giron.* editam die 22. Iul. 1585.

Ad quid inuenta sint Capitula? Q. 5.

1 PRo fęlici Regularium gubernio, apprimè sunt necessaria Capitula, in Dei nomine conuocata ad hoc, vt bona semel incępta, progrediãtur, & insita mala rescecentur, Christi ope, & adiutorio.

2 Ipse nàmq; dixit, *vbi duo, vel tres, meo nomine, conuenerint, ad eos venio, & inter eos sum.* & iterùm, *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiat illis à Patre meo. Matth. cap. 18.*

3 Si duo, vel tres congregati, hoc præstant, quid autem decem, vel centum? & eò fortiùs, si sint Dei Serui, Amici, & Sacerdotes: quid est, quod non consequentur in laudis, hostia, & Dei incruento sacrificio, tanta simul grauissimorum hominum frequentia; etenim qui in societate orat, solus non petit, nec solus Deum obsecrat; est enim in hoc plus aliquid, vt putà concordia, conspiratio, & amoris copula, & clamor fęlici concordia stipatus, penetrat Cęlum quo insupèr, & petitiones infirmorum validantur.

Hinc *Psaltes, ecce quàm bonũ, & quàm iucundum, habitare Fratres in vnum. Ps. 132.*

4 Quibus adde, quòd maius lumen reperitur in multis, quàm in paucis, & præ-

fer-

fertim in viris selectis, & proceribus; quorum ingenio, & authoritate, & praxi, multum indiget Respublica, vt rectè possit gubernari.

5 Quamobrèm, ab exordijs nascentis Ecclesiæ, opus fuit in vnum fideles vnire, & Apostolos dispersos congregare, vt constat ex *Actis Apostolorum*.

Ad constituendum Capitulum, vel Collegium, quot personæ, ad minus, requirantur ad hoc, vt actus dicatur Capitulariter factus, valeat, & sustineatur? Q. 6.

1 Respôdeo, quòd de iure Ciuili, ad faciêdum Collegium seculare, ad minus requiruntur tres idoneę personæ; prout expresse habetur in *l. Neratius, ff. de verb. signif.* vbi dicitur, quòd Collegiũ nescit nasci, & exordiri, nisi ad minus, supposita trinitate personarum, in vnum collecta; & constat ex vi nominis, & proprietate verborum.

2 *Innoc.* verò in *cap. dilecta, de excessibus Prælat. & in cap. postulasti, de iure patronat. & Archid. in cap. de liberatione, de elect. in 6. & Ioan. Andr. in cap. statutum, cod. tit.* & alij plures, quos allegat *Megal. tom. 1. prompt. ver. Collegium, nu. 1.* dicunt, quòd de iure Canonico, ad faciendum Capitulum Ecclesiasticorum, sufficiunt duæ idoneæ personæ.

3 Verùmtamèn regulariter loquendo, Capitulum Ecclesiasticum debet, ad minus, constare ex tribus personis, iuxtà ius Ciuile; prout expresse habetur in *c. nullus in Ecclesia, 1. de elect.* ibi, *vbi duo, vel tres fuerint in Congregatione*, vbi *Gl. in ver. duo*, dicit, quòd duo faciunt Congregationem, tres verò Collegium.

4 Secus non daretur locus *Capitulo cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*; nàm esto, quòd duo satis sint ad faciendum Capitulum; quis eorum duorum dicetur pars maior, vel sanior, cùm in singularitate suffragij, vnus altero non sit maior in suffragando?

5 Hinc Capitulum Generale, non poterit contra hoc ius statuere, nè tres, scilicèt vocales, existentes in aliquo Conuentu, possint sibi eligere Prælatum, & si ordinauerit, cogitur reuocare, *Castell. cap. 5. nu. 43. de elect.*

6 Verùm tamèn, in Ordine nostro, Capitulum Generale sanciuit, quòd duo Electores reperti in aliquo Conuentu, non sufficiunt ad sibi Prælatum eligendum, sed ius electionis, & prouisionis deuoluitur ad Prouincialem, quod forsitàn sancitum est ex eo, quia hoc nõ est cõtra ius Canonicũ, vel fuit dictum ex authoritate Apostolica.

Nomine Capituli, qui nàm veniant? Quæst. 7.

1 Non omnes, qui sunt in Monasterio, veniunt appellatione Capituli, sed illi tantùm Patres, ad quos de iure, aut priuilegio, vel consuetudine, spectat interesse rebus capitulariter agendis, iuxtà Religionis statuta, approbata tamèn à Romano Pontifice; & colligitur ex *Gl. in cap. nullus in Ecclesia, de elect.* in quo dicit, quòd vbi tantùm est Sacerdos, & Clericus, ibi non dicitur Congregatio, siuè Collegiũ: quia nõ oẽs faciunt Capitulũ, & *Dominic. à S. Geminiano in cap. cupientes, §. ad hac, nu. 2. de elect. & in cap. mandatum, de præben. & dignit. nu.* 40. docet, quòd appellatione Capituli, non veniunt omnes Ecclesiæ Prælati, sed tantũ Canonici, *Megal. cit. loc. ver. Capitulum, nu. 1.* & constat ex praxi, & communi sententia *Doctorum*.

Potestas, & authoritas Capituli, apud quem residet, & reperitur? Q. 8.

1 Et quidèm residere in maiori, & saniori parte Capituli, vt dixi in *tract. de rebus Monasterij non alienandis*, & decidit *Conc. Lateran.* & habetur expresse in *cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, ità vt totum Capitulum facere dicatur id, quod Capituli maior, & sanior pars facit, & quod à maiori, & saniori parte Capituli fuerit constitutum, appellatione remota, præualeat semper, & suum consequatur effectum, vt *ibid.* dicitur.

Nisi à paucioribus, & Inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit, & simul coràm Superiore probatum, & habetur in *tex. l. quod maior, ff. ad municip. & ibi gl. Bart.* & alij plures.

2 Vndè, vt contradictio minoris partis Capituli valeat, duo sunt necessaria copulatiuè, & quòd scilicèt rationabile quid obijciatur, & quòd probetur; prout notat *Gl. in d. cap. ver. ostensum.*

3 Quæ quippè decisio fallit in multis casibus, prout docet noster *Sylu. in sum. ver. Capitulum, nu. 1.* & præsertim, quando aliquid est commune pluribus, non vt collegiatis, sed vt singulis; quia tunc oportet consentire singulos, *ff. de seru. rust. præd. l. per fundum, cap. cùm omnes, de constitution.* etenim cũ agitur de interesse vniuscuiusq;

debent singuli consẽtire, *Tabien. ver. capitulum, & Felin. in d. c. cùm omnes*, à n. 28. vsq; ad nu. 34. ponit quatuordecim fallentias, quæ fetè omnes ex vna, & eadem distinctione soluuntur, an actus sit necessarius, vel voluntarius? Nàm si imminente necessitate fiat, sufficit, quòd in Capitulo interueniat consensus maioris partis; si autèm sit ex mera voluntate, interuenire debet consensus omnium; prout latè *ibid. Felin. & Abb. nu. 5.*

4 Quæ omnia per ius Canonicum decisa, vt suprà; habent ferè locum, & procedũt in omnibus Capitulis Religiosorum Mendicantium, in quibus Prælatorum electio fit per scrutinium; & præcipuè in nostra Religione Dominicana, in qua, tàm Priores Conuentuales, quàm Prouinciales, & Generales Ordinis Magistri, eliguntur à maiore parte vocalium, vltrà medietatem; prout habetur *in 2. distin. cap. 4. tex. 5. de elect. Magistri, fol. 131. & de electione Prioris Conuen. cap. 2. tex. 2. fol. 110.* quo itèm modo, eliguntur Diffinitores, & deciduntur omnia alia qualitercunq; spectantia ad Ordinem, & Cõmunitatem, & similia, quæ solẽt fieri in Capitulo.

Quæ nàm sit pars maior, & sanior Capituli, & quomodò cognoscatur? Quæst. 9.

1 ET dico, quòd maior pars Capituli, censetur illa, quæ relata ad totum Capitulum, excedit, saltem medietatem votorum omnium eligentium; non autèm illa, si quæ sit, quæ excederet aliam minorem partem eiusdem Capituli, v.g. si in Collegio, vel in aliqua Vniuersitate, inueniãtur triginta electores, quorũ quindecim eligãt vnũ, & octo eligãt aliũ, & ceteri eligãt tertiũ; in tali, & simili casu, nulla reperitur electio Canonica, nec legitima, & iuridica; quia inter essentialia electionis Canonicæ, hoc est principale, vt fiat à maiori parte omnium eligentium, existentium in Capitulo: in casu autèm posito, nullus illorum trium, fuit electus à maiori parte Capituli; quia in exemplo iàm dicto, maior pars, respectu totius Collegij, sunt ad minus sexdecim vota, non autem quindecim: prout expresè habetur in *cap. Ecclesia vestra destituta Pastore, de elect. & ibi Gl. & Abb. & Bald. & Decius in cap. cùm omnes, de constitutionib. & idem Abb. in cap. quoniã, & cap. final. de iur. patron. col. penult. & Lucas Castell. de elect. Canon. cap. 17. nu. 37. & Rodr. tom. 1. q. 41. ar. 1.*

2 Sanior autèm pars Capituli, illa pariter censetur esse, quæ est maior, respectu totius Capituli, & comparata omnibus vocalibus, habet in se maiora vota omnium eligentium; prout dicitur in *cap. dudùm ad audientiam nostram, il primo, de elect.* vbi *Gl.* notat, *quòd numerus, qui multùm excedit, præfertur authoritati*, & in *d. cap. Ecclesia vestra, de elect.* vbi expresè, tantùm habetur respectus ad maiorem partem Capituli, & ad nihil aliud, per illa verba: *licèt maiorem partem facerent, partium comparatione minorum; non tamèn ad maiorem partem Capituli peruenerunt, &c.*

3 Et hoc ideò, quia maior pars, censetur sanior, vtputà, zelo, & pietate, & ratione mota; quia vbi maior numerus, ibi maior zelus; & eò magis hodiè in Religiosorũ Capitulis, in quibus per scrutinium, & vota secreta, quæ in vrna confunduntur, eliguntur Prælati, suppressis nominibus eligentium, vt patet ex quotidiana praxi.

4 Proindè semper pars maior, vti sanior reputatur, *Sylu. in ver. capitulum, q. 1. nu. 2. & eod. verbo Tabiena, & Castell. de elect. cap. 5. num. 49.*

Authoritas, & potestas Capituli, an possit in aliquo casu reperiri, & esse in minori parte Capituli, aut etiam in vno solo vocali suffragante? Quæst. 10.

1 QVàmuis potestas Capituli de iure, ac regularitèr stet, & conseruetur in maiori parte Capituli, iuxtà decisionem *cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.*

2 Nihilominùs, per accidens, hoc est, in casu, quòd maior pars Capituli delinquat, sua priuatur potestate; & ius eligendi, ac decidendi, deuoluitur ad pauciores; prout expresè habetur in *cap. gratum gerimus, de postulat. præl. & c. cùm nobis olim, & cap. bonæ memoriæ, il primo, de elect.* & docent cõmunitèr *DD.*

3 Quæ autèm sint ista delicta, ob quæ maior pars priuatur iure eligẽdi, vide in supradictis *Capitul.* vbi multa reperies; quorum vnum, si electores eligant indignum, quo casu, paucorum electio sustinetur; dũmodò sit de idonea persona, *Sylu. & Tab. ver. Capitulum, num. 1.*

4 Quamobrèm, si vno excepto, omnes alij de Vniuersitate, vel Capitulo moriantur, vel suis abrenuncient votis, vel delinquant (hæc enim omnia æquipollent in casu, de quo agitur) iste vnus, qui nõ obijt, nec deliquit, nec suo renunciauit voto, poterit absq; dubio, extraneum eligere, eaq; omnia

omnia tractare, agere, ac terminare, quæ spectant ad totum Capitulum; quia in tali casu, in isto vno solo conseruatur ius totius Vniuersitatis, & Capituli. Cęteri verò censentur mortui, ac voce priuati; quod est valdè notandum; prout docent præcitati *Doctores*, adiuncta *Gl. in d. cap. gratum, de postulat. prælat.*

5 Proindè, si contingat, omnes Cardinales exire Conclaue, prætèr vnum, ille solus poterit de iure cōmuni eligere Romanum Pontificem, prout *Gl.* singularis aduertit in *ver. omnes, in Clem. ne Romani, de elect.* & docet per multa *Martin. Laud. in tract. de Cardin. concl. 24.* hodiè tamèn circa hoc debent obseruari *Constit. Greg. XV. & Vrb. VIII.*

6 Ità similitèr, si omnes electores de Capitulo exeant, instante tempore citatæ, ac determinatæ electionis, & vnus solus remaneat; hic satis erit, & cęteris seruatis seruandis, benè poterit eligere, cuius electio sustinebitur; quia iste vnus, qui remansit, non debet suo iure priuari, sine propria culpa; qui tamèn non poterit eligere seipsum, sed extraneum, prout expressè habetur in *cap. per tuas, de iur. patronat. & cap. Cumana & cap. quia propter, & cap. final. de elect.* & docent *Hostien. in sum. tit. de elect. §. qualiter, & quando, col. 13. ver. ego puto,* & *Rodriquez tom. 2. q. 53. art. 11.* & *Castell. in tract. de elect. cap. 5. num. 43. & num. 86.* vsq; *in finem.*

7 Et hoc totum colligitur ex *l. sicut, ff. quod cuiusq; vniuers. nomine*; qua cauetur, mortuis omnibus de Vniuersitate, aliquo tamèn superstite, potestatem talis Vniuersitatis remanere penès superstitem, quod sine controuersia docent omnes *Iuristæ*.

8 Hinc item colligitur, quòd extinctis omnibus Religiosis alicuius Religionis, vna tamen persona superstite, adhuc illius durant priuilegia; quia Collegia, Vniuersitates, & similia corpora, censentur semper viuere, etiam si ad vnam personam redigantur; prout *Gl. in d. cap. gratum, ver. pauciores,* & *Bart. in d. l. sicut,* & docet post multa *Bald.* in sua *Margarita, ver. Collegium,* & Nos diximus suprà in *tract. 5. de causa actiua, & passiua priuileg. q. 9.*

Minor pars, si fortè dissentit, an teneatur subscribere determinationi factæ à maiori parte Capituli? Quæst. 11.

Dixi in *par. 2. tract. 14. de reb. Monast. non alienandis, q. 16.*

Sed pone, quòd quis non vult consentire determinationi factæ à toto Capitulo, ex quo est iniusta, verùm, ne sibi Prælatum odiosum reddat, subscribit; an in foro conscientiæ, det in pœnas appositas determinationi iàm factæ? Quæst. 12.

Dixi *ibidem, quæst. 17.*

Capitulum, an rectè, & validè concludat actum suum, in casu, quòd in concluso, & decreto non fuerint præsentes duæ partes, ex tribus, quæ interesse debent? Quæst. 13.

1 Quæstio hæc est grauis, & digna notatu, quia frequens in vsu; & circa eam variant *DD.*

Diximus suprà, & benè; quòd ius Vniuersitatis, vel Capituli, in vno solo conseruatur, vt in *l. sicut, §. final. ff. quod cuiusq; vniuers. nom.* hoc tamèn procedit per accidens, quando scilicèt alij non reperiuntur, aut delinquūt, aut moriuntur, vt dictū est.

2 Verùm, dato, quòd omnes de Capitulo, qui vocandi erant, vocati fuerint ritè, & rectè ab eorum Superiore; an actus Capitularis, fit, & possit esse validus, nisi in eo saltem fuerint præsentes duæ partes eorū omnium, qui sunt vocati, vel de iure vocandi sunt ad Capitulum venire?

3 Et quidèm grauissimi *DD.* numero non pauci, docent ad hoc, vt acta Capituli valeant, requiri consensum duarum partium vocalium, præsentium in Capitulo; dummodò hi præsentes constituant duas partes eorum omnium, qui habent vocem, & deberent interesse, ità *Abbas in cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à miori parte Capituli, num. 16.*

4 Et hoc ideò, quia duæ partes totam repræsentant Vniuersitatem, vt dicitur in *l. nulli, & l. planè, ff. quod cuiusq; vniuers. nom. l. 3. Cod. de decretis ab ordine faciend. l. nominationum, Cod. de Decurionibus, lib. 10. Bartol. in l. quod maior, ff. ad municip. & in l. obseruare, C. de Decurion.*

Id ipsum fatetur *Domin. in cap. vni, §. si verò, de Cleric. Ægrot. in 6. Decius in cap. cū omnes, nu. 51. de Constit. & ibi Felin.* vbi, hanc dicit esse communem opinionem *Iuristarum, & Canonistarum* omnium, *nu. 56.*

5 His tamèn non obstantibus, in Capitulis Religiosorum, satis est, vt actus gestus fiat à miori parte existentium in Capitulo, etiam si ista maior pars non faciat

duas partes eorum omnium, qui fuerunt vocati, & ad quos de iure spectabat, rebus Capitularibus interesse; dummodò nullus fuerit contemptus.

6 Quod totum probat *Imola*, procedere de iure Canonico, *in cap. humilis, in 4. col. de maior. & obedien.* & in hac re, magis standum est iuri Canonico, quàm iuri Ciuili; prout autumant *Abb. & Felin. in cap. quia propter, nu. 5. de elect.*

7 Proindè in omni casu, quo absentes vocati, noluerunt, vel non potuerunt venire, non sunt computandi inter vocales, nec possunt electionem impedire; prout habetur expresse in *cap. quod sicut, de elect.* & docet *Gl. in Clem. quod circa, de elect. & in cap. cùm nobis, eod. tit. de elect.* vbi clarè habetur, quòd vocati ad Capitulum, tempore electionis à iure statuto à legitimo Superiore, si renuant venire, faciunt se alienos, & huiusmodi renuentes venire, computandi sunt, non in numero absentium, sed in numero eorum, qui non sunt ampliùs vocandi de iure, quòad illum actum, & docent *DD. in d. cap.* & præsertim *Panorm. nu. 3.*

8 Hinc electio, in tali casu concorditèr facta, vel à maiori parte vocalium existentium in Capitulo, valet, & est optima, & practicatur in nostra Religione, & docet *Castell. de elect. cap. 8. nu. 11.*

9 Insupèr, instante vltimo tempore electionis, duabus partibus recedêtibus à Capitulo, pars illa, quæ remanet, licitè, & sanè poterit eligere, *Panor. in cap. cùm nobis, de elect. nu. 10.* & *Sylu. ver. elect. 3. nu. 12.* & *Tabien. eod. ver. num. 4.* & habetur in nostris *Constit. tex. 3. de elect. Prior.* ac etiam *tex. 1. de elect. Magistri Ord.* vbi dicitur, electionem Priorum, tàm Conuentualium, quam Prouinciaîiũ, & aliorum Prælatorum, spectare ad illos tantùm electores, qui personalitèr præsentes in electione contingerit esse.

An Capitulum, in materia electionis, possit alteri vices suas committere? Quæst. 14.

1 DE iure communi respondent affirmatiuè *DD.* dummodò omnes, & singuli de Capitulo compromittant, nemine discrepante, secus autem, si vnus solus dissentiat, *Archid. in cap. Episcop. 16. q. 7. & ibid. Hugo,* & habetur expresse in *cap. quia propter de elect.* ibi, *vel saltèm eligendi potestas aliquibus viris idoneis cõmittatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore,* hæc ibi.

2 Vbi licèt dicatur, aliquibus; vni tamē committi potest, etiam si sit extrà Capitulum, *Gl. in cit. loc.* & habetur expresse in *cap. causam, quæ, eod. tit. de elect.* vbi electio commissa Episcopo A. sustinetur; quia hoc non est de forma; immò meliùs potest expediri per vnum, quàm per duos, *Gl. vbi suprà.*

3 Dixi, secus si vnus dissentiat, tùm quia *Decretal.* ait, *vice omnium, &c.* & alitèr electio facta, non valeat, & contra *textum* clarũ non licet obijcere; tùm etiã, quia cùm quilibet de Capitulo habeat vocem in electione, non debet priuari iure suo, nec aliquis debet compelli ius suum dare alij, *C. de contrahen. empt. l. inuitum, & l. in vẽdendis,* & docet *Gl. in d. c. quia propter.*

4 Quod amplia ad omnia alia Ecclesiarum negotia, quia cùm compromissum sit res voluntaria, *l. si dictum, ff. de euict.* omnes consentire debent, vt dicitur in *c. cũ omnes, de Const.* vndè malè faciunt illi Regulares, qui negotia Capituli, de consensu maioris partis vocalium, committunt aliquibus; quia compromissum, vt dictum est, debet fieri de consensu omnium, & singulorum, nemine discrepante: secus autem, res per compromissarios facta, non valet: prout autumant multi *DD.* grauissimi, quos allegat, & sequitur *Megal.* in suo *prompt. ver. Capitulum, nu. 5. in fin.*

Capitulum, de consensu maioris partis, an possit concedere, vt qui non habet vocem in Capitulo illam habere possit, & consequentèr suffragari, vt cæteri? Quæst. 15.

1 NEgant *Nauar. cons. 2. nu. 2. de Consuetud. Vinc. de Franch. decis. 2. nu. 22. Gl. in cap. quia propter, in ver. vice omnium, de elect. Valpes* in sua *praxi for. Eccl. cap. 13. nu. 34.* nisi totum Capitulum concors sit, & nullus discrepet; quia agitur de præiudicio singulorum.

2 Verum Ego respondeo absolutè negatiuè; etiam si omnes consentiant, quòad votum electiuum Prælatorum Regularium, ex quo in electione, & Capitulo, illi tantùm debent esse præsentes, quibus de iure Canonico, vel speciali competit, interesse; nec stat in posse Capitulantium, aliquem habilitare ad eligendum: nisi iuxtà statuta & Priuilegia à Papa concessa; & colligitur ex *d. cap. quia propter,* ibi, *qui debent interesse, &c.*

3 Et proindè Vicarius electionis, expresse protestatur in Capitulo electionis, se nolle admittere, qui de iure non est admittendus; nec se velle excludere, non excludendum.

4 Benè

4 Benè verum est, quòd in aliquo casu, posset quis admitti in adiutoriũ, & consultationẽ, qui habebit ius cõsultiuũ, nõ autẽ decisiuũ, seù ius directiuũ, nõ autẽ electiuũ.

5 Secus electio redderetur nulla, vtpotè celebrata contra formam *d. cap. quia propter*, vt *ibid. Abb.* notat *nu.* 3. & *Megal. in prompt. ver. Capitulum, nu.* 4.

Capitulum, an possit supplere voces absentium? Quæst. 16.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. 6. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* ibi, *nec in posterùm liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque, &c.* & talitèr electus, fit ipso facto, inhabilis ad omnia officia, in Religione obtinenda, & pœna hęc incurritur, antè sententiam Iudicis, secundùm *Rodr. in sum. cap.* 104. *n.* 10.

Præses Capituli, an possit in eo eligi ad aliquod Officium? Quæst. 17.

1 NEgatiuè *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 22. ar. 7.* & *Castell. de elect. c. 13. n. 30. & sequent.* tũ quia, ob timorem, & reuerentiam ipsius, electio non censeretur omninò libera; tùm etiam, quia præsumitur fraus, & dolus. Cętera verò, quæ pertinent ad authoritatem Capituli, vide suprà *par. 2. in tract. de rebus Monasterij non alienandis*, & infrà in *tract. de authoritate Prælati.*

SVMMA QVAESTIONVM, Tract. III. De Tempore Electionis.

DE TEMPORE ELECTIONIS Tractatus III.

Electio quando, & infrà quod tempus sit celebranda? Quæst. 1.

1 REspondeo, quòd electio tunc facienda est, quando Ecclesia est viduata, vt dicitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore*: & tunc dicitur viduata, quando vacat suo legitimo Pastore.

2 Hæc autem vacantia, potest fieri multiplicitèr; nempè per mortem, renunciationem, translationem, & proprij Prælati remotionem, vt expresè dicitur in *cap. inter corporalia, secundo, de translat.* ibi, *cùm per translationem, depositionem, aut cessionem*, & notat *ibi Glos. in casu*, & *Castell. cap. 13. nu. 2. de elect.*

3 Et debet in tali casu, cessante legitimo impedimento, ab electoribus fieri, infrà tres menses, alioquin deuoluitur ad Superiorem proximum, & si ipse infrà idem tempus, non elegerit, deuoluitur ad alium Superiorem, & sic successiuè, vsquè ad Papam,

pam, vt dicit *Sylu. ver. elect. 1. q. 6. num. 7.* & *Miranda tom. 2. Manual. Prel. q. 23. art. 10.*

Et habetur expresse in *cap. ne pro defectu, 41. de elect.* ibi, *statuimus, vt vltrà tres menses, Cathedralis, vel Regularis Ecclesiæ, Prelato non vacet, infrà quos, iusto impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestatem careant ea vice.*

4 Quod trimestre est successiuè compputandum à die intimatæ vacantiæ: tempus enim non currit ignoranti, *l. 2. C. qui admitti,* & docet ex multis *Riccius 1. p. praxis, tit. de iur. patron. resolut. 172.* & ob id debet ab eo, ad quem pertinet; Electoribus intimari, *Tamb. tom. 1. de iur. Abbat. disput. 5. quæst. 7. nu. 4.*

5 Verùmtamen Regulares, in hac parte, non tenentur stare huic tempori, à iure communi præfixo, sed debent eligere secundùm ipsorum Statuta, ex speciali iure, Minoribus indulto à *Clem. IV.* ibi, *quòd in electionibus tempus, super hoc, à iure statutum, ipsis non currat, nec in hac parte, iuris huiusmodi Regulis coarctentur,* & refert *Cæsarub. in comp. ver. elect. §. 4.* & per extensum habetur in *Monum. Ordin.* in prima impress. *fol. 56.* & in secunda, *f. 134. concl. 302.*

6 Nec non idem ab *Alex. IV.* fuit concessũ Ordini Prædicatorum in *Bulla,* incip. *Cùm h..*; & habetur per extensum in *Bull. vsus Maris, pag. 38. lit. P.* & à *Sixto IV.* in *Mari magno,* in eod. *Bull. fol.* mihi 150. *lit. P.* quæ quidèm priuilegia extenduntur ad omnes Regulares, qui nobiscum communicant in priuilegijs.

7 Sed aduerte, quòd præfata priuilegia loquuntur de electione Magistri Ordinis, & Priorum Prouincialium, non autèm Conuentualium.

8 Quàpropter meliùs dices, quòd electiones cuiuscũq; Ordinis, dirigendæ sunt, secundùm propria instituta; prout colligitur ex *Clem. Exiui, de verbor. signif.* & constat ex *Decretis* editis à *Clem. VIII. de reformat. Regul. §. 36.* & ex alijs *Bullis* specialibus, per quas iuri communi derogatur.

9 Hìnc Electores in Dominicana familia, tenentur à die intimatæ carentiæ, infrà mensem eligere Priorem Conuentualem, iuxtà declarationem *tex. 5. lit. O. cap. 2. de elect. Prior. pag. 112. col. 3.* alioquin electio deuoluitur ad P. Prouincialem.

Electio celebrata, post elapsum tempus, à Iure communi, vel speciali præfixum; an sit nulla? Q. 2.

1 Affirmatiuè deciditur in *cap. ne pro defectu 41. de elect.* & specialitèr habetur in *cap. 2. de elect. Prioris Conuent. in Ordine Prædicatorum, tex. 5.* ibi *si infrà mensem, non elegerint, vel postulauerint, Prior Prouincialis prouideat.*

2 Sed aduerte, quòd deuolutio huiusmodi, iuxtà dispositionem *d. cap. ne pro defectu,* non habet locum, nisi in casu negligentiæ, vt liquet ibi, *dummodò hoc proueniat ex sola eorum negligentia,* quia legitimè impedito non currit tempus.

3 Attamèn in Religione Dominicana, præfatum tempus vnius mensis ad eligendum, nedùm procedit in casu negligentiæ; verùm etiam, in omni casu, quo Electores alicuius Conuentus, non eligant infrà mẽsem; quia *d. text.* loquitur simplicitèr, & absolutè, quod intellige verum, si hoc cautum sit authoritate Apostolica, secùs dicendum foret, quod tempus in *d. Constit.* præfixum, debet interpretari per ius commune; tùm quia, Capitulum Generale non potest quidquam statuere cõtrà ius commune, vt sæpè dicimus; & docet *Nauar. tom. 1. consil. lib. 1. consil. 5. nu. 1.* & habetur in *cap. 1. de maior. & obed.* tùm etiam, quia Religio Dominicana, in materia electionis, in nihilo exorbitat à iure communi, prout fusè *Castell. cap. 14. de confirmat. nu. 5.*

An possit tractari de successore, antè mortem Prælati? Quæst. 3.

1 Negatiuè dic; quia quandiù viuit Prælatus Ecclesiæ, licèt eius vita desperata sit; tractatus non tantùm est illicitus, sed etiã inualidus, *cap. bona 36. de elect.* Ecclesia enim pro inconuenienti habet, eligi Prælatum, aut de electione tractari, antequàm Sedes vacet; sicut durante coniugio, concessum non est pacisci de nouo matrimonio contrahendo, nisi post mortem coniugis; quia tale pactum censetur contrà bonos mores, & cùm occasionem mortis machinandæ, præbere soleat, argum. *cap. sicut 39. caus. 7. q. 1.* omninò vetatur.

2 Quamobrèm, citatio, seù vocatio ad electionem peragendam, emissa antè mortem Prælati, est ipso iure nulla, nec astringit vocatos, quia censetur facta à nõ habentibus authoritatem citandi.

3 Nec quidèm post mortem potest valere, quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere, vt dicitur in *Regula Iuris 29. in 6.*

4 Nec dices, quòd dispositio facta tempore inhabili, subsistere potest, si cõferatur in tempus habile, ex *cap. de vxore 7. de sepulturis,*

turis, quia hæc Regula fallit in casu nostro, vt constat ex præallegatis iuribus.

5 Non desinam tamen dicere, quòd licèt iure vetitum sit, tractare Capitularitèr de successore, antè mortem Prælati: nihilominùs prohibitum non est, extrà Capitulum, vel etiam in Capitulati Conuentu, incidentèr, ac veluti per accidens mentionem facere, de certa persona substituenda, post mortem Prælati; cùm talis mentio nō fiat in ordine ad Decretum definitiuum. *Layman de elect. Prælat. cap. 4. q. 30.*

6 Verùm Ego abstinerem omninò; ex quo omnis tractatus, quomodòcunq; habendus in ordine ad successorem, antè mortem Prælati, repetitur prohibitus; & constat ex coniugio carnali, à quo arguere ad spirituale, tenet argumentum; *cap. inter corporalia 2. de translat. Episc.*

Electio, an debeat fieri statim, sequuta morte Prælati? Quæst. 4.

1 REspondeo, quòd electio non debet fieri antè mortem Prælati, nec antequàm eius corpus sit traditum sepulturæ; alioquin facta, non valet; prout habetur expressè in *cap. bonæ memoriæ 36. de elect.* ibi, *tùm quia corpore d. Episcopi, nondùm tradito sepulturæ, habuerunt de ipsa electione tractatum*: verùm *Gl. ibid. in ver. tractatum* ait, quòd electio in *d. cap.* non fuit cassata, ob hoc tantùm, sed ex alio capite, quod dictum amplectitur *Sylu. ver. elect. 1. q. 6. nu. 7. Rodriq. tom. 2. q. 52. art. 14. Miranda tom. 2. q. 23. ar. 10. concl. 10.* eò magis, quia Regulares quoàd pūctum, de quo agitur, non coarctantur Regulis iuris communis, vt constat ex præcit. *priuil.* ergò si habuerint tractatus de eligendo successore, Prælato mortuo, non tamèn sepulto, potest sustineri.

Electio, an debeat fieri illicò, habita renunciatione Prælati? Quæst. 5.

1 REspondeo, quòd si Prælatura ex renunciatione vacet, non possūt Electores, successorem eligere, antequàm renūciatio non fuerit acceptata, & approbata à Superiore illius, qui renūciauit; alitèr electio nulla foret: quia per solā renunciationē Prælati, nō dicitur Ecclesia viduata; *Panor. in c. ad aures, n. 7. de his, quæ vi, met. caus. fiunt*, & fusè *Ricc. p. 3. praxis, resol. 399.* Immò, vbi renūciatio acceptata fuerit per Superiorē renunciantis, adhùc datur locus pœnitentiæ, si res sit integra, & placuerit Prælato, renunciationem habitam remittere, vt infrà dicam.

Electionis terminus, à Iure, vel à Constitutione præfixus ad eligendum, an possit coarctari, & breuiari? Quæst. 6.

1 ET dico, quòd sic; dummodò tempus à iure præfixum ad eligendum, coarctetur de voluntate duarum partium Capitulantium, & fiat ex iusta causa, *Syl. ver. elect. 1. q. 7. nu. 8.* vbi *in fin.* dicit, *& sic concordā Doctores scribentes in cap. cùm inter vniuersos, & cap. cùm à nobis;* & sequitur *Miranda tom. 2. Manual. q. 23. art. 10. concl. 4. in fin.*

2 Et practicatur in nostro Ordine, vt in qualibet die Mensis determinari ad eligendum Priorem, Electores possint in vnum conuenire, & successorem eligere: tempus enim à iure stabilitum, nequit prorogari, at benè potest breuiari, quia totum tempus medium ad eligendum, subest voluntati eorum, qui habent ius ad suffragandum.

3 Hinc citatis, atq; vocatis vocalibus, per P. Vicarium electionis ad eligendum futurum Prouincialem, in futura vigilia Pentecostes, in Conuentu N. vt moris, & iuris est; si ob aliquam iustam causam, propositam à Præsidente Capituli, & coràm congregatis examinatam, & acceptatam à maiori parte Capituli, seù à duabus partibus interessentium, vel eorum, qui debent Capitulo interesse, fuerit mutata Dies præscripta, in præcedentem; & dictum fuerit, quòd ad electionem prædictam procedatur, Die Veneris antecedente vigiliam prædictam, poterint Electores huiusmodi licitè, ac iustè, successorē eligere, licèt aliqui pauci fuerint absentes, & minimè expectati ad eligendū, in Die breuiata, in casu posito.

4 Et secundùm hæc respondi, cū essem in Comitatu Reuerendiss. P. Nicolai Rodulfij, sub anno 1637. consultus super electione P. Prouincialis, electi ad regimen nostræ Prouinciæ Apuleæ: fuit enim citatum Capitulum de more solito, ad eligendum in Conuentu N. Die N. & congregatis vocalibus in loco, & tēpore debito, vno tamē Priore excepto, qui erat tardi motus, visum fuit omnibus, ob pestē, quæ imminebat, terminum præfixū ad eligendum coarctare, & breuiare, ac proindè Prouincialem eligere in Die præcedente; prout de communi consensu elegerunt.

Verùm ille Prior, qui remansit eligere, se contulit coràm præfato Reuerendiss. dicebatquę, quòd electio talitèr facta, non

debeter

deberet confirmari, ex quo ipse erat vocalis, & non fuit expectatus in finem termini præfixi à P. Vicario electionis, & quòd quãdo vnus solus vocalis reperitur contẽptus, electio est nulla.

Ego autem replicabam, quòd fuit vocatus, & per ipsum stetit, non velle cum alijs reperiri; & subnectebam, quòd vocatio electorum absentium, nõ est de forma, sed de iustitia electionis, & quòd Dies stabilita, fuit præuenta ex causa summæ necessitatis; nempè, vt quantocitiùs liberarentur à peste, quæ imminebat; & quòd causa extremæ necessitatis, non subditur legi, & quòd vtile per inutile non vitiatur: Ergò estò, quòd adfuisset in cętu eligentiũ, & quòd fuisset contrarius electioni prædictæ, faciendæ antecedentèr ad Diem præscriptã; adhuc in nihilo nocuisset; quia votum vnius, dictum nullius.

Hinc prefatus Reuerendiss. seruatis seruandis, confirmauit electionem præfatam, de qua idem Prior, qui suprà, appellauit ad Eminentissimum nostrum Protectorẽ, qui ęquo iudicio, auditis iuribus, dixit, malè appellatum, & per Reuerendiss. P. nostrum Generalem, benè fuisse iudicatum.

Electio Canonica, an fieri possit nocte? Quæst. 7.

1 DE hac re, in facti contingentia, fusè scripsit *Nauar. cons. 2. de elect.* in 1. edition. eumq; sequitur *Rodriq; tom. 2. q. 51. ar. 15.* cum suo *Comp. resol. 58. nu. 19. Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 23. ar. 12. concl. 1. Portell. in dub. ver. electio, n. 5. Cucbus l. b. 4. instit. n. 22. eod. tit.* & alij plures, quos allegat, & sequitur noster *Samuell. tract. 1. disp. t. controu. 19. de electio.*

2 Ex quibus collige, quòd electio faciẽda per vota secreta, & in qua seruanda est forma scrutinij, iuxtà dispositionem *cap. quia propter, de elect.* regularitèr non potest fieri noctis tempore; tum quia, redderetur clandestina, & consequenter nulla, ex *d. cap.* ibi *electiones quoq; clandestinas reprobamus;* tùm etiam, quia iuxtà veritatis testimonium, qui malè agit, odit lucem.

3 Noctis autem tempus, illud intelligitur, quod incipit post significatam *Aue Maria, Nauar. cit. loc.* & colligitur ex *cap. cõsuluit 24. de offic. & potestate Iudic. Delegat.* ibi, *Nos tamẽq cam procedendi horam congruã intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras, perficere, quod incumbit.*

4 Dixi regulariter, quia ob causam vrgentem, & grauem, potest licitè, ac validè celebrari de nocte; dummodo adsint tria luminaria, nè in dandis suffragijs, & conscribendis schedulis, committatur aliquid contrà *Sacros Canones*, & *Conc. Trid.* & nè detur locus fraudibus, & dolis; *Rodriq. & Miranda cit. loc.*

5 Causa verò grauis, vrgens, & necessaria, poterit esse, si per Diem, maior pars Capituli, haud concors fuerit, & sequenti die, eligendi potestas, peritura sit, & ad Superiorem mox deuoluitur, vel si imminet periculum, vt Congregatio dissoluatur, vel si expectentur literæ, quæ forsàn possent eligentium libertati præiudicare, vel quid simile: in tali casu, electio potest, vt suprà fieri, noctis tempore; quia necessitas, legem non habet, *Samuell. cit. loc.*

6 Verùmtamen, si versamur in electionibus, ac prouisionibus, in quibus non est seruanda dispositio *d. cap. quia propter*, poterint fieri de nocte, licèt non simus in casu necessitatis, sicut, & omnes alij actus iudiciales, qui in iurę non reperiuntur vetiti noctu fieri.

Electionis tempore præfixo, & neglecto ab eo, ad quem spectat, electores conuocare; quid agendum? Q. 8.

1 REspondeo, quòd hoc casu debent attẽdi statuta, & obseruari *Constitut.* Religiosorum: in Ordine Prædicatorum, ex *cap. 2. de elect. Prior. pag. 106. col. 2.* obseruatur, quod si maior pars electorum petierit à Superiore, vel Vicario, vt congreget Capitulum ad electionem, & ipse renuerit; tunc antiquior ex omnibus Electoribus, post tertium, vel quartum Diem, à notitia carentiæ Prioris, poterit congregare Capitulum, & validè ad electionem procedere, quòd si iste noluerit, alius atiquior post ipsum, & sic de cęteris, donec ad electionem procedatur.

2 Et habetur expressè in *cap. 1. de suppl. negl. Prælat.* vbi Papa determinat, vt si Diœcesanus tertiò cum humilitate, & deuotione requisitus, Abbatem Monachorum, benedicere non vult, posse Abbatem, ac si benedictus esset, omnia ea exercere, quæ ad officium suum spectant.

3 Et ratio esse potest, quia hæc benedictio, non est de forma; ità à pari dicendum est de conuocatione Electorum per Subpriorem, vel per alium, aut per sonum Campanulæ, vel per quid simile, quia non sunt de substantia Electionis, sed de extrinsecis, & accidentalibus eiusdẽ, parum refert, quòd isto, aut illo modo congregentur.

4 Dixi, quòd debent attendi Instituta; quia

quia si hæc ibi præciperentur cum illa clausula, *non aliter, nec alio modo*, essent de forma, & prætermissa, læderent intrinsecè.

Electio in qua hora Diei fieri debet? Quæst. 9.

1 Respondeo, quòd regulatitèr debet celebrari de mane, post Missam de Spiritu Sancto, & antè Prandiū; quia in electionibus sobrietas desideratur, *Mundagot. in tract. de elect. noui Prælati, cap. 2.* & *Tamb. tom. 1. de iur. Abbat. disp. 5. q. 7. num. 7.* Et ità fermè apud Regulares practicatur; si tamen Missa de Spiritu Sancto omittatur, non irritat electionem, quia, vt dictum est, non est de substantia electionis, sed de præambulis.

Electio, si fiat in Die festo, an valeat? Quæst. 10.

1 Affirmatiuè dic, nàm eligere, & electum confirmare, non sunt actus iudiciales, sed extràiudiciales: & quamuis forent iudiciales, non ideò irritarent electionem, & confirmationem electi; tùm quia, Regulares, ex multis priuilegijs sibi concessis à Summis Pontificibus, non tenentur, vt laici, ad Apices iuris; tùm etiam, quia eligere Prælatum, eumq; confirmate, sunt actus concernentes Ecclesiæ pietatem, fauorem, vel necessitatem: causa verò pietatis, & necessitatis, excluditur à violatione præcepti Diei festi, si fiat in Die festo, prout expresfè dicitur in *cap. conquestus, vlt. de ferijs*, ibi *nisi necessitas vrgeat, & pietas suadeat*, in quo *ver. glos.* subnectit, putà, causa debilium, vel miserabilium personarum, appellatione quarum, præcipuè venit Ecclesia.

2 Quod amplia ad impugnationes, si quæ fiant, in Die festo, contrà electiones huiusmodi, ob eandem causam; etenim fieri possunt ad bonum finem, nempè intuitu Diuini cultus, & Ecclesiæ vtilitatis, ad hoc, vt ei prouideatur de bono Prælato, qui sit Pastor, & minimè mercennarius.

SVMMA QVAESTIONVM, Tractat. IV. De Electoribus.

DE ELECTORIBVS

Tractatus IV.

Electio Prælati Regularis ad quos spectat? Quæst. 1.

1 RESpondeo, quòd de iure communi, pertinet ad Congregationem, seù Collegium Ecclesiasticum, vt dicitur in *Can. Congreg. 2. caus. 16. q. 7.* & *Can. Abbatem 3. 18. q. 2.* ibi *communi consensu Cõgregatio tota poposcerit*, & in *c. cũ terra 14. de elect.* ibi *Electores in vnum locum, in quo fuerit Electio celebranda, conuenians*, vbi *Glos. in fin. casus*, ait, *nota, quòd ius eligendi in Collegiata Ecclesia, pertines ad ipsum Collegium, cap. 1. de elect. & cap. cùm dilectus, de consuet.* quod intellige, proportionabilitèr, hoc est, Conuentualis Prælati ad Conuentum, Prouincialis ad Prouinciam, & Generalis ad totum Ordinem.

2 Sed aduerte, quòd non omnes Religiosi faciunt Collegium, & constituunt Capitulum, quamuis subsint vni Prælato, & iussu eiusdem, diuersis officijs reperiantur destinati; prout expressè deciditur in *cap. dilecta 14. de excess. Prælat.*

Sed illi tantùm, qui secundùm Sacros Canones, & propria statuta, habent requisita ad capitularitèr interessendum actibus, & negotijs Capituli.

Vndè *Gl. in d. cap. in fin. casus*, notat,

quòd

quòd qui non sunt vnũ corpus, nec faciunt vnum Collegium, non debent habere commune sigillum.

3 Dixi, de iure communi, quia de speciali, electio sæpè fit à Diffinitorio, à Prouinciali, eiusq; Socijs, & similibus,

An meliùs sit, & magis expediat, Electionem fieri à pluribus de Collegio, quàm ab vno solo Prouisore? Quæst. 2.

1 Resolutio dubij, pendet ex eo, an id, quod fit à Parlamento totius Vniuersitatis, sit præstantius eo, quod fit ab vno solo concinij? seù an decisio, & prouisio conciliaris vniuersalis, sit melior, ac tutior ea, quæ fit ab vna singulari persona?

Et cùm sit exploratissimi iuris, esse meliorem, & luce meridiana clarius, non debet verti in vtrum.

2 Nihilominùs ad maiorem cautelam, multipliciter probatur.

Primò, ex illo *Prouerb. 12. ver. 15.* ibi, *via stulti, recta in oculis eius. qui autem sapiẽs est, audit consilia*, & ex illo *Prouerb. 14. ver. 14.* ibi, *vbi non est Gubernator, aut vbi multa Consilia, &c.* Quem locum *Sancti Patres* vertunt in hæc verba, *vbi non fuerint consilia, corruet Populus, salus autem est in multitudine Consiliorum, seù Consultorum*. & ex illo *Prouerb. 15. ver. 22.* ibi. *dissipantur cogitationes, idest, conatus, vbi non est Consilium, vbi verò sunt plures Consiliarij, firmantur.*

3 Ex quibus euidentèr colligitur, quòd fęlix Regimen Vniuersitatis, Collegij, & Monasterij, pullulat à Consilio multorum Consultorum: infęlix verò à Consilio vnius singularis personæ.

4 Secundò, probatur ex *Scriptura Sacra noui testamenti*, & præcipuè ex illo *Pauli Apostoli 12. ad Rom. ver. 16.* ibi, *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, quod *Theodoretus* exponens, dicit, *nè vestra vobis Consilia sufficiant, sed aliorum Consilia accipite.*

Itèm ex illo *Actuum Apostolorum 1. ver. 22.* ibi, *& dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis,*

Translatio Græca legit, *suffragijs, & calculis omnium, coaptatus est*. Itèm ex illo eorundem *Actuum 6. num. 3.* ibi *elegerunt Stephanum, & alios, vt ibid. &c.* Quippèqui septem electi fuerunt à Discipulis, sed confirmati per Apostolos.

Itèm ex illo *Actuum 15.* ibi, *tunc placuit Apostolis, & Senioribus, cum omni Ecclesia eligere viros ex eis.*

Ergò tempore Apostolorum, electiones Ministrorum Ecclesiæ fiebant, eo ferè modo, quo nunc fiunt inter Regulares.

5 Tertiò, probatur ex iure communi Canonico, vbi habentur integri *tractat. de elect.* vt liquet in *Decret.* sub *Greg. 9. & in 6.* sub *Bonif. 9. & in lib. Clem.* sub *Clement. 5.* & in *lib. extrau. commun. Ioann. 22.* & in tot alijs *extrauagant.* quæ lyppis, & tonsoribus patent,

6 Quartò, probatur ex tot Concilijs Vniuersalibus, Prouincialibus, Metropolitanis, Diœcesanis, & similibus, quæ ad inuicem collecta, nec quinq; volumina capiunt; ex quibus clarè constat, quòd res graues, & arduæ, in omni loco, & tempore, de vniuersali vsu, & praxi Ecclesiæ, fuerunt digestæ, ac decisæ in Concilijs, & Congregationibus multorum Consultorum, & velle contrarium fateri, non est sapere, sed desipere, nè dicam irrationale, & temerarium; etenim velle inuertere consuetum ordinẽ, antiquum vsum, & vniuersalem praxim Ecclesiæ, plusquàm erroneum est.

7 Quintò, specialitèr probatur quòad modum eligendi Prælatum per modum scrutinij, tùm quia, electio Prioris Conuentualis de iure communi Canonico spectat ad Collegium, *cap. Congreg. 10. caus. 16. q. 7. cap. Abbas 18. q. 2. cap. cùm terra, de elect. cap. dilectus, de cõsuet. cap. Monachi, §. Priores, de statu Monacorum*, & dictum est suprà immediatè.

8 Tùm etiam, quia hoc præsupponitur in *cap. quia propter, de elect.* vbi præscribitur forma eligendi Prælatum, & extenditur ad electionem quorumcunq; Prælatorum Regularium, & in *cap. 6. Sac. Conc. Trid. sess. 25, de Regul.* innouatur, ità vt omnis alius modus eligendi, sit vetitus.

9 Tùm item, quia ità sanxerunt Sanctiores homines, qui speciali Dei nutu, fuerunt Religionum Capita, & Fundatores, vti sunt *Sanctus Benedictus*, Pater, & Institutor totius Ordinis Monachorum, in toto Occidenti, in *cap. 64.* suæ *Regulæ*, vbi expresse hæc habentur.

In Abbatis ordinatione, illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, seeundùm timorem Dei, siuè pars Congregationis, saniori cõsilio, elegerit; & loquitur, secundùm omnes *Expositores*, de electione Abbatis singulorũ Monasteriorum, & correspondet formæ datæ in *d. cap. quia propter. de elect.*

10 Et *Sanctus Basilius* Monachorum Orientalium Patriarcha, in *cap. 43.* suæ *Regula*, ait, *non qui sibi ipsi prælationem assumit, sed qui à cæteris, qui auctoritate, in Conuentibus præstent, electus sit, & satis magnum, in supe-*

superiori vita, documentum dederit probitatis morum suorum.

11 Et *Sanctus Augustinus* lumen Ecclesiæ in *Regula viuendi secundùm vitam Apostolorum*, quæ hodiè multorum Religiosorum effecta est propria, præsupponit, Præpositū, cui ab omnibus in Congregatione obediēdum est, debere eligi ab ijs, qui in Congregatione viuunt, prout tempore Apostolorum actum est.

12 *S. Dominicus* Institutor Ordinis Prædicatorum, voluit, vt Priores Conuentuales, à suis Conuentibus secundùm formam Canonicam eligantur, *cap. 2. tex. 1. de elect. Prior. Conuent.*

13 *S. Albertus* fundator Ordinis Carmel. *cap. 1.* ac vterq; S. Franciscus, nempè de Assisio, & Paula, vt in suis liquet *Regulis*, idem statuerunt; etenim de iure Naturæ, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

14 Tùm deniq; quia ità eligitur Summus Pont. fex, Caput, supremusque Iudex, & Gubernator totius militantis Ecclesiæ.

Licet nè ius commune mutare, contra antiquissimum vsum omnium Religiosorum venire, & contra tot *Sanctos* latrare?

15 Et tandèm, ratione probatur, quia Prælatus electus ab ijs, quibus est præfigendus, solet, & debet, virtute gratitudinis eisdem esse gratissimus, eorumq; defectus, si quos habent, libentiùs tolerare, paternè corrigere, & charitatiuè emendare.

16 Nec non, Electores huiusmodi, morem gerunt, obsequuntur, & ab impugnatione cauent: vnde *Leo 1. Epist. 84 cap. 5. ad Anastasium Thessal. Episc.* sapientèr ait, *nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, nè Ciuitas non optatum Episcopum, aut oderit, aut contemnat*, quæ ratio semper fuit valdè nimis à Summis Pontificibus æstimata, amplexa, & laudata, *cap. nullus inuitis, distin. 61. & cap. vota Ciuium, distin. 63.*

17 Ergo, euidentèr melius est, & magis expediens, vt Prælatus eligatur ab ijs, quibus debet præesse, quàm, vt ijs inuitis, vel ignorantibus, à P. Generali præfigatur, & deputetur.

18 Nec his obstant, quæ longa manu scripsit *P. Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. tit. de Institutione cęterorum Prælatorū Societatis Iesu. cap. 3. num. 1. & sequent.* vbi acritèr carpit talem modum eligendi, quia facilitèr soluuntur à *Castellino, cap. 7. de elect. nu. 14. & sequent.* & à *Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 3. nu. 54. & sequent.*

19 Nec dices, quòd hæc commoditas, quæ præsumitur nasci ab electione prædicta, non est multùm æstimanda, si comparetur cum incommodis, quæ inde sequuntur: licèt enim videatur commoda ijs, qui Superiorem elegerunt, erit tamèn valdè exosa, & incommoda ijs, qui non consenserūt.

20 Quia ijs, qui non consenserunt, non potest ex indè aliud malum oriri, etiam si persona inhumana fuisset electa; nisi trāslatio de vno Conuentu, in alium; quod non est tàm grande malum, quòd possit tot bona impedire, vti sunt, quies Religiosorum, augmentum Religionis, promptitudo animi seruiendi Prælato, & Choro, securitas, & tranquillitas mentis, & corporis, quibus nihil comparabile.

21 Immò retorquendo argumentum, dicam, quòd maiora incommoda nascuntur ab electione fienda à solo P. Generali, si ipse solus immediatè debeat instituere Prælatos Monasteriorum omnium sui Ordinis; tùm quia, cùm vnus Generalis, non sit per se sufficiens, ad cognoscendum omnes suos subditos, cogetur stare relationi aliorum, qui referunt, nō id, quod in se est; sed quod placet, & menti obijcitur, iuxtà illud, *amor, & odium non faciunt dicere verum*; ob quod interdùm videmus, bonos Religiosos otiari, & ineptos applicari, cui malo prouideri non potest, cùm simus in Mundo, in quo nihil certum, Morte excepta.

22 Tùm etiam, quia indigni, & immeriti, nescio quo spiritu, vbi aduertunt, quēpiam, ob sui merita, posse institui à P. Generali in Vicarium alicuius Congregationis, vel in Prouincialem alicuius Prouinciæ, frequentant literas mittere, ad finem impediendi; & sic fabricant in gehennam, ex quo infanda fantur, & gratis infamant Ordinem, & Personam.

23 Quod malum non procedit, si electio fiat ab Electoribus Capituli: hi namq; intuitiuè sciunt bonos, & malos, nec cessant ab illa, ob illorum latratus.

Quot personæ requiruntur ad faciendum Collegium? Quæst. 3.

Dixi in *tract. 2. quæst. 6.*

Electio Prælati, potest nè aliquo modo pertinere ad Laicos? Quæst. 4.

1 Negatiuè deciditur in *cap. decernimus 2. de Iudic.* ibi *Laici Ecclesiastica tractare negotia, non præsumant, & maximè spiritualia, ibiq; Gl. in casu*, & magis expressè habetur in *cap. nullus 1. distin. 63.* ibi, *nullus Laicorum Principum, semet inserat electioni,*

electioni, aut promotioni, &c. nàm ius eligendi, spirituale est. Laici autem sunt incapaces administrandi spiritualia, vt dictum est, alioquin si electio Ecclesiasticorum Prælatorum, aut institutio committeretur potestati Laicorum, cederet in detrimentum Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ libertati derogaret, *Gl.* in *cap. nobis, 25. de iur. patron.*

2 Nec valet consuetudo, etiam si foret immemorabilis, *cap. Massana 56. de elect.* & docet *Hostien. de elect. §. quis possit eligere*, quiâ consuetudo non potest introduci cōtra Sacros Canones, sine scientia, & consensu Papæ; nàm Papa non habet potestatem à Populo, sicut habēt Principes Laici, sed immediatè à Deo.

3 Ideòq; Populus non potest consuetudinem introducere contra Canones, sed benè contra leges Laicales, *Abbas in cap. fin. nu. 8. de Consuet. S. Anton. in sum. par. 1. tit. 16. cap. 11. §. 2. antè finem*, & alij plures, quos sequitur *Nouar. in Lucern. Regul. ver. elect. nu. 34.*

4 Et alitèr fateri, est propositio hæretica, & dogma, seù decretum hæreticorum huius temporis; *Bellarmin. tom. 1. contr. 5. lib. 2. cap. 2. de Hæreticis*, & alij, quos allegat *Samuell. disp. 1. tract. 1. contr. 1. concl. 5.*

5 Nec dices, quod antiquitùs consuetudo erat in Ecclesia, vt ad electionem Episcopi, Plebs vniuersa cum Clero conuocaretur; quia non ius eligendi apud Laicos fuit, sed testimonium de probitate eligendi, exquirendum erat, iuxtà illud *Apostoli, oportet autem, illum, & testimonium habere bonum, ad Timotheum 2.* prout fusè ex multis ostēdunt prisci, & nouissimi *DD.* quos refert, & sequitur *Laym. de elect. Canon. cap. 3. q. 20.*

6 Neq; replices, quòd ius patronatus competit Laicis, tùm quia, ius patronatus non est purè spirituale, vt est ius eligendi, sed mixtum; tùm etiam, quia Laicis concessum est, ex summa æquitate, & de benignitate, & plenitudine potestatis Papæ, prout habetur expresè in *d. cap. nobis 25. de iur. patron.* adiuncta *glos.*

Princeps secularis, an possit se opponere electioni alicuius Prælati, etiam Regularis, sibi suspecti? Q. 5.

1 INnocent. *in cap. super his, de accusat. num. 3. Felin. nu. 13. & Abb. nu. 13. & in cap. quod sicut, de elect. nu. 6.* dicunt, quòd sic, dummodò suspitio sit vera, & realis, & quòd electio alioquin subsecuta, debet retractari. Ad istam materiam vide plenè per *Peyr. tom. 3.* seù *Additam. ad Const. Clem. VIII. cap. 9. nu. 3.*

Electores, cuius qualitatis, ac conditionis esse debent ad hoc, vt in electionibus Prælatorum, vocem habeant actiuam? Q. 6.

1 PRimò, necessariò requiritur, vt sint professi eiusdem Religionis, cuius Prælatus est eligendus, siuè professio fuerit expressa, siuè tacita, prout expresè dicitur in *cap. ex eo 32. de elect. in 6.* ibi, *in Ecclesijs quoq; Regularibus, vel Monasterijs, hi, qui non sunt tacitè, vel expresè professi, nō debent cum professis, vel Conuersi Laici, cum Clericis, electionibus interesse.*

2 Hìnc Nouitius, nequit electionibus interesse; ex quo non est verum membrum Religionis, nec habet sufficientem notitiā rerum agendarum Monasterij.

3 Quod dictum limita, ex antiqua cōsuetudine, & priuilegio, quo forsàn, etiam alicui extraneo competit ius electioni interueniendi, ex *cap. Cumana, de elect.* vbi *gl.* & *DD.* communitèr dicūt, quòd interdùm Laici, & pręcipuè Principes, pro pace seruanda, admittuntur; vt Electores, ab oppresionibus tueantur; *Syl. ver. elect. 1. nu. 2.* ibi, *& non alitèr.*

4 Secundò, quòd sint Clerici, vt constat ex *d. cap. ex eo*, & quòd sint in Sacris Ordinibus constituti, & clarè patet ex *Clem. 2. de ętat. & qualit.* ibi, *vt nullus de cætero in huiusmodi Ecclesijs, vocē in Capitulo habeat, etiam si hoc ab alijs liberè concedatur; nisi saltèm in Subdiaconatus Ordine, fuerit constitutus.*

Quod totum expresiùs renouatum fuit à *Sac. Conc. Trid. sess. 22. in cap. 4. de reformat.*

5 Ex quibus iuribus clarè patet, quòd Conuersi Laici, Oblati, & consimiles, quantumcunq; Professi, nequeunt esse Socij, aut Discreti pro Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, Diffinitores, aut illa munera exercere, quibus annexum est, habere vocem actiuam, aut passiuam pro electionibus Prælatorum, qualia sunt, esse Socios, vel Assistentes Generalium, vel Prouincialium: quia hoc directè repugnat præfatis iuribus, per quæ professi, in sacris minimè constituti, fiunt incapaces habendi ius in huiusmodi electionibus; & contra hæc iura non datur locus consuetudini, tùm quia, consuetudo nescit inolescere contra Sacros Canones; tùm etiam, quia excluditur per illa verba, *etiam si hoc sibi ab alijs liberè concessum fuerit*; tùm item, quia in *fin. d. cap. Conc. Trid.* habetur decretum irritans, aduersus quod non potest consuetudo prænalere.

6 Et

6 Et quamuis, de plenitudine potestatis Papæ, possit priuilegium fieri professis Laicis, ad suffragandum in Capitulo, & ad exercendum maiora; prout factum est tempore S. Francisci de Assisio.

7 Verùm hodiè hoc iure optimo recessit ab Aula; *Sot. in 4. sent. distin. 10. q. 1. ar. 4. Rodr. tom. 1. q. 15. art. 2.* & *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 23. ar. 5. concl. 4.* & docet *Gl. in d. cap. ex eo. ver. elect.*

8 An autèm prædicta decisio *Sac. Conc. Trid.* comprehendat Regulares, & maximè Mendicantes, magna dubitatio est; de qua latè noster *Tabien. ver. elect. nu. 5. in fin.* ad quam affirmatiuè *Syl. ver. elect. 1. nu. 3. in fin.* & *Miranda in d. tom. 2. q. 23. ar. 5.* vbi inuehit contrà *Rodriq.* tenentem contrarium *tom. 2. q. 51. ar. 5.* tùm quia, ità est cōmunis praxis omnium Regularium; tùm etiam, quia *Trid.* loquitur simplicitèr, & absolutè.

9 *Portell.* verò *in dub. ver. elect. num. 5.* inhęrendo *Rodr. cit. loc.* ait, quòd quando *Trid. sess. 22. cap. 4. de reformat.* ait, quod non habet vocem in Capitulo is, qui non fuerit subdiaconus, non prohibet, quin illam habeat aliquis in illo ordine, in quo per Statutum, vel Consuetudinem suffragium dant, etiam carentes ordine sacro, per declarationem Cardinal. super *Trid.* anno 1573. vt refert *Compen. Minimorum, ver. Consilium*, dicens, ità vigere apud illos.

10 Et magis clarè Eminent. *Bellar. in cit. loc. Trid. in obseruatione doctrinæ, in ver. vt ij*, qui testatur, Sacram Congregat. sub anno 1570. declarasse, *text. prædic. Clem.* & *Conc. Trid.* non habere locum in Ecclesijs, & Monasterijs Regularium, quæ quidèm declaratio, & si non appareat authenticè; nihilominùs est magnæ authoritatis.

11 Sed quidquid sit de præfata quæstione, in Ordine tamen Prædicarorum, Electores hodiè debent esse Sacerdores, & habere sex annos integros à professione, & esse assignati in illo Conuentu, in quo celebranda est electio, per duos Menses antecedentèr ad electionem, & per id tempus, realitèr, & bona fide, seruire eidem Conuentui, in quo intendunt eligere, vt dicitur in *Declar. tex. 6. cap. 2. de elect. Prior. lit. E. fol. 115. col. 1. & 117. col. 1. & 2.* vbi declaratur, quòd quando quis infrà tempus electionis, complet sex annos suæ professionis, si est Sacerdos, vel sacrum Præsbyteratus ordinem suscepit, & explet sex annos à professione, poterit vocem habere; quia satis est, vt Elector sit habilis tempore electionis; quamuis non fuisset tempore vacationis; vt ex multis ostendit *Gl. in d. Clem. 2. vt ij, de stat. & qualit. ver. constitutus, Graff. lib. 1. consil. de elect. tom. 2. consil. 1. difficult. 3.* & *Castell. de elect. cap. 5. numer. 38.*

12 Amplia ad eum, qui ex dispensatione Apostolica ad Sacerdotium promnuetur, antè legitimam ętatem, quia satis est, vt sit legitimè promotus; secùs si illicitè, vel subreptitiè, tunc .n. à suffragio ferendo esset prohibitus, per *extrau. Pij II.* quæ incip. *Cùm ex sacrorum, &c.* nàm per eam est, ipso facto, ab ordinibus suspensus, & inhabilis ad suffragandum, *Tamb.* multis citat. *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 5. q. 8. nu. 10.*

13 Tertiò, requiritur, vt Electores sint liberi ab omni impedimento canonico, nempè à maiori excommunicatione, suspensione, & interdicto, aliàs non valent eligere, *Syl. ver. elect. 1. q. 4. nu. 5.* & *Tab. cod. ver. nu. 5. & 6.* quia suspensio, excommunicatio, omnisq; alia censura, repellit à suffragando; tùm quia, excommunicatus, est alienus, & separatus à communione fidelium, vt expresſè dicitur in *cap. si quem 59. de ver. signif.* ibi, *quę à communione fidelium separat*, tùm etiam, quia censetur omninò suspensus ab officio, & beneficio, vt dicitur *in cap. tanta est clauis Petri, vlt. de excessibus Prælat.* ibi, *suspendas ab officio & beneficio*, vndè suspensus, nihil eorum agere potest, quæ ratione officij, aut beneficij, illi conueniunt, quorum vnum, est eligere: tùm item, quia eligere, est actus iurisdictionis, quatenùs est actus cuiusdam publicæ potestatis, & ad commune bonum, & regiminè ordinatus; actus autem iurisdictionales, sunt vetiti suspensis, & excommunicatis; prout habetur expresſè in *d. cap. vlt. de excessibus Prælat.* vbi omnes institutiones, destitutiones, collationes Beneficiorum, Præbendarum, ac Dignitatum, sententiæ excommunicationis, & interdicti, declarantur nullæ; ex quo fuerunt factæ, ac prolatæ ab Episcopo suspenso: quia plùs aufert suspensio, quàm contulerit consecratio: vt enim Logici dicunt, plùs tollit negatio, quàm ponit affirmatio; & sic cadit actus ex defectu potestatis.

14 Hinc est, quòd electio facta à suspensis, est irrita, *cap. cùm dilectus 8. de cōsuet.* ibi, *quia nobis constitit, electionem ipsam à suspensis, & de suspenso, etiam celebratam, cum iustitia cassauimus exigente, & cap. cùm inter 16. de elect.* ibi, *vt si constiterit, quòd electio fuerit facta à suspensis, ea omninò cassata, &c.* in quo *ver. Gl.* ait, *cassata*, idest, cassa nunciata; quia suspensi eligere non possunt, & *cap. illa quotidiana 39. cod. tit.* vbi in electione Canonica, tolerantur à Papa excōmunicati, minori excōmunicatione, nō autem innodati excōmunicatione maiori.

15 Quæ

15 Quæ iura, *Suar.tom.5.de censuris,disp.14.sect.2. nu.*18. ait, hodiè solùm procedere in excommunicato specialitèr declarato, aut manifesto percussore Clerici, quem sequitur *Layman.de elect. q.*26. ibi, *intelligitur autem de non toleratis; illi enim dicuntur excommunicati, non tolerati, qui sunt publicè, ac notoriè excommunicati, vel publici percussores Clerici, Sayr. lib.2. de cens.cap.6. num.6. Molfesius in 1.p. sum.tract.6. cap.16. nu.76. Castell. cap.5.de elect.nu.17.* & antè eos *S.Ant. 3.par.* suæ *sum.tit.25. cap.3.* vbi paululùm suprà ait, *nota diligentèr, quòd licèt secundùm iura communia, excommunicati, etiam non denunciati, per affixionem cedulonum, deberent euitari;* tamèn per *Constitutionem* factam Cōstantiæ, sub *Martino V.* istud extat modificatū, & ad futuram rei memoriam, illam *ibi* per extensum refert, sub hac forma verborum.

16 *Insupèr ad euitandum scandalum, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis, contingere possunt Christi fidelibus tenore præsentium misericorditèr indulgemus: quòd nemo deinceps à communione alicuius, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunq; diuinis, intus, & extrà, prętextu cuiuscunq; sententiæ: aut censuræ Ecclesiasticæ, à iure, vel ab homine, generalitèr promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare: nisi sententia, & censura huiusmodi fuerit lata contra Personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiæ Communitatem, vel locum certum, vel certam, à Iudice publicata, vel denunciata specialitèr, & expressa; Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq; saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, sententiam latam à Canone, adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione cęlari; nec aliquo suffragio excusari; nàm à communione illius, licèt denunciatus non fuerit: volumus abstineri, iuxtà Canonicas sanctiones.*

17 Quæ quidèm *Constitutio*, non reperitur inter *Acta Concil. Constantiensis*, celebrati sub *Martino V.* de anno Domini 1418. vt cōstat ex *sess.44.* eiusd. *Conc.vol.4. Concil. pag.* mihi 394. in Impressione Veneta, sed per *Sanctum Antoninum*, tunc temporis viuentem, vbi suprà fidelitèr registrata; quippè qui *ibidem*, testatur, eam fuisse ob omnibus receptam, iterùm ab eodem Papa confirmatam, & in *Conc.Basilieñ* sub *Eug.4.* celebrato, antè sui dissolutionē, denuò renouatā; & à dicto *S.Antonino* transcripsērūt *Sot.* in 4. *sent.dist.22.q.1. ar.4. Nauar. in sum. cap.27. nu.53. Tolet.lib.1. cap.13. num.2. Auila 2.par. cap.6. disput.2. dub.1.* & *Alphons.de Leon. de censur.recoll.3. fol.237. num.94.*

18 Si modò dices, quòd prædicta *Constitutio* Conc. *Constantiensis* fuit reformata in *Conc.Basiliensi*, sub *Eug.4.* fuit enim *ibi* propositus hic articulus, quinàm excommunicati essent vitandi; & conclusum fuit vniuersalitèr, tàm de excommunicatis pro percussione Clericorum, quàm pro alia causa; dummodò sint excommunicati notoriè, qui nulla possent tergiuersatione cęlari, & habetur in *d.Conc.Basiliensi, tom.4. Concil. in d.* Impressione Veneta, *pag.* mihi 472. *sess.20.* sub *tit. de excommunicatis non euitandis*, vbi reperiuntur eadem fęrè verba *d.Constit.Constantiensis*, vsq; ad illa, *saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione*; & loco subsequentium, subnectuntur hæc; *aut si aliquem, ità notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nulla possit tergiuersatione cęlari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari: nàm à communione illius abstineri vult, iuxtà Canonicas Sanctiones; per hoc tamèn, huiusmodi excommunicatos, interdictos, seù prohibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibèt suffragari*, hæc *ibi*.

19 Respondeo, quòd *d.Conc.Basiliense*, nedùm non fuit confirmatum, quòad hanc partem: verùm etiam, quòad totum suum esse, reperitur reprobatū in *Conc. Lateranensi*, sub *Leon.X.* vt patet ex eius *sess.11. tom.5. pag.* mihi 176. ibi, *nec illud nos mouere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basiliensi Conc. edita, & ipso Conc. instante, à Bituriacens.* Congregatione *recepta, & acceptata fuerunt, cùm ea omnia, post translationem eiusdem Basiliens.*Conc. *per re.mem. Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum, facta à Basiliens.* Conciliabulo, *seù potiùs* Conuenticula, *quæ præsertim post huiusmodi translationem,* Concilium *ampliùs appellari non mereatur, facta extiterint; ac proptereà nullum robur habere potuerint, &c.* quod *Decretum in fine d. sessionis*, perlectum, placuit omnibus simplicitèr, vt *ibidem* dicitur.

20 Ac proindè *d.Constit.* Conc. *Constantiens. de non euitandis excommunicatis, nisi fuerint per cedulones declarati, aut notoriè, ac publicè* Clericorum *percussores*; nedùm non fuit reuocata, sed censetur renouata *in d.Conc.Lateran.* quia dùm illa verba, ei superaddita in *Concil.Basiliensi*, per Conc. *Lateranense* fuerunt sublata, remanet, vt priùs: lex enim posterior corrigit priorem, *l.non nouum, ff.de legibus.*

21 Insupèr estò, quòd *d. Conc.Basiliense* fuisset confirmatum à Papa, adhùc non obstaret, quin standum esset *d.extrau. ad* cui-

euitandum, tùm quia, vt leges obligent, pratèr confirmationem legem ferentis, requiritur acceptatio Populi, vt omnes ferè dicunt; sed *Conc. Constantiense*, & non *Conc. Basiliense*, reperitur acceptatum quòad hāc partem, vt constat ex praxi, vsu, & consuetudine totius Ecclesiæ, etenim Catholici in Anglia, & Germania, securè communicant cum ijs, qui sunt notoriè Hæretici, & consequentèr notorij excommunicati, sed non nominatim denunciati; neq; ob id, reprehēdūtur à Prælatis, ex permissione Apostolica, relata ex *Conc. Lateran. c. ad euitanda*, ergo ex tali vniuersali praxi, & vsu reijcitur Conc. *Basiliense*; *Nauar. in sum. cap. 27. nu. 35.* & *Auila* cit. *loc.*

22 Tùm etiam, quia per *Conc. Constantiense*, verè, & benè consulitur animabus timoratis Christianorum; & vice versa per *Conc. Basiliense*, illaqueantur conscientiæ, cùm sæpè simus in dubio, an crimen sit æquè publicum, & manifestum, vt possit realitèr dici notoriū facti: ergò pro quiete, & pace conscientiarum, standum est *Conc. Constantiensi*, & non *Basiliensi*; prout de communi testatur *Layman. lib. 1. tract. 5. pag. 2. cap. 4. in princ.* & multis citatis *Alfons. de Leon.* cit. *loc. nu. 97.* & *Nauar. in d. cap. 27. sum. nu. 34.* vbi dicit, se *ibid.* ponere per extensum *d. extrau. Conc. Constantiens.* celebratā sub *Martino V.* & de facto illā non refert, sed quæ fuit habita in *Conc. Basiliens.* sub *Eug. 4.* quæ postmodùm per *Leon. 10.* in *Conc. Lateran.* fuit abolita, vt constat ex illa relata per *S. Anton.* & ex alia posita in *sess. 20. d. Conc. Basiliens. tom. 4. Concil.* in Impressione Veneta, *pag. 472. & tom. 5. c. 104. in Conc. Prouinciali Treuerens. pag. 378.* sub *tit. de euitandis excommunicatis*, & constat ex lectura ambarum, nàm ex dispositione *extrau. Martini V.* excommunicati nominatim declarari, & publici Clericorum percussores, tantùm sunt euitandi.

23 Verùm ex dispositione *Conc. Basiliens.* sunt euitandi, etiam omnes alij notoriè excommunicati, tàm pro percussione Clericorum, quàm pro quacunq; alia causa.

An Statuta, & Constitutiones Ordinis Prædicatorum derogent extrauaganti Martini Quinti? Q. 7.

1 FVndamentum dubij esse potest, quia in Religione Dominicana, excommunicatus notoriè, toleratus tamē, non potest coeligere, nec ad electionem debet admitti, ex statuto *Capituli Generalis* Romæ celebrati, sub anno 1589. & haberur *in declarat. sex. 5. cap. 2. de elect. Prior. Conuent. sub lit. P. fol. 113. col. 4.* ibi, *quàmuis ad electionem non debeat admitti ille, de quo manifestum sit, incidisse in excommunicationē latæ sententiæ, etiam nulla alia declaratione subsequuta, cùm sufficiat apertè constare, eum commisisse aliquid, per quod re vera, ipso facto, in excommunicationem latæ sententiæ inciderit*; hæc *ibi*, quæ verba, prima facie, videntur contradicere *d. extrau. Martini V.* & fauere *Conc. Basiliens.* sub *Leon. X.* in *Conc. Lateran.* reprobaro, nec non esse contra vniuersalem praxim totius Ecclesiæ, & quietē Animarum; etenim sæpè versamur in dubio, an factum sit notorium apertè, & clarè; multa enim censentur notoria, quæ de iure notoria non sunt.

2 Ad hæc *Castell.* in suo *tract. de elect. cap. 5. de legitimis Electoribus, nu. 17.* explicitè nihil dicit, at implicitè ait, quòd standum est *extrau. Martini V.*

3 Ego autem dico, quòd *Capitulum* prædictum, nullo habito respectu ad *Conc. Basiliense*; in odium excommunicatorum sanciuit id, quod habetur in cit. *loc.* nostrarum *Constitutionum*, & per huiusmodi sanctionem, de facto renunciauit gratiæ, ac priuilegio, nobis concesso in *d. extrau. ad euitanda*, per *Martinum V.* de posse communicare cum excommunicatis toleratis, vt constat ex illis verbis, *nulla alia subsecuta declaratione, &c.* quandoquidèm *d. extrau.* non præcipit, & mandat; at indulget, & concedit nobis, posse participare cum excommunicatis, (supple si volueritis) sed ità est, quòd Generales Ordinum, & Capitula Generalia, possunt tollere, aut restringere priuilegia, nobis concessa contra ius commune, cœterisq; subditis mandare, nè illis vtantur, vt per eorum non vsum, renunciata videantur: dummodò concernāt priuatam commoditatem, per ea multa, quæ dixi *par. 1. in tract. de reuocat. priuil. q. 20.* sed ità est, quòd de communi antiquo Iure Canonico, omnes excommunicati, maiori excommunicatione, erant vitandi, etiam tolerati, & consequentèr præceptum erat Christi fidelibus, excommunicatos statim euitare publicè, si publicè, illis nota erat excommunicatio; priuatim, si priuatim; vt habetur in *cap. cùm non ab homine, de sent. excomm. & in Can. excommunicatos, 11. q. 4. Auila 2. p. de cens. cap. 6. disp. 2. dub. 1.* & *Alphons. de Leon. in d. recollect. 3. nu. 95.*

4 Ergò, potuit Capitulum Generale huiusmodi Priuilegijs cedere, ex quo cognoscebat, illa esse contra ius commune, & redire ad ius commune antiquum, cui nostra Religio in materia electionis intendit omninò stare.

5 Nec huius sanctionis mireris, ex quo

talem

talem sanctionem non vides extare in cęteris negotijs nostræ Religionis: quia nostri Prisci Patres, meritò hoc dixerunt in materia electionis dùmtaxat, & nō in alijs negotijs: quia electio, tàm actiua, quàm passiua, est grauis functio Ecclesiastica, valdè honorifica eligenti, & electo; ideòq; valdè indecens est, eam ab excommunicato, & præciso membro, exerceri; vt mùltis citatis dixit *Paul. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 2. num. 3.* & noster *P. Remigius Scropha* in suis *Moralib. q. 6. nu. 6. in confirmat. 3.* vbi de re nostra, presiùs agit.

6 Sed quid faciendum, si excommunicatus velit eligere, & à Capitulo minimè exire? dico, quòd debet admitti cum protestatione, qua dicatur, se non intelligere cū illo communicare in eligendo; hęc enim protestatio sufficit, ad non inualidandum electionem, etiam si secretò fiat, ob aliquam violentiam, de qua fortè timetur; prout docet *Innoc. in cap. Cumana, de elect. Panormit. in cap. illa quotidiana, eod. tit. Syl. ver. elect. 5.* & *Remig. cit. loc. nu. 8.*

7 Non desinam tamèn dicere, quòd in *d. loc.* nostrarum *Constitutionum*, non adest decretum irritans; ac proindè estò, quòd excommunicatus notoriè, toleratus tamē, ad suffragandum admitteretur; electio non esset nulla, iure Constitutionum, sed foret annullanda, iuxtà terminos Iuris Canonici.

8 Et addo, quòd illa dictio, *nempè, de quo manifestum sit*, & illa alia, scilicèt, *sufficit apertè constare, &c.* exigit euidentiam, & notorietatem facti; & ad euidentiam, & notorietatem facti criminis, multa requiruntur, de quibus dixi alibi.

9 Quapropter, non video, quo iure possit dici, apertè constare de delicto, parte inaudita, & testibus non examinatis: per quæ videor videre, in declarationem facti criminis abire, quod exigitur, iuxtà dispositionem *d. extrau. Martini V.*

Si Electorum vnus, vel plures sint excommunicati, an sit electio nulla? Quæst. 8.

1 SVnt, qui cum distinctione respondent, quòd aut sumus in publico, & notorio excommunicato, vel in occulto, & incognito: sed perperàm, ad hanc distinctionem recurrunt, cùm excommunicatus, siuè publicè, siuè secretè, siuè à iure, siuè ab homine, sit inhabilis ad eligendum: quia licèt ignorantia inuincibilis, vel priuata scientia excuset à culpa, & quandoq; à pena: non tamèn validum facit actum, quem Ecclesia irritauit, nec reddit capacem, quem Ecclesia incapacem fecit.

2 Vndè *Innoc. in cap. cùm dilectus, de consuet. Ioan. And. in cap. 1. de rescriptis, lib. 6. Auila de cens. p. 2. disput. 5. dub. 2. conclus. 1. Castell. cap. 5. de elect. n. 18.* & *Samuell. eod. tit. tract. 2. disp. 5. contr. 2. q. 4.* aiunt, quòd inter excommunicatum occultum, & publicum, ad inualidè eligendum, nulla reperitur differentia, vterq; enim, ad hoc, est inhabilis de iure Canonico.

3 Quapropter dicendum est, quòd electio, in casu posito, potest dici valida, vel inualida ex duplici capite, nempè respectu votorum eligentium, & respectu communionis, & participationis habitæ cum excommunicatis: primo modo, quando electio scrutinalis celebranda est à pluribus per schedulas, & quidam eorum sunt excommunicati, ad hoc, vt sit, & dicatur valida, debet examinari excessus votorum; an ex parte electi tantus sit, vt quamuis eis adiungantur, qui sunt excommunicati, & consequentèr inhabiles ad eligendum, adhùc, superfit sufficiens numerus ad electionem complendam, vel è contrario contingat: nàm quando res accidit, primo modo, electio erit valida, non obstante excōmunicatorum interuentu; sufficit enim, vt electio ex parte rei, verè, & realitèr, reperiatur facta, à maiori parte Vocalium habilium, & quòd aliquorū suffragia, nulla sint, parum refert; dummodò quæ supersunt, ad eligendum sufficiant: prout fusè *Suar. tom. 5. de cens. disp. 14. sect. 2. nu. 7. & sequent.* moueturq; ex multis: primò, si illi excommunicati absuissent, cęteris, eodem modo, suffragantibus, electio fuisset validè subsecuta; ergò quamuis ipsi adfuerint, cùm ad valorem electionis nihil conferant, nec necessarij sint, non possunt per se, & ex natura rei loquēdo, inualidam electionem facere: dummodò, vt supponimus, satis constet, tantum fuisse excessum suffragiorum habilium, vt excommunicatorū auxiliū, seù concursum non requirat.

4 Confirmatur, quia vnius, vel alterius excommunicatio, solùm potest ipsius actū, seù suffragium irritare, non autem aliorum: etenim vnius culpa, vel pœna, non debet alijs nocere: sed aliorum suffragia, in casu nostro, sufficere possunt ad electionem; ergò cęteri excommunicati, & inhabiles, licèt adsint, censentur absentes, & minimè necessarij.

5 Verùmtamen *Canonistæ*, respectu secundi modi, cum distinctione respondent, quòd, aut Electores non excommunicati, sciunt, alios esse excommunicatos, & illos admittunt; aut ignorant, & bona fide procedunt;

cedunt: si sciunt, & inuiti eos admittere coguntur, ad simul eligendum, validè eligunt; quandoquidèm vis, & ignorantia eos excusat, cùm sit inuoluntaria, non punitur: secus si voluntariè, & absq; vi admitterent: quia ob solam voluntariam admissionem excommunicatorum, ad simul eligendum, in eorundem odium, iure optimo cautum est, vt electio non valeat, vt omnes autumant, & colligitur ex *cap. Massana, de elect. & cap. vlt. de Procuratoribus*, vbi Procurator electus, & constitutus ab Vniuersitate, in qua maiores quidam, & iurati excommunicati erant, repellendus à procuratione dicitur, si Communitas sciens, eos esse excommunicatos, illos ad talem procuratorem constituendum admisit, vbi *Glos. in cas.* notat, quòd si maior pars scientèr admittit indignum, nihil valet, quod agitur; item quod vtile vitiatur per inutile, in pœnam scilicèt excommunicatorum, *Lez. 1. p. sum. cap. 15. nu. 6. in fin.*

6 Si verò dubium sit, an aliqui ex Electoribus sint excommunicati, suspensi, inhabiles, &c. non irritatur electio, si admittantur cum protestatione, dicendo, quòd non intendo excludere, non excludendum, nec admittere, non admittendum; tùm quia, hæc protestatio reddit actum inuoluntarium, tum etiam, quia in dubijs fauet possessio, *Sylu. ver. elect. 1. q. 15. Miranda tom. 2. Manual. Præl. q. 23. art. 11. conclus. 5. ver. solummodò superest, Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 31. §. 6.* & *Alphon. de Leon. de cens. recollect. 6. nu. 1025. pag. 663.*

Electores irregulares, an possint eligere? Quæst. 9.

1 NAuar. in sum. cap. 27. num. 244. Suarez. tom. 5. de cens. disput. 40. sect. 2. nu. 27. Filliuccius Moral. qq. tract. 19. cap. 3. q. 6. nu. 75. Bonac. de cens. disput. 7. q. 1. pun. 4. nu. 18.* & alij plures respondent affirmatiuè, ex eo, quia irregularis non priuatur iurisdictione, ob irregularitatem superuenientem, sed ius eligendi, vel est iurisdictio, vel ad illam reducitur; ergò sicut irregularis, non priuatur iurisdictione, ità paritèr, nec iure eligendi.

2 His tamen non obstantibus, noster *Syl. ver. elect. 1. q. 4. dicto 13.* contrarium docet, & verius, nedùm de speciali iure Ordinis Prædicatorum, verum etiam, de iure communi Canonico, & habetur expressè in *cap. is, qui in Ecclesia 18. de sent. excommunicationis in 6.* ibi *à qua irregularitate, nequit per alium, quàm per Rom. Pontif. liberari; adeò, quòd nec ad eligendum cum alijs, debet admitti*: hæc *ibi*, vbi *Glos.* in *ver. cum alijs*, subnectit, *amittit, ergò irregularis potestatem eligendi actiuam, & passiuam, &c.* & sequitur *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 23. art. 8. concl. vnic. in fin. Azor. Instit. Moralium, p. 2. lib. 6. cap. 14. q. 8. versus item eligendi, Tamb. tom. 1. de Iur. Abbat. disput. 5. q. 8. nu. 14.* latè *Laurent. Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 2. cap. 5. §. 3. nu. 48. Barbosa de Canon. & Dignit. cap. 41. per totum*, & *Lezana 1. p. sum. cap. 15. nu. 5. in fin.*

3 Verùm hoc ius, vbi suprà expressum, debet intelligi, non de irregularibus toleratis, sed de declaratis, ac notorijs, iuxtà dispositionem *extrau. Martini V. ad euitanda*, sicut de excommunicatione, & alijs censuris dictum est, quandoquidèm *d. extrau. ad euitanda*, habet locum, etiam in irregularitate, vt ex multis ostēdit *Alphōs. de Leon. recoll. 3. de cens. n. 98. in fin. pag. 238.*

4 Benè verum, quòd hę extremæ opiniones possunt ad concordiam reuocari, si dicatur, primam loqui de irregularitate, quæ non nascitur ex delicto, vt fieri cęcus ex aliquo naturali accidente: secundam verò, de ea, quæ nascitur ex delicto, violando censuras, celebrando, de qua procedit *text.* allegatus in *d. cap. 18. de sent. excomm.*

Electores criminosi, & inhabiles, si sint occulti, & non declarati, an possint validè eligere? Q. 10.

1 ET dico, quòd sic; tùm quia, pęna grauis, ob culpam imposita, non debetur, antè Iudicis sententiam; præsertim in foro fori, & in actibus publicis, & externis, vt constat ex decisis in *tract. de legib.*

2 Tùm etiam, quia ità habetur in *extrau. Martini V. ad euitanda*, suprà posita, ibi *si talis sententia, prohibitio, suspensio, aut censura non fuerit promulgata, & denunciata specialitèr, & expressè*: quæ verba habent locum, nedùm in censuris; verùm etiam, in omnibus impedimentis Canonicis, & legibus Ecclesiasticis: tùm item, quia ità habetur in *l. Barbarius, ff. de offic. Præsid.* vbi dicitur, quòd actus, qui fiunt à Ministro inhabili, tamèn occulto, aut tolerato, sunt rati, & validi, ob bonum publicum.

3 Quod amplia ad omnem Religionē, quia præfatæ rationes, in vniuersum concludunt, adeò, vt facta, & acta criminosi, antè sententiam commissi criminis, sint rata, & valida in omni loco, *Bonac. tom. 2. de leg. disput. 1. q. 1. pun. 7. §. 2. nu. 12.* & *Diana 1. p. Moral. tract. 10. de leg. resol. 24.*

4 Aduerte tamèn, decisionem prædictā,

proce-

procedere in actiua inhabilitate, secus in passiua; nàm rationes prædictæ non habent locum in eo, qui ipso iure, est inhabilis ad Prioratum, ad Canonicatum, ad Cathedram, vel ad aliam Prælaturam: qui enim est inhabilis, inhabilitate passiua, non potest eligi; quandoquidèm qui eligitur passiuè, non exercet aliquem actum, publica auctoritate, sed vt priuata persona, suum commodum quærit; ideòq; cùm iniquè, se se immisceat, non debet eius malitia illi suffragari, *Sylu. ver. hæres 1. nu.* 14. *Suar. lib.* 5. *de leg. cap.* 9. & *Meroll. tom.* 2. *disput.* 4. *de leg. cap.* 5. *nu.* 107.

5 In Religione Dominicana, certum est, quòd excepta excommunicatione latæ sententiæ, non datur locus pœnis, antè sententiam Iudicis, vt clarè habetur in *tex.* 4. *Prol.* nostrarum *Constit. fol.* 6. & magis expressè *distin.* 2. *cap.* 2. *de elect. Prior. tex.* 5. *fol.* 113. *col.* 4. vbi dicitur, quòd nullus debet excludi à quacunq; electione, prætextu alicuius criminis, vel delicti: nisi sit sententialitèr condemnatus, & per sententiam voce priuatus.

Electores, si omnes sint inhabiles, vel priuentur iure eligendi, vno excepto, an ille solus, possit procedere ad electionem Prælati? Quæst. 11.

1 Affirmatiuè dic; quia quamuis regularitèr loquendo, de iure communi Canonico, ad constituendum Capitulum, requirantur, ad minus, duæ, vel tres idoneæ personæ, vt latè dictum est suprà *tract.* 2. *q.* 5. nihilominùs irregularitèr, ac per accidens, tota potestas Capituli potest reperiri in vno solo, vt *ibid.* fusè dico *quæst.* 9.

Vndè ille solus poterit validè facere electionem Prælati, *Nauar.* multis citatis in sua *Luc. Regul. ver. elect. nu.* 19. *Lezan.* 1. *p. sum. cap.* 15. *nu.* 6. Verùm non potest eligere se ipsum, etiam si esset meritissimus, quia ostenderetur nimis cupidus, & ambitiosus, *Nauar. lib.* 1. *de elect. cons.* 7. *Rodr. tom.* 2. *q.* 53. *ar.* 11. & *Laur. Peyr. tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 31. §. 6. *ver. dico* 2. *in fin.*

2 Quod ampliant, ad electionem Domini Papæ, si omnes Cardinales exirent à Conclaui; quia qui exierunt, non computãtur ampliùs in numero Electorum, vt dicitur in *cap. cùm nolis, de elect.* adiuncta *Glo. in ver. reuocare.*

3 Attamèn hodiè electio Papæ, nequit esse valida, quin ad minus, fiat à duabus partibus Eminentissimorum Cardinalium, iuxtà *Consl. Greg. XV.* & *Vrb. VIII.*

Tom. 2. *Par.* 3.

Electores, an sint vocandi ad electionem, à quo, & quomodò? Q. 12.

1 Et quidèm, Electores, seù Vocales, siuè sint præsentes, siuè absentes, vocandi sunt ad electionem noui Prælati, si tamèn habeant ius ad suffragandum, *cap. cùm inter vniuersas* 18. *de elect. cap. cordm dilecto* 35. & *cap. quia propter,* 42. *eod. tit.*

2 Et sunt vocandi à Prælato, seù Capite Collegij, vel Vicario electionis, secundùm Constitutiones Religiosorum, & praxim Ordinis, *Tab. ver. elect. nu.* 10.

3 Et possunt congregari, voce, si sint præsentes, aut consueto signo Campanæ, si sint in Hortis, aut in Claustro Monasterij: si verò sint absentes, debent per certum Nuncium vocari, moneri, & requiri, ad interessendum electioni, in tali loco faciendæ, de nouo Prælato, die, & hora tali, si sua interesse putauerint, secus autem, &c.

4 Et sunt expectandi, vsq; ad tempus sibi præfixum, alitèr dicerentur contempti, *Samuell. disput.* 1. *controu.* 3. *tract.* 1.

An sint expectandi, vsq; ad finem Diei? Quæst. 13.

1 Respondeo, quòd quando est statuta Dies electionis, si qui Electorum non compareant de mane, quando electio fieri solet, possunt, qui sunt præsentes, electionem hora solita facere, illorum absentia, non obstante; tùm quia in electionibus sobrietas exigitur, & debet, priùs celebrari Missa de Spiritu Sancto, & Electores Sacramento muniri, quæ, elapso mane, & prandio peracto, esse nequeunt; ergò. Tùm etiã, quia citatus ad certũ actum, debet adesse illa hora, qua ille actus solet expediri, *Fel. in cap. consuluit, de offic. deleg. n.* 5. *Ioan. And. ad Specul. tit. de elect.* §. 1. *n.* 5. tùm item, quia quando hora est de consuetudine, & natura actus, expressio diei, habetur pro expressione horæ; ità *P. de Baysio in direct. elect. p.* 3. *cap.* 11. *num.* 2. *Mandag. de elect. p.* 1. *cap.* 17. quod nota, ad frænandos bellos humores.

2 Possunt tamèn, eos expectare, si volũt, dùm tempus non expirat, *Castell. de elect. cap.* 6. *nu.* 11. & 15. & *Peyr. tom.* 3. *de priuil. cap.* 13. multis citatis, *nu.* 17.

Si Electores sint nimis distantes, an teneantur accedere, vel possint cogi ad interessendum? Q. 14.

1 Negatiuè deciditur in *d. cap. cùm*

H 2 *inter*

inter vniuersas, ibi, *quamuis Ecclesiastica Constitutio non exigat, vt ad electionem Pastoris, Canonici, tàm remoti voccutur*: ergò Vocales valdè longè distantes, non sunt ad electionem vocandi; quia, vt *ibid. Gl. in ver. remoti*, subnectit, *tunc vocandi sunt, vbi sine periculo vocari possunt*, prout dicitur in *cap. quod sicut 28. eod. tit.* ibi, *si tamèn sine periculo potuerint conuocari, siuè nequiuerint, siuè noluerint, ad electionem celebrandam accedere, ipsorum absentia, non potuit electionem impedire*, & magis expressè in *cap. quia propter, eod. tit.* ibi, *qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse*: ergò Vocales, inuitè, ac incommodè non sunt ad electionem trahendi: quandoquidèm, etiam si forent intrà Septa, & noluerint Capitulo interesse, non sunt cogendi, vt votent: nisi fortè ageretur de magno præiudicio Ecclesiæ; quia votum debet esse liberum, & vnusquisq; proculdubio, pôt iuri suo cedere, de qua re vide, quæ dico *hic infrà q. 20.*

A quo remoto loco, absentes sint vocandi? Quæst. 15.

1 RESpondet *Gl. in d. c. cùm inter vniuersas, in ver. remoti*, quòd omnes, qui sunt in eadem Prouincia, sint citandi, cùm illi præsentes dicantur: sed hæc limitatio non est vera: nàm fieri potest, vt electio celebretur in confinibus alterius Prouinciæ, & quòd Vocales illius Monasterij, in quo celebranda est electio, reperiãtur extra propriam Prouinciam, & sint in aliena viciniori, vt sepè occurrit in nostro Conuentu Ciuitatis Rhegij, cuius Fratres, ob vicinitatem, sunt fermè in foro Messanæ: dicendum est ergò, quòd circa hoc, standum est consuetudini, provt colligitur ex *d. cap. quod sicut*, & satis est, vt commodè vocari possint, siuè sint in Prouincia, siuè extra; etenim, ad finem citandi absentes, sola commoditas attendenda est, iuxtà terminos *d. cap.*

2 In Ordine verò Prædicatorum, *cap. 2. de elect. Prior. tex. 1. lit. A. in declarat.* quòad *vocationem absentium*, sic cauetur.

Itèm declaramus, quòd ad electionem Canonicam, primò requiritur, quòd mortuo, vel amoto Priore, Electores absentes vocandi sunt, si Nuntius ad eos pedester per vnam diē commodè possit accedere, pag. 106. col. 1. text. 5. sub *lit. Q.*

3 Per dietam autem intelligitur, iter, quod potest facere vnus pedester in vna die, *pag. 116. col. 2.* & *Gl. in d. cap. cùm inter vniuersas, in ver. Dietum*, ait, *quòd viginti milliaria computantur pro vna Die, seù Dieta, ff. de verb. signif. l. 3. & ff. si quis caution. l. 1. & de rescriptis, cap. nonnulli.*

Electores absentes, & legitimè impediti, an possint eligere per Procuratorem? Quæst. 16.

1 QVòd Elector absens, & legitimè impeditus, possit per Procuratorem, de Iure Canonico, suum dare suffragium, in omni electione Canonica, non est dubitandum: dummodò ad suffragandum instituat vnum de Collegio; etenim habetur expressè in *d. cap. quia propter*, ibi, *illud autèm penitùs interdicimus, ne quis in electionis negotio, Procuratorem constituat; nisi sit absens in eo loco, de quo debeat aduocari, iustoq; impedimento detentus, venire non possit; super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento, & tunc, si voluerit, vni committat de ipso Collegio, vicem suam*, hæc ibi.

2 Et ad prædictorum maiorem explicaionem, edita fuit *Constitut. Bonif. VIII.* quæ habetur in *cap. 46. de elect. in 6.* sub his verbis.

Si quis iusto impedimento detentus, in electionis negotio, nequeat commodè interesse potest nedùm vni, prout dicitur in Concilio Generali (supple in *cap. quia propter*) *sed, & pluribus committere vices suas; dùmtamen eorum cuilibet det in solidùm potestatem; & erit tunc melior conditio occupantis: verùm si ambo concurrant insimul, & postulent, se admitti, audiri eos non expedit; quia possent vota sua dirigere in diuersos, sicq; res non haberet exitum, & quod ab eis hoc casu fieret, non valeret, sed is admittatur, dùmtaxat, quē Capitulum, vel pars maior elegerit, &c.*

3 Et quibus *Capitulis* multa inferuntur: Primò, quòd Vocalis præsens in loco electionis, nullo pacto, & sub quouis colore, potest Procuratorem instituere, qui loco sui suffragetur in electione Canonica: hoc enim expressè prohibetur in *d. cap. quia propter, in princ. d. §. illud autem.*

4 Secundò, quòd si Vocalis sit verè absens, & legitimè impeditus, vtpotè, si nequit venire propter bellū, aut pestē, vel inimicitias capitales, vel ob infirmitatem, vel quia reperitur vocatus ad maius Tribunal, aut ob quid simile; potest eligere per Procuratorem; quia quod per se non potest, per alium exequatur, quod extende ad omnem aliam iustam causam; etenim nemo iustè impeditus, debet suo iure, sine sua culpa priuari, *Gl. in d. cap. quia propter, ver. venire*, & *Castell. cap. 5. de elect. num. 91.* vbi de communi aduertit, quòd impedimenta prædicta, & similia, debent actu

adesse

adesse tempore actualis Electionis, secus autem.

5 Tertiò, quòd vocalis absens sit habilis ad eligendum; quia si sit excommunicatus, suspensus, interdictus, vel per sententiam voce actiua priuatus, non potest constituere Procuratorem: quia cùm nō posset per se ipsum electioni interesse, multò minùs poterit per alium, vt omnes autumant.

6 Quartò, quòd huiusmodi absens, si opus fuerit, hoc est, si Capitulum petierit, tenetur de legitimo impedimēto, iuratam fidem facere, vt expressè dicitur in *d.§. cap.quia propter*, vbi *Gl.ver.venire*, & *Panor.* aiunt, quòd licèt in reliquis negotijs per Capitulum, vel per Vniuersitatem peragēdis, possit quis non impeditus, Procuratorem constituere, in electione tamèn non potest: quia ibi videtur electa industria personæ, argumento *tex. cap.is, cui, de off. Deleg. in 6.* & docet *Syl. ver. elect. 1. q. 3. dict. 2.*

7 Si tamèn velint alij de Capitulo, possent Procuratorem, etiam non impediti, ad electionem faciendam admittere, non obstante *d.§. illud autem*, quia dicta prohibitio, in Electorum fauorem emanauit, cui ipsi renunciare possunt; quandoquidèm valet vnusquisq; suo fauori renunciare, *Tamb. tom. 1. de iur. Abbat. disp. 5. q. 4. nu. 2.*

8 Quintò, vt hic Procurator constitutus, sit de Collegio, & numero eorum, qui sunt legitimi Electores, præsentes in loco electionis, vt expresè dicitur in *d.§.* & *ibi Gl. in ver. venire*, ad quod facit, quòd subrogans aliquem in sui locum, debet talem subrogare, qui sit eiusdem qualitatis, *Bart. in l. 1. Cod. de præpos. agen. in reb. lib. 12.* vbi loquitur de Doctore subrogante.

9 Verùm si nullus de Capitulo, vellet hāc procurationem acceptare, vel assumere, potest ad effectum extraneus institui, dùm aliàs sit idoneus, & in eum consentiat Capitulum; quia sicut integrum est Electoribus, ius eligendi communicare extraneis, vt in *cap. scriptum, & cap. causam, de elect.* ità valent hoc casu extraneum Procuratorem ad eligendum admittere, *Sylu.* & *Castell.* cit. *loc.* quod intellige verum de iure communi, secus autem, si statutum, & consuetudo Ordinis, in contrarium adsit, vt dictum est *tract. 2. q. 14.* & notant *Tab. ver. elect. nu. 5.* & *Tambur.* cit. *loc. nu. 1.*

10 Sextò, vt hic Procurator instituendus, sit in Sacris constitutus, ex *cap. ex eo, §. in Ecclesijs, de elect. in 6. Clem. vt ij, de ætat. & qualit.* & nouissimè ex *Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.*

11 Verùmtamen, si staturis alicuius Religionis caueatur, etiam sacris non initiatos, habere posse vocē in Capitulis, statuta huiusmodi non derogantur per dictum *Decretum Conc. Trid.* prout Sacra Congregatio Eminent. Cardinal. *Conc. Trid.* interpretum declarauit sub anno Domini 1573. quia dictum *Decretum Conc. Trid.* non comprehendit Monasteria Regularium, vt per extensum refert *Passarell. in Priuil. Minimorum Can. 13. de voce Capitulari inter Canones Concil. Trid. fol.* mihi 225. vbi docet, quòd in sua Religione, de antiquo solito votant in Capitulo, etiam Sacris Ordinibus minimè initiati, & *Confect. in sum. priuil. in summario Canonum Sac. Conc. Trid. eod. tit. & Canon. pag.* mihi 269.

12 Perindè, in Religione Minorum S. Francisci Reformatorum, & Capuccinorum, ex speciali indulto, ipsis à Pio V. concesso, in casu posito, possunt etiam professi Laici, institui in procuratorem ad eligendum in Capitulo, loco Electoris legitimè impediti, *Samuell. de elect. tract. 1. disp. 1. controu. 3. concl. 3.*

13 Septimò, quòd Elector absens, vt suprà, potest plures Procuratores constituere ad eligendum: dummodò insolidùm constituat, & tunc melior erit conditio occupantis, si autem omnes constituti, se simul præsentant, erit in arbitrio Capituli, quem velit admittere, & admissus à Capitulo, alijs erit præferendus; quòd si vna pars Capituli vnum vult admittere, & altera alium, ille erit præferendus, qui primò est in procuratione nominatus, per ordinem scripturæ, vt clarè habetur in *d. cap. si quis iusto, penult. de elect. in 6.*

14 Si autem plures Procuratores, non insolidum constituantur, nullus eorum erit admittendus; quia cùm non sint insolidum constituti, possunt variare, & eligere diuersas personas: hìnc mandatum Procuratorium non valet: Vndè alij Electores possunt ad electionem procedere; quia talis indiscretè constituens, pro contumaci reputatur; quia paria sunt, non venire, & non sufficientèr venire, non agere, & malè agere; seù non constituere, & constituere in forma prohibita, vt liquet in *d. cap. §. si autem, & ibi Gl. ver. admitti*, & *Syl. vbi suprà*, ait, quòd huiusmodi Procurator, non potest vnum nomine sui, & alium nomine Constituentis eligere; nisi Dominus constituens, speciale sibi mandatum, de aliquo nominando tradidisset, tunc illum nomine Constituentis, & alium nomine proprio, si iste sibi magis idoneus videretur, eligere posset, vt in *d. cap. §. Porrò.*

15 Verùm hodiè post *Trid.* non potest fieri, nec dari speciale mandatum ad eligendum talem personam; tùm quia, ex *d. Conc. Trid.* vota Eligentium, nunquam

debent

debent innotescere; tùm etiam, quia scrutinium non esset secretum; tùm item, quia sępè Sacra Congregatio ità declarauit, vt infrà dico.

16 Hìnc absens Elector, instituendo Procuratorem, non debet in specie exprimere votum suum, sed mandatum tantùm præstare, de voto exprimendo, quod mandatum in genere datum, non augebit numerum votorum: nisi fuerit expressum in indiuiduo à Procuratore, in actu scrutinij, qui quidèm Procurator, sic institutus, poterit consentire in diuersos: dūmodò neutet sit malus, & substinebitur electio, licèt peccet, quia, qua conscientia tenetur meliorem eligere, suo nomine; eadem ratione, tenetur ad idem nomine Domini sui, *Gl. in d. cap. si quis iusto, de elect. in 6. §. porrò, in ver. eod. & ver. nihil agit*, & latè *Castell. in d. cap. 5. de elect. nu. 102. in fin.* & *Diana*, multis citatis, *1. p. tract. 3. de Comit.* seù *Parlam. resol.* 10.

17 Quæ omnia possunt extendi ad Regulares, cuiuscunq; Ordinis; dummodò id eis non sit vetitū, ex proprijs Statutis, Regula, & Consuetudine; quia quod commune est, omnes tangit.

18 Neq; his officit *Decretum Conc. Trid. cap. 6. sess. 25. de Regul.* ibi, *nec in posterùm liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunq; Titulares, ad effectum electionis faciendæ, constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.*

19 Quia intentio suptadicti *Conc.* non fuit reuocare ius antiquum, iuxtà quod absens legitimè impeditus, potest Procuratorem instituere, ad effectum eligēdi, sed tantùm fuit tollere, ac pęnitùs amouere deprauatam quandam antiquam consuetudinem, quam habebant Superiores, & Præsidentes in Capitulis, ad effectum suarum faciendarum electionum, absentium vota supplendi, & votum, & vocem, cui volebant tribuendi, propria sua auctoritate, dicendo illi, tu esto Prouincialis, talis Prouinciæ, loco absentis; nàm ego te substituo, & sic de alijs, quod certè mergebat in magnam electionum fraudem, & Religionum omnium detrimentum.

20 Quod patet ex Declaratione Eminēt. Cardinal. *Conc. Trid.* interpretum, qua pluriès dixerunt, Procuratores legitimè constitutos cum Generali mandato ad eligendum, ab ijs, qui legitimè impediti sunt, non excludi: dummodò non habeant speciale mandatum, de eligenda certa persona; quia tunc votum non posset esse secretum, & refert per extensum, & testatur de visu, & auditu *Passarell. cit. loc. Canon. 41. de modo secreto, in electione seruando, pag. 229. Confect. in eod. Can. 41. vbi suprà, fol. 275. Rodr. tom. 2. q. 51. art. 6.* cum suo *Comp. resolut. 58. de elect. num. 5.* fusè *Miranda tom. 2. Manual. Præl. q. 23. ar. 7. Portell. in dub. ver. elect. nu. 3.* & fusiùs *par. 2. cas. 1. pag.* mihi 263. *Nicol. Garz. in tract. de benef. p. 5. cap. 4. num. 200. Marzilla* in suo *lib. declarationum Cardinal. ad prædictum cap. 6. Conc. Trid. Azor. tom. 1. sum. lib. 13. cap. 10. q. 2. Belarm. in nouiss. Declarat. ad d. cap. Trid.* & *Barbosa in Collect. ad idem Conc. nu. 13.*

21 Item ex alia, quam refert *Castell. in d. cap. 5. nu. 98. in fin.* sub his verbis.

Non esse prohibitum Superioribus Ordinum, quibus id ex Regula conceditur, vt aliquem Fratrem idoneum suo loco delegent, seù mittant ad Capituli Generalis celebrationem, vt suo nomine, electionem faciat, si ex Institutis, & Decretis Religionis suæ, licèt Superioribus absentibus, & legitimè impeditis, mittere alium ad Capitulum Generale, qui suo loco, & nomine, in electione suffragium ferat. Tambur. in d. tom. 1. disp. 5. q. 4. nu. 9.

22 Ad hoc autem, vt votum absentis per Procuratorem possit sustineri, tria copulatiuè requiruntur: Primò, quòd sit in loco, vndè euocari possit: Secundò, quòd iusto impedimento detentus sit: Tertiò, quòd Procurator habeat mandatum ad iurandum super dicto impedimento, prout *Rota Romana* declarauit coràm *Vbal.* & refert *Iulius Lauorius var. lucubration. tit. 4. cap. 17. nu. 30.* & *Lezan. ver. elect. nu. 7.*

23 Verùm in Familia Dominicana hæc prædicta non procedunt, vt constat ex *tex. 7. dist. 2. cap. 2. de elect. Prior. pag. 116. col. 1.* ibi, *electio autem, tàm Priorum*, sub *lit. Q.* & sic licèt secundùm iura, illi, qui sunt absentes, possint instituere Procuratorem ad eligendum, quando electio est facienda, tamèn in Ordine nostro, in quacunq; electione, non possunt Electores absentes, per literas, aut per Procuratorem eligere, sed oportet, quòd ipsi personalitèr, & præsentialitèr in loco electionis existant; nisi in eodem Conuentu essent infirmi decumbētes: quia tunc Scrutatores debent ad eos accedere.

24 Ità paritèr Vocales absentes, excluduntur ab Electionibus, quæ fiunt in Congregatione Vallumbrosana, in Congregatione Casinensium, & in alijs multis, ex eo, quia, eligere per Procuratorem, repugnat eorum Statutis, & Regulis, quæ à Sancta Sede, sunt approbata, & censentur consona *Decretis Sac. Conc. Trid.*

Si nullus de Capitulo, & de extraneis, velit hanc procurationem recipere, an sit licitum huic Vocali absenti, per epistolam eligere? Q. 17.

1 NEgatiuè deciditur in §. *absens*, *d.cap. si quis 46. de elect. in 6.* ibi, *absens quoq; (licèt nullus de Collegio velit esse Procurator eiusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est antè scrutinium; sed in ipso scrutinio, secretè, & sigillatim tantummodò exprimendum*, vbi *Glos. in ver. absens*, damnat, & damnatam cernit opinionem Priscorum, contrarium tenentium.

2 Neq; obstat *Azor. tom. 1. sum. lib. 13. cap. 10. q. 2.* vbi ait, quòd post triduum, potest absens suum suffragium, aut vocem scripto mittere ad Capitulum, secundùm Constitutiones suæ Religionis, vt Congregatio Cardinalium cēsuit; quia, aut versamur in iure communi, & in electione facienda, per modum scrutinij, iuxtà dispositionem *cap. quia propter, de elect. & cap. 6. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* & sic nequit absens per literas suffragari, vt liquet in præcitatis Iuribus: aut sumus in iure speciali, quo meritò gaudet Illustriss. & vtilissima Societas Iesu, in qua Prælati Inferiores, non à Collegio, sed à solo P. Generali deputantur, & instituuntur; & sic potest habere locum dictum *Azor.* verùm, quod à communi iure exorbitat, non est in consequentiam trahendum.

3 Quod extende ad ea, quæ dicit *Portell. p. 2. cas. 1. num. 5.* vbi ait, *quòd in Congregatione Sancti Ioannis Euangelistæ in Portugallia, absentes mittunt sua vota per scriptum ad Capitulum, & valdè hoc faciunt: quia hoc fit de iure speciali, non autem de iure communi.*

4 Nec nocet eius replicatio, dicendo, quòd in suo Ordine, Religiosi foràs exire volentes, dimittunt scriptum obsignatum, & inuolutum, per quod suum suffragium donant, in receptione Nouitiorum; tùm quia, receptio Nouitiorum, non est electio Canonica: tùm etiam, quia hoc non fit de iure communi; sed speciali statuto: electio enim Canonica de iure communi, nequit fieri à Vocali absente: nisi à legitimè impedito; & tunc per Procuratorem legitimè institutum dùmtaxat, iuxtà iura prædicta, secus electio læderetur intrinsecè; nàm quæ dicta sunt, censentur de forma electionis, fiendæ à Procuratoribus, vt docet *Gl. in d. cap. si quis, §. absens, ver. votum*, vbi ait, *quòd non solùm ipsius voti publicatio, sed etiam expressio in scrutinio, tantùm fieri debet, & non alitèr*, vt dicitur in *text. d. §.* quod non potest absentium literis adaptari.

Elector renuncians electioni, si pœniteat, & se retractet; an debeat admitti cum cæteris Electoribus, ad eligendum in Capitulo? Q. 18.

1 REspondeo affirmatiuè; re tamèn integra, *cap. licèt a 14.* adiuncta *Gl. de renunciatione*, secus, non integra, ex *cap. causis 30. de elect.* tùm quia, cùm res desinit esse integra, ampliùs reuocari non potest, vt communitèr tradunt *Scribentes in l. 1. de prætor. stipulat.* & docet *Gl. in d. cap. cùm in causis, ver. cùm res non esset integra*; tùm, ex illa vulgata iuris *Regula in 6. quod semel placuit, ampliùs displicere non potest*; tùm etiam, ex *Can. horrendus, 32. q. 5. & causa 8. q. 2. Can. dilectissimi, & cap. cùm inter Canonicos, de elect.* tùm itē, quia remittentibus actiones suas, nō est ampliùs regressus ad eas, *ff. de ædilit. edic. l. quæritur, §. si venditor*: vndè benè dicitur, quòd primus effectus renunciationis, est, vt qui renunciauit, non possit redire ad id, quod renunciatum est; tùm deniquè, quia huiusmodi renunciatio, spontè, & simplicitèr facta, censetur quædam cessio, seù donatio iuris, quæ recepta à donatario, non potest reuocari, vt in *Titul. Codic. de donat. & de reuoc. donat.* & similia *ibidem* allegat *Glosa*, & ad hoc facit *cap. cùm sanè, cap. cùm inter, cap. ex trāsmissa, & cap. cùm in præsentia, de elect.* & *Syl. ver. renunc. 10. q. 5.*

2 Res autem, tunc dicitur integra, quādo non fuit executa, neq; cœpta, & colligitur ex *cap. final. §. officium autem, de off. Iudic. deleg. in 6. l. & quia 6. ff. de iurisdict. omnium Iudicum, cap. quicunq; de sent. excom. in 6.* ibiq; *Gl. ver. re integra*, de qua re est omninò videndus *Ricc. p. 3. praxis, resolut. 344. nu. 6. Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 32. Merolla tom. 3. disp. 7. cap. 4. de iurisdict. diffic. 4. 5. 6.* vbi p extensū refert iura Canonica, & Ciuilia.

3 Ex quibus colligit, quòd per citationem res desinit esse integra, quod intelligo verum, respectu eorum, quæ citatione indigent; secus autem, si versamur in his, quæ citatione non egent, vt constat ex *d. cap. cùm in causis*, vbi Papa dixit, compromittētes non potuisse auocare potestatem, datam Compromissarijs, ex quo res non erat integra, hoc est, quia processerant ad tractatum electionis. Itèm Delegatus ad visitandam aliquam Prouinciam Religiosorum, vel aliud simile, per primum actum, seù executionem sui muneris, ceù esset, lectura literarum, & exercitium muneris,

quamuis

quamuis, leue, redderet potestatem sibi traditam, respectu donantis, non esse integram, & consequenter minimè reuocabilem; *Molina tract.5.de iust.disp.19.* propè *fin.*

4 Perindè, in casu posito, renunciatio spontè facta, & à Prælato per scripturam, vel coràm testibus recepta, per acceptationem huiusmodi, definit esse integra; ideòq; non est amplius reuocabilis, & præcipuè, si Prælatus coràm testibus, dicat, *Ego recipio, & accepto tuam renunciationem, & te absoluo, & libero ab huiusmodi onere*: quia per talem acceptationem, & absolutionē, extinguitur ius ipsius renunciantis; & in ius extinctum nō datur actio: quamobrèm benè dicit *Syl. ver.renunciatio*, *q.2. dict.4.* quod res non est integra, si Superior, exposita renunciatione, cœperat super acceptatione cogitare, & *Sanchez cit.loc.* vbi ex multis ostendit, rem non esse integram, vbi Prælatus acceptauerit.

5 Si verò Elector renunciauit votum suum, sub aliqua limitatione, & modo; sæpè dicendo, *renuncio pro hac vice tantùm*, & sic exeat de Capitulo, casu, quo nullus, tūc euadat legitimè electus, ex vi actus, quem Electores fecerunt, pro illa vice, qui renunciauit, modo dicto, si vult interesse alijs electionibus, etiam si fiant eadem Die, potest, & debet admitti; quia nō in totū renūciauit, sed limitatè, hoc est, pro tali actu, tūc celebrando; non autem simpliciter absolutè, hoc est, pro omni actu: quàpropter ad interessendum alijs electionibus, est necessariò vocandus, alias diceretur contemptus, & poterit instare pro electione cassanda, prout eruditè ex multis iuribus ostendit *Hostiens.* in *cap.cùm pridèm 10. de renunciatione, nu.47.* & luculentèr *Castell.in addit. ad numerum 22.cap.5. de legitimis Electoribus, pag.* mihi 490. & *Laur. Peyr. tom.3.* seù in *additam. ad Constit.Clem.VIII. cap.9. num. 29.*

6 Hæc autem renunciatio, facienda est proprijs Prælatis, vel Capitulis, habentibus auctoritatem acceptandi, secus nihil operaretur, vt constat ex iuribus, quæ allegat *Syl. ver.renunciatio, q.3.* quæ licèt loquantur de renunciatione Beneficiorum, Episcopatus, Abbatiatus, & similium; ad casum tamèn nostrum possunt referri, tùm, ob identitatem rationis, tùm quia, nostræ Prælatiæ habent, etiam curam animarum; tùm etiam, quia Religiosi subditi, nullum actum dominij, & proprietatis, possunt validè exercere, sine licentia Prælati; etenim ex voto obedientiæ, & paupertatis, quod emiserunt, non habent velle, neq; nolle, de quo possint disponere: sunt enim mortui Mundo.

7 Nec nocet *Lezana ver.renunciatio, n.6. in fin.* dicendo, quòd renunciatio aliorum iurium, quæ non sunt officia, seù beneficia, putà, vocis actiuæ, vel passiuæ, fieri potest coràm Aduersario, & Notario publico, vel Iudice, nomine Aduersarij, ex *l.2.ff.rem pup. sal. forè*, quia hoc procedit de iure ciuili, respectu secularium, qui sunt sui iuris; secus autem de iure canonico, & præcipuè respectu Religiosorum, qui non sunt amplius sui iuris, vt docet *Hostiens.in sum. de renunciatione, §.cui sit facienda, nu.8.in fin. fol.* mihi 165.

An Electores possint absq; culpa mortali, suæ voci actiuæ renunciare? Quæst. 19.

1 ET dico, quòd non; si ex tali renunciatione inferatur, vel possit inferri aliquod interesse Ecclesiæ, vel præiudicium communi bono: nisi fo[illegible]n, renunciatio fieret ex iusta, & rationabili causa; tùm, ob prædicta, tùm etiam, quia ex publico officio, in quo sunt, tenentur prouidere communi bono totius Religionis; etenim Priores, Guardiani, Prouinciales, Magistri in SacraTheologia, & huiusmodi non constituuntur in tali gradu, & statu, ob eorum priuatam, sed ob communem, & publicam commoditatem Ordinis, nempè, vt inuigilent in obseruantijs Regularibus, quibus nunquàm dicetur benè prouisum; nisi per electionem boni, & idonei Prælati, & occurrant malis, quæ possent Communitati nocere, quod magis procedit, & verius foret, si renunciatio fieret dolosè, ac fraudulentèr, ad hoc scilicèt, vt electio cadat in personam indignam; sic vtiq; fabricarent in gehennam, & actum esset de eis; esset enim hoc cooperari in crimine criminoso, hinc noster *Syl.ver.elect.1.q.5.dict.5.* ait, *sed intelligo, quòd potest renunciare, quando renunciatio non præiudicat bono communi: secus cum illius præiudicio, quia tunc tenetur non renunciare, nisi fortè esset perplexus, nesciens, quem eligat, quia aliter præponeret bonum proprium bono communi: vndè eo casu, potest compelli, vt dictum est.*

2 *Et sic malè faciunt, qui permittunt, eligi indignos, vel insufficientes, renunciantes voci sua, nè notentur, vel alio humano respectu, & posset faciliter hic esse peccatum mortale*: hæc *ille*: qui infrà *ver.elect.2.quæst.12.num.15.* post allegatos ait, *quòd si in Capitulo tractatur aliquod illicitum, tenentur illi de necessitate contradicere, aliàs habentur pro consentientibus, & ista innoluuntur peccato, & pœna peccati, cum alijs expressè consentientibus; & ver.*

& ver. consensus, q.3. nu.4. inquit, *quòd existens in consilio,& tacens, quando aliquod malum tractatur, quando obuiare potest, & non facit, inuoluitur peccato,& de damno tenetur, quia qui tenetur loqui,& tacet, consentit in eius praeiudicium, l. de ętate, §. qui tacuit, ff. de interrog. act. & cap. si post praestitum, de Conf. lib.6.* vbi eruditè loquitur, & multa allegat iura, ex quibus colligit, quòd quilibet tenetur habere curam boni communis.

3 Ad hæc faciunt, quæ loquitur noster *Ledesma in 2. p. sum. tract.7. cap.2. concl.24.* & *P. Franciscus Samuell. tract.1. disput.1. contron.16. de elect.* & *Nicolaus Garz. de benef. tom.1. p.2. cap.2. nu.542.* vbi sic ait.

Praedicta sententia limitatur, vt non procedat, iusta causa, ad non assistendum Capitulis: tanta enim potest causa concurrere, vt ab illis instissimè quis excusetur, etiam ordinariè, vt si in Capitulis esset tanta peruersio,& procederetur cum violentia Potentiorum, & Praesidentium, vt qui vellet satisfacere suæ concientiæ, & illam exonerare, non posset id facere, sine magnis molestijs, inquietudinibus,& occasionibus, & periculo aliquando cadendi, aut sine magna nota singularitatis, & propterea, & regulariter, quando votum illius, prodesse non speratur: hæc ille; ex quibus *Diana 1. p. moral. tract.3. de Comitijs, & Parlament. resolut.18.* colligit, durum esse, obligare aliquem ad assistendum Capitulis, cum tanto incommodo, & periculo, & ad opponendum se,& faciendum resistentiam torrenti Capituli: secus si sine periculo resistendo posset malo occurrere,& aliorum suffragia immutare: tunc enim non debet se subtrahere,& silere: sed se prodere,& validè loqui pro bono communi; quod tene menti, quia sępè occurrit; *Lauorius de elect. tit.4. cap.18. nu.87. Bonac. de contract. disput.1. q.2. pun.8. num.8.* & *Peyr. tom.3. priuil. cap.9. nu.28.*

Electores vocati, & venire renuentes, an possint compelli ad votandum in Capitulo? Quaest. 20.

1 P*Auor. in d. cap. quia propter, de elect. nu.4.* ait, illi, qui nolunt interesse, non debent compelli, iuxtà *cap. quia propter*; nisi Ecclesiæ intersit; nàm propter interesse Ecclesiæ, poterunt compelli; bonum enim commune, præfertur bono particulari, iuxtà illud *Pauli, Charitas non quaerit, quæ sua sunt,*& intelligentiam *D. Aug. in Regula,* & constat ex suprà decisis; quandoquidèm vnusquisq; de iure Diuino, & naturali, debet habere curam boni cōmunis.

2 Eò magis, si ad id teneatur ex officio publico, ceu Prior, Guardianus, & Consimiles, qui ex vi statutorum, & iure regulari, tenētur Prouincialē eligere,& Prouinciales, ac Diffinitores, ex publico officio, q exercent, tenentur Generalem eligere, & prouidere communi bono totius Religionis, & præcipuè, si non adsint alij, qui possēt hoc præstare, vt dictum est suprà, *q.14.*

3 Nec dices, quòd quilibèt potest suo iuri renunciare, *l. si quis in conscribendo, C. de pactis, cap. cùm accessissent, de constit. & cap. cùm ad Apostolicam, de Regul.* quia hoc intelligitur, quando talis renunciatio, fit solùm in præiudicium ipsius renunciantis, non autem, quando fit in præiudicium alterius, & boni communis, prout de communi latè probat *Rodr. tom.2. q.53. art.10. ver. nec obstat, Miranda tom.2. Manual. Pral. q.23. art.6. concl.5.* & *Tamb. tom.1. de iur. Abbat. disp.5. q.3. nu.12.*

Electorum vno contempto, est nè electio, ipso iure nulla? Q. 21.

1 R Espondeo negatiuè, potest tamèn annullari per sententiam Superioris, petente tamèn illo Vocali contempto, si noluerit, ratam habere electionem, ab alijs actam, & consentire, prout expresse habetur in *cap. quod sicut, 28. de elect.* ibi, *quòd si, eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit penitùs electio, taliter celebrata, nisi posteà propter bonum pacis, curauerint, consentire;*& in *cap. bonæ memoriæ 32. eod. tit.* ibi, *tùm quia, inuentus est A. fuisse contemptus, licèt vnus solus extiterit: cùm plus in talibus consueuerit contemptus vnius obesse, quàm multorum contradictio in praesenti,* hæc ibi.

2 Et ratio esse potest, quia licèt ad electionem celebrandam necessarium sit, vt omnes Electores, ad quos spectat, conuocentur, vt constat ex *d. cap. & cap. coràm,* & colligitur ex *d. cap. quia propter, eod. tit.* nihilominùs vocatio Electorum absētium, non est de forma, sed de iustitia electionis, vt dictum est suprà, & docet *Gl. d. cap. quia propter, ver. sanior, & d. cap. quod sicut, ver. vocatus;* etenim non vocare vocandos, est impeditio,& retardatio iurium Vocalium, ad quos de iure communi, vel speciali pertinet, in Capitulo vocare, seù suffragari; & sic impediti, & non vocati, dicuntur contempti, & læsi; nam contemptus dicitur is, qui legitimè non fuit vocatus, ex *d. cap. quod sicut;* ideòq; potest instare,& petere, huiusmodi electionem, ob sui contemptū, seù, ob iniustitiam sibi illatam, per Iudicem competentem, nullam declarari; & quod dicitur de vno contempto, potest extendi ad duos, tres, vel quatuor: eadem enim ratio

ratio militat in omnibus, *Portell, in dub, ver.elect. nu.13.* & habetur in *d.cap.q ficut.*

3 Reclamatio autem contempti, quãuis facienda foret, antè confirmationem electionis, *Lauor.tit.4.cap.17. nu.22. de elect.* potest tamen fieri, etiam post confirmationem, vt docet *Gl.in d.cap.quod ficut, & ibi Rubrica textus, Castell.cap.4.nu.49.* & *Tamb, tom.1. de iur. Abbat.disp.5.q.3.*

4 Et estò, quòd Vocalis contemptus, ratam habeat electionem, & in eam consentiat, eius tamèn votum, alijs accedens, non auget numerum Eligentium, nec potest facere, vt electio, aliàs ipso iure nulla, ratificetur, sitq; valida; quia consentire in casu nostro, & electionem ratam habere, non est eligere, sed noxam sibi illatam dimittere, *Lezan. ver.elect. nu.6.*

5 Dixi, illo tamen petente; quia contempto excepto, nulli Electorum, licitum est, excipere contra electionem, sub prætextu alterius contemptus; nàm exceptio iuris tertij, nulli conuenit: nisi propriæ personæ offensæ: vndè tacente Vocali contempto, non datur locus aliorum querelis, latè *Layman.in qq.Canonicis,q.39. & 40.* vbi ex multis ostendit, Electorem posse cedere, & renunciare suo iuri priuato, de quo non possunt alij, se intromittere.

6 Nec dices, Religiosum non habere velle, nec nolle, sed pro mortuo reputari, & exindè inferri, prædicta iura, ad Regulares non extendi: quia fallit consequentia, nec antecedens est absolute, ac simpliciter verum: nàm Religiosus, licèt per professionem dicatur mortuus Mundo, quoad propriam voluntatem: nihilominùs quòad ea, quæ sunt sibi permissa à Prælato, Regula, & Statutis, non dicitur mortuus, sed viuus; & quia Regularis, iure Regulari, potest inficere electionem, quoties fuerit contemptus, poterit id licitè exequi, iuxtà suas Constitutiones, absq; vllo periculo; prout ex multis colligit *Samuell.tract.1. disput.1, controuer.9. de elect.canon.*

Electores antè electionis celebrationem, an teneantur iurare de eligendo meliorem, quomodò, coràm quo, & sub qua forma? Quæst.22.

1 Quòd Electores, in omni electione Canonica Prælatorum Regularium, teneantur præstare iuramentum, de eligendo meliorem, secundùm veritatem cuiusq; conscientiæ, non est dubitandum, nàm habetur expresse in *Decretis Clem.VIII.* editis pro reformatione Regularium, tàm Monachorum, quã Mendicantium, cuiusq; Ordinis, & Instituti, §.35. ibi, *in Superiorum, & Officialium omnium electionibus, forma præscripta à Sacro Conc.Trid. & Ordinis Constit. inuiolabiliter seruentur, iurentq; Electores secundùm veritatem cuiusq; conscientiæ, probriores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquàm ad electionem deueniatur, in primis, & antè omnia, prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum, &c.* quæ Decreta habentur *tom.3. Bullarum Cherub. inter Bullas Pauli V, fol.80. & tom.4.pag.270. col.2.* & fuerunt ab *Vrb.VIII.* innouata, corroborata, & reualidata in *Decret.S.Congreg.sub tit.de Apostat. & eiect. §.1. & 12, in fin. tom.4. Cher.fol.268.*

2 Et est tale iuramentum præstandum, tactis scripturis, & præcipuè Euangelijs, argumento *cap.quoties,1.q.2. & cap.cùm in causa, de iuram.calum.* vel tacto pectore, more Clericorum, iuxtà praxim, & consuetudinem loci, coràm Præside, seu Præfecto Capituli, cunctis videntibus, sub hac forma verborum.

Ego N. iuro, & promitto Omnipotenti Deo, & Sancto N. Patrono huius Ecclesiæ, eum eligere, quem secundùm meam conscientiam, credam futurum Ecclesiæ, in spiritualibus, & temporalibus vtiliorem, vel secundùm alium modum, quem forsàn Regulares præscriptum habent in eorum Regulis: & quamuis de hoc in dicto *Decreto* nihil dicatur, recurrendum tamèn est ad ius commune, vel praxim, vel consuetudinem Religionis; quia casus omissus in aliqua particulari Constitutione, remanet in dispositione iuris communis, vt dictum est suprà.

An tale iuramentum, sit de substantia electionis, ità vt omisso, inualidetur, ipso facto electio? Q.23.

1 Quidam affirmant, putantq; esse certissimum, & se fundant in *Conc.Basilienſ.* in cuius *sess.23. & 38. de elect.* præcipitur omnibus Electoribus, cuiuscunq; Status, & Ordinis, vt antequàm procedatur ad electionem, iurent de eligendo meliorem, *ibiq;* declaratur, tale iuramentum esse necessarium, & substantiale simpliciter.

2 Verùm, quia *d.Conc.Basiliense,* non fuit generale, sed speciale; immò reuocatum, & scismaticum nominatum in *Conc. Lateranenſi, sub Leon.X.* vt dictum est suprà; de eo non est ampliùs curandum, sed quæsitum remanet examinandum, iuxtà terminos *d.Decret.Clem.VIII.* & *Vrb.VIII.*

3 Ad quod respondent *Castell. cap.3. nu.21.*

*nu.*21.*de elect. Bordon. resol.*26. *q.*9. *nu.*28. *Peyr.* in suo *formul.lit.E. cap.*2.*q.*1.*nu.*7. & *lit.V.cap.*6. & *Samuell.tract.*1.*disp.*4.*cotr.*12. *de elect.* non esse de substantia electionis, licèt sit omninò ab Electoribus obseruandum; & mouentur ex multis. Primò; quia, vt constat ex lectura *d. Decret.Clem.VIII.* istud iuramentum prærequiritur antè electionem, ceu vocatio absentium, tractatus, & prælectura Constitutionum, de qualitate, & requisitis Eligendorum, ergo est de præambulis, seu de extrinsecis, non autem de intrinsecis electionis, & cõsequentèr omissum, non facit electionem nullam, sed irritandam.

4 Secundò, quia non omnia illa *Decreta Clem.VIII.* sunt præceptiua, & præcipuè prædictum, quod est consultiuum.

5 Tertiò, quia esto, quòd esset præceptiuum, non habet decretum irritans, vi cuius, posset electio, mox reddi nulla; nàm vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *cap. solita, de maior. & obed.*

6 Quartò, quia multæ *Constit.* Ordinum fuerunt amplè confirmatæ ab eodem *Clem. VIII.* vel à suis Posteris, cum illa solita clausula: *dummodò non aduersentur Canon. & Decr. Conc. Trid.* ergò, non obstante prædicto *Decreto*, electiones sunt faciendæ, iuxtà *Constitutiones*, quæ cùm sępè hoc nõ iubeant, haud faciendum erit: quæ motiua vsq; ad tempora *Vrb. VIII.* videntur potuisse habere locum, secus post edita *Decreta de Apostatis, & eiectis*, in quibus, vt dictum est, innouantur prædicta *Decreta Clem.VIII.* cum decreto irritante, & cum amplissimis derogatorijs, vt liquet in §.12. *in fin.* & 13. ibi, *nihilominùs sit irritum, & inane, quidquid secus à quoquam actum extiterit*, & §.14.ibi, *non obstantibus Constit. quorumcunq; Ordinum, etiam Mendicantium.*

7 Hinc *Tamb.tom.*1.*de iur.Abbat.disp.*5. *q.*6.*nu.*29.& *Megal.* in suo *promp. ver. electio, nu.*37. aiunt, quòd tale iuramentum est de conditionibus substantialibus, quod omissum, facit electionem nullam, ipso facto.

8 Amplia, quod dictum est de Electoribus, ad Procuratores eorum, qui valent, per Procuratores eligere, hi namq; etiam tenentur iurare, nomine proprio, non autè nomine Domini sui, ex quo hodiè ob *Decretum Conc.Trid. cap.*6. *sess.*25. *de Regul.* non possunt constitui Procuratores ad eligendũ in specie, sed tantùm in genere, ipsi sunt, qui in indiuiduo eligũt, ergò ipsimet iurare tenentur, in propriam conscientiã; adeò vt Dominus constituens, in Procuratorijs litteris teneatur iurare, se legitimo impedimento detineri, vel dicto suo Procuratori, de tali impedimẽto, iurãdi facultatẽ facere, & sic Procurator institutus, vltrà iuramẽtu, per ipsũ præstandum, nomine Domini sui, super legitimo impedimento, tenebitur nomine proprio iurare, secundùm veritatem suæ conscientiæ, se electurum meliorem, & magis idoneum Ecclesiæ; prout fusè ex multis ostendit *Peyr. in dict. lit.V. cap.*6.*nu.*9.

9 Qui debent aduertere, quòd iurare de eligendo meliorem secundùm veritatem propriæ conscientiæ, est se obligare, coràm Deo, ad eligendum illum, quem probriorem iudicant, secundùm id, quod propria conscientia illis dictat.

10 Est autem conscientiæ actus intellectus practici, in indiuiduo dictans, quid esset faciendum, vel fugiendum, teste *D.Thom.*1.2.*q.*19.*ar.*5. cõmunitèr recepto.

11 Insupèr quòd, & prætermittentes tale iuramentum, nedùm peccant mortalitèr, verùm etiam, possunt grauitèr puniri, ex quo delinquunt in re grauissima, & sunt violatores *Apostolicarum Constitutionum.*

12 Non desinam tamèn dicere, quòd in Familia Dominicana tale iuramentum non est in praxi; vel quia tale præceptum, de eligendo meliorem, non fuit vsu receptùm, vel quia Constitutiones huius Ordinis, in quibus nihil cautum est de tali iuramento, fuerunt amplè, ac nouè confirmatæ ab codẽ *Vrb.VIII.* per *Breue* speciale, sub annulo Piscatoris, die 14. Martij, anno 1644. quo inhibebatur Vocalibus, ne secundùm ritum, & facultatem Capitulorum Generalissimorum, quidquam circà immutationem nostrarum Constitutionum attentarent, prout fuit denunciatum in *Capitulo Generalissimo*, Romæ celebrato sub Reuerendissimo P. Fratre Thoma Turco eodem anno, die verò 14. Maij, & constat ex eius *Actis, denunciat.* 2. Confirmatio autem facta ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis, restituit priuilegia, à iure communi, vel ab homine abrogata, p ea, quæ dico in *tract. de confirm. priuil. q.*7.

Elector, an teneatur reuelare delicta occulta Eligendi, ad hoc, nè eligatur, cùm cognoscat, illum futurum esse perniciosum Communitati ? Q. 24.

1 Affirmatiuè dic; quibusdam tamèn concurrentibus. Primò, si videat, electionem imminere illius, & periculum sit in mora. Secundò, si cognoscat, eum certò perniciosum esse Communitati. Tertiò, si alio modo, & via, nequcat præfatam electionem impedire. Quartò, si id faciat zelo Communitatis, nõ autem,

priuata passione, cùm vnusquisq; strictiori iure, teneatur consulere bono communi, quàm huius, vel illius secretum seruare.

2 Nec dices, quod detectio peccati occulti, et alitèr pniciosi, non est licita nisi fraterna correctione praemissa, iuxta illud *Matth.* 18. *si peccauerit frater tuus, &c.* Quia ad eam sciens, tenetur, si periculum non sit in mora, & probabilitèr credat, suis precibus, & admonitione secreta, posse illa impedire; secus, quando exindè emendatio non speratur, & serpit virus, malumq; exemplum, *D. Thom.* 2.2. *quaest.* 33. *artic.* 3. communitèr receptus.

3 Vndè licet, hereticum denunciare, ne alios corrumpat, proditorem, nè prodat, lepra, aut peste laborantem, aut alio contagioso morbo, nè ceteros inficiat, inhabilem, ne ordinetur, vel ad beneficium assumatur, & similia, *Nauar. in sum. cap.* 18. *n.* 31. *&* 56. latè *Rodr. tom.* 2. *q.* 53. *art.* 3. *Castell. cap.* 5. *num.* 84. & *Peyr. tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 31. §. 3. *pag.* mihi 146.

Electores, an teneantur, sub peccato mortali, eligere meliorem? Q. 25.

1 DE hac re gloriosè tractat *D. Thom. quodlib.* 4. *art.* 15. *quodlib.* 6. *ar.* 9. *& quodlib.* 8. *ar.* 6. *&* 2.2. *q.* 63. *ar.* 2. *in respons. ad tertium, & q.* 185. *artic.* 3. *ibiq; Caiet. & in sum. ver. beneficium, & ver. elect. Bannes in d. loc.* 2.2. *q.* 63. *Palud. in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. *concl.* 4. *Syl. ver. elect.* 1. *q.* 16. *& ver. acceptio personarum*, eruditè *Sot. de iust. lib.* 3. *q.* 6. *ar.* 2. *concl.* 9. *& lib.* 4. *q.* 6. *ar.* 3. *conclus.* 7. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 1. *Petrus Ledesma in* 2. *p. sum. tract.* 7. *cap.* 1, *concl.* 6. *Ioan. Baptista Corrad. in p. respons. q.* 121. *in addit. &* 2. *p. q.* 8. latè *Castell. cap.* 9. *de elect. per totum, & cap.* 5. *nu.* 9. *Tab. ver. elect.* 1. *nu.* 13. & nupèr *Samuell. tract.* 1. *disput.* 7. *controuer.* 5. & alij *Thomistae*, quibus indifferentèr subscribunt ceteri, qui cum suo Magistro incunctantèr affirmant, Electores in foro cōscientiae teneri sub culpa lethali, eligere meliorem, quamuis in foro fori sustineatur electio digni, praetermisso digniore, ducunturq; ex multis.

2 Primò, quia violatio iustitiae distributiuae, vel commutatiuae, per acceptionem personarum, est de suo genere peccatum mortale, vndè dicitur *Iacobi* 2. *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini Nostri Iesu Christi.*

3 Sed in Electionibus, Prouisionibus, & Collationibus Beneficiorum, praetermittere digniorem, propter minus dignum, est manifestè, vtramq; iustitiam violare, quandoquidèm Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, sunt bona communia, meritorum praemia, & Virtuosorum honores, ordinata in bonū Ecclesiae, & in bonum ipsius Electi; prout latè probat *Sot. cit. loc. & Bannes, vbi suprà, dub.* 3.

4 Ergò debentur Virtuosioribus, & Dignioribus; qui ergò dignior, & virtuosior extat, est ceteris praeferendus; nam ad consequendum illa, fouet potiora iura: Cùm igitur praetermittitur, laeditur in suo iure quaesito, & patitur grauem iniuriam, & forsitàn interesse, quod est contra iustitiam distributiuam, de cuius ratione est, reddere vnicuiq; ius suum, non autem adimere.

5 Confirmatur, nam hoc ius, quod ipsis Electoribus, & Prouisoribus competit, datum est eis à iure, ad effectum, prouidendi Ecclesiae in bonum ipsius, quod est ei praefigere vtiliorem, & prudentiorem Praelatum, qui prudentèr sciat, eius iura defendere, & conseruare: quod autem in fauorem, & beneficium Ecclesiae, concessum est, non est retorquendum in odium ipsius, neq; dirigendum contra mentem ius ferētis, alias foret, iustitiam commutatiuam violare, quae magis adstringit, dùm ad commune bonum, quod respicit, ordinatur.

6 Secundò, quia vnusquisq; tenetur Diuina ministeria fidelitèr ministrare, quod fieri debet ad vtilitatem Ecclesiae, secūdùm illud 1. *Cor.* 12. vbi ait *Apostolus, vnicuiq; datur ministratio spiritus ad vtilitatem*, scilicèt ad commodum Christianae Reipublicae, & *cap.* 14. ait, *ad aedificationem Ecclesiae quaerite, vt abundetis.*

7 Sed qui omittit Digniorē, facit cōtra fidelitatem, quam Ecclesiae, ex suo officio debet, secundùm illud *Matth. cap.* 24. *quis putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*

8 Et admittit acceptionem personarū, cōtra illud *Iacobi*, quod positum est suprà, vndè benè contra quosdam *Hier.* dicit, *quòd quidam non quaerunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos cognoscant Ecclesiae prodesse: sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs liniti, vel dediti, vel pro quibus maiora quispiam rogauerit; & vt deteriora taceam, qui, vt Clerici fierent, mulieribus impetrarunt*, haec ille; & *D. Aug. Epistola* 29. *ad Hier.* ait, *quis ferat, si quis diuitem eligat ad Sedem honoris Ecclesiae, contempto paupere instructiore, & sanctiore*, & refert vtrunq; dictum, & loca scripturae *D. Thom. in d. loc.* 2.2. *in arg. sed contra, & in corpore, & in d. quodlib.* 18. *ar.* 3. *in corpore.*

9 Vndè *Sot. in d. lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. post *conclus.* 9. dicit, *quòd praedicta conclusio D. Thom. est de Iure Diuino, contra quod,*

vsq;

vsq; adeò, nullo tempore præscribitur, vt quò longior fuerit eius abusus, eò fiat delictum grauius; hæc *ille*: non enim possunt Electores, & Prouisores huiusmodi, sine infidelitate, & acceptione personarum, facere, vt in bonis patrimonialibus Iesu Christi, dignioribus, & hi dignissimis antecellant.

10 Tertiò, ex *cap. Metropolitano 19. dist. 63.* ibi, *ex Præsbyteris eiusdem Ecclesiæ, optimus ordinetur*, vt paritèr dicitur in *authent. de Monachis, coll. 1. & cap. Moyses, 8. q. 1.* vbi etiam referuntur prædicta verba *D. Hieron.*

11 Quartò, ex *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.* vbi definitur, mortaliter peccare Electores, nisi eligant illos, quos reputant digniores, & *cap. 18. eod. tit.* præcipitur Episcopis, vt ex nominatis ab Examinatoribus, tanquàm dignis, eligant, & exquirant digniores, ibi, *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atq; illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat,* & infrà, ibi, *tunc Episcopus solus ex dignis, eligat digniorem.*

12 Hinc illi, ad quos spectat, & ius habent conferendi beneficia, cum animarum cura, per prouisionem liberam, aut eligendi, siuè præsentandi, si prætermittant digniores, quod in eis non præsumitur, & minus dignum eligunt, præsentant, & prouident; peccant mortaliter, ob rationes, suprà positas; quæ concludunt in omni electione, & prouisione facta, tamèn cum cura animarum, & præcisè, ob authoritatem *Conc. Trid. in d. cap. 1. sess. 24. de reform.* vbi absolutè, ac simplicitèr, sic loquitur; *omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumq; ius habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in ijs pro præsenti temporum ratione, innouãdo, hortatur, & monet, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & Populorum salutem, vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ, idoneos promoueri studeant, eosq; alienis peccatis communicantes, mortalitèr peccare; nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles iudicauerint, non quidèm precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligentèr curauerint*, hæc *ibi*; in quibus canonizata apparet p̃ licta cõclusio *D. Thom.*

Erratio esse potest illa paululùm superiùs recensita; quia scilicet non sunt Domini beneficiorũ, sed Oeconomi, Tutores, & Dispensatores, qui tenentur, rem Domini sui, quantum commodè possint promouere: Secus infidelitèr agunt, & fabricãt in gehennam, & hæc est verior, tutiorq; sententia, amplectenda pro animarum salute, *Sayr. decis. 22. de pœnit. Aloys. Ricc. collect. 931. & in decis. Curiæ Arch. Neap. 12. Portell. in dub. ver. Elect. n. 6. Miranda tom. 2. Manual. Præl. q. 23. ar. 13. Barbosa collect. tom. 1. tit. de elect. cap. 19. nu. 4.* vbi pro se allegat triginta tres *Doctores*, & in *collect. ad cap. 18. Conc. Trid. de reform. nu. 137. & de off. & potestate Episcopi, allegat. 60. num. 68. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 31. §. 4. per totum, Diana 1. par. moral. tract. 15. Miscell. resol. 61. Lezana 1. p. sum. cap. 15. num. 14.* & *D. Consiliar. Carleual. tom. 1. de Iudicijs, disput. 1. num. 24. & seq.*

13 Neq; his obstat *text. cap. cùm nobis 19. de elect. § altius quoq; litteratura*, quatènus habet, *litterarum non eminentem, sed solùm conuenientem, sufficere ad Prælaturam*; quia *ibi* electus erat Subdiaconus Papæ, & cum competenti litteratura, habebat Curialitatem antiquam, & consequentèr experiẽtiam, benè agendi, & prouidendi, quam acquisiuisse præsumitur, dùm viuens tandiù fuit in Curia, exindè poterat præferri non habentibus talem praxim, prout *ibi* notat post citatos *Barbosa nu. 6. Ricc. in d. collect. 931.* & *Diana in d. resolut. 61.*

14 Nec nobis obijcies, *cap. graue nimis 29. de præben.* vbi vult Papa, ad hæc idoneos assumi, nec *cap. 3. sess. 7. Conc. Trid. de reform.* quo cauetur, *vt inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam Animarum habentia*: quia, & si in *d. loc.* dicatur, *beneficia Ecclesiastica conferenda esse dignis, & habilibus*, non tamèn *ibid.* dicitur, vt collatio, in qua dignior prætermittitur, sit sine peccato, vt benè aduertit *Diana* cit. *loc.* etenim nec Papa, neq; *Concil.* excludunt graduationem faciendam inter dignos: Immò mens eius per subsequentia *Capitula*, nempè *1. & 18. sess. 24. Conc. Trid. de reform.* aperitur, & declaratur; & per speciem generi derogatur, nè dicam, quòd genus per speciem declaratur, dùm ergò habemus loca propria, non est ad communia recurrendum.

15 Nec his obstat praxis, & consuetudo, seù communis vsus eligere dignum, quidquid sit de dignioribus: quia vsus approbat in praxi opinionem, quando non repugnat rationi, *Baunes* cit. *loc.* & additur, quod eligere meliorem, est de iure Diuino, & naturali, contra quod nec præscriptio, neq; vsus potest habere locum, *Sot. in dict. lib. 3. de iustit. q. 6. art. 2. conclus. 9.* vbi ait, *quòd vbi longior fuit eius abusus, eò fiat delictum grauius.*

16 Pro consolatione tamèn conscientiarum, idem *D. Thom. in d. 2. 2. q. 63. art. 2. in respons. ad tertium*, hæc verba refert.

Sed quantum ad conscientiam Eligentis, necesse est, eligere meliorem, vel simplicitèr, vel in comparatione ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus, erga

aliquam

aliquam dignitatem, & alius præferatur; oportet, quòd hoc sit, propter aliquam causam, quæ quidèm, si pertineat ad negotium, quantum ad hoc, erit ille, qui eligitur, magis idoneus; si verò non pertinet ad negotium id, quod consideratur, vt causa, erit manifestè acceptio personæ; hæc ille; qui in *d.q.185.ar.3.in corpore,* ait, *ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est, secundùm Charitatem, sed meliorem, quoàd regimen Ecclesiæ, qui scilicèt possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacificè gubernare:* hoc ipsum dicit in *d.quodlib.*

17 Ex qua autea doctrina, plura inferuntur Corollaria, quæ post citatos, per extensum refert *Barbosa in collect. ad dict.cap.18. Conc.Trid. sess.24. de reform. nu.140. & seq.*

18 Benè verum est, quòd, vt ait *D.Thom. in d.respon. ad tertium,* in foro Iudiciali, sufficit eligere bonum; nec opotret eligere meliorem; secus enim omnis electio posset habere calumniam; & secundùm hoc intelliguntur iura, quæ dicunt, Electionem factam de digno, valere, *Syl. ver.elect. 1.q.16.* & sic fundat in *cap.cùm olim, cap.cùm dilecti, c.cùm inter Canonicos, de elect. Sot.cit. loc. Nauar. lib.5. de simonia, cons.8. nu.1. & 2.* & in *Manuali, cap.17.nu.72.* & *Couar. ad regulam peccatum, p.2.§.7.n.4.*

An liceat in aliquo casu, indignum eligere? Quæst.26.

1 RE*spondeo*, quòd in nullo casu licet indignum eligere, etiam si omnes de Capitulo essent indigni, quia hoc casu, est ad exteros recurrendum, *cap. graue nimis, de præb.* aliàs Eligentes, nedùm peccant mortaliter, ex quo violant saltèm iustitiam distributiuam; verùm etiam, fiunt participes omnium peccatorum committendorum à tali indigno Prælato, à se electo, prout clarè habetur in *d.cap.1.sess.24. Conc.Trid.de reform.*

2 Et consequentèr tenentur ad omne interesse, Ecclesiæ illatū, tàm ratione lucri cessantis, quàm damni emergentis, sunt enim causa immediata omnis damni, *Sot. in d.lib.3.de iustit.q.6.ar.2.conclus.7. Nauar, in Manual. cap.17. nu.72. & lib.5. de simon. cons.8.nu.1.& Rodriq.tom.2.q.52.ar.5.*

3 Nec non in penâ patratæ culpæ, sunt ipso facto priuati potestate eligendi, pro illa vice tantùm; immediatè scilicèt subsequenti, *cap.cùm in cunctis 7.de elect.§.Clerici sanè.* ibi, *& eligendi tunc potestate priuatos;* tunc, hoc est, illa vice, priuatos ipso iure, vt *ibid.in eod.ver.Glos.* declarat, & habetur expressè in *cap. cùm vnuon, 25. eod, tit.* ibi, *nos igitur attendentes, quòd isti, post primam electionem, admiserant ad secundam, & quòd Decretum memorati Concilij, decreuit, huiusmodi præsumptores, vna vice dumtaxat, eligendi potestate priuatos,* hæc ibi.

4 Et electio huiusmodi erit ipso iure nulla, vt liquet in *d.cap.* Immò si maior pars eligat indignum, & minor pars dignum, hæc admittitur, sustinetur, eritq; valida, & si sit celebrata à paucioribus: illa autem nequaquàm, sed est nulla, ipso iure, & de facto reprobatur, vt dicitur in *d.cap. gratum gerimus 2. de postulat. Prel.*

5 Quod intellige verum, cùm Electores scientèr eligunt indignum, prout colligitur ex *d.cap.cùm vnuon. & cap. congreg.53. de elect.* vbi *rubrica*, & summa *text.* ait, *si maior pars Capituli scientèr eligit indignum, valet electio de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta.*

6 Quapropter, si maior pars Capituli, in rei veritate ignorantèr, iam elegerit indignum, minor verò pars dignum, non ideò confirmari debet electio minoris partis, sed vtraq; est cassanda, cùm hic casus non sit expressus in *cap.scriptum*, neq; in *cap.quia propter, de elect.* solùm enim, quando maior pars remanet priuata, tunc electio minoris partis, tanquàm legitima, potest confirmari, quod est, quando Electores scientèr eligunt indignum; secus si ignorantèr: quia ignorantia excusat à pena, & fraus, & dolus in iure tantùm punitur, *Castell.* post allegat. *cap.5.nu.67.*

7 Ex his collige, quòd nec vnus singularis Vocalis interessentium, in casu, quòd omnes alij Electores vellent eligere indignum, quamuis certò sciat, nihil se profecturum, per denegationem sui suffragij, potest alijs se conformare; quia, vt dictum est, in nullo casu licet eligere indignum; nā bonum commune, debet præferri bono priuatorum, & præstat mori, quàm mortalitèr peccare; quia mors animæ magis, quā corporis timenda est: *Lezana 1.p.sum. cap. 15. nu.14.* & fusè *Pyr.tom.1. de subd.q.1. cap.31.q.3.§.2.* vbi disputat ad partes, & acritèr reprehendit pusillanimos.

8 Amplia, vt Eligentes indignum, sint etiam priuandi voce passiua per trienniū, nè scilicet ab alijs eligi possint, *cap. per inquisitionem,* & argum. *cap.cùm in cunctis, de elect.* vbi suspenduntur ab Officijs, & Dignitatibus per triennium.

9 Dignus autem ille dicitur, qui habet omnes partes, conditiones, & qualitates, à iure præscriptas, de quibus dicitur in *tract. de eligendis:* Indignus verò absolutè dicitur, qui prædictis caret, vel indiget, vt de communi docent *Canonistæ.*

Ele-

Electores, an possint in aliquo casu, sine culpa mortali, eligere dignum, digniore omisso? Quæst. 27.

1 ET quidèm valent, id agere in multis casibus, & Primò, quando dignior non est in promptu, & non reperitur hìc, & nunc, & Ecclesia indiget: quia præceptum de eligendo meliorem, intelligitur, de possibilibus haberi, & qui in promptu sunt; nàm ad impossibile nemo tenetur; hi enim, de quibus constat, quòd haberi non possunt, extrà latitudinem Eligibilium computandi sunt, *Caiet. in d.2.2. q.63. ar.2. ver. nota* 4. nec Elector tenetur per vniuersum Orbem digniorē requirere.

2 Secundò, si id necessitas Ecclesiæ exigat, vt si vacent simul duo Beneficia, quorum vnum est simplex, sed pingue; alterùm verò Parochiale, at tenue; & non sunt, nisi duo oppositores: in tali casu, non debet eligi dignior in beneficium pinguius, sed in Parochiale, licèt sit sterile; quia bonum commune antèfertur bono particulari, & cura animarum exigit prudentiorem, ac doctiorem, nullo habitu respectu ad introitus; *Charitas enim Christi vrget nos*, *Sot. in d.lib.3. de iustit. q.6. art.2. ad secundum argum.* post *conclus.9.* & *Bannes* cit. *loc. 2.2. dub.3. conclus.3.*

3 Tertiò, si sit paruus excessus inter personas eligendas, vel inter dignitates, ad quas sunt eligendi; quia quando modicus excessus interuenit, minima iniuria fit digniori non electo; & paruitas materiæ excusat à mortali, vt liquet in furto; *Sot.* cit. *loc.* post *concl.9. in dub. de elect.* & *Bann.* vbi suprà, *dub.3. conclus.1.*

4 Quod procedit, etiam si Electores iurassent de eligendo meliorem simplicitèr; quia etiam iuramentum promissorium, in materia leui non obligat sub mortali, *Ledesma 2.p. sum. tract.11. cap.3. conclus.5. dub.1.* & *Peyr. tom.1. de subd. q.1. cap.31. §.4. in 2. limit.*

5 Nec obstat *Bann.* cit. *loc. ver. ex quo sequitur*, dicens, quòd iuramentū, ex quo est indiuisibile, obligat sub mortali, secundùm rigorem promissionis; nàm etiam in re parua, seriò promissa transgreditur iuramentum, & iuramentum violare, mortale est: Quandoquidèm iuramentum promissorium, licèt non admittat paruitatem materiæ, respectu animi iurantis seriò, & absolutè; nihilominùs, respectu rei futuræ, quæ potest variari, non ratione iurantis, sed ratione alicuius circumstantiæ, loci temporis, vel personæ, admittit paruitatem materiæ; proindè potest violari, sine mortali, *Samuell. tract.1. de elect. disput.6. controu.4. conclus.6.*

6 Quartò, si maior pars Eligentium, firmitèr decreuit, eligere minus dignum, ità vt moralitèr sit euidens, quòd talis euadet electus, minor pars poterit, se illis cōformare, prætermisso etiam dignissimo, quia in isto casu, est impossibile, eligere digniorem, stante malitia cęterorum Electorum: votum enim vnius, vel minoris partis Electorum, non sufficit ad eligendum digniorem, seù dignissimum, & sicut electio non potest extendi ad ipsum, ità nec obligatio; etenim obligatio ad eligendum digniorem, habet locum in casu possibili, secus autèm impossibili; *Caiet.* & *Sot.* & *Bann. vbi suprà.*

7 Confirmatur, nàm non tenemur eligere meliorem, absolutè, & simplicitèr, sed hìc, & nunc, hoc est, comparatiuè ad casū occurrentē: in facti aūt cōtigentia, dignior non est eligibilis; ergò minus dignus, erit dignior, respectu loci, & tēporis occurrētis; quod est valdè notādū, quia sępè occurrit, & procedit, etiam si Electores iurassent de eligendo meliorem simplicitèr, quia sic, non dicuntur facere contra iuramentum; nàm, vt dictum est, eo casu, ille minus dignus censetur magis dignus; quia est magis acceptus Cōmunitati, seù Electoribus, *Rodr. 1.p. sum. cap.106. concl.5. nu.7.* *Peyr.* in suo *formul. lit. E. cap.2. de forma iuram. q.4. n.10.* *Diana p.3. tract.5. Miscell. resol.110. cas.3.* & *Lezan. 1.p. cap.15. nu.14. in fin.* vbi dicit, id licere pro conseruando bono pacis; & quamuis contra hæc multa possint obijci, nihilominùs de facili soluuntur à nostro *Bann.* cit. *loc.*

8 Quintò, Elector potest, immò debet, & tenetur suffragari minus digno, dimisso digniore, seù dignissimo; si hoc pacto impedit electionem indigni: etenim fieri potest, vt Elector sit moralitèr certus, quòd dignior non eligetur, etiam si ipse ei suum suffragium præstet; & ex altera parte, est probabile periculum, quòd ipso suffragante pro digniore, ea pars præualebit, quæ vult eligere omninò indignum: poterit tunc, immò tenebitur, ad obuiandum electioni indigni, suffragari digno, relicto digniore, si sit aliqualis spes, quod eo modo electio indigni euitabitur, & eligetur dignus.

9 Quod procedit, & est verum, etiam si ipse iurauerit, se electurum digniorem simplicitèr; tùm ob prædicta, tùm etiam, quia iuramentum est intelligendum, supposito, quòd possit illum eligere, habita ratione maioris vtilitatis Ecclesiæ, quæ semper præoculis est habenda, & est communis, *Conrad. 1.p. respons. q.121. in addit. Castell.*

cap. 9.

cap.9.de eligendo dig.nu.19. Diana cit.*loc. Pasqualig. decis.* 256. post multos relatos *nu.5.* vbi pariter objicit, & soluit, quod in *decis. subsequenti* ampliat ad eligendum mediocrem, ad impediendum electionem minus digni.

10 Sextò, vt si Elector eligat cōciuem dignū, vel quē de Collegio; quia Oriundus, & Indigena dignus, præfertur extraneo digniori, quod perpetuò manda menti; quia est frequens in vsu, *Samuell. Dominicanus tract.1.disp.6.controu.6. conclu.1.& sequent. de elect.* vbi id examinat, tàm ex parte Collegij, quàm ex parte Personæ.

11 Septimò, si eligit secundùm Statuta, quia habēs requisita secundùm Regulam, & Constitutiones, est dignior non habentibus illa: in Ordine enim Prædicatorum electio debet esse idonei Viri, hoc est, vt sit Sacerdos, habeat duodecim annos, à Professione, & sciat in suo Conuentu proponere Verbum Dei, Grammaticè loqui, sequi Chorum, Refectorium, Dormitorium, communem vitam, habeatq; deniq; omnes conditiones, à Sacris Canonibus requisitas, vt dicitur in *tex.5.c.2.de elect.Prior.*& declaratur sub *lit.P fol.*113. *col.*2.

12 Et tandèm, alios casus vide apud allegatos, & præcipuè *Barbosam in collect.ad d.cap.18.Conc.Trid.sess.24.de reform.n.*140. & obserua doctrinam *Caiet.2.2.q.55. ar.2. in princ.* vbi ponderat, quòd communis vtilitas, non est vtilitas corporalis, sed spiritualis; in hoc enim differt Regimen Ecclesiasticū à Ciuili, quia hoc secundum ordinatur ad commune bonū exterius, vtputà pacem, vel abundantiam, &c. Ecclesiasticum verò ad interiorem animæ pacem.

Electores, an teneantur inuestigare de benemeritis personæ eligendæ? Q.28.

1 Affirmatiuè dic; secus peccant mortalitèr; & incidunt in pœnas *cap.cùm in cunctis,§.Clerici,de elect.* hoc est, sunt priuati voce actiua, & passiua, & *cap. bon.memor.il secondo, de postul. Prælatorum;* nam qui non facit, quod de iure facere tenetur, præsumitur dolosus, & fraudulentus, *cap.innotuit,de elect.* vbi *Abbas nu.*21.& 22. ait, quòd Electores ad remouendā huiusmodi præsumptionem, contrà illos existentem, debent probare, se illum ignorantèr elegisse.

2 Hinc *Ioan.Andr. in d.cap.bon.memor.* ait, & benè, quòd ignota persona non est eligenda; & *Panor.nu.*15. ait, quòd Eligentes non saluant conscientiam suam, eligēdo illum, cuius plenam notitiam non habent, vel per se, vel per alios, cum quibus conuersatus est, *cap. scriptum,eod.tit.* & hoc sufficit, nec ad aliud tenentur; quandoquidèm Elector fecit quantum potuit, vt scientiam, & veritatem attingeret, circa qualitates personæ eligendæ: si tamèn adhùc, id non assequatur, potest liberè suffragari, & absq; scrupulo, cuicunq; conscientia dictauerit; tùm quia, nemo tenetur; nisi ad id, in quantum potest; tùm etiam, quia suffragia danda sunt, non secundùm veritatem in re; sed secundùm veritatem, quam conscientia cuiusq; veram existimat; modò conscientia regulata sit à ratione absolutè, non à voluntate absolutè, sed à voluntate illuminata, & ducta ab intellectu practico; *Sayr.in Claui reg.lib.1.cap.2.Rodr.1.p.sum.* sub *tit.de conscientia erronea,* & *Peyr. in formul. lit.E. cap.2. num.5.*

Elector, an possit iustè denegare suum suffragium ei, quem per solam Confessionem Sacramentalem, nouit indignum? Quæst. 29.

1 Hæc quæstio est de difficilioribus, suosq; hinc indè habet Achilles, & soluitur ex ea, an Confessarius possit vti notitia Sacramentali ad regimen externum, omittendo, vel faciēdo, quod aliàs non esset facturus, vel omissurus?

2 *Henricus Gandauensis quodlib.8. q.18.* dicit, quòd Sacerdos in nullo casu potest se alitèr habere cum pœnitente, post Confessionem, quàm antè: nec potest se iuuare aliquo modo, notitia confessionis; sed cuncta debet gerere, ac si prorsus ignoraret conscientiam pœnitentis.

3 *D.autem Thom.in 4. sent.distin.21.q.3. art.2.* vbi latè de sigillo Confessionis, *in respons.ad tertium,* ait, quòd in eodem foro, supple pœnitentiæ, debet Prælatus, quantum potest monendo adhibere remedium, vt in casu posito, Prioratum resignet, vel si noluerit, potest ex aliqua alia occasione, absoluere à cura Prioratus, ità tamèn, quòd omnis suspitio vitetur de Confessionis reuelatione.

4 Et clariùs in *quodlib.5.ar.13.* vbi quærit, an Prælatus possit subditum suum ab administratione remouere, propter illud, quod in Confessione audiuit, & ait, quòd sic; si tamèn posset remotio fieri, cum tāta cautela, & absq; probabili suspitione, quòd remotio fieret, ob peccatum auditum in Confessione.

5 *Sot.* verò *in relect. de ratio. tegendi, & detegendi secretum, memb.3.q.4.* post *concl.5. pag.* mihi 352. inhærendo doctrinæ *D.Thom: in d.*

in d.quodlib. ait, quòd Sacerdotes per sciẽtiam, quam habent in Confessione, non possunt postmodùm priuare pœnitentem eo, ad quod habent, quodammodò ius, sed tantùm in gratuitis, vbi habent liberam potestatem, possunt eum, & priuare, & non admittere, vbi de re egregiè loquitur, & est omninò videndus, & etiam in 4. *sent. distin.* 18. *q.*4. *art.*5.

6 Ad quæstionem tamèn incunctantèr, negatiuè respondent *Armilla ver. Confessor, num.*7. *Bannes* 2.2.*q.*33. *art.*8. *dub.*8. *in fin. in respon. ad quartum, Lopez.* 2.*p.cap.*96.*q.*1. *Ioan.Bap.Corrad.* 1.*p.respon. q.*334. *&* 335. *Nugn. in addit. ad tertiam partem D.Thom. q.*11.*art.*1. *Magister Candidus disquisit. moral. tom.*2.*disquisit.*24.*de Conf.Sacram.ar.*52. *dub.*1.2.3. *Samuell. disput.*6. *tract.*1.*contr.*7. & sequuntur *Rodr. tom.*2. *q.*53. *art.*4. fusè *Sanchez de matrim. lib.*3. *disput.*16. *nu.*3. *& sequent. Barthol. à S.Fausto de pœnit. lib.*7. vbi latè de sigillo Confessionis, *q.*45. *& sequent.* luculentèr *Diana p.*5.*tract.*11. *de sigillo Confessionis, resolut.*3. *&* 4. *Peyr. tom.*1. *de subd. q.*1.*cap.*31.*§.*2.*q.*2. *pag.* mihi 143.*col.*1.*Laymon. lib.*5.*tract.*6.*cap.*14.*q.*2.*num.*22. *de Sacram. pœnit. Bonac. tom.*1.*disput.*5. *q.*6. *sect.*5. *pun.*4.*num.*8. *Ioan. Sanchez* in suìs *selectis disput.*8.*nu.*10.& *Lezan.*1.*p.sum.cap.*15. *nu.*14.*in med.* quibus libentèr adhæreo, propter multa.

7 Primò, quia potissima ratio, ac causa finalis, ob quam sigillum Sacramentale, tàm strictè, ac inuiolabilitèr obligat, est, nè hoc Sacramentum à Christo Domino, in salutem Humani Generis institutum, reddatur hominibus formidabile, durum, & terribile; sed potiùs dulce, suaue, & facile, ad hoc, vt homines, ad Confessionem attrahantur magis, & implicitùs peccata detegant, vt præclarè docuit *D.Thom. in* 4. *sent. distin.*21.*q.*3.*ar.*1. nàm Christi fideles, dùm sciunt, & audiunt, Sacerdotem, ratione sigilli Sacramentalis; sic adeò strictè obligari, & coarctari, vt nequeat, peccata sibi confessa alijs reuelare, nec extrà Confessionẽ de illis aliquo modo loqui, nec quidèm cũ suo pœnitẽte, sine eius licentia, nec cum alijs, nec quidquã agere, quod suo Cõfitẽti sit graue, eiquè damnum, vel incommodum inferat, vel per quod conquæri, aut à Sacramento deterreri possit; & alitèr agendo, deponi ab officio, & beneficio, & perpetuis Ergastulis coarctari; facilitèr, & absq; vlla formidine, & scrupulo, Confessiones frequentant, confitentur liberè, & sua peccata detegunt.

8 Sed ità est, quòd nihil magis odiosum, illud potest reddere hominibus, quàm si illi intelligant, posse priuari à suis Superioribus, officijs, ordinibus, aut mutari in alia loca, & sibi negari suffragia ad communes honores, & commoda, ob notitiam peccati, in sola Confessione detecti.

9 Ergò, nè homines auertantur à Confessione, & nè fiat iniuria Sacramento pœnitentiæ; omninò abstinendum est ab opinione contraria, si hodiè opinio dici potest, prout optimè ex multis demõstrat *Sanch. in d.loc. de matrim.*

10 Confirmatur, quia ad hoc, vt iniuria fiat Sacramento, satis est, quòd fideles antecedentèr sciant, posse Superiores iuuari notitia Confessionis in Regimine externo; nàm sic Cõfessio fit illis grauis, & molesta: etenim dùm audiunt, peccata sola Confessione cognita, ius tribuere Confessarijs in externum Regimen; timent, & terrentur confiteri: proindè à Confessione desistunt, & retrahuntur.

11 Nec dices, quòd votũ est occultum, adeò, vt nec ipse remotus ab officio, possit suspicari, id ortum habere à Confessione prædicta: nàm quòd pœnitens, nullo modo, suspicetur, suffragium in electione occulta, sibi à Confessario denegatum fuisse, ob audita in eius Confessione, est per accidens: attamèn per se Confessio est illi grauis, & molesta ob prædicta; quamobrèm, prædicta opinio, vt periculosa, & nociua honori, & reuerentiæ Sacramenti, est à praxi omninò exterminanda, & ab hominum memoria abolenda, *Sanchez, Candid. à S.Fausto, & Diana, vbi supra.*

12 Secundò, quia si Superiores, ob solam notitiam Confessionis, possent licitè in electione, sibi Confessis denegare suffragiũ, futilis, & inanis fieret reseruatio casuum, quod est contra *Trident. sess.*14. *cap.*7. *de pœnit.* ibi *Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, pro beneficio absolutionis accedant*: nàm Clerici, præsertim, quorum promotio ad officia, dignitates, & honores, à voluntate suorum Prælatorum dependet, nunquàm ad eos accederent cum tãto periculo remoueri à possessis, & impediri à consequendis.

13 Tertio, nàm forus contentiosus, & forus conscientiæ, sunt diuersi, & longè distant, vt benè probat *D.Thom. in d.loc. sent. dist.*21.*q.*3.*ar.*1. *quæstiuncula prima*, quem sequitur *Sylu. ver. Confessio* 3.*q.*14. sed acta vnius fori, vt communitèr *Legistæ* dicunt, non probant, nec obligant in alieno foro, vt liquet in Curia Laicali, & Ecclesiastica,

14 Ergò Confessor non potest iudicare externa, per ea, quæ sciuit in foro interno; prout optimè docet *D.Thom. in eod. loc. sent. & in* 2.2.*q.*64. *art.*6. vbi ait, quòd Iudex

debet solùm iudicare secundùm allegata, & probata, & non ex particulari scientia, quod item habetur in *cap. iudicat. 3. q. 7.* ergò allata in foro Dei non debent extendi ad forum Cæsaris.

15 Quartò, quia, vt ipsamet summa Veritas dixit, *non nè duodecim horæ sunt diei?* ergò qui nudiustertius fuit homo pector, potest esse hodiè sanctificatus, & consequentèr dignus, & dignissimus ad obtinendum beneficia.

16 Quintò, quia ità decreuit *Clem. VIII.* in sua *Constit.* incip. *Sanctissimus Dominus,* edita pro casuum reseruatione, quam *Paul. V. Greg. XV.* & *Vrb. VIII.* confirmauit, ibi *tàm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad Superioritatis gradum, assumpti fuerint, caueant diligentèr, nè ea notitia, quam de aliorum peccatis, in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur,* & habetur per extensum in *4. tom. Cherub.* post *Constitut. 26. Vrb. VIII. pag. 273.* & in nostris *Constit. in fin. Prol. pag. 10. col. 3.*

17 In qua *Constitutione* aduerte plura, & Primò, quòd Papa vetat absolutè, Prælatum tali scientia vti, siuè ea vtatur in rebus, quæ sitæ sunt in sua potestate, siuè in his, quæ non potest facere sine causa, siuè ea vtatur, absq; periculo fractionis sigilli, quoad alios, siuè quoad penitentem ipsum: Cùm enim non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed obseruare; eò magis, quia prædicta *Constitutio* edita est in fauorem animarum, & ad temperandum præceptum Confessionis auricularis.

18 Secundò, quòd in *d. Const.* habetur illa clausula, *diligentissimè caueant*, quæ de se importat formale præceptum obedientiæ, & consequentèr obligat ad mortale.

19 Tertiò, quòd non possunt Prælati, non solùm vti notitia Confessionis, quam habuerunt tempore Prælaturæ; sed nec illa, quam habuerunt, antequàm ad Prælaturas assumpti essent, vt manifestè dicitur in lit.

20 Exindè collige, opinionem contrariam, saltem respectu Regularium, hodiè non posse sustineri, & violatores prædicti *Decreti* peccare mortalitèr, fieri sacrilegos, & incidere in pœnas seuerissimas, iuxtà terminos *cap. Sacerdos, de pœnit. distin. 6. & cap. omnis vtriusq; sexus, de pænit. & remiss.* prout ex multis ostendit *Pyr. tom. 2. de Præl. q. 3. cap. 2. §. 2. nu. 64.*

21 Nec dices, quòd Sacerdos audiendo Confessionem pœnitentis, non priuatur iure suo, quod alioquin ipsi competit, at si Confessionē penitentis non audisset, posset illi suffragium denegare; ergò etiàm id potest post auditam eius Confessionem; quia nos non dicimus, Confessarium, propter auditam confessionem, priuari iure, ac libertate suffragandi, vel refragandi; attamèn dicimus, eum prohiberi, nè ad tale aliquid faciendum, moueatur ex scientia comparata ex confessione, quia peccatum per confessionem cognitum, non potest esse causa impulsiua ad denegandum suffragium, vel ad quid tale operandum in externo Regimine, prout mirificè loquitur *Baun. in d. loc. 2. 2.* nàm quæ scit Confessor in cōfessione, scit, vt Deus, vt dicitur in *cap. si Sacerdos, de off. ordin.* & docet *D. Thom. in d. loc. 4. sent.* ergò ea scientia haud potest vti, vt homo, & humano modo, ad sui libitum potiri.

22 Neq; his obstant loca *D. Thom.* superiùs relata, tùm quia *D. Thom. in d. loc. sent.* sapientèr dicit, quòd potest Sacerdos suffragium ei denegare, quem per Confessionem nouit, Prælatura esse indignū, vel eum etiam impedire, si aliæ appareant causæ indignitatis eius: vndè apparet euidentèr, quòd *D. Thom.* non loquitur de negatione suffragij, ob solam notitiam Confessionis, sed si Confessarius, vltrà notitiam Sacramentalem, habeat alias causas antecedentèr, vel consequentèr ad Confessionem, ad quas posset referri negatio suffragij, posset vtiq; ei denegare votum, non ob audita in confessione; at ob scita aliundè: etenim, vt dictum est, Confessarius propter Confessionem auditam, non amittit ius vtendi sua scientia, alitèr acquisita, vt notat *D. Thom. in d. loc. sent. distin. 18. quæst. 4. artic. 5. ad tertium.*

23 Tùm etiam, quia *D. Thom. in d. quodlib. 5.* loquitur, sub conditione de possibili, hoc est, si posset fieri remotio ab officio Prioratus, cum tanta cautela, & prudentia humana, ità tamèn, vt omnis suspicio caueatur de Confessionis reuelatione, & quòd nullatenus violaretur sigillum Sacramentale: quæ quidèm conditio, quamuis speculatiuè, ac Methaphysicè, posset esse possibilis, & vera.

24 Nihilominùs practicè, & moralitèr, est impossibilis; & conditio impossibilis habetur pro non adiecta; tùm item, quia nullibi reperitur, *D. Thom.* docuisse, Confessarium, per solam scientiam Sacramentalem, posse suo Confitenti denegare suffragium, *Sanch. cit. loc. nu. 6. ver. cæterum.*

25 Nec tandèm nocet *Nauar. in cap. Sacerdos, de pœnit. distin. 6. num. 146. & seq.* dicendo, Confessorem peccare mortalitèr, si eligat in Prælatum, quem per solam Confessionem cognouit indignum, & incidere in pœnas *cap. cùm in cunctis, de elect.* quia

quia de facto excessit: vndè acritèr reprehenditur à *Rodr. in d. tom. 2. q. 53. ar. 4.* nàm pœnæ latæ contra transgressores in foro contentioso, non extenduntur ad culpabiles in foro Dei; Ecclesia enim non iudicat de occultis.

Electores, an valeant suas voces variare? Quæst. 30.

1 ET dico, quòd non; publicato scrutinio, secùs antè publicationem eiusdem, vt docet *Gl. in cap. quia propter, de elect. in ver. publicent,* & *Syl. ver. elect. 2. q. 7.* & habetur expresse in *cap. publicato 58. eod. tit.* tùm quia, post publicationem, res non est integra, tùm etiam, quia electio initiatiuè est singulorum, nàm Electores initiatiuè eligunt, vt singuli iure proprio, completiuè autem, quando, scilicèt, facta collatione numeri ad numerum, publicatur scrutinium, & tūc vocatur electio communis, & sic non possunt variare, vt dicitur in *d. cap. publicato, de elect.* & docet ex multis *Remig. Scropha q. 34. nu. 13.* tùm item, quia ista mutatio potest esse Ecclesiæ damnosa; nàm protraheretur electio, & mora in electione est periculosa.

2 Amplia, vt vbi Electores immiserint schedulas suas in vrnam, in communi loco præparatam, ad finem eligendi, non valeant ampliùs variare; tùm quia, per immissionem, & receptionem schedularum in vrnam prædictam, res desinit esse integra, tùm etiam, quia quod semel placuit, ampliùs displicere non potest, re non integra, per *Iuris Regulam 21. in 6.* & notat *Gl. in d. cap. publicato, in ver. variare,* tùm item, quia nemo potest mutare consilium in præiudicium alterius, *l. nemo, ff. de reg. iudic. sua;* tùm deniq; quia si ponens schedulam in vrnam, posset illam reassumere, & votum mutare, daretur locus iurgijs, litibus, fraudibus, & dolis: sic enim quilibet posset ex malitia electionē turbare, vel in longum protrahere, & Communitatem inquietare; quod est contra dispositionem *cap. cùm inter vniuersas, il secondo, de elect. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 31. §. 6. pag. 150. col. 2. ver. sed quid, si vnus.*

Si per vnum de Electoribus appelletur, & opponatur, nè fiat publicatio, quid agendum? Quæst. 31.

1 REspondeo, quòd si pars appellans sit minor, & nihil rationabile opponat, tunc, non obstante tali appellatione, debet fieri publicatio, iuxtà *d. cap. quia propter, de elect.* secùs autem, si omnes, aut maior pars opponant, & petant, variari, *Hostiens. in summ. de elect. §. vtrum mutari possit, nu. 22.*

Electores, an possint electioni se opponere, quomodò, quandò, & coràm quibus? Quæst. 32.

1 HAc in re, multa veniunt consideranda; Primò, quòd si ab Electoribus fiat appellatio, nè procedatur ad electionem, ad finem impediendi, sine vera, & iusta causa, non valet, nec est admittenda, tanquàm friuola; secus si fiat ex iusta, & vera causa, vtputà, si locus, in quo celebranda est Electio, sit interdictus, si Electores sint inhabiles, propter excommunicationem, vel ob aliquod simile, *cap. considerauimus, in princip. de elect.* adiuncta *Glos.*

2 Secundò, quòd Eligentes aliquem, vnanimi consensu, non possunt deindè illi electioni opponere: nisi ex causis posteà emergentibus, vel nisi eis improbitas morum Electi, de nouo sit manifesta, quæ tempore electionis, erat illis secreta, prout habetur expresse in *cap. nulli 8. de elect. in 6.* ibi *nulli licere decernimus, postquàm in scrutinio nominauerit aliquem, & electio fuerit subsequuta, vel postquàm præstiterit electioni de ipso, ab alijs celebratæ consensum, illū super electione ipsa, nisi ex causis posteà emergētibus, impugnare, vel nisi ei morum ipsius anteà celata, de nouo pandatur improbitas, vel alicuius alterius latentis vitij, vel defectus, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas reueletur:* hæc ibi: vbi *Gl. in ver. latentis, & ver. defectus* ponit multa aduertenda.

3 Tertiò, quòd hæc oppositio fieri potest triplici modo, nempè contra formam electionis, contra Electum, seù Eligendum, & contra Electores, in scriptis tamèn, cum iuramento, & causa rationabili exprimenda in litteris, oppositionem, & appellationem continentibus, iuxtà dispositionem *cap. vt circa 4. de elect. in 6.* ibi *Edicto perpetuo prouidemus, vt si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel prouisionibus, se opponūt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seù prouisionis formam, aut personas Eligentium, vel Electi, siuè illius, cui erat prouisio facienda, siuè facta: & propter hoc contingerit appellari: appellantes in instrumento publico, seù litteris super appellatione confectis, omnia, & singula exprimant, quæ in formam intendunt obijcere, vel personas: coràm personis authēticis, aut persona, quæ super hoc testimonium perhibeāt veritati, corporali præstito iuramento, quòd credunt ea, quæ sic expri-*

munt, esse vera, & se posse probare, &c. hæc *ibi*: in quibus est omninò videnda *Glos.* & præsertim in *ver. formam*, & *in ver. eligentium*, vbi multa habes ad opponendum.

4 Quartò, quòd contenta in *cap. innotuit, de elect. & in d. cap. vt circa, eod. tit. in 6.* renouantur, & reualidantur in *cap. qu: contra 20. de elect. in 6.* sub his verbis præcisis.

Qui contra certam, & nominatam personam, nè ab alijs eligatur, ad Sedem Apostolicam, antequàm fiat electio, duxerit appellandum: debet per omnia in appellando seruare formã Constitutionis felicis recordationis Gregorij Papæ X. prædecessoris nostri, Vt circa, editæ in Concilio Lugdunensi. ac si electione iam facta, eum contigeret appellare; alioquin non obseruans, pœnæ Constitutionis eiusdem se nouerit subiacere, & cap. quamuis 10. in eod. lib. & tit.

5 In quo *Capitulo* Superiores hortantur refrænare temerariam appellantium audaciam, & quòd ipsimet appellãtes possunt ab eorum appellatione recedere, de qua re late *Castell. per totum cap. 16. de elect.* & *Peyr. tom. 1. de subd. quæst. 1. cap. 32. §. 2. pag. 162. col. 1.*

6 Proindè, in *Capitulo Generali* Valentiæ celebrato, sub Reuerendissimo P. Fratre Thoma Turco, totius nostri Ordinis Generali Magistro, sub anno Domini 1647. iure optimo, in declarationibus dictum fuit: *Declaramus, & ad lites, & fraudes vitandas decernimus, quòd in electionibus, sic possint fieri protestationes, & oppositiones, quòd liceat quidem Electoribus post electionem protestari, & se opponere Electori, quantum ad personam Electi, vel quantum ad defectus, qui in actu formali electionis euenirent, sed quantum ad ea, quæ præcedunt actum formalem Electionis, scilicèt, collationem schedularum, vt circa validatem votorum, si aliquis excludi debeat, vel admitti, siuè quantum ad vim, si scilicèt, Electoribus facta fuerit vis, vel non facta, & similitèr circa quæcũq; ad materiam, vel formam electionis spectantia, quæ actum formalem electionis, scilicèt, actualem collationem schedularum præcedunt, non liceat alicui Electori, post electionem protestari, seù electioni se opponere, decernentes, omnes similes protestationes & oppositiones, nullas, & pro nullis habendas, nec earum aliquam rationem haberi debere, & opponentes hoc modo fore puniendos*; hæc *ibi in declarat. 1.*

7 Et quamuis contra ius Canonicum, ab Inferioribus Papa, nihil possit statui: nihilominùs prædictum statutum, quòad ea, quibus derogare videtur, si fortè sint de substantia, & forma electionis, existimo, editum authoritate Apostolica, ad refrænandum effrænatam appellantium audaciam, & temeritatem; vel potiùs dicẽdum; *Capitulum Generale* prædictum, nihil statuere contra ea, quæ sunt de iure Canonico, & forma electionis: Sed tantùm suis Subditis præcipere, nè vtantur ea facultate, quam ad id habent à iure, se scilicèt electionibus opponendi; quod æquum, & iustum censeo, cùm possit iuri communi, ac priuilegijs renunciare, vel illa limitare, aut sibi Subditos cogere, nè illis vtantur, vt pluries dictum est.

Electores, an possint reijcere totum negotium electionis in Superiorẽ? Q. 33.

1 Affirmatiuè dic, & habetur in *cap. causam, quæ, de elect.* tùm quia, possunt pro illa vice non eligere, vel expressè renunciare iuri suo, maximè si ex hac renunciatione, nullũ inferatur præiudicium Ecclesiæ, tùm etiam, quia possunt cõpromittere in alium, per *cap. quia propter, de elect.* ergò possunt conuenire, vt electio in Superiorem deuoluatur, *Abbas in cap. bonæ memoriæ, il primo, de postl. Prælat.*

2 Quod dictum Ego intelligo verum; si omnes consentiant, & de communi voluntate electionem reijciant in Superiorem, secus, vno discrepante.

3 Si roges, facto tali compromisso, an hi Electores valeant reuocare mandatum? negatiuè *Gl. in d. cap. causam, quæ, de elect. in ver. prouideret.*

Si Superior intrà tempus præfixum, electionem non faciat, deuoluitur nè Electio ad primos Electores? Q. 34.

1 Et dico, quòd in tali casu, nec P. Prouincialis, nec primi Electores poterint eligere, sed ius prouidendi deuoluitur ad P. Generalem, & successiuè ad Papam, iuxtà ea, quæ dixi in *tract. de tempore electionis, q. 7.* & habetur expressè in *cap. 1. de supplenda negligentia Prælat.*

Si in vno Conuentu nõ sint, nisi tres Vocales, qui iuxtà nostras Constitutiones, sufficiunt ad eligendum aliquem ab extrà: an possit vnus, vel duo ex illis, renunciare, & conuenire cum alijs, ad hoc, vt electio deuoluatur ad P. Prouincialem, cui in hoc morem gerit? Quæst. 35.

1 Affirmatiuè dic; cessante tamèn fraude, & damno Ecclesiæ; tùm quia,

quia, Electores in Capitulo Conuentuali, non eligunt iure publici officij, sed iure proprio, & priuato, cui licitum est, renunciare, *cap. cùm accessissent, de Constit. cap. Ad Apostolicam, de Regular.* & docet *Lunor. de elect. tit. 4. cap. 18. nu. 87.* ergò.

2 Tùm etiam, quia ius eligendi positum est in libera potestate Eligentium, & præcipuè in nostra Familia quòad ius eligendi Priores, tùm etiam, quia in hoc nullum damnum causatur Communitati, vt supponitur, cũ æquè benè, & fortè meliùs, ei prouideatur per Prouincialem, quàm per paucos Electores. Nec dices, in tali casu fieri præiudicium, & iniuriam cęteris Vocalibus: quia hoc non intenditur ab Electore renunciante, & si per accidens illis fieret, sed rantùm vsus iuris sui, *Peyr. tom. 3. de priuil. cap. 13. nu. 29. in med.*

3 Dixi, cessante fraude, quia nihil cum dolo faciendum est: vndè si Elector renunciaret, ad hoc, vt per Prouincialem, indignus posset eligi, peccaret vtiq; mortalitèr, & teneretur ad omne damnum: hoc enim foret cooperari in malum.

4 Dixi, sine damno Ecclesiæ: quia quando periculum esset in mora, non potest renunciare, quia vnusquisq; tenetur communis boni curam habere, vt dictum est suprà.

5 Nec obijcies, quòd hoc fit ad complacendum P. Prouinciali, quia simplicitèr complacere Prælato, non est malum; & præsertim in rebus licitis, sine alterius præiudicio.

6 Dixi, an possint, non autem, an benè faciant; quia fortassis omnia licent, sed nõ omnia expediunt: quamobrèm Prouinciales non debent hoc petere: immò nec spontè oblatum admittere; insupèr, & Electores huiusmodi, ad eligendum cogere, & ius deuolutum in illos remittere.

7 Neq; his possunt obstare, quæ dicta sũt suprà *tract. 3. q. 11.* quia illic loquimur de inhabilibus inuitè factis, hic verò de his, qui spontè recusant, & nolunt conuenire.

Electores molestans, vel aggrauans, ex quo non elegerunt, quem Prouincialis desiderabat eligi, an sit excommunicatus? Quæst. 36.

1 Affirmatiuè deciditur in *cap. 12. de elect. in 6.* vbi habentur hæc propria verba.

Sciant cuncti, qui Clericos, vel quaslibet alias personas Ecclesiasticas (ad quos in aliquibus Ecclesijs, Monasterijs, aut alijs pijs locis, spectat electio) pro eo, quod rogati, seù aliàs inducti, eum, pro quo rogabantur, siuè inducebantur, eligere noluerunt, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, Monasteria, seù loca cętera, beneficijs, siuè alijs bonis suis per se, vel per alios spoliando, seù aliàs iniustè persequendo, grauare præsumpserint; se ipso facto excommunicationis sententia innodatos.

2 Quod Decretum, in Ordine Prædicatorum, in *Cap. Bonon. 1615.* fuit omnibus intimatũ, & habetur in *Declarat. sex. 7. de elect. Prior. cap. 2. pag. 117. col. 3. in fin.*

Elector legitimus, ex aliquo tamèn casu, cęcus factus, an sit ab electione repellendus? Q. 37.

1 Negatiuè dic; dummòdò aliàs sit legitimus, & reperiatur in possessione eligendi, hoc est, si antè suam cęcitatem, fuit solitus cum alijs in Capitulo eligere, & actu pluriès elegit: quia, vel proceditur ad electionem per scrutinium, oretènus faciendum, & sic sufficit, habere loquelam, vel fit per schedulam; & sic poterit illam per vnum de suis Confidentibus, secretò facere scribere, & cum alijs manu ductus, in vrnam ponere; quod dictum præsertim habet locum in Familia Dominicana, in qua Electoribus mandatur, vt scribant, vel scribere faciant nomen Eligendi, ad quod facit Declaratio Sacræ Congregat. *Conc. Trid* quam sub his præcisis verbis refert *Castell. cap. 5. nu. 60. de elect.*

Dummodò cęcus, antè cęcitatem, acquisierit possessionẽ eligẽdi Priorem, vel Prouincialem.

2 Verùmtamen ad euitandum tot incommoda, melius est, vt renunciet, si tamèn commodè fieri potest.

Electores, in Ordine Prædicatorum, infrà quod tempus, tenentur Priorem eligere? Quæst. 38.

1 Et quidèm, Electores, in Ordine nostro, tenentur infrà mensem eligere; si verò non elegerint, vel postulauerint, Prior Prouincialis prouidet; prout expressè dicitur in *ccxi. 5. cap. 2. de elect. Prior. pag. 112. col. 3.*

2 Hic autem mensis incipit à Die, quo de carentia Prioris, in Conuentu constiterit, vt *ibid.* declaratur *lit. O.* & exclusiuè à prædicto Die computandus est, prout fuit declaratum in *Capitulo Generali*, Romæ celebrato anno 1629. sub Reuerendissimo Rodulfio, *declarat. 13.* quia Dies termini non computatur in termino.

3 Hi Electores, si statuerint aliquam Diem,

Diem, ad eligendum Priorem, infrà dictũ Mensem, & in Die illa stabilita non elegerint, poterunt alium Diem infrà ipsum Mensem, ad electionem faciendam constituere, vt *ibid.* declaratur *lit.O.*

4 Verùm, si non elegerint, etiam si actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes, fecerint; statim transacto illo primo Mense, deuoluitur ius ad Prouincialem, vt *ibid.* habetur, & constat ex *Clem. exiui, §. ceterùm, de ver. signif. cap. si compromissarius, de elect. in 6. l. si vnus, §. 1. ff. de pactis, l. Imperator, ff. de postuland.* ex quibus constat, quòd concessum ad tempus, post illud, censetur derogatum.

5 Verùm si Prouincialis Canonicè aliquem elegerit, & contingerit, vt cassetur electio, incipiet de nouo alter mensis electionis, à Die, quo Canonicè constiterit Conuentui prædicta cassatio, quod sanè intelligẽdum est, habere robur, quomodocunq; cassetur electio, siuè propter defectũ in ipsa commissum, siuè propter aliam rationem, & si in isto casu Prouincialis Priorem prouiderit, ille talis nõ erit Prior; & quanquàm Constitutio Prouinciali terminum non præfigat, sed absolutè dicat, quòd si infra mensem non elegerint, Prior Prouincialis Conuentui prouideat de Priore; non tamen propter hoc intendit derogare iuri communi, quo cauetur, vt ille, ad quem potestas deuoluitur, debet infrà tres Menses Ecclesiæ viduatæ prouidisse, & habetur in *cap. nè pro defectu, de elect.* & ideò si Prouincialis, vel eius vices gerens in prædicto casu, infra tres Menses, Conuentui non prouiderit; elapsis tribus Mensibus, nõ poterit prouidere, & si prouiderit, prouisio non valebit; sed ad Magistrum Ordinis potestas prouidendi deuoluitur, vt habetur in *cap. licèt, de supplen. negligent. Prælat.* vbi *Glos.* dicit, quòd mora in Electionibus non potest purgari.

6 Amplia, quod dictum est de Prouinciali, ad P. Reuerendissimũ Generalem, nã dato casu, quòd electio facta à Generali per deuolutionem, non sortiatur effectum suum, quia, scilicèt, electus mortuus est, vel renunciauit, vel electio propter occultum Electi vitium cassata est, non deuoluitur ad P. Generalem, sed ad Priores electores, prout aduertit *Glos. in cap. si electio, ver. integrum, de elect. in 6.* & *in Anchar. ver. 4.* notat *Barbosa num. 6.* & *Sigismund. de elect. dub. 12. nu. 13.* nàm sicut per negligentiam Priorum electorum, electio ad Superiorem deuoluta est, *c. Vuintou. de elect.* ita per negligentiam Superioris, electio ad Priores electores deuoluitur; non est enim cur negligentia potiùs puniatur in Subditis, quã in Superiore; *Peyr. tom. 3. de Priuil.* seù *additam. ad Constitutionem Iul. 2. cap. 3. n. 7.*

Electores in Ordine Prædicatorum, ad hoc, vt vocem habeant in electionibus Priorum, quot, & quales conditiones debent habere? Quæst. 39.

1 ET quidèm, Elector, in Ordine nostro, multas qualitates debet habere, vltrà eas, quæ sunt de iure communi, de quibus dixi hìc suprà *q. 6.*

2 Nam primò, de iure antiquo Constitutionis requiriritur, vt Elector sit in sacris constitutus, ad minus, scilicèt, insignitus ordine Subdiaconatus; quod hodiè est etiã de iure nouo *Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.* ibi *in Subdiaconatus Ordine saltèm cõstitutus non sit*, Secundò, quòd annos quatuor à professione compleuerit, vt constat ex *text. 6. cap. 2. de elect. Prior. pag. 114. col. 2.* ibi *Fratres autem post annos quatuor à professione sua, si tamen sint in sacris constituti, ad electionẽ Prioris Conuentualis admittãtur.*

3 Verùm, hodiè nullus Religiosorum nostri Ordinis, potest habere vocem actiuã in electione: nisi sit Sacerdos, & compleuerit sex annos integros à sui professione, quod cautum est auctoritate Apostolica, vt clarè declaratur in *d. text.* sub *lit. O. col. 4.* quod amplia, etiam requiri ad electionem Sociorum, vt *ibid.* dicitur.

4 Quàpropter non nocet illa *Ordinatio*, Valentiæ edita sub anno Domini 1596. sub hac forma verborum.

Ordinamus, auctoritate Apostolica, neminem in posterùm, in quauis electione Canonica, vocem tàm passiuam, quàm actiuam habiturum, qui duodecimum annum à professione non compleuerit, in Prouincijs Indiarum, octauum ad minus, quod statutũ in *cap. subsequenti*, Neapoli celebrato 1600. extensum fuit, etiam ad electiones Priorissarum; quod etiam Romæ 1601. fuit etiam auctoritate Apostolica confirmatum, & declaratum, debere etiam intelligi de electione Sociorum Priorum, euntium ad Capitulum Prouinciale, & de Tertiarijs, quę solemniter sunt professæ.

5 Quia, quòad vocem actiuam, derogatum est auctoritate Apostolica, & de voluntate *Pauli V.* vt *ibid.* dicitur.

6 Hinc paritèr vacat, & abrogatum censetur illud, quo fuit Romæ in dicto anno 1601. declaratum, nempè, quòd si aliquando in aliquo Conuentu, sint tantùm duo Vocales, adiungantur alij vsq; ad quinarium, & sint in sacris, ab Antiquioribus incipiendo, quòd si tot non suppetant, addan-

addantur, saltèm vsq; ad ternarium, & tunc eligant isti Priorem.

7 Quia hoc fuit dictum accessoriè ad *d. Capitulum* Valentiæ, cuius, stante Ordine Apostolico, *ibid*, expresso, valdè fuit diminutus numerus Electorum, ità, vt aliquando; vix duo reperirentur in paruis Conuentibus; ideòq; iure optimo fuit in *d. Capitulo* Valentiæ, quòad vocem actiuam abrogatum, & consequentèr dictum *Capitulum* Romanum; etenim accessorium sequitur naturam sui principalis, quo deficiente, deficit; Fessus in *summ.* nostrarum *Constitut. part. 3. cap. 6.*

8 Tertiò requiritur, vt per vnum Mensem, antè electionis Diem, reperiatur assignatus in eo Conuentu, in quo facienda est electio, iuxtà *text. 4. cap. 16. de Ordinationibus, distin. 2. p. 193.* vbi habentur hæc præcisa verba.

Cùm electiones nostræ maximè liberæ esse debeant, & omni nota coactionis carere: districtè iniungimus Prioribus, Prouincialibus, & quibuscunq; Vicarijs, quòd infrà mensem antè electiones, quascunq; nouas assignationes, & mutationes Fratrũ nõ faciãt in Cõuentibus, in quibus electiones huiusmodi fuerint celebrãdæ; nisi pro officio Lectoratus, vel Prioratus, vel pro graui scandalo euitando, vel nisi in Prouinciali Capitulo, vel in Loco ipsius Prouincialis Capituli, sicut in aliquibus Prouincijs est consuetum; quòd si contrarium factum fuerit, huiusmodi assignationes, vel mutationes (quòad priuationes vocis in Conuentu, de quo fiunt ipsæ mutationes, & quòad ipsam vocem in Conuentu, vbi fiunt assignationes) suum nõ sortiantur effectum.

9 Immò hodiè per duos Menses, antecedentèr ad dictum tempus electionis faciendæ, iuxtà *Decretum Clem. VIII.* pro Dominicanis editum, sub anno Domini 1601. & in *Capitulo Generali*, Vallisoleti celebrato anno 1605. sub Reuerendissimo P. Fratre Hieronymo Xauierre, sub *tit. acceptationes, nu. 3.* Superioribus omnibus nostri Ordinis, sub his verbis intimatum.

Acceptamus illam Ordinationem, ex mandato Clem. VIII. factam in præcedenti Capitulo, nè scilicet duobus mensibus, antè tempus electionis Prioris, vllæ fiant assignationes, vel reuocationes, addentes, quòd si factæ fuerint, Fratres sic assignati, non habeant vocem in quauis electione illius Conuentus, donec alius fuerit confirmatus, hæc *ibi.*

Quod reperitur in *Declarat. ad text. 6, cap. 2. de elect. Prior. pag. 117. col. 3. declar. 3. & in declarat. text. 4. d. cap. 16. de ordinationibus,* sub *lit. C.* vbi etiam hæc habentur.

Cùm autèm tempus electionis sit Mensis, qui incipit à Die, quo nota fuit carentia Prioris, sequitur, vt per duos alios Menses, antequã iste Mensis electionis incipiat, tales mutationes, & assignationes fieri non possint, hæc *ibi.*

10 Aduerte tamen, prædictum *Decretum Clem. VIII.* de non assignando infrà duos Menses, antè notitiam carentiæ Prioris, in multis casibus non procedere, & Primò, in expressis in *d. tex. 4. cap. 16. de ordinat.* nàm solùm tempus non assignandi infrà vnum Mensem, antè mensem electionis, fuit extensum ad duos, absq; vlla derogatione contentorum in *d. cap. de ordinationibus:* intentio enim *d. Clem. VIII.* fuit tantùm prouidere fraudibus, quæ possent exindè fieri, ex quo per *Bullam Iul. 2.* hodiè Priores, ac Prouinciales habent tempus præfixum administrandi, sciturq; finis eorum officij, & dolus posset facilitèr adhiberi, si assignationes, & reuocationes possent fieri infrà vnũ Mensem antecedentèr ad electionem, prout declaratum fuit Parisijs 1611. & habetur *in declarat. tex. 7, cap. 2. de elect. Prior.* sub *lit. Q. pag. 117. col. 3.*

11 Secundò, in casu mortis, in qua nulla præsumitur fraus, ad quam euitandam fuit ità à *Clem. VIII.* prouisum: vbi enim non militat finis legis, nec legis dispositio militare debet, vt declaratur in *d. loc. Constitut. col. 3.*

12 Tertiò, cùm quis infrà tempus electionis complet sex annos suæ professionis, si tamèn sit Sacerdos, vel sacrum Præsbiteratus ordinem suscepit, & explet sex annos à professione; poterit in tali casu suffragari, ob eandem rationem, prout *ibid.* declaratur, *col. 2.*

13 Quartò, in prouisionibus, & electionibus, quæ non fiunt per modum scrutinij, iuxtà dispositionem *cap. quia propter, de elect.* quia dictum *Decretum Clem. VIII.* loquitur de electionibus Canonicis; in odiosis enim, & pænalibus non fit extensio; *Castell. de elect. cap. 5. nu. 77.*

14 Quintò, fallit in Vicarijs electionum, qui trasmittuntur in casu magnæ litis, vel quòd nõ reperiatur, qui sciat dirigere electionem, nec, meo videri, alias patitur limitationes.

15 Quartò, quòad qualitates Electorum, in Ordine nostro non sufficit, quòd Elector reperiatur assignatus in Conuẽtu, vt suprà, at requiritur, vt re vera, & bona fide, sit ibi assignatus, & quòd saltèm per duos Menses, antè prædictum tempus electionis, realitèr, & bona fide Conuentui inseruiat, vt in *d. declarat.* nostrarum *Constitut. pag. 117. col. 3. in princip.*

16 Quintò, vt Electoris assignatio, nouitèr facta, sit antè prædictum tempus electionis nota Priori, & Conuentui, vt dicitur in

tur in *declarat.text.7. cap.2. de elect. Prior.* sub *lit.Q. pag.* 117. *col.*1. quod anteà fuit Venetijs ordinatum 1592. vt *ibid.* dicitur, & colligitur ex *d.Decreto Clem. VIII.* exceptis tamen casibus, per quos limitatur *Decretum* prædictum *Clem.VIII.* & exprimitur in *d.text.cap.*16. *de ordinat.*

17 Asignatio autem non intimata, vt suprà, Priori, & Conuentui, nihil operatur; quia sic irrita, & nulla declaratur in *d.Cap. Generali*, Venetijs celebrato, ad quos se refert *Constit.vbi* suprà, & relatum est in referente, cum qualitatibus suis.

18 Tunc verò dicitur constare Conuentui, quando cõstat maiori parti Vocalium, & debet constare copulatiuè, & coniunctiuè, hoc est, ambobus simul, nempè Priori, & Conuentui simul, vt constat ex natura huius dictionis, *Et*, quæ denotat æqualitatem terminorum in copulatis, prout ex multis ostendit *Barbosa de dict.& claus.dict.* 93. *nu.*3.*in fin.* quod benè cautum est, ad finem euitandi fraudes, & doles, quæ in huiusmodi electionibus possent adhiberi, *Castell.in d.cap.*5.*de elect.n.*28. *ver.itē Venetijs.*

*An hæ assignationes fieri possint post Septuagesimam? Quæst.*40.

1 Noster *Castell.cap.*5.*nu.*78.*de qualitatibus Electorum*, dicit, quòd non, nisi in casibus expressis in *d.textu cap.* 16.*de ordinat.* & aliter factæ, erunt irritæ, & nullæ, saltèm ad effectũ suffragandi in electionibus Canonicis, & mouetur ex multis.

2 Primò, quia ità obseruat immemorabilis vsus, & praxis totius Religionis in Italia.

3 Secundò, quia ità auctoritate Apostolica cautum est in *Capitulo Generali* Bononien. sub Reuerendissimo P. Generali Fratre Vincentio Iustiniano, anno Domini 1564.

4 Tertiò, quia ità colligitur ex *Bulla Iulij* 2. incip. *Sub Religionis iugo*, edita pro temporalitate Priorum, ibi, *nè contingat, sacris tēporibus Fratres ipsius Ordinis discurrere, volumus, & declaramus, quòd si alicuius Prioris Conuentualis, biennium cõtigerit compleri, infrà Septuagesimam, & Pascha, biennium illius, vsq; ad Resurrectionis Dominicæ octauam, inclusiuè intelligatur extensum*, hæc *ibi*; per quę nobis integrum non est, infrà dictũ tempus electiones Canonicas celebrare.

5 Quartò, quia ad id facit supradictum *Decretum Clem. VIII.* de non assignando infrà duos Menses antecedentes Mensem electionis; nàm si computentur Dies, decurrendi à Septuagesima, vsq; ad Octauam Resurrectionis, faciunt vtiq; prædictum bimestre.

6 Quod tempus duorum Mensium, in quibus suspensa est potestas Superiorum assignandi, *Castellinus, vbi suprà*, paululùm antè *nu.*79. extendit ad tempus, antè Septuagesimam, *ver.& licèt addatur*, ibi, *Ideò nunc post publicatum (supple Decretum Clem.VIII.) hæc cõsuetudo extendenda venit ad duos Menses prædictos, & ad tempus antè Septuagesimam*.

7 Quod dictum mihi non placet, nec placere potest; tùm quia, hoc dictum nullo iure, nullaq; ratione fulcitur; tùm etiam, quia sic potestas Superiorum foret suspensa per quatuor Menses ad assignandum, tùm item, quia sumus in odiosis, in quibus vltrà casus expressos non fit extensio.

Electores, in Ordine Prædicatorum, an prætextu nouæ assignationis, valeant, eodem anno, duos Socios, vel Priores eligere, in diuersis Conuentibus? Quæst. 41.

1 Negatiuè fuit decisum in *Capitulo Generali*, Vlissippone celebrato 1618. *Ordinat. vltim.* & in partem Parisijs 1611. sub *ordinat.*10. & habetur in *declarat. tex.*7.*cap.*2.*de elect.Prior.* sub *lit.Q.pag.*116. *col.*3. ibi, *ordinatum fuit, quòd nullus Frater ratione assignationis, potest, eodem anno, duos eligere Priores, nec Socios pro Capitulo Prouinciali, exceptis Regentibus, Lectoribus, & Studentium Magistris, qui studiorum promouendorum intuitu, alijs Conuentibus assignati fuerint, & etiā Supprioribus de nouo institutis, quæ exceptio non intelligitur de Lectoribus casuum conscientiæ*: hæc *ibi*.

2 Quod statutum intelligendum venit, non de anno Ecclesiastico; sed de anno Naturali, à Die lati voti; prout declaratum fuit Romæ sub anno 1629. *declarat. vltim.* adeò, vt nullus Elector in Ordine Prædicatorum, vigore nouæ assignationis, possit eodem anno, in diuersis Conuentibus duos eligere Priores, vel Socios, etiam post duos Menses sui incolatus: quia statutum ad occurrendum fraudibus, non refertur ad tempus præstitæ moræ, sed ad actus exercitos, *Castell.in d.cap.*5.*nu.*79.

3 Nec illa exceptio, posita in *d. statuto*, absoluit exceptos ab obligatione seruiēdi Conuentibus, per duos Menses, antecedentèr ad tempus electionis, iuxtà *Decr.Clem. VIII.* nisi in casibus suprà expressis: quia nõ possumus statuere contra *Decreta* Rom. Pontif. ex defectu auctoritatis.

4 Hinc Suppriores assignati in aliquo Con-

Conuentu nostri Ordinis, in quo infrà duos Menses, celebrāda erit electio Prioris ipsius Conuentus, poterunt dirigere electionem, seù habere sua, & votum directiuum, non autem votum electiuum; quia eis resistit *Decretum Clem. VIII.* de non posse cum ceteris in Capitulo suffragari; nisi post duos Menses, à Die moræ cōtractæ: prout benè aduertit idem *Castell. vbi suprà, nu. 88. pag.* mihi 157.

Prior, in Ordine Prædicatorum, assignatus in Conuentu, tempore sui Regiminis; an habeat votum electiuum in electione immediatè subsequenti, sui Prioris successoris? Quæst. 42.

1 IN facti contingentia, quidam N. fuit electus in Priorem nostri Cōuentus Suriani, qui tempore sui Prioratus, ibidem fecit se assignare; elapso Prioratu, prætendebat habere votum electiuum in electione Prioris immediatè subsequentis ad ipsum: Patres verò Vocales d. Monasterij, excipiendo, aiebant, quòd cum ceteris Vocalibus non erat admittendus; tùm quia, ibi nō permanserat vti Subditus, inseruiendo Monasterio: tùm etiam, quia eius assignatio præsumebatur fraudulenta, ad finem eligendi successorem; & ità fuit Romæ decisum, tempore Illustriss. ac Reuerendissimi P. Magistri Fratris Dominici Marini, tunc temporis, totius Ordinis, Vicarij Generalis Apostolici; nunc autem Archiepiscopi Auinionensis, & talis decisio asseruatur in Acta, communis depositi prædicti Monasterij.

Assignati suprà numerum præfixum, an possint cum ceteris in Capitulo eligere? Quæst. 43.

1 ET dico, quòd sic, si aliàs sint idonei: dummodò hi Supranumerarij, fuerint assignati simpliciter, & absolutè, quia sic cēsentur de Collegio, ad quos de iure spectat electio: secus si sub conditione fuerint assignati, nempè pro primo loco vacante, vel ad tempus determinatum; sic enim non possunt dici de Collegio; nisi dispositiuè, prout post Priscos, aduertit *Peyr. tom. 3. Priuil. seù in additam. ad Constit. Clem. VIII. cap. 9. n. 9.*

Electores Regulares, ad quid antè actū electionis, absoluuntur, & dispensantur à Præsidente Capituli? Qu. 44.

1 PRæsidens Capituli, præmisso Con*fiteor* ab omnibus Electoribus genuflexis, eos ad effectum electionis faciendæ, absoluit, sub hac generalitate verborum, dicens, *Misereatur vestri Omnipotens Deus, &c. Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, &c.*

Item, eadem auctoritate, Ego dispenso vobiscum, super irregularitate, vel irregularitatibus, si quam, vel si quas cōtraxistis, &c. prout habetur *in fine* nostri *Breuiarij.*

2 Hæc autē absolutio paritèr fieri solet ab eo, qui præest in Die Cineris, & Cenæ Domini, & in magnis solemnitatibus, in reconciliatione, in articulo mortis, & in visitatione Monasterij; nec non ab Episcopo, antequàm Ordinandis conferat Ordines; & ab eodem solet apponi in collatione beneficiorum, & à nostratibus in collatione, & confirmatione Prioratuum, & similium; prout de praxi, & stylo Curiæ Romanæ, semper apposita reperitur in gratijs, & rescriptis Apostolicis, ad finem euitandi pericula, & nullitates, quæ frequenter in impetrationibus, & collationibus possent oriri, ex capite censurarum: nàm excommunicati, irregulares, & inhabiles, ex quo sunt censuris obnoxij, de Iure Canonico, nihil valent rectè impetrare, nec impetratis frui, sine peccaro mortali, & obligatione renunciandi: sunt enim incapaces, ob impedimentum Canonicum.

3 Hinc emanauit stylus Curiæ, vt in omni rescripto gratiarum, & beneficiorū, semper impetranti detur absolutio Generalis, per illa verba, *seq; absoluentes à quibusuis excommunicationibus, &c.* cum illa clausula, *ad effectum præsentium dūmtaxat consequendum.*

4 Et meritò hæc clausula fuit illis adiecta, quia absolutio prædicta, realitèr, & in effectu, non operatur absolutionem; sed suspendit impedimentum, proueniens ab excommunicatione, quousq; gratia sortiatur effectum suum, quo sequuto, impetrans reincidit in excommunicationem, *Rebuff. in praxi 1. p. tit. de forma nouæ prouisionis, nu. 1. & 2. Couar. in cap. alma mater, 1. part. §. 7. nu. 3.* & alij, quos allegat, & sequitur *Ricciull. tract. de Iure Person. lib. 4. cap. 9. n. 4.* de qua re latè *Portell. in 1. par. cas. 1. per tot.*

5 Quod paritèr dicendum est de dictis Electoribus, Prioribus, & consimilibus, quia hi omnes absoluuntur à censuris, ad effectum dumtaxat consequendum, nempè Electores ad effectum benè eligendi actiuè, vel passiuè, Priores ad effectum suscipiendi, & iuridicè administrandi Prioratum, Infirmi ad finem rectè recipiendi Sacramenta.

Igitur censentur absoluti limitatè, & consequentèr cum reincidentia, vt dicāmus

est; ideóq; dato voto, finito Prioratu, vel recuperata sanitate, tenentur procurare beneficium absolutionis, absolutè, ad hoc, vt Diuinis interesse possint, & similia agere, quæ excommunicatis sunt interdicta; *Castell. cap. 13. de directione electionis*, post allegat. nu. 16. 17. & 22.

Et habetur expresè in *cap. eos, qui, de elect. in 6.* ibi, *qui nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio, habere recursum, ab alio absoluuntur; cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, &c. decernimus, in eandem sententiam reincidere ipso iure*, hæc *ibi*.

6 Ex quibus apparet, quòd ad reincidentiam, non requiritur noua culpa.

7 Absolutio verò, quæ datur Regularibus in magnis Festiuitatibus, & visitatione Conuentuum, vel in Die Cinerìs, & Cœnæ Domini, datur absolutè, absq; vlla limitatione: vndè multa bona operatur.

8 Primò, quòd Regulares, sic generalitèr absoluti, etiam si in actu absolutionis, non meminerint præfatorum impedimentorum, non tenentur ampliùs aliam dispẽsationem quærere, nec absolutionem postulare; sed integrum est eis, cõfiteri simplicitèr peccata, ob quæ in pœnas dederũt; sicut alia non reseruata; quia per illã absolutionem, omnia impedimenta censentur sublata, quod valdè notandum censet *Nauar. in sum. cap. 26. num. 13. in fin.* & consolatione dignum Magister *Candidus*, *tom. 1. de absolut. disquisit. 3. ar. 40. dub. vnic. nu. 3. Portell. in dub. ver. Abortus, nu. 11.* & Egomet dico in *tract. de violat. Clauf. q. 31. nu. 3.* An autem procedat, in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, diximus *p. 1. tract. de renov. priuil. q. 17.*

9 Secundò amplia, vt Regulares, etiam minimè intercessente, dictis absolutionibus, & dispensationibus, intelligantur absoluti, ac dispensati, modo, quo suprà, etiam si nec per se, neq; per alios peterent absolutionẽ, & dispensationem prædictam; & quod maius est, etiam si essent inuiti, & nollent vti gratijs, & indulgentijs præfatis; quia per ea, quæ docet *Syl. ver. Confess. 1. q. 4. num. 7. Nauar. cit. loc. Suar. tom. 4. de leg. lib. 6. cap. 13. nu. 8. Portell. in dub. ver. dispensatio, num. 11.* absolutio huiusmodi, non dependet à reali præsentia absoluendorum, nec à voluntate, & contritione eorundem; sed à potestate, & voluntate absoluentis; tùm quia, non est Sacramentalis, seù pœnitentialis: nisi Papa dixerit, tùm etiam, quia censuræ sunt pœnæ, quæ à Prælatis possunt dimitti, etiam inuitis, si hoc intenderit absoluens.

Proindè sufficit, vt Prælatus possit, & velit, vt dixi in *d. loc. de clausura.*

10 Nec nocet *Portell. in d. part. 1. casu 1. nu. 6.* dicens *in fin.* quòd ista absolutio, vel dispensatio generalis, data à Præside Capituli, nõ prodest absentibus extra Capitulum, nàm Præses Capituli vtitur his verbis, *absoluo vos, dispenso vobiscum*, cum quibus verbis alloquitur solùm præsentes.

11 Tùm quia, hæc verba proferuntur regularitèr, tùm etiam, quia absentes, possunt dici præsentes moralitèr, & obiectiuè, si Prælatus habeat potestatem, & animum absoluendi; quandoquidèm hæc duo sufficiunt ad absoluendum absentes à censuris; sicut enim censura potest ferri in inuitum, & absentem; ità absolutio censuræ inuito dari potest, & absenti; nàm illatio, & ablatio censuræ, pari passu ambulant; sunt etenim relatiua, & dicuntur ad conuertentiã, *D. Thom. 4. sent. distin. 18. q. 2. art. 5.* & *Sayr. lib. 2. cap. 21. nu. 5. de censur.*

12 Quod dictum, presiùs loquendo, intellige verum in absoluente per potestatem ordinariam; absolutam tamèn, & independentem à voluntate, & consensu illius Subditi, qui absoluendus est, vt cùm absoluit iuxtà dispositionem *cap. 6. sess. 24. Conc. Trid. de reform.* ex speciali concessione *Pij V.* de qua infrà, vel intuitu alicuius priuilegij; nam qui absolueret aliquem solùm ex vi priuilegij, concessi pœnitenti, vt cõtingit per *Bullam Cruciatã*, per *Iubileum*, & per *Breuia*, quæ in Dies expediuntur ad instantiam huius, vel illius, si inuitè illum absolueret, frustrà absolueret; nàm vsus talis Priuilegij, pendet ex volũtate ipsius priuilegiarij, *Corne. tract. de cens. disput. 11. dub. 5. Auila de censuris, p. 2. cap. 7. disput. 2. dub. 1. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 6. num. 9.* vbi dicit, quòd quando priuilegia sunt generalia, nedum ad præsentes, verùm etiam ad absentes extenduntur; & exindè colligit, quòd si Confessarius, facultate absoluendi præditus, oblitus sit aliquem à censura absoluere, vel si aliquem absoluit à censura, à qua nõ poterat; quia erat Superiori reseruata, posteà impetrata facultate, poterit, immò debet, absolutionem absenti cõferre, si ipsum ad se accersere non possit, quem sequitur *Lezan. ver. absoluere, nu. 15. & 16.* qui aduertit, prædicta non procedere quòad absolutionem Sacramẽtalem.

13 Constat deniq; ex vsu, & praxi vniuersalis Ecclesiæ, præcipuè ex tot *Bullis* Rom. Pontif. per quas etiam absentibus censurarum absolutio impartitur.

14 Limita tamèn, absolutionem prædictam non suffragari absolutis: nisi in foro conscientiæ, & in occultis, non autem in foro externo, & publicis impedimentis; tùm quia, Prælatus in dictis casibus absol-

uit

uit, iuxta *cap.6.Conc. sess.24.de reform.* ceù absoluit Episcopus, antè collationem ordinum; *Nauar. in sum.cap.27.nu.255.& cons. 49.de sent.excom.nu.12.ad secundum,& Zerola in prax.par.2.ver.ord.§.solet Episc.* vbi pro se citat *cap.solitæ, de maior.& obedien.*

15 Limita secùdò, vt absolutio in nullius cedat præiudiciū; nàm si duo electi essent, præferendus esset, qui caret impedimento; quia hic solus absolutè ius habet, *Portell.in d.casu 1. p.1. nu.20.*

16 Limita tertiò,non habere locum; nisi in casibus, in quibus Prælatus poterat absoluere,& dispensare; *Nauar.in cap.quorundam,not.1.nu.18.*& alij plures,quos allegat, & sequitur *Ricciull. in lib.4. de iure personarum,cap.9.nu.11.* vbi de re multa loquitur.

17 Hinc procurantes, directè, vel indirectè voces, & suffragia,non censentur dispēsati in pęna inhabilitatis, & priuationis vocis, cùm hæc dispensatio sit reseruata Summo Pontifici, ex *Decreto Clem.VIII. de reform.Regul.* §.*vt omnis,* vt post Priscos aduertit *Alfonsus de Leon.recoll.1.de cens.n.64.* vbi de re latè disserit.

Si Præses Capituli, absoluat tantùm à censuris, an intelligatur,in ea absoluere ab irregularitate? Qu.45.

1 PEyrinus *tom.2. de Prælat.q.2. cap.5. §.3. nu.46.* dicit,quòd sic, si qui præest, absoluit à censuris, & pęnis; nàm sub nomine censuræ, & pęnæ,venit irregularitas,saltèm implicitè, virtualitèr,& tacitè, sed taciti, & expressi eadem est ratio, *l.cùm quid, ff.si cert.petat. & c.2.de rescriptis.*

At in hoc carpitur ab *Alphon.de Leon. in tract. de off. Capell. q.4. prax.6.num.96.* quod acritèr feres in suo *formulario,lit. A. cap.7.nu.3.* respondet ad obiecta, & pro sui defensione allegat *Sot.in 4.sent.distin.22.q.3. ar.1.ver. secunaum discrimē,Bannes 2.2.q.64. art.8. in 4.p. dub.1. Barthol.Medin.1.2.q.96. ar.4.col.8. dub.an humanæ leges obligent cum vitæ discrimine,in responsione ad primum,* & alios non paucos.

2 Sunt autem, qui DD. discordes, hac distinctione concordant: aut loquimur de irregularitatibus propter indecentiam,vti est illa, quæ prouenit ex defectu animi,& corporis, ex defectu natalium, ex defectu ętatis, & libertatis, ex defectu Sacramenti, vt in bigamia, ex defectu lenitatis, vt in homicidio, iustè patrato,& consimiles,de quibus latè *Bonac.tom.1. disput.7. q.1. sub tit.de irregularitat.*

3 Et sic verum est, quòd non includuntur sub nomine censuræ, & pęnæ; aut de irregularitatibus, ex delicto prouenientibus: vti est illa, quæ nascitur ex infamia iuris,vel facti,ex mala susceptione, & administratione Ordinum, ex delicto hęresis, homicidij iniusti, mutilationis membrorum, & consimiles, de quibus fusè *Layman. lib.1.tract.5.p.5.cap.1. & seq.fol.* mihi 141. & sic verum est,quòd hæ sint veræ censuræ, & pęnæ Ecclesiasticæ, *Diana p.1.tract.11.de Bull.Cruciat. resolut.23.& par.4.tract.2. de irregularit.resolut.81.*& *Alphons.de Leon.in d. loc. de off. Capell.& in recollect.1. nu.60. de censuris.*

4 Nec dices, omnem irregularitatem intrinsecè includere indecentiam, & consequentèr,in hoc non posse distingui; quia licèt id sit verum,habito respectu ad ordines suscipiendos, secundùm quem irregularitas definitur,quòd sit impedimentum Canonicum,seù moralis inhabilitas personæ, ad ordinem Ecclesiasticum suscipiendum, vel exequendum, propter eius defectum,vel maculam,cùm deceat,eos,qui ad Altaris ministeriū assumuntur, tàm corpore,q̄ animo integros, & immaculatos esse.

5 Nihilominùs per habitudinē ad causas, ex quibus oriuntur, vtiq; differunt, & maximè distinguntur, dùm vna includit indecentiam tantùm, ad quam sequitur; altera verò indecentiam, & culpam simul: nec est nouum, res distingui per habitudinē ad causas, vt liquet in excōmunicationibus,quæ in ordine ad finem, non distinguntur, cùm omnes, & singulæ excludant excommunicatum à participatione Sacramentorum.

6 Secus per habitudinem ad causas, secundùm quas,vna dicitur, excommunicatio *Canonis, si quis suadente Diabolo*; altera hæresis, alia leuis, alia maior, prout sanè discurrit *Suar. tom.5. de censur. disput.40. sect.3. de irregularit. nu.2.*

7 Ego autem dico, quòd moralitèr loquendo, nulla irregularitas de directo,propriè, & per se, potest dici censura, ducorq; ex multis.

8 Primò, ex vsu, & praxi Ecclesiæ, quæ colligitur ex tot *Bullis, & Diplomatibus* Summ. Pontific. in quibus Christi fidelibus conceditur Indulgentia plenaria, & ad illā consequendā, fit eis potestas eligendi Confessarium,cui datur facultas absoluendi ab omnibus censuris, etiam Summo Pontifici reseruatis; & tamèn paulùm infrà, eidem Confessario datur facultas,non absoluendi, sed dispensandi ab irregularitate occulta, præterquàm bigamiæ, & homicidij voluntarij; in quibus manifestè apparet, quòd sub Generali nomine censurarum, non venit irregularitas; aliàs ibi fieret inutilis petitio,

petitio, & perperàm diceretur, datur facultas absoluendi à censuris, & datur facultas dispensandi super irregularitate; etenim diuersæ voces censentur impositæ, ad significandũ diuersa, non autem idem, & vnum.

9 Cõfirmatur, & magis explicatur, nàm absolutio est actus iustitiæ, quo aliqua causa, vel iudicium terminatur, secundũ quod ius, & iustitia postulat: non enim datur absolutio à peccatis, seu à pœnis, & censuris Ecclesiasticis: nisi supposita dispositione ex parte pœnitentis, & potestate ex parte absoluentis, *cap. plerunq; 11. q. 3. & cap. peccat. de regul. iur. in 6.*

10 Et tunc per talem actum, nulla lex relaxatur, at potiùs seruatur; nam lex præcipit, pœnitentem absolui, in eo casu, vt patet in absolutione à peccatis: dispensatio verò non potest dici actus iustitiæ, secundùm ius, exhibitus; sed potiùs contra ius, vel præter ius, cùm sit quædam exceptio à cõmuni iure, seù relaxatio iuris. Hinc ritè, ac rectè dicitur, quòd irregularitas dispensatione, & non absolutione tollitur, *Nauar. in sum. cap. 27. nu. 254. Sayrus lib. 7. de cens. cap. 14. num. 2.* & mirificè *Garzias de benef. p. 7. cap. 11. nu. 56.* & alij plures, quos sequitur *Samuel. disp. 7. contr. 8. tract. 2. de elect.*

11 Secundò, quia celebrans cum censura, incidit in irregularitatem, vt liquet in excõmunicato celebrante; celebrans verò cum irregularitate, non incurrit in aliam irregularitatem, ex quo non violat censuram, vt docent omnes cum *Aula de cens. 1. p. dub. 5.* ergò irregularitas non est censura: Sed est inhabilitas.

12 Tertiò, ex *cap. quærenti 20. de ver. signif.* vbi hæc quæstio fuit ab *Innoc. III.* expressè definita; nàm cùm *ibi* Papa consultus, quid nomine censuræ, intelligendum esset, in Apostolicis rescriptis, respondit, non solùm interdictum, sed etiam suspensionem, & excommunicationem, & nihil aliud præter hæc, potest venire nomine censuræ, secus Papa, quærenti insufficientèr respondisset, prout benè notat *Suar. tom. 5. de cens. disp. 1. sect. 3. nu. 2.* & *Aula vbi suprà.*

13 Nec dices, irregularitatem esse pœnam Ecclesiasticam, saltèm ex illo capite, quod dicitur, dimanare ex culpa alicuius; pœna enim dicit relationem ad culpã, teste *D. Thom. 1. 2. q. 87. ar. 1.*

14 Quia licèt exindè posset dici pœna Ecclesiastica, nempè inhabilitas ad suscipiendum, vel exequendum Ordines: non tamèn potest colligi, quòd sit censura: quãdoquidèm censura, ex se non est pœna perpetua, sed medicinalis, hoc est, à iure reperitur imposita, ad finem resipiscendi à delicto, & contumacia; secus autem inhabilitas.

15 Declaratur; censura, de sui natura, non est perpetua pœna, vel ad præfixum tempus, sed, donec à contumacia recedatur; ideòq; de se exigit, vt sublata cõtumacia, ipsa etiam tollatur, & Prælatus tenetur illam auferre, contumacia purgata, iuxtà dispositionem *cap. qua fronte, de appellat. cap. ex litteris, de constit. & cap. contingit, de off. delegat.*

16 Inhabilitas autem habet vim prohibitionis, vel perpetuæ simplicitèr, vel ad tempus, nempè durante tali tempore, vel durante tali statu rerum: verùm quantumcunq; hominem pœniteat sui delicti, compareat, & causam in iudicium deducat, nunquàm potest, ex aliqua iuris obligatione, liberari à tali impedimento; nisi ex beneuolentia, & bona gratia Principis, & penès hoc, censura, & irregularitas intrinsecè distinguuntur: prout eruditè aduertit *Suar. in d. tom. 5. de cens. disp. 40. sect. 3. nu. 3. lit. B.* & maturè considerauit *Alphons. de Leon. in d. loc. de off. Capell.* quando dixit, quòd *Peyrinus vbi suprà,* ob leue fundamẽtum, recessit à sententia prædicta; quia scilicet, se fundauit in illo verbo *à pœnis*; nàm, & si irregularitas sit pœna, non indè sequitur, ob prædicta, quòd sit censura medicinalis.

17 Tùm item, quia ad hanc Amphibologiam auferendam, in *Bullis* Indulgentiarũ, quæ post *Pium V.* expeditæ reperiuntur, ablata fuit illa clausula, *& à pœnis*, vt est videre in emanatis à *Paulo V. Gregor. XV. Vrb. VIII.* & ab hodierno *Innocentio X.* qui fœlicitèr sedet, & additur etiam in d. *Bullis* clausula, *nõ tamen ab irregularitatibus*; quia aliàs posset pœnitens, supposita irregularitate, consequi effectum Indulgentiæ.

18 Nec obijcias *Sotum in d. 4. sent. dist. 22. q. 3. ar. 1. ver. secundum discrimen,* quia se correxit in *lib. 5. de iust. q. 1. art. 4.* paululùm antè *solutionem argum.* ibi, *quapropter cùm in Pontificijs Bullis confertur facultas absoluendi à quibuscunq; peccatis, & censuris; censuræ nomine, non venit irregularitas:* hæc ille, quod totum extende ad alios, cùm multitudo *Doctorum* non obsit, si absq; iure, & ratione loquantur; nec ipsorum opinio possit dici probabilis; nisi constet de probabili fundamento.

SVM-

SVMMA QVAESTIONVM,
Tractat. V. De Eligendis.

DE ELIGENDIS
Tractatus V.

Eligendus, an debeat esse professus in eadem Religione, in qua eligitur Prælatus? Quæst. 1.

1 ET quidèm, ad hoc, vt quis in Prælatum Regularem possit assumi, non sufficit, quòd sit professus qualitercunq; at necessarium est, vt sit professus expressè, vt clarè deciditur in *cap. nullus Religiosus* 28. *de elect. in* 6. ibi, *nisi anteà fuerit ordinem Regularem expressè professus.*

2 Et quòd sit professus in eadem Religione, in qua assumitur, expressè cautum est in *Clem.* 1. *de elect.* ibi, *ne Religiosus aliquis, in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus, de cętero eligatur; quod si secùs actum extiterit, sit eo ipso nullum, & inane.*

3 Et ratio est, vt *ibid.* Papa attestatur; quia rationi non congruit, vt homines disparis professionis, vel habitus, simul in eisdem Monasterijs socientur, id ipsum habetur ex *cap. cùm causam, de elect.* vbi *Innoc. III.* irritans electionem factam de seculari in Regularem Priorem, ait, secundùm legem Diuinam, non esse cum Boue arandum, & Asino; neq; debere quemquam, vestem de lana, linoq; contestam induere, scilicet, vt *ibid.* exponit *Gl.* non esse homines disparis professionis, & habitus, in vno, eodemq; officio sociandos: coherere enim, & coniungi non possunt, quibus vota, & studia sunt diuersa, *cap. noua* 16. *q.* 7. & docet *Panor. in cap. cùm in Monasterium, in fin. de elect.* & Sacra Congregatio declarauit, teste *Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancell. Gl.* 8. *nu.* 78. die 12. Decembris 1585. à nemine, prætèr Summum Pontificem, posse conferri Abbatias, & Beneficia, administrationem habentia; nisi professis, iuxtà Canones, & pàritèr docent *Suar. de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 11. *Rodr. tom.* 2. *q.* 52. *ar.* 8. & *Sigismundus à Bonon. tract. de elect. & potestate Præl. Regul. dub.* 60. *nu.* 4.

4 Per quæ correctum vides illud verbum *d. cap. nullus, de elect. in* 6. nempè, *vel alterius Religionis, de cętero eligatur*, vt *ibi* notat *Glos. in ver. eod.*

Eligendus in Prælatum Regularem, an de necessitate debeat eligi de corpore Capituli? Quæst. 2.

1 NEgatiuè dic, quòad necessitatem; secùs quòad decentiam, & vrbanitatem; dummodò aliàs sit aptus, idoneus, & Capitularibus placeat; quia his innitis, non debet præfigi, etiam si sit aptus ad Regimen, *cap. bonæ memoriæ* 4. *de postulat. Præl. & cap. nullus inuitis* 13. *dist.* 61. *& cap. cùm nobis* 19. *& c. cùm inter* 21. *de elect.*

2 Et si Electores de iure, & conscientia tenentur eligere meliorem, & indigenam, cęteris paribus, præfertur extraneis; nihilominus potest hic omitti ex iusta, & rationabili causa, & exterus assumi.

An Sanctior, & Doctior sit eligendus ad Prælatias Regulares? Qu. 3.

1 D. *Thom.* 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. communitèr receptus, respondet affirmatiuè; & constat ex *cap. vilissimus,* 1. *q.* 1. *& cap. licèt ergo* 8. *q.* 1. *& cap. vnum, dist.* 25. vbi dicitur, *quòd eligendus est in Ecclesiasticam Dignitatem, talis debet esse, vt illius comparatione, cęteri Grex dicantur*, & docet expressè *Glos. in cap. final. de ętat. & qualit. Ordin. præficiendorum, ver. defectum*; probaturq; ratione, quia cùm à capite dependeant omnes resolutiones, & deliberationes, is debet necessariò in caput constitui, qui possit resoluere, & deliberare mridiee, & rationabilitèr de factibilibus, & agendis.

2 Secundò, quia id etiam dictat Natura, nàm Apes, Grues, & similia, semper sibi prouident de capite, quod forma corporis, & virium fortitudine, cęteris præstat.

3 Ille autem dicitur Sanctior, & Doctior, qui est aptior ad tale Regimen, licèt comparatione alterius, non tàm apti, sit minus Sanctus, & minus Doctus, *D. Thom. cit. loc. & ibid. q.* 63. *ar.* 2. *& quodlib.* 8. *ar.* 6. *& quodlib.* 6. *art.* 9. vndè *Sot. lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *conclus.* 9. ait, *quòd licèt occurrat vir litteris clarissimus, & prudentiæ conspicuus, vecors tamen, vel alijs implicitus negotijs, de quo non est tanta spes, quòd prædicabit, aut gubernabit secundùm suas dotes, vel fortè non publicis nego-*

negotijs aptus, huiusmodi est ille præferendus, qui licèt huiusmodi dotibus non sit tàm potēs, speratur, tamēn curam sollicitiùs habiturum, diligentiamq; adhibiturum, ad suum exequendum munus: hæc ille; & Caiet. in d. q. 63. ar. 2. in 2. not. ait, quòd omnes comparationes Eligibilium ad Ecclesiastica ministeria, præsupponūt bonitatem absolutè, hoc est, bonum virum, hoc est, quantum humana fragilitas concedit, personam illam esse in gratia Dei; hæc ille: quod est dicere, ad hoc, vt Elector iudicare debeat, aliquem esse dignum, & eligibilem ad dignitatem Ecclesiasticam, satis est, quòd habeat certitudinem moralem, & humanam, qua indicet, talem esse virum probum: quia maiorem certitudinem habere non potest, Ledesma p. 2. sum. tract. 7. cap. 2. concl. 4. dub. 3.

4 Vndè sequitur, quòd Elector, dùm non cognoscit aliquem indignum, debet eum, adhibitis debitis diligentijs, dignum reputare, vt dicitur in cap. ex parte tua 1. de scrutinio in ordine faciendo, ibi, in quantum humana fragilitas, nosse sinit, & scit, vndè in tali responsione aliquem peccare non credimus; hæc ibi, de qua re vide quæ dicta sunt tract. præcedenti, q. 25. & seq.

An Eligendi sint meliores in omni casu? Quæst. 4.

DIxi tract. præcedenti, q. 25. & seq.

Indignus, an valeat aliquando eligi in aliquo casu? Quæst. 5.

NEgariuè, per ea multa, quæ dixi suprà tract. præcedenti, q. 26.

Eligendorum qualitates, quænàm sint? Quæst. 6.

1 REspondeo, quòd Eligendorum qualitates in genere narrantur ab Apostolo Epist. 1. ad Timoteum 3. ibi, oportet, Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, Doctorem, nō vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed sua domui benè præpositum, &c.

Et summatim habentur in cap. cùm in cunctis 7. de elect. per hæc verba præcisa, cùm in cunctis sacris Ordinibus, & Ecclesiasticis ministerijs, sint ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda.

Et in cap. 1. sess. 7. & cap. 12. sess. 24. Conc. Trid. de reform. & in particulari de Religiosis habentur in cap. si quis Abbas 15. caus. 18. q. 2. ibi, si quis Abbas cautus in Regimine, humilis, castus, misericors, discretus, sobriusq; non fuerit, ac Diuina præcepta verbis, & exemplis non ostenderit, ab Episcopo, in cuius Territorio consistit, à suo arceatur honore.

2 Si tamèn volueris, vnico verbo, omnia præstingere, dic, ꝙ de iure Diuino requitur in Prælato timor Dei, & patet ex illo Exodi 18. prouide de omni plebe viros timentes Deum, & constitue ex eis Tribunos, &c.

3 Sed qui timet Deum, faciet bona, Eccles. 15. & qui timet Deum, nihil negligit, Eccles. 7. & Psal. 33. non est inopia timentibus eum, hoc est, nihil virtutum deest timentibus eum, & Eccles. vlt. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim, omnis homo, & Prouerb. 9. initium omnis sapientiæ est timor Dei, & Psal. 2. erudimini, qui iudicatis Terram, seruite Domino in timore, & exultate ei, cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

4 His autem accedunt qualitates, quæ de speciali iure exiguntur; in Ordine enim Prædicatorū Religiosus nequit eligi, quin sit professus, & habeat duodecim annos completos suæ professionis, & quòd sit Sacerdos, & sciat, Grammaticè loqui, & in suo Conuentu competentèr proponere verbum Dei, de elect. Prior. cap. 2. tex. 5. pag. 112. col. 3. & meritò, quia scientia ad Regimen, est simplicitèr necessaria; nec nō, & aliæ, etiam de iure communi necessariæ; de quibus latè Miranda tom. 2. Manual. q. 5. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 2. cap. 2. & dixi in tract. præcedenti, q. 39.

Nobilitas, an valeat supplere, loco scientiæ, quæ requiritur in Prælato? Quæst. 7.

1 NEgatiuè dic; tùm quia, Christus Dominus humiliores, ac simpliciores Piscatores assumpsit in Apostolatum, nullo habito respectu ad nobilitatem; & meritò, quia, vt aduertit D. August. serm. 59. de ver. Dom. tom. 10. scitebat, quòd si eligeret Senatorem, diceret Senator, Dignitas mea electa est, si eligeret Diuitem, diceret Diues, Opulentia mea electa est, si Regem, Rex diceret, potestas mea, &c.

2 Tùm etiā ex illo Pauli ad Cor. 1. videte vocationem vestram Fratres; quia non multi Sapientes secundùm carnem, non multi Potentes, non multi Nobiles, &c.

3 Tùm item, quia Prælatiæ, & Dignitates Ecclesiasticæ, conferendæ sunt secundū dispo-

dispositionem Iuris Canonici, hoc est, Sanctioribus, ac Doctioribus tantùm, & non aliter; tùm item ex *cap. venerabilis 37. de præb. & dignitat.* vbi expresse reprobatur quædam consuetudo, non assumendi in quandam præbendam: nisi Nobilem, & Illustrem, ibi, *nos igitur attendentes, quòd non generis, sed virtutum nobilitas, vitaq; honestas gratum Deo faciunt, & idoneum seruitorē, & c. 3. dist. 40.* ibi, *nos qui præsumimus, nō ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate, innotescere debemus; nec Vrbium claritate, sed fidei paritate.*

4 Tùm item, quia Doctor in sæculo, si fiat Clericus, & sedeat in Choro, non præfertur cęteris, intuitu Doctoratus, quia ibi nō sedet, vt Doctor, sed, vt Clericus; prout sepè decidit *Rota Romana*; ità à pari dicēdū est, si fiat Religiosus, quia nōn, vt nobilis in Religione extat, sed, vt virtuosus, non, vt amator rerum mundanarum, sed, vt contemptor, non, vt filius Herodis, sed Christi imitator.

5 Tùm etiam, quia Religiosus per Professionem moritur Mundo, & mutat omninò statum suum: sed mutato statu, mutantur omnia, quæ sunt de illo statu, ergò.

6 Nec dices, quòd per ingressum Religionis nobilitas non amittitur, quia licèt non perdatur, ea tamen non attenditur, vti res alterius status; & impertinens ad Religiositatem, *Abbas in cap. indū, il primo, de elect.* & *Tiraqu. tract. de nobil. cap. 26. n. 2.*

7 Tùm denique, quia omnes Religiosi sunt equales, tàm in victu, quàm in vestitu, tàm in pęnis, quàm in remunerationibus subeundis, *cap. fin. de stat. Monac.* & porrò, vbi *Gl. in ver. personarum* multa loquitur.

8 Hinc D. *Thomas in Boet. lib. 3. de consolat. prosa 6. in fin.* ait, *nota, quia gloriandum non est de nobilitate; quia dicit Seneca, si Pulcher es, lauda Naturam: Si Nobilis, lauda Parentes, si Diues, lauda Fortunam, si Potens, expecta parumper, & nihil eris.*

9 Ideoq; cum risu miror, quosdam ventosos, de sola Nobilitate Parentum gloriari, cùm iniuria sit Nobilitas generis, si desit ingenij excellentia; nàm vita, & moribus nobilitatur homo.

10 Nec obijcies, quòd Nobiles sūt aptiores ad defendendum bona Religionis, vt dicitur in *cap. officij, de elect.* & ad acquirendum temporalia iura, ac proindè, etiam si essent minus digni, quam alij, ob nobilitatis prerogatiuam sunt præferendi: tùm quia, Regimen Ecclesiasticum non respicit bona Corporis, sed Animæ, Deiq; Cultum, & Gloriam: tum etiam, quia nulla vtilitas temporalis præponenda est spirituali; tùm item, quia Religiosus tantò noxior, quanto nobilior, si fit malus, vt constat ex quotidiana praxi: vndè *Humb. in speculo Relig. part. 2. lib. 5. cap. 6.* dixit, *qui Congregationi præest, Nobilitatem animi, Nobilitati carnis præponere debet; cuius contrarium, multum nocuit aliquibus Monasterijs,* & subnectit, *& notandum, quòd bonorum temporalium defensio, videtur fuisse occasio, quòd in Monasterijs Nobiles alijs præferantur; decepti tamen in hoc fuerunt Prælati; plus enim grauant Monasteria carnales eorum amici, quàm facerent inimici:* hæc ille, de quo multa noster *Maluenda in 1. cent. fol. 442.*

10 Non desinam tamen dicere, quòd, ceteris paribus, hoc est, si Nobiles habeant requisita ad Regimen Ecclesiæ, & sint virtuosi, ac Deum timentes, sunt præferendi: quia funiculus triplex, difficilè rumpitur, & duo vincula magis ligant; ità *D. Thom. lect. 2. in cap. 1. Epist. ad Hæbreos,* vbi requirit, in idoneitate ad dignitates, sapientiam, generis nobilitatē, virtutem, seu potestatē; & constat ex *cap. considerauda 86. cap. statuimus, iuncta Gl. in ver. potiorem, de maior. & obed. cap. grandi, de supplen. neglig. Prel. in 6.* & facit ad hoc *cap. de multa, § final. de præb.* & ibi *Gl. in ver. sublime, & cap. dudùm, il primo de elect.* & habetur clarè, & expressè in *l. honor, ff. de muner. & honor.* licèt in quatur de Dignitatibus sæcularibus, in quibus magis attenditur nobilitas, quàm ceteræ virtutes; vndè *Iurisconsultus,* quod in Laicis nobilitas supplet defectum scientiæ; secus autem in Ecclesia, in qua virtutes dumtaxat attenduntur.

Eligendus in Prælatum Regularem, quam ętatem debet habere? Qu. 8.

1 Respondeo, quòd legitima ętas in Prælato eligendo, ad minus debet esse annorum vigintiquinq; verùm annus 25. non exigitur, vt sit completus, at sufficit, quòd sit inceptus; prout expressè deciditur in *cap. cùm in cunctis 7. de elect.* § *inferiora*, ibi, *alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat; sed nec Ecclesiæ Parochialis Regimen: nisi qui iam vigesimumquintum annum ętatis attigerit.*

Quod pariter dicitur in *cap. 12. Conc. Trid. Sess. 24. de reform.* ibi, *nemo igitur deinceps ad Dignitates quasciunq; quibus animarum cura subest, promoueatur: nisi qui saltèm vigesimumquintum suæ ętatis annum attigerit.*

2 Et meritò, quia tales Prælati debent esse Præsbyteri, *cap. sicut 21. q. 2. & cap. 1. de ętat. & qualit. ordin.* Sed Sacerdotium non datur: nisi attingentibus annum vigesi-

vigesimum quintum, ex *cap.12. Conc. Trid. sess.23. de reform.*

3 An autem Eligendus in Prælatum Religiosorum, debeat de necessitate, actualitèr esse Sacerdos, an verò satis sit, vt per promotionem ipsam, obligetur ad Sacerdotium suscipiendum, infrà tempus à iure statutum?

Suar. tom.4. de Relig. tract.1. lib.2. cap.4. nu.21. ait, quòd de iure communi, si quis Religiosus professus, nondùm ordinatus Sacerdos, in ętate tamen ad Sacerdotium requisita, & prima saltèm tonsura insignitus, eligeretur in Prælatum suæ Religionis, illa electio non esset irrita, neq; irritanda; & cõtat ex *cap.1. de ętat. & qualit. Ordin. cap. cùm in cunctis, de elect. & c.12. Conc. Trid. sess.24. de reform.* deberet tamèn iste talis, infrà annum, Sacerdotium suscipere, iuxtà *cap. licèt eccl. cap. ex eo, de elect. in 6.* & facit ad id, quod dicit *Garz. de Benef. par.2. cap.1. nu.9.*

4 Sed credo, hæc iura, quòad id vacare in Religionibus Regularum, & præsertim in Ordine meo, vbi, vt quis possit eligi in Priorē, requiritur de necessitate, vt actualitèr sit Sacerdos, & habeat 12. annos completos Religionis à sua professione.

5 Quod adeò verum est, vt si Religiosus, ex dispensatione Apostolica fiat Sacerdos, antè annum vigesimum quintum, adhùc nequit eligi in Prælatum, sine alia dispensatione: dispensatus enim in vno, nō dicitur dispensatus in alio; nàm dispensatio, cùm sit strictissimi iuris, nō extenditur.

6 Et licèt in *Regula Minorum, cap.7.* Fratres Laici possent esse, non solùm Guardiani; sed etiā Ministri Prouinciales: id tamen recessit ab vsu; & meritò, per ea, quæ docet noster *Sot. in 4. sent. dist.10. art.4. Rodriq. tom.1. q.15. ar.2. Miranda tom.2. q.3. ar.2. & Peyr. tom.2. de Prælat. q.2. cap.1. nu.17. in fin.*

7 An verò in Prouincialibus, ac Generalibus eligendis, requiratur ętas triginta annorum, vt de Episcopis sancitum est in *cap. cùm in cunctis, de elect.* ibi, *præsenti Decreto statuimus, vt nullus in Episcopum eligatur; nisi qui iam trigesimum annum ętatis exegerit.* Nota, quòd non dicit, inchoauerit, sed exegerit, quia hoc est speciale in Episcopis, vt *ibid. Glos.* aduertit, in *ver. eod.*

Miranda tom.2. Manual. q.3. art.1. concl.2. Respondet, quòd sic, propter identitatem rationis; quia Prouinciales, & Generales, quamuis non sint Episcopi formalitèr, sunt tamen virtualitèr, & habent quasi Episcopalem iurisdictionem, quod dictum *Suar. de Relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.3. nu.7. Sigismundus à Bonon. in tract. de elect. & potestate Prælat. Regul. dub.2. nu.1. ver. & hanc*

assertionem, & *Tamb. tom.1. de Iur. Abbat. disput.5. q.9. nu.3.* intelligunt verum, quòad decentiam, & vrbanitatem; secus quòad necessitatem; sic paritèr intelligunt illud *cap.12. Trid. sess.24. de reform.* quia lex tradens necessariam formam, ad aliquid peragendum, est odiosa, & consequentèr nōn extenditur vltrà casus, in ea expressos: ergò allegata iura non egrediuntur limites Episcopales, quod primis aduertit noster *Syl. ver. ętas, q.2. dict.4.* ibi, *licèt de Abbate non sit aliquid specialitèr expressum.*

8 Dixi, quòad decentiam, & vrbanitatem; quia indecorum est, P. Generalem, qui dicitur Pater Patrum, & qui, in Religione tot seniores post se habet, iuuenem esse, argumento §. *minorem, Instit. de adopt.* vbi præcipitur, vt adoptans quem in filium, ipsum præcedat ętate annorum decem, & octo, aliàs adoptio sit nulla.

9 Præterea, Generales, ac Prouinciales debent esse alijs prudētiores, ac sapientiores, secus Regimen corruit; sed prudentia, ac sapientia, præsertim in moralibus magis reperitur in senibus, quàm in iuuenibus, iuxtà illud *Iob.12. in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*, & *Eccl.15. quàm speciosum Canitiei Iudicium, quàm speciosa Veterani sapientia, & intellectus gloriosus*: Vndè tàm in Diuinis, quàm in Humanis, ad Reipublicæ Regimen, Senes, & non Iuuenes fuerunt assumpti à Deo optimo maximo, rerum omnium Prouisore; & constat ex illo *Exod.3. vade, & congrega seniores*, & *Numer.11.* cùm Moyses solus non sufficeret ad gubernium Populorum, iussu Dei, elegit septuaginta Presbyteros, hoc est, Seniores Israel, qui simul cum eo gubernarent, & *Isai.3.* dicitur, *Dominus ad iudicandum venit cum senioribus Populi sui.*

10 An autem hæc prædicta in aliquibus fallāt, & quomodò in aliquibus præstet, iuuenem assumi, & seni preferri, vide *Mirand. in d. tom.2. q.5. ar.1.* vbi de te fusè loquitur, & fusiùs *Peyr. tom.2. de Præl. q.2. cap.1. per totum*, apud quem habes priuilegia Senum.

Excommunicatus, an valeat eligi ad Prælaturas Regularium? Q.9.

1 Negatiuè deciditur in *cap. postulastis 12. de Cler. excomm.* ibi, *Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt*; nec illi valent ea licitè retinere; tùm quia, cū excommunicatis cōmunicare non licet, vt *ibid.* dicitur, tùm etiam, quia excommunicatus est incapax iuriū spiritualium, tàm in dando, quàm in recipiendo, & exe-

quendo, *cap. si celebrat. 10. eod. tit. & cap. cùm dilectus 8. de consuet.* quod procedit, siuè excommunicatio sit lata à iure, siuè ab homine, siuè occulta, siuè publica, siuè scita, vel ignota: nàm in omnibus his militat eadem ratio, *Couar. in cap. Alma Mater, p. 1. §. 7.* paululùm antè *numerum secundum, ver. ratio constat.*

2 Tùm quia, excommunicatus semper est inhabilis ad dare, & recipere, per ea, quæ dixi in *tract. 4. q. 8.* tùm etiam, quia denunciatio non est de substantia, *cap. Rodulphus, de rescriptis,* & indifferentèr testantur *Doctores*, quos sequitur, & allegat *Ricciull. lib. 4. de iur. personar. cap. 6.* vbi de re latè, & *Ricc. p. 1. prax. decis. 184.*

3 Hinc prudentèr facit Præsidens Capituli, absoluendo à censuris, antè actum electionis, & Prælatus in litteris patentibus, antè actum collationis beneficij: quia tàm Electores, quàm Electi, per huiusmodi absolutionem, vt constat ex decisis, fiunt capaces, & habiles ad effectum consequendū.

4 Quamobrèm sunt, qui putant, prædicta iura non habere locum in electionibus Regularium; quia in his semper antecedentèr ad actum electionis fit à Præside absolutio à censuris.

5 Verùm posset procedere in prouisionibus, & electionibus, quæ fiunt à Prælatis, non seruata forma *cap. quia propter, de elect.* & in electione Vicariorum, qui Locis præficiuntur, sine præuia absolutione à censuris, *Peyr. tom. 2. de Præl. q. 2. cap. 5. nu. 7. in fin.*

6 Sed quid, si illi facta sit beneficij collatio, qui tempore collationis excommunicatus non erat, sed tempore acceptationis, in excommunicationem inciderat; an talis acceptatio sit valida?

Conar. var. resolut. lib. 3. cap. 16. ver. nam, & si beneficium, post *Cardinal. in d. cap. postulastis, n. 11.* & *Alciat. in c. 1. n. 11. de Iudic.* dicūt, esse irritā, & nullā, ob eandē rationē, quia scilicèt, tā tēpore collationis, quā tēpore acceptationis requiritur capacitas; nā beneficium confertur, propter munera Ecclesiastica subeunda, *cap. cùm secundùm, de præben. & cap. vlt. de rescriptis, in 6.* & excōmunicatus ad illa exercenda est prorsus inhabilis, *cap. si celebrat. de Cleric. excomm. & cap. Pastoralis, §. verùm, de appellat.*

7 Contrarium tamen tenet *Ricc. 2. p. praxis, resolut. 316.* & se fundat in *cap. pro illorum, in fin. de præben. & cap. si verè, de sent. excomm.* ex quibus colligitur, quòd ea, quæ sunt facti, exerceri, & fieri possunt per excommunicatum, & in *decis. Rot. Rom.* ac grauissimis *DD.* quos pro se citat.

8 Et meritò, quia in nullo iure reperitur, quòd habilis tempore electionis, si fit inhabilis tempore acceptationis, non possit Dignitatem acceptare: in pœnalibus enim, & odiosis non fit extensio: ergò iura loquentia de tempore electionis, non debent extendi ad tempus acceptationis, *Garzias de Benef. p. 7. cap. 13. nu. 35.* & *Ricciull. in d. lib. 4. cap. 10. nu. 1.*

9 Nec nocet *Suarez tom. 5. de cens. disp. 13. sect. 1. nu. 15.* dicens, quòd acceptatio electionis, sit quoddam ius spirituale, cuius assecutione priuatur excōmunicatus; quia acceptatio nō est ius, sed quid facti, vtpotè declaratio voluntatis; prout facit, si contrahat cum aliqua tempore excommunicationis: & esto, quòd sit aliquod ius; sufficit, non dari ius prohibens, excommunicatum non posse acceptare collatam sibi dignitatem.

10 Benè verum est, quòd cùm collatio beneficij fiat propter officium, & exercitiū eiusdem, non potest talis excommunicatus, possessionem collatæ sibi dignitatis acquirere, & exercere, quin priùs absoluatur; cùm hæc possessio sine communione fieri nequeat, quæ est illi prohibita, per *d. cap. postulastis, & cap. si celebrat. de Clerico excomm. & c. cùm excommunicatio 11. q. 3.*

11 Nisi necessitetur, nè perdat, & per ipsum non stet, quin absoluatur, *Auila de cens. p. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 6.* si tamen tempore excommunicationis, possessionem accipiat, validè accipit; quia ista possessionis receptio, in facto, & non in iure fundatur, *Garz. cit. loc. nu. 36.* & *Sayr. lib. 2. de cens. c. 5. nu. 22.* qui in hoc, nec veniale peccatum agnoscit; quia non acceptat pro illo statu, in quo est excommunicatus, sed pro illo, in quo erit absolutus, & hoc in foro conscientiæ, secus exteriori, nàm qui publicè fuerit declaratus excōmunicatus, non valeret accipere possessionem beneficij.

Si occultus excommunicatus eligatur in Priorem, an teneatur se manifestare, si alitèr non possit se excusare à receptione talis oneris? Qu. 10.

1 SVar. in d. tom. 5. de cens. disput. 13. sect. 1. nu. 2. ait, quòd sic; dūmodò ex tali manifestatione nulla sibi sequatur infamia, secus autem: quia nullus tenetur se ipsum infamare.

2 Ego autem ico, quòd inutilis esset isthæc accusatio, cùm omnis occulta censura, per absolutionem generalem, quæ regularitèr fit à Præside Capituli, antecedentèr ad actum electionis, vel collationis beneficij, auferatur, vel facilitèr, & secretò possit auferri à suo legitimo Superiore, iuxtà

xtâ è licéat Episc.6. Trid. sess.24. de reform.

3 Nec potest præsumi, quem velle potiùs fieri excommunicatum publicè, quàm Prælaturam acceptare; cùm integrum ei sit, quandocunq; placuerit, renunciare sub alio prætextu, ad cauendum scandalum, & sui malam famam.

Religiosus legitimè electus, & confirmatus, si deindè aliquam excommunicationem incurrat, an sit ipso facto sua dignitate priuatus? Qu. 11.

1 EMinentiss. Cardin. *Caiet. in summula, ver. excomm.* post *cap.81.§.excommunicato plura sunt illicita, Nauar. in summ. cap.28. num.21. Suar. tom.5. de censf. disp.13. sect.1. num.1. Garz. par.7. de benef. cap.13. nu.90.* & *Peyr. tom.2. q.2. cap.5. a.21.* Respondent, Prælatum ritè institutum, per excommunicationē superuenientem non priuari sua dignitate, nec amittere titulum illius, etiā si insordescat in excommunicatione per annum, priuari tamèn, ipso iure, vsu iurisdictionis, & fructibus beneficiorum, quandiù est in excommunicatione, maiori scilicet, etiam occulta: licèt id in sententia non exprimatur: & habetur in *cap. Pastoralis 53. de appellat. §. verùm, ibi, Nos itaq; respondemus, quòd cùm exequutionem excommunicatio secum trahat, & excommunicatus per denunciationem, ampliùs non ligetar, ipsam excommunicatum denunciare potest, vt ab alijs euitetur, & illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuatur, cui Ecclesiæ communio denegatur:* hæc *ibi*.

2 Quod dictum, nempè excommunicatum per denunciationem ampliùs non ligari, intellige, quòad forum conscientiæ; quia acta facta per excommunicatum nō denunciatum, seù toleratum, quòad forum externum sustinentur, & valent, quousq; toleratur; vt constat ex *extrau. ad euitanda,* & docet *Nauar.* cit. *loc.*

3 Prætereà colligitur ex *cap. audiuimus 24. q.1.* vbi dicitur, excommunicatum non posse excommunicare, ob defectum, scilicèt iurisdictionis, qua vti nequit, toto tempore suæ excommunicationis, & ex *cap.2. & 3. de Clerico excomm.* vbi excommunicatio equiparatur suspensioni ab officio, & beneficio, & interdicto, immò fortiùs ligat, & priuat, vt communitèr docent *Doctores,* tractantes de effectibus excōmunicationis.

4 Hinc Prælatus huiusmodi nullum actum suæ Iurisdictionis, & Ordinis potest exercere, vti est, Diuinis interesse, Missam celebrare, Officiare, cum ceteris publicè orare, sŭscipere, leges ferre, dispensare, absoluere à censuris, censuris illaqueare, Iudicium ferre, Officiales instituere, & similia, nec quidquam proprium, aut annexum suo Officio, vel Ordini, quod si faciat, peccat mortalitèr, fit irregularis, & factum non tenet, nec valet; *Caiet. cit. loc.* & colligitur ex *cap.1. de offic. Vicar. in 6.* & notat *ibi Gl. ver. recipiunt, & ver. vigorem,* nec subditus tenetur illi obedire in ijs, quæ, vt Prælatus præcipit, nec potest eius censuris ligari, nec aliquo modo astringi, & quod peius est, peccat mortalitèr, etiam si illi obediat; quia illi obedire, est communicare cum illo, quod de directo opponitur cēsuræ, quod rene menti, quia sępè occurrit; nisi fortè hoc faceret, non animo obediendi, sed ex quadam vrbanitate, & decentia; *Suar.* cit. *loc.*

5 Insupèr, excommuninatus non facit fructus suos, cùm sit suspensus ab omni officio, & beneficio, vt dicitur in *d. cap. postulastis;* vndè non potest percipere redditus sui beneficij, cuiuscunq; conditionis sint, siuè per modum decimarum, aut oblationum, siuè prouentus ex fundis, siuè ex locationibus, & similibus: & si exigat, peccat mortalitèr, & tenetur restituere, *Suar. in d. tom.5. disput.27. sect.1. num.2.* & *Filliuc. tom.1. tract.17. cap.2. nu.42.*

6 Verùm, si Regularis sit, priuatur administratione bonorum temporalium, pertinentium ad Conuētum, seù Prouinciam, vel Religionem, in qua est Prælatus, siuè per modum redditũum perpetuorum, siuè per modum eleemosynarū, siuè per quemcunq; aliū titulum; priuatur etiam Prouisionibus, Ratis, & Similibus, si fortè ex priuilegio, aut consuetudine debeantur, *Peyr. tom.2. de Præl. q.2. cap.5. §.1. nu.28. in fin.*

Quid de actibus ciuilibus? Qu. 12.

1 CAiet. *vbi suprà* distinguit actus vetitos excommunicato, in tria genera: duo extrema, & vnum medium; nempè, *vt excommunicatio separando à cōmunione fideles. Primò separat à Sacramentorum, & Diuinâ cultus communione; quod primum commune est fidelibus: Secundò separat à communione Ecclesiasticorum actuum, quod est secundum genus, in quo communicant fideles: Tertiò separat ab humanorum operum communione, quæ sunt communia Christianis, & non Christianis;* & subnectit, *quòd quantum ad duo extrema, clarum est, quòd agere contrà primum, est peccatum mortale. Contra tertium autem, non est peccatum mortale, quia excommunicatio directè excludit à communione hominum, quatènus Christiani sunt, & per quandam excommunica-*

sionem à communione omnium, ideóq; illud contrà, hoc prater inhibitionem Ecclesiæ agitur, illud mortale, hoc veniale.

2 Quò verò ad actus Ciuiles, qui sunt de medio genere, ait, *quòd si in huiusmodi actibus, non se immiscet aliqua iniustitia, aut aliquid aliud, ex suo genere mortale, non peccat mortalitèr; proindè, si v. g. excommunicatus indicat, est peccatum mortale ex suo genere; quia incidit in Iudicium vsurpatum, quia potestas eius ligata est: vsurpatum autem Iudicium est mortale de sua natura: quia Iniuriam facit per illum actum, & illis, quos indicat, tãquàm potens actu super illos, & Communnitati, cuius actum vsurpat; similitèr si excommunicatus electus acceptat, iniustitiam enim manifestè incurrit, similitèr si eligit, iniuriatur, & Electoribus, quorum numerus iniustè augetur, & Ecclesiæ, cuius se quasi prouisorẽ agit, & multò magis, conferendo beneficia, & faciendo fructus suos in casu non concesso, & sic de similibus, vbi iniustitia immiscetur.*

3 *Vbi autem nec iniustitia, nec aliud ex se mortale immiscetur, vt si excommunicatus, pro veritate testimonium ferat, in Ecclesiastico etiã iudicio, vel aliquid huiusmodi faciat, non peccat mortalitèr, cùm ab his, non primariò sit exclusus, sicut non censetur exclusus ab exigendo suum creditum à debitoribus, vsum matrimonij ab vxore, vestes à sartore, & similia peragendo ad sui custodiam, & honorem*, Hæc Sapientissimus *ille*:

4 Quod breuiùs alij dicunt, aduertendum esse, an hi actus pullulent, & dimanent ab officio, & beneficio excommunicati, vel si sint illi annexi, vel connexi, & sic censentur prohibiti, & illiciti: quia ligata potestate, seu principio intrinseco illorum, censentur prohibiti, & si fiant, vltrà peccatum mortale, sunt irriti, & nulli: si autem sint extranei ab officio, & aliundè non sint contra iustitiam, aut charitatem, censentur liciti, & legitimi.

An autem Iurisdictio delegata, antè excommunicationem Delegantis, suspendatur propter superuenientem excommunicationem? Quæst. 13.

1 Affirmat *Suar. in d. disp. 13. sect. 1.* re tamen integra; secus non integra, quia iurisdictio semel incepta, & non dùm terminata, perseuerat, etiam post mortem Concedentis; & potest colligi ex *cap. Romana 1. de off. Vicarij, in 6.* adiuncta *Glos. in ver. Romana.*

Religiosus suspensus, an possit eligi in Prælatias Regulares? Quæst. 14.

1 Respondeo, quòd suspensus à iure, vel ab homine, non potest eligere, nec eligi, vt dicitur in *cap. cùm dilectus 8. de Consuet.* ibi, *quod nobis constitit, electionem ipsam à suspensis, & de suspenso, etiam celebratam, eam, iustitia cassauimus exigente*, & in *cap. cùm inter R. 16. de elect.* ibi, *nec probatum fuit (licèt obiectum) quòd ab interdictis electio fuerit celebrata, ipsam non potuimus irritare*; Immò qui per annum in suspẽsione permãserit, est spoliandus omni beneficio, habito antè, vel habẽdo post suspẽsionẽ, vt deciditur in *c. cùm bonæ memoriæ, de ætat. & qualit. ordin.* quæ iura intelliguntur de suspensis, nominatim declaratis, & publicatis, secus autem de occultis, & toleratis.

2 Vndè *Suar. tom. 5. de censu. disp. 26. sect. 2. nu. 2.* ait, quòd si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communitèr toleratur in publico ministerio, vel officio, acta eius valent, quia Ecclesia supplet defectum, propter commune bonum.

3 Sed nec hic est opus tali Ecclesiæ supplemento, ex *d. extrau. ad cuitanda*, quam per extensum posui suprà.

4 Immo, nec tenemur suspensum denunciatum euitare, cùm hoc in iure cautum non sit, & à diuersis non fit illatio, nec in odiosis extensio, quamuis sit contra Charitatem inducere Religiosum suspensum ad celebrandum, vel aliquid peragendum, contra mentem legis suspensionis, & interdicti, *Laym. in lib. 1. tract. 5. par. 3. c. 1. nu. vlt.* & *Peyr.* post allegatos *tom. 2. de q. 2. cap. 2. §. 1. num. 33.*

5 Et hoc ideò, quia suspensus, non specialitèr denunciatus, licèt quoad se sit prohibitus in suspensione ministrare, tamẽ nõ est priuatus iurisdictione, quoad alios, *Diana*, multis citatis *4. p. tract. 2. resol. 11.* & *Lezana ver. suspensio, n. 14.*

6 Amplia, vt Electores, & Electi, quoad se, & per absolutionem generalem, habitã in Capitulo, vel in litteris patentibus, censeantur legitimi, ac habiles, ad effectum tamen consequendum, quod in Ordine Prædicatorum est certissimum: nàm habetur expressè in *Prolog. Constit. num. 3. & cap. 2. de electione Prior. num. 5.* sub *lit. T. fol. 113. col. 4.* vbi dicitur, quòd nullus debet excludi à quacunq; electione: nisi sententialitèr sit condemnatus, vel notoriè excommunicatus.

An

An omnis suspensio inferat hæc prædicta? Quæst. 15.

1 ET dico, quòd non; sed debet diligétèr attendi, cuius nàm speciei sit, & quomodò loquatur; nàm suspensio tantùm valet, quantùm sonat; & potest esse triplex, teste *D. Thom.* cōmunitèr accepto, *in 4. sent. distin. 18. q. 2. art. 2. q. 3. & in addit. ad tert. par. q. 22. ar. 3. in corpore*, nempè, alia ab ordine, & non à iurisdictione, alia à iurisdictione, & non ab ordine; & alia ab vtroq; simul, quæ ab alijs solet dici, ab officio, & beneficio, & ab vtrisq; simul.

2 Et est sufficientissima ad euacuandum naturam rei diuisæ; nàm suspensio, regularitèr, ac propriè accepta, in ordine ad homines, quos priuat, est censura Ecclesiastica personarum Ecclesiasticarum, quatènus tales sunt.

3 In personis autem Ecclesiasticis, vt Ecclesiasticæ sunt; duo tantùm reperiuntur, nempè, Ordo, & Iurisdictio, seù Officium spirituale, & Beneficium, quod ratione ordinis datur; ergò omnis suspensio, ratione rei, à qua fit, aut est ab ordine, seù officio, aut à beneficio, seù iurisdictione, aut ab vtrisq; simul.

4 Confirmatur; quia persona Ecclesiastica, in his per censuras ligatur, quæ per ordinationem accepit, sed cùm quis ordinatur, duo tantùm suscipit, scilicèt ordinem, & iurisdictionem, iuxtà illud *Matth. Et tibi dabo Claues Regni Cælorum*, hoc est, ordinis, & iurisdictionis; prout eruditè docet *D. Thom.* in *cit. loc.* vbi ait, quòd si quis sit suspensus ab ordine tantùm; tunc non potest ea, quæ sunt ordinis, sed potest ea, quæ sunt iurisdictionis, & è contra, si sit suspensus à iurisdictione, & non ab ordine; si autem ab vtroquè, tunc neutrum potest; & ratio esse, potest, quia cùm censura sit pęna, suos limites non egreditur; nàm pęnæ non extenduntur, ex quibus clarè constat, quòd suspensio ęquè diuiditur in totalem, & partialem.

5 Totalis iterùm potest subdiuidi in totalem simplicitèr, & absolutè, & in totalem, secundū quid, idest, in aliquo certo genere, nempè officij, vel beneficij.

6 Primo modo, suspensio potest duplicitèr infligi, absolutè, & simplicitèr expressè, vt si dicatur, *te suspendimus ab officio, & beneficio simul*, prout expressè infligitur in *cap. suarum, de priuil. & in Clem. 1. de decimis.* Secundo modo, absolutè, & simplicitèr, implicitè, & tacitè tamèn, vt si sine aliqua limitatione imponatur, neq; ex adiunctis limitatio aliqua colligi possit; censenda est simplicitèr totalis; quia in moralibus, propositio indefinita, ęquipollet vniuersali; & colligitur ex *cap. Diuina, de priuil.* vbi excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententia, indefinitè infligitur contra eos, qui conferunt, vel recipiunt beneficia ab his, qui pro suis proprijs negotijs ad Romanā Curiam proficiscuntur; & notat *Syl. in ver. suspensio, q. 5.*

7 Suspensio verò totalis secundū quid, censetur illa, quæ suspendit ab ordine tantū, vel à iurisdictione tantū; & potest esse, etiā partialis in vno genere, vt si fiat à maioribus Ordinibus tantùm, non autem à minoribus, vel ab ingressu Ecclesiæ tantùm, & non ab alijs, & sic de singulis.

8 Sub nomine ordinum, aduerte, quòd non venit prima tonsura, nec ordo Episcopatus, vel Cardinalatus; nisi in specie exprimantur: hinc absolutè suspensus ab Ordine, non censetur suspensus ab exercitio primæ tonsuræ, nec ab officio Episcopatus, quia iuxtà vulgatam Regulam, odia non sunt amplianda.

9 Sub nomine iurisdictionis venit spiritualis, & temporalis; & hę ad inuicem distinguntur; & constat ex *cap. 2. de solut.* & ex *extrau. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, ibi, *à Regimine, & administratione suę Ecclesiæ, seù Monasterij, cui præsidet, in temporalibus, & spiritualibus, sit eo ipso suspensus.*

10 Nomen officij, cùm sit valdè latum, comprehendit, quidquid habet persona Ecclesiastica, quatènus talis est, præter beneficium: vndè suspensus ab officio indefinitè, censetur suspensus, nedùm ab ordine; verùm etiam, ab omni officio Clericali, hoc est, etiam ab exercitio primæ tonsuræ, & Pontificalium, & consimilium, ad quæ non se extendit suspensio ab ordine, indefinitè prolata, *Syl. ver. suspen. q. 5. in fin.* & *Tab. cod. tit. num. 3.*

Ex indè, suspensio ab officio, est in iure frequentissima, vt in *cap. nihil, de elect. & Clem. 2. de vita, & honest. Cleric.* quia scilicèt est maioris ambitus.

11 Nomine beneficij veniunt temporales fructus beneficij, vndè suspensio à beneficio, dicit *Gl. in cap. Vintoniensis, de elect.* solùm extenditur ad fructus beneficij, non autèm ad facultatem administrandi in spiritualibus, vel tēporalibus, & sequitur *Syl. ver. suspen. q. 5. nu. 5. §. si verò sit à benef.* & *Suar. tom. 5. de cens. disput. 26. sect. 3. num. 11. & disput. 27. sect. 1. num. 1.*

12 Iterùm, suspensio potest diuidi in ordine ad causam efficientem, à qua scilicèt fit; & sic alia est à iure, hoc est, expressa, & posita in corpore iuris; & alia ab homine,

hoc

hoc est, ab hoc, vel illo Prælato imposita in sibi subditos; & potest iterùm diuidi in ordine ad tempus; & sic quędam imponitur simpliciter; & hæc est perpetua; vt cùm quis suspenditur simpliciter ab officio, *Syl. vbi suprà*, vbi dicit, *paria sunt aliqua suspendi simpliciter, & perpetuò*, & colligitur ex *l.sine præfinito, ff.de pęnis.*

13 Quædam verò est ad certum tempus, quo finito, suspensus absq; alia declaratione, potest sua munia exercere: vndè *Syl.in d.q.5.in fin.* ait, quòd suspensus per annum, poterit celebrare vltima die anni bissextilis, secundùm *Glos.in cap.quæsiuit, de verb. signif.* sicut libertas promissa seruienti per annum, acquiritur, si seruit 365. diebus, *ff. de statulib. l.cùm hæres, §. Stichus si hæredi meo.*

14 De qua re; quia est grauis, & frequens in vsu, legendi sunt *Doctores*, & præsertim *Syl. Caiet. Armilla, Tabiena, Rosella in sum. ver. suspen. Ioan.Bapt. Corrad.* in peculiari *tract.de suspensione*, posito *in fin. 2.p. respon. Remig.Scropha in moral.q.4.& sequent.Franciscus Mar.Samuell.per totam disp.5. de elect. Canon.Iacab.Graff.decis.Aur. p.1.lib.4. c.25. per totum, & in pract.casuum reseruat. lib.1. de absolut. à suspen. cap.2. & tom.1. cons.8. & 9. & tom.2.lib.5.de sent.excomm.cons.10. quarta difficult. Nauar. in summ. cap.27. à n.159. Ricc.1.p.praxis*, in prima edit. *decis. 467.& 469.Vulpes* in sua *praxi for.Eccl.c.8. Ricciull.* in multis *locis* sui *tract. de iur. person.lib.4.cap.3.cap.14.& cap.65.Suar.tom.5. de cens.latè disp.26.& 27.per tot.Auila eod. tit.3.p.de suspen.disp.2.Layman.lib.1.tract.5. p.3.c.1.Pariell.in dub.ver.suspen.Peyr.tom.2. de Prælat.q.2.c.5.§.1.Bonac.tom.1.de suspen. disp.3. per totam, Diana par.5. tract.10. de suspen.* & *Lezana ver. suspensio*, & nouè *Alphons. de Leon. de cens. recol.6. de effect. suspens. pag.657.*

15 Ex quibus multa inferuntur: Primò, quòd suspensio indefinita ab ordine, priuat omni vsu ordinum, tùm minorum, tùm sacrorum; quia ęquipollet vniuersali, ac si diceret, *ab omnibus ordinibus, Syl.in d.q.5.* priuat etiam ab alijs actibus, qui sunt necessariò connexi cum ordine, vt sunt, absoluere in foro pęnitentiæ, extremam vnctionem conferre, Baptismum solemniter administrare, solemnem aliquam benedictionem, aut consecrationem efficere: nàm prohibito vno principali, consequenter prohibetur, & illud, quod est connexum cum illo; *Glos.in cap. studeas, distin.50. ver. vt tale*: non tamen priuat ijs actibus, qui sunt iurisdictionis, & non sunt connexi cũ ordine, vt censuras ferre, ab eis absoluere, beneficia conferre, iudicare, & similia, *Nauar.in d.cap.27. nu.160. Suar.cit. loc.* quod est valdè notandum.

16 Secundò, quòd suspensio à iurisdictione indefinitè, propter eandem rationem, priuat vsu omnium actuum spiritualis iurisdictionis, vt est, excommunicare, absoluere, corrigere, confirmare, benedicere, eligere, iudicare, &c. Nec non, & temporalis, vti est, affictare, seù locare, instrumentare, exigere, cautelare, & similia; & eò fortiùs, si simul sit ab officio, quia nomine officij, in vniuersali significatione, veniunt omnia, quæ competunt, ratione ordinis, & iurisdictionis spiritualis, vt constat *ex cap.1.§.fin. de Iudic.in 6.*& docet *Gl.in d.c.cùm dilectus, in ver.à suspensis*; ac etiam ratione administrationis Ecclesiasticæ, *cap.sane, de elect.& in cap.quia Pontificali, eod. tit. in 6.* quia suspensio à iurisdictione, & officio, idem operatur, quod suspensio ab officio, & beneficio, *Graff.in d.pract.cas. reser.nu.4.*

17 Hinc, suspensus ab officio, non potest, vt suprà dictum est, excommunicare, nec absoluere, nec eligere, nec eligi, nec locare, nec à locatis fundis exigere; quia hi actus, & consimiles, aut sunt officij, vel iurisdictionis, *Sayr. de cens.lib.4.cap.5.* aut sunt annexi iurisdictioni, & beneficio, *Peyr.* post allegatos cit. *loc.nu.28. in fin.*

18 Tertiò, quòd suspensio, sub hac conditione imposita, *donec satisfecerit*, vel *donec pœnituerit*, adueniente tali conditione, desinit esse, & remanet cassata, absq; alia declaratione, vt dictum est, delata ad tempus, tempore transacto, *Syl.cit.loc.nu.8.*

19 Quartò, quòd suspensus ab ordine inferiori, est etiam priuatus vsu superioris, vt priuatus Diaconatu, priuatur etiam Presbyteratu: nisi suspensio, expressis verbis, referatur ad inferiora, per illam dictionē, *tantùm*, vel *dùmtaxat*: quia cui non licet minus, nec ei licere debet, quod est maius; argum. *cap.cùm illorum, de sent.excomm. & l.legat. §.vlt. ff.de interdictis, Ioan.de Cruce in direct. tract. de censur. ar.3.*

20 Quod tamèn limita, quòad actus inter se connexos, ità vt in exercitio ordinis superioris, contineatur exercitium ordinis inferioris, à quo quis est suspensus, vt si v.g. Præsbyter sit suspensus ab exercitio Diaconatus, consequenter etiam à sacrificando, ex quo nequit Missas celebrare, sine lectione Euangelij, non tamen ab alijs functionibus Sacerdotis, putà, audire Confessiones Sacramentales, solemniter baptizare, benedicere, &c. cùm ista non contineat exercitium Diaconatus, *Layman.cit.loc.*

21 Quintò, quòd suspensus à Diuinis officijs, seù ab ordine, licèt sit prohibitus exercere aliquem actum, suo ordini deputatum;

tatum; nihilominùs potest ea omnia facere, quæ potest Laicus, nempè sua peccata confiteri, Eucharistiam sumere, in Paschate communicare, baptizare, mĕsam benedicere, in Sancta Hebdomada lectiones legere, Diuina audire, Chorum ingredi, ibiq; cum alijs Psallere, Responsoria, & Epistolam cantare, & instar Laicorum, cetera peragere; sine tamen pompa Ecclesiæ, & absq; vestibus Ecclesiasticis, ad talem vsum deputatis; quia talia non sunt actus ordinis; nam illi dicuntur actus ordinis, ad quos exequendum, & peragendum specialis potestas traditur in ordinatione, vt in Præsbyterio potestas consecrandi, baptizandi solemnitèr, dicendi Collectas in Choro; in Diaconatu potestas canendi solemnitèr Euangelium; in Subdiaconatu potestas solemnitèr cantandi Epistolam; in Accolitatu potestas ferendi Cereos, & sic de alijs; & docet *Nauarr. in sum. cap. 27. nu. 160.* & fusiùs *lib. 5. de sent. excomm. consil. 64.* in antiquis, *Graff. tom. 2. eod. lib. & consl. 12. difficult. 1. Rodr. tom. 3. q. 65. art. 8. ver. ex his infertur, Portell. in dub. ver. suspen. nu. 5. Auila de cens. 3. p. de suspen. disp. 2.* post *sextam conclus.* & *Lezan. ver. eod. nu. 10.* & mouentur ex multis. ...

22 Primò; quia, suspensus à Diuinis, solùm prohibetur in suo officio agere, sicut priùs, vel officium suum exercere, sicut priùs; prout expressè habetur in *cap. si quis Episcopus in Concilio excommunicatus 7. caus. 11. q. 3.* ibi, *si post excommunicationem, præsumpserit facere oblationem, vel matutinum, aut vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere, sicut priùs, non liceat ei*; & expressiùs in *cap. is, cui, 20. de sent. excomm. in 6.* ibi, *si contra interdictum huiusmodi Diuinis in ea se ingerat, sicut priùs, &c.* per quæ verba clarè apparet, quòd huiusmodi suspensus, non arcetur à suprà dictis, quæ licitè fieri possunt per Laicos, in quibus alitèr, & alitèr se habet.

23 Secundò, quia tunc suspensus à Diuinis incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum, ordini suo specialitèr deputatum, & sibi per suspensionem prohibitum, vt communitèr docent *Doctores*, & notat *Sylu. in d. loc. q. 5.* & habetur expressè in *cap. cùm alterni 1. de sentent. & re iudic. in 6. §. fin.* ibi, *quòd si suspensione durante, damnabilitèr ingesserit se Diuinis*; (supple sicut priùs) *irregularitatis laqueo se inuoluet, secundùm Canonicas sanctiones*: hæc ibi.

24 At superiùs recensita, nullam habent connexionem cum ordine suscepto, ergò nō debent pari iudicio æstimari, *cap. translato 3. de constit.*

25 Tertiò, quia suspensio, de qua agitur, est censura Ecclesiastica, qua, alicui personę Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij, in totum, vel in partem, vt constat ex decisis: ergò idem, quod priùs, cùm prædicta munia sint alterius generis.

26 Nec his obstant illa verba *Syluestri*, posita in *d. q. 5.* ibi, *si verò suspensio sit à Diuinis officijs: tunc non potest quis officiare, nec eum alijs interesse, vel audire*: quia hæc referuntur ad *Doctores*, ibi allegatos, non autem ad propriam mentem, quam ipsemet suprà expresserat, ibi, *si verò sit ab ordine Episcopali solùm, est quis suspensus ab his, quæ sunt illius ordinis, non autem ab his, quæ sunt iurisdictionis*, nota ly *solùm, & tantùm*.

27 Benè verum est, quòd hi suspensi cantando in Choro, non ex officio publico, sed tanquàm Laici, non lucrantur distributiones quotidianas; nec fructus debitos pro tali seruitio; prout Sacra Congregatio declarauit sub anno Domini 1633. & refert *Alphon. de Leon. recoll. 6. de cens. n. 1013.* & tunc dicuntur cantare ex officio publico, quando sunt in Choro, non, vt Laici, sed, vt Canonici, Canonicali veste induti, peragendo, quæ sunt de Iure Canonico.

28 Sextò, quòd suspensio lata à iure Regulari, vel à Prælato Religiosorum, regularitèr loquendo, non potest dici propriè censura, sed potiùs pęna purè vindicatiua: tùm quia, censura Ecclesiastica trahit secum exequutionem, & mox afficie conscientiam, absq; vlla declaratione, vt dictū est suprà; suspensio verò inter Regulares lata, non incurritur antè declarationem Prælati, vt constat ex *Prol.* nostrarum *Constit. tex. 6.* nec obligat ad aliquam culpam, vt *ibidem* dicitur, tùm etiam, quia imponitur, sine præmissa monitione, quod non conuenit propriæ censuræ, *Suar. tom. 5. de cens. disp. 25. sect. 1.* & alij, quos sequitur *Lezan. ver. suspensio, nu. 6.* exindè infertur, Religiosum exercendo actum sibi vetitum, per suspensionem prædictam, etiam si sit latæ sententiæ; non incidere in irregularitatem: nam hæc non incurritur; nisi in casibus, in iure communi expressis, licèt vti transgressor præcepti, & inobediens suo Superiori, possit aliundè puniri.

Religiosus suspensus à Diuinis officijs, seù ab Ordine, an possit eligere? Q. 16.

1 Fuit hoc dubium, ad instantiam Minimorum, Die 7. Septembris, sub anno Domini 1628. Sac. Congregationi propositum, quæ respondit, his præcisis verbis.

Re-

Regularem suspensum ad tempus à Diuinis, absq; expressione priuationis voti, infrà illud tempus, voce actiua non priuari; ideòq; posse votum dare, in Electionibus Superiorum faciendis. A. Cardinal. Vbaldinus. Franciscus Paulutius Sac. Congreg. Secret. Et refert per extensum *Peyr. tom. 2. de Prælato, quæst. 2. cap. 5. §. 1. nu. 35. in fin.* & summatim *Barbosa in Collect. Bullar. ver. suspensus.*

2 Et ratio decisionis esse potuit, quia in Religiosis, ius eligendi fundatur in Religione, seù in statu Religioso ipsorum.

3 Hinc, Moniales, quæ neq; ordinis, neq; officij Ecclesiastici capaces sunt, conferunt beneficia, *cap. cùm dilecta, de maior. & obed.* & eligunt Prælatas; & in Ordine Minorum, etiam nō Clerici, suffragantur in Capitulo; & Fratres Ioan. de Deo sunt omnes Laici, & faciunt tamen electiones Canonicas. Secus autem in non Religiosis: in his enim fundatur in ordine, à quo quis suspensus, censetur suspensus ab omni officio Clericali, & consequentèr à potestate spirituali, prout de communi docent *Syl. ver. suspensio, q. 5. vers. si verò sit ab officio*, & *Tab. eod. tit. nu. 4.* nàm remota executione fundamenti, nempè, ordinis; remouetur accessorium, quod est exercitium ordinum, & iurisdictionis spiritualis, qua ordinatus, potest eligere, beneficium conferre, & similia spiritualia peragere; vndè inferunt suspensionem ab ordine, ab officio, & à iurisdictione spirituali, equipollere, & idem operari.

4 Veruntamen, primum dictum, non est in omni Religione integrum; nam in familia Dominicana, nemo potest eligere, nisi sit Sacerdos, vt dictum est suprà, ergò in nobis ius eligendi fundatur in ordine Sacerdotali, quod in multis Religionibus obseruatur.

Quamobrèm, prædicta declaratio Sac. Congregat. nequit nobis Dominicanis adaptari.

5 Neq; his nocet *Sigismundus à Bononia de elect. dub. 97. num. 2.* dicens, Priorem, Præpositum, vel Guardianum, suspensum ab officio, prohiberi suffragium præstare in electione Socij, seù Discreti localis, non autem in electione Capituli, in quo eligitur Prouincialis, vel Generalis; & mouetur ex illa Regula, qua dicitur, quòd suspensus ab officio, non censetur suspensus à beneficio: sed Guardianus, quando eligit in Capitulo Prouinciali, non eligit, ratione officij, sed beneficij, nempe intuitu Guardianatus, quod est suffragari ex officio publico, secus autem, quando eligit Discretū, seù Socium ratione officij, & non beneficij.

Quia quamuis illa Regula sit vera, scilicèt, quòd suspensus ab officio, &c. cùm simus in pęnalibus, in quibus non fit extensio: nihilominùs fallitur in præsupposito; etenim ipse præsupponit, nomine beneficij, venire iurisdictionem spiritualem, quod non est verum, quia nomine beneficij, venit iurisdictio temporalis, nempè facultas administrandi, & regendi temporalia: non autem venit iurisdictio spiritualis, à qua fluit ius facti, eligendi, & cętera spiritualia peragendi, vt constat ex immediatè hìc dictis: vndè ingenuè fateor, Priorem, in meo Ordine, suspensum à Diuinis, nunquā posse habere votum in electione Prouincialis; quia per huiusmodi suspensionem amisit vsū iurisdictionis spiritualis, à qua, vt dictum est, nascitur ius facti eligendi, quod etiā aduertit *Peyr. cit. loc. nu. 36. in fin.*

6 Benè verum est, quòd huiusmodi Religiosus suspensus à Diuinis, poterit, absq; vllo scrupulo, etiam cum stola, publicè cōcionari, nàm prædicare, non est actum ordinis exercere, cùm hoc possint, etiam Laici, licentiæ, ac simplices Clerici, de licentia tamen Episcopi.

7 Dixi, etiam cum stola, quia vsus stolæ, & prolatio Psalmorum non est de substantia ordinis, vt benè aduertit *Alphon. de Leon. recol. 1. nu. 1016. pag. 662. de cens.* quidquid alij dicant: tùm quia, actus ordinis Sacerdotalis, de sui primo est duplex, nēpè, conficiendi Sacramēta, & illa dispensandi, quorum neutrum facit Religiosus, Prædicādo cum stola, vel aliquem excommunicatum absoluendo cum stola, Psalmis, etiam in foro exteriori vtēdo: tùm etiam, quia nulla irregularitas incurritur; nisi in iure expressa reperiatur, *cap. is, qui, de sent. excomm. in 6.*

8 In iure autem reperitur tantùm expressa irregularitas pro his, qui violant censuram per exercitium actus Ordinis, *Marchinus de Ordine, tract. 2. par. 7. cap. 3. nu. 19.* tùm etiam, quia, ità indifferentèr practicatur in meo Ordine; etenim Sacerdotes in Cęna Domini, cum stolis ad collum, recipiunt à Prælato Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, tumulant Sacerdotes defunctos, in Comitijs Prouincialibus disputant, & assistunt, qui actus sunt potiùs Religionis, & Pietatis, quàm Ordinis Ecclesiastici.

Religiosus introducens Fęminam in Cōuentum, an possit eligi in Priorem, vel alium eligere? Quæst. 17.

1 Exploratissimi Iuris est, quòd Regularis introducens Mulieres in Monasteriū ad malum finem, est priuatus omni-

omnibus officijs, quæ ad præsens obtinet, inhabilis in posterum ad illa, & suspensus à Diuinis, ipso facto, prout clarè constat ex *Bulla Pij V.* incip. *Regularium personarum, &c.* quam per extensum habes suprà in 2. *p. tract. de violata clausura, q.* 2. ibi, *ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus, quocunq; nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siuè Mendicantibus, siuè nō Mendicantibus, sub pœna priuationis officiorū, quæ in præsenti obtinent, & inhabilitatis in posterùm ad illa, & alia omnia, & suspensionis à Diuinis, ipso facto, sinè alia declaratione incurrendis, &c.* Sed suspensus à Diuinis, non potest exercere suam spiritualem iurisdictionem: ergo non potest eligere: quia vox est vnum de Ecclesiasticis exercitijs, *Fel. in cap. Apostolicæ, de except. ver. dare vocem, Panor. in cap. cùm semper, nu. 4. de Confess.* & *Sayr.* multis citatis *de cens. lib. 4 cap. 5. nu.* 12.

2 Nec potest eligi ad id, quod exercere non valet; nàm officium datur, propter beneficium, seù ad exercitium eius, *Garz. p. 7. cap. 14. nu.* 2. ergò.

3 Quod habet locum, etiam in suspenso occulto, & tolerato, *Rot. Rom. decis.* 534. *nu. 5. par. 1. in recent.* nàm censuræ illatæ cum illa clausula, *ipso facto, absq; alia declaratione*, mox admissa culpa, afficiunt animam, per ea multa, quæ dixi suprà.

4 Vndè, huiusmodi suspensus à Diuinis, licèt sit occultus, & toleratus, adhùc nequit actum suæ iurisdictionis exercere, *Nauar. cap. 27. nu. 151. & cons. 4. n. 3. de Cler. excomm. Sayr. cit. loc. cap. 1. n. 13. Suar. tom. 5. de cens. disput. 25. s. ct. 1. & Sorbus in ver. ingredi Monasteria, in declarat. Bul. Greg. 13. n. 9 ver aliud aduertendum est, fol.* 362.

5 Hinc, non obstante *extrau. ad euitanda Martini V. de sent. excom.* de qua sæpè dixerimus, potest ab vtraq; electione repelli; nèpè, actiua, & passiua, si contra eum ab Electoribus excipiatur: tùm quia, prædicta extrau. nihil sanxit ad beneficium censuratorum, sed ad quietem conscientiarum, volentium cum illis communicare, si fortè non sint declarati; tùm etiā, quia *dd. Constit. Pia, & Gregoriana*, sunt subsequentes ad illam, & loquuntur cum illa clausula; *absq; alia declaratione*, *Remig. Scropha in qq. moral. quæst. 3. & 4.*

6 Neq; his obstant illa verba *textus 4. Prol.* nostrar. *Constit.* ibi, *pœnis tamen absolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ, vel passiuæ, grauioris culpæ, & alijs maioribus (quantumcunq; tàm in Constitutionibus, quàm extrà), ipso facto sint incurrendæ) nisi sit pœna excommunicationis lata sententiæ, nullus sit subiectus: nisi superueniat declaratio Prælati, in particulari respectu huius, quantuncunq; notorium facti, vel iuris, aut vtriusq; interueniat:* hæc ibi.

7 Quæ confirmantur per *cap. 2. de elect. Prior.* sub *lit. P. pag. 113. col. 4.* ibi, *nullus debet excludi à quacunq; electione* (supple actiua, vel passiua) *prætextu alicuius criminis, vel delicti; nisi sententialitèr sit condemnatus, & per sententiam priuatus.*

8 Quoniam, prædicta referuntur ad Statuta Regulæ, & ad Cōstitutiones editas, vel forsàn edendas, à nostris Prælatis, per quas declarantur, & custodiūtur, quæ implicitè, vel explicitè nostram Regulam concernunt, vt *ibid.* declaratur, sub *lit. M. pag. 7. col. 2.* non autem referuntur, nec possunt referri ad Statuta, per Rom. Pontif. edita; nisi malueris dicere, Decreta Papæ præferri nostris Statutis; & eo magis, prædicta, cùm sint subseqnentia ad illa, cum fortissimis derogatorijs, *Scroph. cit. loc. nu.* 5.

9 Non desinam tamen dicere, quòd huiusmod suspensio a Diuinis, in quam incurrunt Religiosi introductores, non est reseruata Papæ, vt constat ex eadem *Pia Constitut.* & consequentèr potest tolli ab omni legitimo Confessario, *Thesaur. ver. clausura 1. p. 2. prax. cap. 1. & 2.* & Egomet dixi in *cit. loc. de clausura, q.* 26. & quòd excōmunicatio, quæ reperitur in *d. Gregoriana*, non afficit Subditos, sed tantùm locorum Superiores, vt *ibid.* dico, & quòd nostri legitimi Superiores possunt sibi Subditos, etiam non præsentes, ab his censuris absoluere, in foro tamē conscientiæ; prout ex multis *ibid.* ostendo *q.* 31.

Interdictus, an possit eligi ad Prælaturas Regulares? Quæst. 18.

1 Respondeo, quòd singularitèr interdictus non potest eligi, & si eligatur, electio est nulla, vt deciditur in *cap. ad hac 1. de postulat. prælat.* vbi *Gl. in ver. personam* ait, *& ità habes hic, quòd qui non seruat interdictum, ineligibilis est, nec potest postulari, & posset dici, quòd est irregularis, & suspensus, ideò nec eligere debet, nec excommunicare, nec beneficium conferre potest, quia Claues Ecclesiæ contemnit*, prout habetur expressè in *cap. tanta est 18. de excessibus Prælat. & cap. cùm inter R. 16. de elect.* ibi, *quòd ab interdictis electio fuerit celebrata.*

2 Hinc, notoriè interdicti non sunt ad electionem vocandi; immò repellendi, & si admittantur, electio corruit, *cap. illa quotidiana 39. de elect.* & notat, post allegatos *Castell. cap. 5. nu. 55. de elect.*

3 Amplia, vt nec etiam possit eligi, nec eligere, qui in loco interdicto scienter celebrauit, *Syl. ver. elect. num. 15. Tab. eod. ver. §. 16. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 2. cap. 5. §. 2.* vbi, multis citatis aduertit, quod sola fama facit in hoc casu probationem sufficientem, vt interdictum Superioris seruetur; & colligitur ex *d. cap. 1. de postulat. §. nos igitur*, & expresse habetur in *cap. is, qui, de sent. excomm. in 6. & Gl. fin. in c. per inquisitionem, de elect.* vide quæ dico in *tract. de Capitulo, q. 2.*

Irregularis, an valeat eligi in Prælatum Regularium? Quæst. 19.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. is, qui 18. de sent. excomm. in 6. §. is verò*, ibi, *irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Rom. Pontif. liberari, & adeò efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum alijs debebit admitti:* hæc ibi, vbi *Gl. in ver. cum alijs*, ait, *amicus ergò potestatem eligendi actiuam, & passiuam*; quod procedit, & est verum, etiam si irregularis sit occultus, & toleratus, vt constat ex *cap. 6. Conc. Trid. sess. 24. de Reform.* vbi Episcopis datur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, in foro conscientiæ tamen; ergò in foro conscientiæ præsupponuntur illaqueati, & irretiti, secus futilis foret huiusmodi absolutio, & dispensatio.

2 Amplia, vt irregularis sit ineligibilis, etiam si suam irregularitatem ignoraret; quia licèt ignorantia possit excusare à culpa, maxime, si sit inuincibilis; tamen non potest dare capacitatem, nec potest sanare, quod est infirmum de iure Canonico, *Nauar.* fusè *in sum. cap. 27. nu. 251. Ricc.* multis citatis *1. par. praxis, decis. 185. nu. 2.* in antiq. *Aula de cens. disp. 2. par. 7. dub. 6. conclus. 3.* & *Bonac. eod. tit. disput. 7. q. 1. pun. 3.*

3 Amplia, vt dictus irregularis nequeat eligi, etiam si præcedentèr ad electionem, vel collationem beneficij fuerit absolutus à censuris, per illam clausulam generalem, *teq; absoluentes ab omnibus censuris*; quia irregularitas non est propria censura Ecclesiastica, sed impedimentum Canonicũ; vndè non absoluitur, sed dispensatur, cum expressa sui mentione, dicendo, *dispenso tecum super irregularitate, si quam, vel si quas contraxisti, & habilito*, &c. vt idem *Nauar.* aduertit in cit. *loc. summ. num. 254.* & Egomet dixi suprà *tract. 4. q. 44. & 45.*

Infames, an valeant eligi ad Prælaturas? Quæst. 20.

1 REspondeo, quòd infamis, tàm infamia iuris, quàm facti, est ineligibilis ad Prælaturas Regulares; & si eligatur, erit, ipso iure electio nulla, *Syl. ver. infamia, q. 8. nu. 15.* & *Tab. eod. tit. nu. 11.* vbi notat, quòd omnis infamia, siuè sit iuris, siuè facti, repellit à promotione, siuè sit Dignitas, siuè sit Ordo; quia portæ dignitatis, infamibus patere non debent, vt dicitur in *cap. qui in aliquo, dist. 51.* vbi assignantur viginti sex impedimenta, quæ repellunt à dignitate quæsita, & faciunt incapacem ad quærendum: & clariùs in *Regula 87. de Regul. iur. in 6.*

2 Quæ Iuris Regula intelligitur, de Dignitatibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, vt *ibid.* notat *Gl.* vbi multa allegat iura, quæ sunt obseruanda; quia omnes infames secundùm leges, sunt infames secundùm Canones, vt notat *Tab. cit. loc. nu. 1.* & habetur expressè in *Can. omnes verò 20. caus. 6. q. 1.* ibi, *omnes verò infames dicimus, quos leges infames appellant, qui culpis exigentibus, ad Sacerdotiũ nõ possunt prouehi:* hæc ibi.

3 Quamuis, non omnes infames secundùm Canones, sint infames secundùm leges, *Gl. sibid. in ver. leges.*

4 Sed aduerte, quòd infamia, siuè sit iuris, siuè facti, non contrahitur antè declaratoriam Iudicis, etiam si simus in delicto notorio; tùm quia, sola notorietas delicti non sufficit; tùm etiam, quia, ad hoc, vt delinquens dicatur notorius, ità vt ei nulla competat defensio, multæ exiguntur qualitates, quæ cùm dent iurisdictionem, debent concludentèr constare, secùs autem, nihil operantur: tùm item, quia multa facta videntur notoria, quæ de iure non sunt.

5 Quàpropter, iure optimo cautum est in Dominicana familia, nullum esse excludendum à quacunq; electione, prætextu alicuius criminis, vel delicti; nisi sententialitèr sit condemnatus, & per sententiam voce priuatus, vt constat ex *tex. 5. Prol. & declarat. cap. 2. de elect. Prior.* sub *lit. P. fol. 113. col. 4.*

6 Amplia resolutionem sic limitatam, ad publicos Aleatores, Ebrios, Lusores, Mulierum raptores, Adulteros, Sodomitas, & Consimiles, qui nequeunt ab electione repelli; nisi post Iudicis declarationem, de qua te vide *Ricc. 2. p. praxis, resolut. 119. Castell. cap. 4. de elect. nu. 58. Peyr. tom. 2. de Præl. q. 2. cap. 5. §. 5. & 6.* & *Tamb. tom. 1. de Iur. Abbat. disp. 5.* vbi fusè, ex multis ostendit, infamiam facti, per pœnitentiam purgari, &

Alphons.

Alphonf.de Leon.2.p.de off.& poteftate Confeff. recoll.1. concluf.6. nu.213.

Hæreticus, an poffit eligi ad Prælatias? Quæft. 21.

1 ET dico, quòd non, & fi eligatur, electio eft, ipfo iure nulla: quia non folùm ipfe eft ineligibilis; verùm etiã, eius Receptatores, Fautores, & Defẽfores, prout clarè dicitur in *cap.quicunq;, de Hæreticis, in 6. ibi Hæretici autem, Credentes, Receptatores, Defenfores, & Fautores eorũ, ipforumq; filij vfq; ad fecundam generationem, ad nullum Ecclefiaft cum beneficium, feu officium publicum admittantur; quod fi fecus factum fuerit, decernimus irritum, & inane*: hæc ibi.

2 Id ipfum confirmatur in *cap. ftatutum* 15. *eod.tit. in 6.* vbi fuit declaratum, quòd filij Hæreticorum, vfq; ad fecundam lineam Paternam, ad primam verò Maternam, funt inhabiles ad beneficium, & officium fæculare, fi Patres, ante mortẽ, Ecclefiæ reincorporati non fuerint; & ratio effe poteft; tùm quia, Hæretici funt excommunicati, *cap.nouerit, de fent.excomm.cap.Achatius, & cap.audiuimus* 24. *q.1.cap.ad abolendum* 9. *cap.excommunicamus* 1.2. *de Hæret.* & eius abfolutio eft referuata Papæ, ex *Bull. Cœnæ Domini*.

3 Tùm etiam, quia funt extrà Ecclefiam, *cap.excommunicamus, & cap.vergentis, de Haret.* & confequentèr non debent aliquid Ecclefiæ Catholicæ poffidere: quia extrà illam funt, *cap.quo iure, §.leguntur, diftin.*8. tùm item, quia funt infames, *cap.infames* 6. *q.*1. *cap.alieni* 2.*q.*7. tùm deniquè, quia funt ipfo facto priuati Dignitatibus, quas poffident, quocunq; tempore obtentis; *cap.vt eùm ipfi, ver.priuandi, de Haret. in* 6. ergò multò fortiùs, obtinendis; ius enim quæfitum eft fortius iure quærendo.

4 Et refolutio prædicta habet locum, tàm in Hæreticis manifeftis, quàm occultis: tùm quia, cenfura mox incurritur, admiffa culpa, fecretè, vel publicè; tùm etiã, quia quod tacitè ineft, cẽfetur expreffum, nàm taciti, & expreffi eadem eft virtus, *l.cùm quid, ff.fi certum petatur, Sanchez, lib.*2. *ad Decal.cap.*25. *num.*2. & *Bonac.de cenf. difput.*7.*q.*3. *punc.*7.*nu.*2. & *Peyr.tom.*2. *de Prælat.q.*2.*cap.*5.*§.*6.*nu.*73. vbi excipit Hæreticos mentales; quia hi non cenfentur excommunicati; nifi interior Hærefis, per aliquod fignum exterius fuerit declarata, *Farinac.de Hæref.q.*192.*nu.*1.*& feq.*& *Garz. de benef.par.*11.*cap.*10.*nu.*1.

5 Amplia, procedere, etiam poft publicam Hæretici emendam, vt conftat ex *c.conuenientibus, §.ex hac auctoritate* 1. *q.*7. *cap.nos confuetudinem, diftin.*12. qui text. concludunt, etiam de ordinibus, ità vt qui lapfus eft formalitèr in Hærefim, fiuè occultè, fiuè manifeftè, etiam poft abfolutionẽ remaneat irregularis, non folùm, quòad recipiendas dignitates, fed etiam, quòad recipiendos ordines, & etiam ad exercendum eos, quos habet, *Ricciuli.de iur.perfon. lib.*5.*cap.*18. *nu.*1. *Bonac.de cenf.difp.*7. *qu.*3. *pun.*7.*nu.*6. *& fequen.* & *Peyr.* multis citatis, *vbi fuprà*.

6 Sed cur Nepotes Hæreticorum per lineam paternam, sũt ineligibiles, non autem Nepotes Matris hæreticæ, vt dicitur in *extrau.* prædict. *Sanchez* cit. *loc. cap.*27. *n.*2.& *Farinac.de Haref.q.*191. *§.*2. Refpondent, quia Nepotes ex filio, & non ex filia, Patris conditionem fequuntur, cùm femen paternum fortiùs imprimat, vt liquet in Podagrofo.

Regulares Pœnitentiati à Sancto Officio, an valeant eligi ad Prælaturas Regulares? Quæft. 22.

1 NEgatiuè dic, immò funt perpetuo inhabiles, vt cõftat ex *Decreto Vrb. VIII.* edito feria 5. 1. Octobris 1626. in General: Congreg.S.Rom. & Vniuerfalis Inquifitionis, fub his verbis.

Sanctiffimus D.N. iuftis de caufis, animũ fuum mouentibus, decreuit, & ftatuit, vt in pofterùm Regulares omnes, cuiusuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Inftituti, quibus pro delictis, ad Sanctæ Inquifitionis Officium fpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impofitum fuerit (falutaribus pœnitentijs exceptis) eo ipfo, ad omnes Religionis fuæ gradus, & officia, cenfeantur, & deinceps (etiam fi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenùs poffint, nifi priùs obtenta à Sanctiffimo D.N. vel ab hac Sac. Congregatione, coràm Sanctiffimo habenda, fpeciali, & expreffa rehabilitationis gratia; aliàs promotio qualibet nulla fit, & promouentes ipfi, priuationem fuorum officiorum, ac prætereà vocis actiuæ, & paffiuæ, ipfo facto incurrant, ad quæ reftitui, nifi ab eod.Sanctiff. D.N. vel ab eadẽ Sac.Congreg.coràm SS. habenda, non poffint; præfens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem S.D.N. Thomas de Fideriis, Sanctæ Rom. ac Vniuerfalis Inquifitionis Notarius fubftitutus de mãdato, locus figilli & habetur in libello attitulato, *Bullæ, e Decreta recentiora, pag.*160. & etiam refert per extenfum *Peyr.tom.*2. *priuil. ad finem Conftit.*9.*Paul.V.* & *Tamb.tom.*1. *de iur. Abbat. difput.*5.

disput.5. q.21. vbi notat *nu.30.* quòd pęnitentiæ salutares dicuntur,quæ solæ extrà-iudicialitèr infliguntur, & priuatim complentur,vt sunt Ieiunia, Disciplinæ,Recitationes Psalmorum,Reprehensiones,Admonitiones, ac etiam Correctiones, quæ paternè, & secretò fieri solent aliquibus in hoc Sancto Tribunali.

2 Verùm aduerte, penas in *d.Decreto* contentas, non incurri ab ijs Regularibus, qui antè illud penitentiati sunt à Sancto Officio,sed ab alijs, qui posteà: nàm lex non obligat; nisi in futurum; & post sui promulgationem; prout sępius Sac.Congregar. declarauit, & testatur de visu *Lezana 1.p.sum.cap.15. nu.39. in fin.*

Regularis, qui abiurauit in Sancto Officio, an valeat eligi ad Prælaturas? Quæst.23.

1 ET dico, quòd non, etiam si abiurasset de leui; quia Regulares, quibus aliqua pęna imposita est à Sancto Officio, salutaribus tamè exceptis ex *d.Decreto Vrb.VIII.* redduntur inhabiles ad omnes gradus, & officia, sed abiuratio, de qua agitur, etiam si fit de leui, est pena, quæ per sententiam imponitur,& post sententiam debet fieri, vt constat ex stylo Generalis, & Vniuersalis Sanctissimæ Inquisitionis Vrbis, vt testantur *Pegna Com. 41. 3.p. direct.Inquisit.* sub *tit.de quinto modo terminandi processum, nu.166. lit.*D. *pag.* mihi 494. noster *Antonius de Sousa Aphorism.lib.2.cap.40,nu.7. Alphonf.de Leon. p.2. recoll.1.nu.11. Diana 4.par.tract.8.de officio, & potestate Inquisit, resol.64. Tamb. tom.1. de iur. Abbat. disput.5. q.21. nu.17.* & fusè *Cesar Carena tract. de officio Sanctissimæ Inquisit. par.3. tract.12. de abiuratione, §.4. num. 11.*

2 Confirmatur; quia abiuratio, etiam de leui, non potest dici pęnitentia salutaris, cùm non infligatur extrà Iudicium, sed in Aula Sanctissimę Inquisit. coràm Peritissimis Inquisitoribus, & alijs nonnullis timoratæ conscientiæ, cū debitis scripturis, iuramento, & cautelis, vt de praxi docent præfati *DD.*

3 Nec obstat *Rodr. tom.2. qu.82. ar.2,* cum suis allegatis, quia hi scripserunt antè *d.Decretum Vrb.VIII.*

4 Neque *Peyr.tom.2. de Prel.q.2.cap.5. §.7.nu.59.* dicendo, quòd ad excludendum abiurantes in Sancto Officio, spectandæ sunt literæ absolutoriæ, in quibus si per Inquisitores fuerit appositum, quòd Hæresi, de qua N. accusatus,non probata,propter suspitiones coactus fuit abiurare de leui; eligibilis est; tùm quia,Peritissimi Inquisitores,non ità prolixè loquuntur, nec ad particularia descendunt, sed dicunt, *N. de N. impositis sibi pænitentijs salutaribus,*vel *vbi abiurauit de leui, aut graui, fuisse à Tribunali dimissum*; tùm etiam,quia *d.Decretum Vrb.VIII.*loquitur absolutè, & nihil excipit, prætèr pęnitentias salutares, de quarum numero nō potest dici abiuratio, etiam si fit de leui,ob prædicta; tùm item; quia Hæresi non probata, non subsistit suspitio, & præsumptio; quia hæ fundantur in Hæresi, & deficiente fundamento, corruunt superædificata.

5 Nec obstat dicere, quòd in nullo Ordine reperitur sancitum contrà abiurantes de leui, sed tantùm contrà abiurantes de vehementi,vt in Ordine Prædicat.*c.2.de elect.Prior.tex.5.*sub *lit.P. fol.114.col.2.* quia Sanctio hæc fuit antè *d. Decretum Vrb. VIII.* quod hodiè debet omninò attendi.

Illegitimi, an possint eligi ad Prælaturas Regulares? Quæst.24.

1 D. *Thom. in addit. ad tert.p. qu.39. ar.5.in corp.* ait, quòd illegitimè natus, est repellendus à susceptione Ordinis,& consequentèr à susceptione Dignitatum Ecclesiasticarum, quæ non possunt conferri; nisi Ordinatis,quia licèt natiuitas legitima non sit de necessitate Sacramenti; est tamen de necessitate præcepti; quarè, si illegitimus,absq; dispensatione Apostolica ordinetur, suscipit quidèm Sacramentum,& Ordinis Characterē.

2 Nihilominùs, peccat mortalitèr, ob transgressionem tot *Canonum* in materia graui; nisi fortè excusetur,per ignorātiam; nàm, & si natiuitas illegitima sit quædam irregularitas, hoc tamen impedimentum non est de iure Diuino, sed de iure Pontificio,idq; pertinet ad defectum corporis, vt constat ex *cap.cùm in cunctis 7. de elect.* ibi, *& de legitimo matrimonio sit natus*, & *cap. innotuit 20.eod.tit.* ibi, *non legitimè genitos, adeò persequatur, quia electionem talium irritam esse nullam*, & *cap. nimis,final. de filijs Presbyter.* ibi, *prædictis personis,à Personatibus, & Dignitatibus, & huiusmodi Beneficijs, prorsus amotis*, & *cap.1. & 2.in 6.eod.tit. & cap.consuluit.5. de seruis non ordinandis*, vbi spurij prohibentur,ad Ordines promoueri; & *cap.nisi cùm pridèm 10. de renunciatione,* ibi,*irregularitas personæ*: Quæ iura loquuntur absolutè,& in specie,de filijs Præsbyterorum, qui nati sunt ex sacrilego concubitu; ergò,& fortiùs extenduntur ad alios, qua-

qualitercunq; genitos, siuè ex adulterio, siuè ex simplici fornicatione, cùm habeant tantam turpitudinem.

3 Fundamentum autèm Sacrorum Canonum, potest esse multiplex. Primò; quia Ordinati, & ad Dignitatem Ecclesiasticam assumpti, per huiusmodi ordinationem, & assumptionem, in quadam dignitate, & superioritate constituuntur; vndè decet, & est rationi congruum, vt sint alijs, & præcipuè quibus præsunt, honestate, & fama clariores, qui autem ex sordido cócubitu gignũtur, sordes contrahunt, & generis obscuritatem, *D.Thom.cit.loc.* Secundò; quia hi solent esse Paterni criminis imitatores. Tertiò; quia hi ex ipsa natura, forsàn in pœnam peccati, quasi ex infecta radice, vel à negligenti educatione Parentum, regularitèr sunt Ignaui, Rudes, Indocti, Impoliti, indicani, Indocil. s, Inhumani, Crudeles, Insolentes, Temerarij, & effrenatè Viuentes, more Bestiarum. Quartò; quia hoc exigitur ad Custodiam, & Honorem Matrimonij. Quintò, in detestationem tanti criminis, vt libentiùs ab eo homines desistant, & Vltimò, nè legitimi grauentur ab illegitimis, & inter hos, & illos discrimen appareat, de qua re *Sot.4. sent.distin.25.q.2.ar.3. concl.1.* & *Rodr.tom.1.q.13.*

4 Ex indè, *Tiraq. de nobil. cap.15. nu.10.* dicit, quòd de iure communi, illegitimi nõ gaudent nobilitate Parentum, & *nu.12.* ait, quòd non sunt de Parentum familia, & quòd nõ possunt ferre insignia Parentum; & q̃ sunt infames, etiã legitimati, *n.13.14. 18.* Quia manet Cicatrix, & Litura, & *Bald. in cap.cùm in Ecclesiarum, de Constit.nu.86.* vocat illegitimos, inhonestos, & sordidos, & in *cap.1. de Constit.nu.61.* ait, quòd bastardus legitimatus, est similis Alchimiæ, quæ facit apparere illud, quod non est; transmutare tamẽ vnam speciem in aliam non potest, sicut legitimatus, figurã legitimi gerit, sed non habet eandem substantiam, & alij, alias multas in Bastardos proferunt blasphemas, de quibus latè *Peyr. tom.2.q.2.cap.5. §.9. nu.124.*

5 Et quâuis Religiosi illegitimi ex *cap. vt filij 1.de fil.Præsbyter.* per Religionis ingressum, & professionem in ea, absq; dispensatione, intelligãtur ad ordines habilitati, non tamen redduntur habiles, quòad Dignitates, & Officia obtinenda in ea, vt ex eodem *cap.* constat, ibi, *Prælationem verò nullatenus habeant*, & ex *cap.final.eod.tit.* vbi D. Papa reprehendit illegitimos, qui sine dispensatione Sanctæ Sedis, ad Dignitates, & Personatus, & Beneficia, curam animarum habentia, promouentur, & *in fin.* id vetat omninò, ibi, *& nè id de cætero præsumatur, districtiùs inhibemus*; in quo verbo *Gl. ait, quòd Religiosi Illegitimi, postquàm intrauerint Religionem, possunt promoueri ad ordines, sine aliqua dispensatione; ad honores verò promoueri non debent, si ie dispensatione, vt hic dicitur, & in d.cap.1.de fil.Præsbyt.* per quos *text.* & verba *Glo.* cessant argumenta *Iuristarum*, de quibus latè *Couar.de spons.2.par. cap.8.nu.4.* & *Roar.tom.1.q.13.ar.5.* & meritò reprehenduntur à *Nauarro, comment.2. de Regul. super cap.dùm dicatis, num.60.* & *Miranda tom.2.Manual. q.2. ar.1. per tot.*

6 Nec dices, quòd Religionis ingressus, & præsertim in ea solemnis Professio, emũdat profitentem ab omni macula, & ab omni irregularitate, de communi consensu *DD.* quia hoc est verum, quòad culpam, si professio emittatur cum contritione, vt docet *Syl.ver.Religio 3.q.23.* & est de mente *S.Thom.* quòad suscipiendum Ordines; secus autem, quòad Dignitates, & Officia, quibus adiuncta est cura animarum, vt ex multis ostendit *Nauar. cit.loc.* & clarè constat ex allegatis iuribus, de quibus non licet dubitare.

7 Quapropter, Religiosus illegitimus, licèt occultissimus, absq; speciali dispensatione nequit esse Abbas, Generalis, Prouincialis, Prior, Guardianus, Custos, Minister, Præpositus, & Similis, etiam si non eligeretur, sed alitèr institueretur, putà per Diffinitorium, auctoritate Apostolica, aut similiter, vt patet in *Clem.exiui, de verbor. signif.* quia hi sunt propriè Prælati, & curam animarum habent, *Syl.ver.Prælat. q.2. Miranda tom.2. q.23. art.8.* & *Portell. in dub. ver. illegit. nu.8.*

8 Nec item, potest esse Supprior, aut Vicarius Monasterij, quia isti paritèr in aliquo casu possunt, de iure speciali esse Iudices ordinarij, & de per se curam animarum habere, cùm scilicèt Prior, vel Guardianus abest.

9 Neque, Vicarius alicuius parui Monasterij, seu loci exilis, qui ob paucos introitus nequit in Prioratum erigi; quia is paritèr dicitur ordinarius, & habet ibi iurisdictionem, cum cura animarum; *Peyr. tom.2. de Prælat.q.2.cap.5. §.9.n.135. in fin.*

10 Nec etiam potest esse Commissarius, Visitator, Discretus, seu Procurator ad Capitulum Generale, nec eius Diffinitor, quia officium Discreti, & Diffinitoris est quidã Personatus, & Dignitatem importat: vndè potest eligere, & eligi in Generalem, vt interdùm euenire solet, *Syl. ver. Dignitas, Personatus, & Officium, Miranda*, & *Portell. vbi suprà*, & *Tamb. tom.1. de Iur. Abbat. disp.5.q.14.nu.6. in fin.* & *Rodr. tom.1.q.13. artic. 19.* & latè *Samuell. tract.2. disput.6.* con-

controuer.13. eoucluſ.4. & 5.

11 Et hoc in Ordine Prædicatorum eſt certum, vt conſtat ex eius *Conſtit.diſtin.1. c.13.de recipiendis §.3.lit.N,*vbi ità habetur. *Si autèm talis illegitimè natus, ad ordinem receptus fuerit,& diſpenſatum fuerit cum eodem,quòd poſſit fieri Prior, non propter hoc Diffinitor fiat Capituli Generalis, aut Prouincialis; nec Prædicator Generalis, nec Elector Magiſtri Ordinis, abſq; Magiſtri Ordinis licentia ſpeciali*: hæc ibi.

12 Poteſt tamen in Religione eſſe Sacriſta,Oeconomus, ſeù Procurator, Cellerarius, Magiſter Nouitiorum, Confeſſor Monialium,cęteraq; manualia officia habere, quæ curam animarum non habent, nec Prælaturæ ſunt, ſed ad nutum Superioris ſunt amouibilia, & conſtat ex *d.cap.1. de filijs Presbyt.*ibi,*Prælaturas non habeant*,ergò per argumentum à contrario ſenſu, officia, quæ Prælaturæ non ſunt, poſſunt habere; & docent *Nauar.lib.5.de fil. Presbyt. conſil.6.num.3. Sy.ver. Prælat.q.3. Sanchez lib.5. ſumm.cap.5. nu.16. Peyr.tom.1. priuil. in Conſtit.2. Iul.2.§.29.nu.91.& tom.2. de Prælato,q.2.c.5.§.9.n.135.* vbi poſt allegat. refert, ità fuiſſe à Sacra Congregat. deciſum, ſub anno Domini 1590. die verò 16. Ianuarij.

13 Quæ autem intelligantur officia manualia, *Nauar.cit.loc.nu.6.* cenſet, quòd in Religionibus ea omnia officia ſunt manualia,quæ non ſunt Capita Conuentuum; & ſic Religioſus baſtardus poteſt eſſe Diffinitor,Procurator ad Capitulum Generale, Commiſſarius, & Similis.

14 At rectiùs ſentiêdum eſt cum *Gloſ.in cap.2. ver.non mutentur, & cap.cùm Monaſterium, ver.perpetrò, de ſtatu Monachorum,* Officia, quæ fiunt in Capitulis per electionem Canonicam, & Superioris confirmationem, cùm nequeant ad nutum Superioris amoueri,manualia non eſſe, cętera verò,quæ hoc modo,& forma non fiunt, manualia eſſe,*Sanchez,Peyr.& Tamb. vbi ſuprà.*

Illegitimi, nō dùm diſpenſati ad vocem paſſiuam,an gaudeant actiua? Q. 25.

1 NEgatiuè *Peyr. in d tom.2. cap.5. §.9.num.151.* & ſe fundat in *d.cap. finali, de fil. Presbyt.* penſat enim, votum electiuum in Religione eſſe Perſonatum,& quandam prærogatiuam.

2 Sed fallitur, quia vox electiua,præcisè ſūpta,non eſt Dignitas, neq; Prælatio,neq; Perſonatus, cum iuriſdictione coniuncta, ſed eſt effectus Profeſſionis elicitæ; vndè poteſt conuenire illegitimis profeſſis, antè diſpenſationem ad Perſonatus, & Dignitates, vt de ſe patet, & docet *Rodr. tom.1. quæſt.13. art.19.*

Quis nàm poteſt cum his, ad Prælaturas ſuſcipiendas diſpenſare? Q. 26.

1 REſpondeo, quòd de iure communi nullus poteſt, excepto Papa,vt liquet in *d.cap.1.& final.de fil.Presbyt.* nec quidèm Epiſcopus;& conſequenter, nec Prælatus Regularis, vigore *Conc. Trid. ſeſſ.24.cap.6. de reform.* quia facultas ibi Epiſcopis data, intelligitur, de irregularitatibus,ex delicto occulto, & perſonali prouenientibus.

2 Hæc autem irregularitas illegitimationis non prouenit ex delicto occulto ipſius illegitimi, ſed ex delicto ſuorum Parentum;*Nauar.comm.2.de Regul. ſuper cap. non dicatis,nu.92.& 93.Conar.de ſponſal.p.2. cap.8.nu.4.*& *Rodr.tom.1.q.13.ar.6.in princ.* cum ſuo *Compend. reſolut.52. de diſpenſat. num.40. in fin.*

3 Quò verò ad ius ſpeciale, aduerte, quòd *Sixtus Quartus* conceſſit Generali,& Prouincialibus, Miniſtris, & eorum Vicarijs, auctoritatem diſpenſandi cum Fratribus Ordinis Minorum, patientibus defectum,ex illicito coitu prouenientem; nec non cum his,qui ex quauis cauſa (præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis mēbrorū) irregulares fuerint, poſtquàm ordinem ipſum profeſſi fuerint, diſpenſare, vt defectu, & irregularitate huiuſmodi non obſtantibus; irregulares ipſi, ad quoſcunq; etiam ſacros Ordines promoueri,& in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & quòd tàm ipſi Regulares, quàm defectum Natalium patientes præd cti, ad quaſcunq; adminiſtrationes, & officia d. Ordinis eligi, recipi, & aſſumi, illaq; gerere,& exercere,liberè,& licitè valeât; q priuilegiū refert per extenſū *Rodr. tom.1.q.13.ar.6.*& *Mirā l.tom.2.Manual.q.2. art.2.* & habetur in *Monumentis Ordinum,* in prima impreſſione,*fol.61.*& in ſecunda, *fol.144. concluſ.25.*

4 Id ipſum ſpecialitèr fuit conceſſum Ordini Sancti Hieronymi, & alijs Religionibus Monachalibus, vt patet ex *Compendio Ordinis Ciſtercienſis, & d. Ordinis Sancti Hieron.*& ex *lib.Priuil.Congregationis Sancti Ioan.Bapt.* vulgò dictæ *Loyos*,ſeù *de Sancto Heloij in Portugallia*; & conſtat ex eius *Compendio 2.p.fol.9.in princ.* vbi compendiosè refertur *Priuilegium Eugenij 4.* quo, Religioſus admiſſus ad Profeſſionē d. Ordinis, ſi habet defectum Natalium, ipſo facto,

facto; censetur dispensatus, non solùm ad ordines; sed etiam ad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, seu Præposituras, Rectorias, aut Officia, se inuicem compatentia; & refert *Rodr.* cum suo *Compendio resol.52. de dispensat.* & *Miranda vbi suprà, concl.2. Portell.in dub. ver.illegit.* vbi, hoc *Eug.4.* priuilegium, dicit esse valdè notandum; & per extensum refert idem *Rodr.* in suo *Bull. Bulla 7. Eug.4.* quod fuit extensum ad Fratres Congregationis Vallis Vmbrosæ à *Iulio 2.* teste *Tamb.tom.1.de Iur. Abbat.disp.5.q.14.nu.7.*

5 Et multò magis ad Mendicantes, qui gaudent Monachorum priuilegijs, ob mutuam communicationem eorundem, vt constat ex decisis in *tract. de communic. priuil.*

6 *Sixtus* tamen *V.* sua *Constit.2.* quæ incipit, *Ad Romanum spect. Pontificem*, quam per extensum pono in *4.par.tract.2.* vbi expenduntur *Bullæ, & Decreta* recipiendorum, declarauit irritas, & nullas dispensationes datas à Prælatis Religionis, etiam antè emanationem dictæ *Constit.* vt liquet in eius *§. Illegitimos*, ibi, *volumus per hanc, non obstantibus, &c.*

7 Attamèn *Greg.XIV.* sua *Constit.* incip. *Circumspecta*, quam pariter per extensum habes in *d.4.p.* moderauit dictam *Constit. Sixti V.* & quoàd dispensandum cum illegitimis, ità loquitur.

Volumus quoq; ac statuimus, licere Generali, ac Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxtà tenorem Priuilegiorum, & Indultorum Apostolicorum, eis concessorum, quæ dummodò vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dicti Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, Prouinciali, seù intermedio Capitulo, & non aliàs, suffragantibus meritis, Dignos iudicauerint, ad Honores, Gradus, & Dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi, pro tempore, ità factas, & indè subsequuta quæcunquè, vt anteà valere, & tenere prorsindè, ac si prædictæ Constitutiones non emanassent: hæc ibi; ex qua *Constitut.* benè constat, prædictum *Priuilegium* Nobis, & alijs concessum per *Sixtum IV.* esse limitatum; ità vt non possint ampliùs per se soli Generales, & Prouinciales cum illegitimis dispensare, sed solùm possunt facere cũ Generali, Prouinciali, aut intermedio Capitulo, seù Dieta.

8 Sed aduerte, quòd adest aliud *Priuilegiũ* per eundem *Greg.XIV.* Clericis Regularibus ministrantibus Infirmis concessum, quod incipit, *Illius, qui*, & refert per extensum *Cherub.tom.3. Bull. Constit.17.* inter *Bull. Greg.XIV. fol.706.* in cuius §.29. hæc habentur.

Ac dicto Præfecto Generali, pro tempore existenti, seù de illius licentia, Præfectis inferioribus aliorum locorum, seù Prouincialibus dictæ Congregationis, pro tempore existentibus, ac illorum Vicarijs, ac Loca tenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis, defectũ Natalium, etiam ex Adulterio, Sacrilegio, Incestu, & quouis alio nefario, & illicito, & prohibito, & damnato coitu prouenientem, patientibus, postquàm in d. Congregatione, vota emiserint, vt defectu huiusmodi non obstante, ad quoscunq; sacros, etiam Presbyteratus ordines, promoueri, & in illius, etiam Altaris ministerio, ministrare, nec non ad quæseunq; administrationes, Personatus, Præmineutias, & Officia d. Congregationis eligi, admitti, & assumi, illaq; gerere, & exercere, &c. hæc ibi.

9 Ex quibus collige, quòd Generalis Ordinis, & de eius licentia, Priores, Guardiani, Correctores, ac Similes, nec non Prouinciales, & eorum Vicarij, possunt cum illegitimis dispensare ad Dignitates, & Officia Ordinis, absq; Capitulo Generali, Prouinciali, & Intermedio; adeò, vt hodiè videantur innouata antiqua Priuilegia, *Peyr. tom.1. priuil. in Constitut.2. Iulij 2. §.29. num.95.*

10 Verùm, *Collector* Priuilegiorum Mendicantium, in suo *Compen. ver. dispensatio, nu.13.* cui fauet *Rodr.in d.ar.6.in fin.* & *Miranda in d.ar.3. §. aliqua fuerunt Priuilegia, in fin.* aduertit, quòd Prælati inferiores, nũquàm fuerunt in vsu vti tali facultate; sed tota potestas semper fuit penès Generales, ac Prouinciales, & vtrorunq; Vicarios, *Peyr. vbi suprà*, & per non vsum amittuntur Priuilegia, vt constat ex decisis in *tract. de amissione Priuil.* & allegans, Priuilegia esse in vsu, tenetur id probare, *Decius in rubr. de confirmat. vtil. vel inutil. nu.3. & Rota in decis. Cotta 56. par.1. diuers. nu.5. & in decis. Seraph.780. nu.5.*

11 Et meritò; quia res graues Ordinis, pertinent ad PP. Generales, & Priores, notoriè Irregulares nequeunt habilitare pro toto Ordine; sed respectiuè in suo restricto Territorio, *Tambur. cit. loc.* & *Flau. Cherub. in d. Constit. Greg.XIV.*

12 Et ad maiorem stabilitatem prædictorum aduerte, quòd idem *Greg.XIV.* sub anno Domini 1591. Die verò 30. Augusti, per suam *Constit.* quæ incip. *Exponi Nobis*, concessit, & indulsit Societati Iesu, vt ex tunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, tàm in Nouitijs, etiam cuiuscunq; generis illegitimis admittendis, quàm in dispositionibus ad quælibet Officia, Gradus, & Dignitates, in Societate obtinenda, ipsis

ipsis Veteranis illegitimis, cuiusuis generis concedendis formam,& rationem omnimodam, in illius Apostolicis Diplomatibus,ac Priuilegijs quibusuis,nec non,& in *Constitut. Decretis, & Regulis* expressam, liberè,& licitè prosequi,& retinere valeat, eamq; perpetuò obseruari voluit, & mandauit; non obstantibus quibuscunq; *Constitut. & Ordinationibus Apostolicis*, ac prædicta ab eodem *Pontifice* nupèr edita,quæ incipit *Circamspecta*, & alia *Sixti V.* quæ incipit *Cùm de omnibus*, & habetur inter *Priuileg.Societatis Iesu,tit. facultas admittendi Nouitios, fol.*mihi 301.editionis Collegij Romani eiusdem Societatis.

13 *Clem.VIII.*sub anno 1593 sua *Constit.* incip.*Decet*,quam per extensum refert *Cherub.tom.3. pag.29.* inter *Bullas* eiusdem 22. concessit Clericis Regulariũ Sancti Maioli Papiens. aliàs de Somascha, vt Generalis cum dictis Congregationis Professis,posset dispensare super defectum Natalium patientibus, ad suscipiendos sacros Ordines, & ministrãdum in Altaris ministerio, & recipiendum Officia, & Dignitates quascũq; huius Congregat. absq; vlla limitatione.

14 *Paulus V.* eisdem Patribus idẽ concessit,sua *Const.*incip.*Adiunctis nobis*, edita 1. Decembris 1606. & alia facta eidem Societati Iesu, quæ incip.*Quantũ Religio*, edita sub eodem anno 1606. pridiè nonas Septembris, & in vtraq; *Bulla* concessio reperitur facta, *motu proprio,ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, sine vlla restrictione*; quæ quippè clausulæ operantur, vt restituantur, & reualidentur priuilegia reuocata, perinde, hodiè viuere illa *Alexandri 3.* & *Ioan. 22.* de quibus latè noster *S.Antoninus 3.par.tit.29.de irregularit.cap.4. ver.tertius modus*, & nupèr *Samuell.disp.6. controu.18.tract.2.* & quia priuilegia huiusmodi,ob Communicationem,extenduntur ad omnes alias Religiones, non est de hac re amplius dubitandum: eo fortiùs, si illegitimitas sit occulta, tùm quia,priuilegia loquuntur absolutè, tùm etiam, quia sic potest faciliùs tolli à Prælatis, vigore *Conc. Trid.sess.24.cap.6.de reform.* nàm cùm hæc irregularitas proueniat ex delictis Parentum, ad Irregularitates ex delicto prouenientes, secundùm quosdam, reducitur,& potest colligi ex *cap.nisi cùm pridèm, §.personæ,ibi,si tamen, & culpa latet,de renunciatione, Peyr.tom.2.de Prælat. q.2. cap.5. §.9. nu.*143.vbi de re multa loquitur.

Dispensatio, an possit fieri sine iusta causa,& quæ nàm sit illa? Qu.27.

1 RESpondeo, quòd Prælati Regulares per Priuilegia suprà posita, non valent cum illegitimis sibi Subditis dispensare, sine iusta, & rationabili causa; prout egregiè docet *D.Thom.1.2.q.97.ar.4.ibiq; Caiet. & in summula ver. dispensatio*, *Sot. lib.1. de iust. q.7. art.3. Syl. ver.dispens.*

2 Et constat ex eius Diffinitione, dispẽsatio enim nihil aliud est; nisi Iuris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione, ab eo, qui potestatem habet dispensandi, *Glos.cap.requiritis 5.caus.1.q.7.* quod probat arg. *12.q.1. can.ex his*, & colligit ex nomine; nàm dispensare, est diuersa pensare, nempè,an expediat in Ordine ad commune bonum.

3 Secus,Prælatus Regularis non foret in dispensando inferior Papa,qui solus habet plenitudinem potestatis dispensandi suprà ius commune, *cap. proposuit 4. de concess. preben.* ibi, *qui secundùm plenitudinem potestatis, de iure possumus suprà ius dispensare, &c.* Ob quam potestatis plenitudinem potest dispensare, etiam sine causa, & dispensatio valet, *Caiet. in d.1.2.q.96.in Comm. art.5. §.ad hoc dubium, in fin. nu.70. Sot.cit.loc. in fine d.art. Nauar.tom.4. relect. super cap.si quando, de rescriptis, num.12. & in summ. cap.25. nu.74.*

4 Vice versà, Prælatus ob defectum potestatis, quia scilicèt legi subijcitur, & rigorem legis nõ potest tollere,nequit sine causa dispensare,& aliàs dispensando, peccabit; & eius dispensatio erit nulla; vndè hi sic dispensantes, nequeunt dici Dispensatores, sed Dissipatores, *D.Bernard.de dispensat. & præc p.* & *D.Thom. in d.loc. 1.2.q.97.ar.4.* & *Syl.vbi suprà.*

5 His accedit voluntas *Greg.XIV.* expressa in *d.Bulla*, ibi *suffragantibus meritis, & non aliàs*, *Rodr. tom.1. q.13. art.14.* vbi ponderat *d.Clausulam, Miranda tom.2. Manual. q.2.ar.11.* & *Tamb.tom.1. de Iur. Abbat.disput.5. quæst.16.* & *Samuell. disput.6. controu.21. tract.2.*

6 Iustæ autem causæ dispensandi sunt multiplices,quæ summatim narrantur in *§ nisi rigor disciplinæ cap.requiritis, caus.1. q.7.*ibi *multorũ enim crimina sũt damnabilia, quæ tamẽ Ecclesia tolerat pro tẽpore,pro persona,intuitu pietatis, vel necessitatis,vel vtilitatis, & pro euentu rei, &c.*

7 Prima causa temporis colligitur ex *cap. necessaria,& c.pro remedio 1.q.7.cap.Fraternitatis 34.dist.*ibi *quia defectus nostri temporis,quibus non solùm merita, sed etiam corpora ipsa defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram.*

8 Secunda vtilitas,scilicèt, vt alij faciliùs conuertantur ad bonum *22.q.4.cap.ipsa pietas, & cap.tali coniugio 17.caus.1.q.7.*

9 Ter-

9 Tertia, qualitas psonæ, & meriti, & sciētiæ, *d.c.tali, & c.didici* 15. *cod.cauf. & quaſt.*
10 Quarta, necessitas, vt in *d.cap.tali*; Quinta, pietas, Sexta, euentus rei, Septima, multitudo, siuè scandalum multitudinis, *dist.*50.*c.vt constitueretur*, vbi tamen cauendum est, nè quis alatur in scandalo; sed quia casus sunt innumerabiles, nec dari potest in hoc certa Regula; ideò standum est in hoc, arbitrio boni viri, qui si indicauerit, causam esse rationabilem, dispensatio erit debita, secus Prælatus peccat, & dispensatio non valet, de qua re dico infrà *in tract. de potestate dispensandi*.

Illegitimorum dispensatio, ad hoc, vt valeat, an sit in ea, de necessitate exprimenda qualitas illegitimitatis? Q. 28.

1 PRo terminorum notitia, suppono, illegitimos diuidi in quatuor species, vt docet *Gloss.in cap.nisi cum pridem,in ver.Manzeres* 10.*de renunciatione*, *Couar.p.2.de sponsalibus, cap.*8.§.4. & *Sayr.* multis citatis *de cens. cap.*10. *num.*6. alij enim sunt naturales, alij nothi, alij spurij, alij verò manzeres, illi, qui ex viro, & fœmina solutis, naturales filij, iure Ciuili dicuntur, iuxtà *leg.penult.& fin.ff.de concubi.* iuncta *l.si quis officium, ff.de ritu nupt.* & docet *Gloss. in cap.per venerabilem Fratrem* 13. *qui filij sint legitimi, ver.naturalibus*, ibi, *Naturales largè omnes appellantur, & plerunq; illi tantùm, qui ex liberis concubinis nascuntur*. Nothi verò dicuntur, qui nati sunt ex viro coniugato, & quacunq; alia concubina, aut fœmina soluta, seu, qui ex adulterio nati sunt, & sic dicti, à nota, idest, infamia, quæ multùm infamat hominem; quæ nàm differentia sit inter hos, & illos, docet *Sayr.vbi suprà*; Spurij dicuntur illi, qui incertum Patrem habent, quasi sparsim concepti; *Instit.de nuptijs*, §.*si aduersus*, vel, vt alij dicunt, spurij dicuntur, qui ex coitu damnato nascuntur: damnatus verò coitus ille dicitur, quotiescunq; fœmina punitur, aliqua lege humana, propter coitum, vt sunt nati ex stupro, ex sacrilegio; incestu, vel fœmina coniugata. Manzeres deniq; sunt, qui ex viro soluto, & scorto, seu meretrice, vel alia quacunq; fœmina fornicaria nascuntur.

2 His ergò præsuppositis; dubitatur, si Summus Princeps, in sua dispensatione, seu legitimatione dicat, *quòd dispensat cum illegitimis, ex quocunquè coitu, siuè incestuoso, siuè adulterino, aut sacrilego*; An, talis dispensatio, in cōmuni sic facta, valeat?

3 Et dico, quòd sic, regularitèr loquēdo, quia Summus Princeps, per suam supremam, & absolutam potestatem, censetur absolutus ab omnibus iuris solemnitatibus; adeò, vt in suis dispensationibus, præsertim, vbi non agitur de præiudicio tertij, non teneatur ad illas: nisi fortè talis adesset circumstāntia, de qua benè, & meritò posset præsumi, quòd si in particulari exprimeretur, nullatènus talis dispensatio fieret ab eo; vt si exprimeretur, quòd est illegitimus, ex coitu matris cum filio, vel monialis cum fratre: hæc enim circumstantia, duriorem redderet Principem ad dispensandum; nàm in generali concessione nō veniunt illa, de quibus, si Concedens in particulari interrogaretur, minimè concederet; prout Omnes autumant; & habetur expressè in *cap.in generali, de Regul. iuris, in* 6. & *cap.cùm generali, de officio Vicarij*, & *cap.*2. *de filijs Presbyt. in* 6.

4 Secus autem dicendum, de dispensatione, quæ fit à Prælatis in Religione, vel ab aliqua Persona particulari, ex commissione, aut priuilegio; quia in hac de necessitate sunt exprimendæ causæ impulsiuæ ad dispensandum, & qualitas illegitimitatis; aliàs dispensatio foret subreptitia, hoc est, nulla ob defectum veritatis tacitæ: tùm etiam, quia dispensatio est stricti iuris, & non excedit casus expressos; tùm quia, defectus mutantes speciem, sunt exprimēdi; tùm etiam, quia tantò est difficilior illegitimorum dispensatio, quantò eorum origo est turpior; ergò declaranda est in specie, vt cognoscatur; est enim dispensatio communis iuris relaxatio, quę nequit fieri, sine causæ cognitione; vt dictum est; ergò, vbi maior est legis obligatio, ibi maior requiritur causa ad dispensandum, *D. Thom.in Addit.in* 3.*p.q.*39.*ar.*5.*in corp. Syl. ver.legitimus, q.*3. *n.*8.*Sot.* 4.*sent.dist.*25.*q.*1. *ar.*3.*concl.*1. & *Couar.p.*2.*de sponsalib.cap.*8. §.9.*nu.*1. vbi conclusionem probat ex *cap. postulasti, de rescriptis*, & *cap. vlt. de fil. Presbyt. in* 6.

5 Vndè, *Gloss.in cap.*1. *eod.tit.in* 6. *ver.defectum*, ait, quòd non ità de facili dispensatur cum vno, sicut cum reliquo, & ità sępè fuisse à Rota Romana decisum, refert *Samuell.dispur.*6. *controuers.*22. *tract.*2. *de elect. Canonic.*

6 Quamobrèm, ad impetrandam dispēsationem non sufficit dicere, Oratorem pati defectum Natalium, at in specie est dicendum, quòd est naturalis, aut spurius; & si spurius, an ex adulterio, vel incestu, aut ex sacrilegio? si ex adulterio, an ex altera parte tātùm, an verò ex vtraq; ? hoc est ex coniugato, & coniugata, si ex incestu, expli-

çandum est, in quo gradu, an cum Matre, Filia, vel Sorore? & distinguendi sunt gradus consanguinitatis, seù affinitatis inter Parentes, ex quibus talis illegitimus est genitus, si ex sacrilegio, exprimendum est, an simul concurrerint adulterium, sacrilegium, & incestus? prout de his omnibus latè discurrit *Panor.in cap.per venerabilem, qui filij sint legitimi,Conar.*& *Syl.cit.loc.Molina 2.2.tract.2.disput.178. Miranda tom.2. quæst.2.art.13.* fusè cit.*loc. Sanchez de matrim.lib.8.disp.18.nu.14. Bonac.disput.1.de legib.q.1.pun.3.nu.21.ver.ego verò Sigismundus à Bonon.de elect. & postulat. Pralat.Regul.dub.78.n.5.*& *Tamb.tom.1.de Iur.Abbat. disput.5.q.16 nu.11. in fin.* & fusiùs *in q.18. nu.4.* vbi aduertit, quòd clausulæ *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* non tollũt defectum dispensationis, manantem ex taciturnitate conditionum illegitimitatis.

7 Neq; est audiendus *Emanuel Rodriquez tom.1.q.13.ar.13.in fin.* dicens, quòd in Religionibus, ad dispensandum cum Religiosis, non est necessarium explicare omnes supradictas qualitates, cùm verisimilitèr credatur, Religionum Prælatos, cũ Religiosis illegitimis dispensare, quaeunq; interueniente qualitate; præsertim cùm facilius dispensandum sit cum eisdem Religiosis, quàm cum alijs Clericis sæcularibus illegitimis: postquàm, etiam ius Canonicum per *cap.1. de fil.Presbyt.* iàm ipsos ad sacros recipiendos ordines reddit habiles, ex eo solo, quòd solemnem professionem emiserint; multum confidens de eorum cõtinentia; tùm quia, sine fundamento loquitur, tùm etiam, quia secus dixit in *2.p.* suæ *sum.cap.3. de Nouit. nu.4.* vbi expressè dicit, quòd non est necessaria tanta causa ad dispensandum cum incestuosis in quarto gradu, vt benè aduertũt *Miranda,*& *Samuel.cit.loc.in fin.* quanta ad dispensandum cum his in tertio gradu; ità non tanta ad dispensandum cum naturalibus, quanta cum adulterinis, & sacrilegis; nec rectè defenditur à suo *Nepote in Compendio,resol.52.in fin.nu.50.de dispensat.* Tùm quia, id, quod per eum *ibi* dicitur, de directo aduersatur *textui cap.is,qui 1. §.ille verò,de filijs Presbyt.in 6.*ibi *nequit prætextu dispensationis huiusmodi tantùm (quam exorbitantem à iure, oportet veluti odiosam restringi)* ergo dispẽsatio est stricti iuris; & *c.2.* immediatè *subsequenti*, ibi, *cùm non sit verosimile, Sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum, voluisse dispensare; si hoc fuisset expressum*: ergò requiritur expressio causæ, & cuius sit qualitatis; tùm etiam, quia est contra expressam doctrinam *D. Thom.* tùm item, contra praxim, & communem decisionem *Doctorum*, vt benè notant *Sigismundus à Bonon. de elect. dub.79. num.71.* & *Peyr.tom.2. de Prælat. q.2.cap.5. §.9.num.145. in fin.*

An potestas dispensandi, sit latè interpretanda? Quæst.29.

1 PAnor. *In cap.fin.de sim.* dicit, quòd sic; quando datur, non expressis Personis dispensandis; tanquàm Principis beneficium; & sic sentit *Glos. in d.cap.* secus autem, si exprimerentur Personæ, cũ quibus debet fieri dispensatio, argum. *cap.si eni, de Præben.in 6.* quia omnis recessus à iure cõmuni est odiosus, per *text.* clarum *d.cap.2. de fil.Præsbyt.in 6. & cap. quod dilectio, de consang. & affin.* & secundùm hanc distinctionem *Syl.ver.dispensatio, q.5.nu.9.* intelligit *Bartol.in l.3.ff.de verb.signif. & Canonistas*,& *Nauar.comm.4.de Regul.nu.15.in fin.* ait, quòd licèt dispensatio sit restringenda, iuxtà allegata iura, potestas tamen dispensandi latè debet interpretari, iuxtà *Glos.* singular.& receptam in *Clem.1.de off.Vicar.*

2 Hinc colligitur, quòd potestas ad dispensandum in habente illam in dubio, si possit, vel nè possit extendi ad hoc, vel illud, est amplè interpretanda, retenta propria significatione verborum, teste *Bart. cit. loc.*

3 Et ipsa dispensatio facta, est interpretanda strictè; quia est abrogatio legis communis, *Sanchez de matrim. lib.8. disput.1.* vbi hoc limitat, multis modis; & *disput.2.nu.9.* ait, quòd stante dubio, an dispensatio facta, extendatur ad hunc Casum, est strictè interpretanda; si verò sit dubium, an potestas dispensandi extendatur ad hunc casum, est amplè interpretanda, cui fauet *Portell. in dub. Regul.ver.dispensare, num.23.*

Illegitimus electus ad aliquam Dignitatem, ab habentibus potestatem dispensandi, an ipso facto censeatur tacitè dispensatus? Qu.30.

1 HÆc quæstio est satis intricata, de qua latè disceptãt *DD.* quorum collectaneum facit *Sanchez de matrim. lib.8. disput.4. Tamb. tom.1. de Iur. Abbat. disput.5.q.17.* & *Peyr.tom.2. de Prælat. q.2. cap.5. §.9. num.144.*

Et pendet ex illa, an Superior assumẽdo aliquem ad aliquod officium, videatur dispensare cum eo, in impedimento, quod habet ad illud? ad quam quæstionem peritissimus

ritissimus *Sylu. ver. dispensatio*, *q.* 15. *nu.* 21. multis citatis, respondet affirmatiuè, si scit, & habeat causam rationabilem, & intentionem dispensandi; quod itèm fatetur *ver. irregularitas*, *q.* 28. vbi quærit, quomodò irregularitas tollatur, *in fine*, ibi, *tamen Episcopus ordinando eum, cum quo dispensare potest, ipso facto dispensat, si hoc intendit, licèt verbis non vtatur.* & meritò, tùm quia, quotiès aliquid, cum peccato, & sine peccato exerceri potest: præsumendum est, exerceri sine peccato, *l. meritò, ff. pro socio*, sicut ex duobus peccatis, minus est præsumendum, *l. si adulterium cum incestu, §. 1. & 3. ff. ad l. Iul. de adulterijs*, cùm igitur maius peccatum esset, eligere illegitimos ad Prælaturam, sine dispensatione, quàm cum dispensatione, absq; causæ cognitione, præsumendum est, minus peccatum, scilicèt elegisse cum dispensatione, licèt sine causæ cognitione: eò magis, quia dispẽsatio nõ requirit certa verba; nulla enim forma reperitur in iure, ad dispensandum: ergò potest fieri scripto, voce, & intentione.

2 Confirmatur; quia taciti, & expressi eadem est virtus, *l. qui certum, ff. locati*, *& l. de aliquibus* 31. *ad fin.*

3 Quod maximè procedit in non habentibus determinatam formam, vt in casu, de quo agitur; ergò Eligentes illegitimum ad Prælaturam, censentur, ipso facto dispensare; nàm ex tali facto arguitur voluntas, vt perbellè ostendit *Sanchez* cit. *loc. nu.* 17.

4 Tùm etiam, quia præsupposita auctoritate in dispensanre, notitia illegitimitatis, voluntate, & causa rationabili, ad dispensandũ: nihil ampliùs desideratur, quòad forum internum.

5 Secus, quòad externum, in quo necessariò exigitur expressa dispensatio, cum causæ cognitione; prout docet *Glos. in cap. vnic. ver. dispensare*, *de ętat. & qualit. ordin. in 6. & in cap. literas, de concess. præben. Nauar. in prælud. 9. nu. 15. vèr. quibus omnibus*, & clariùs in *cap. 25. nu. 74.* hoc enim interest inter Papam, & Episcopum, & omnem alium inferiorem Prælatum; quia Papa præbens aliquid ei, quem scit, iure humano, ad id inhabilem; ipso facto, sine dispensationis expressione, censetur habilem facere; non autem Episcopus; & ratio diuersitatis est; quia Episcopus non potest absq; causæ cognitione dispensare, Papa verò sic; vt ipsemet *Nauar.* latè, ex multis ostendit in *cap. si quando, de rescript. & in com. cap. non liceat* 12. *q.* 1. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 13. *ar.* 16. *Miranda tom.* 2. *q.* 2. *ar.* 14. & *Portell. ver. illeg. nu.* 7. & constat ex decisis.

6 Nec desunt, qui contendunt, opinionem *Sylvestri*, ob prædicta suffragari in vtroq; foro; etsi dispensatio expressa minimè adfuit, de quibus multa loquũtur *Sanchez*, & *Tamb. vbi suprà.*

7 Verùm, non potest placere, tùm quia, quòad forum externum, de necessitate debet constare, Superiores habuisse voluntatem, & causam rationabilem ad dispensandum, quod probandum est ab asserente; tùm etiam, quia eis resistit *cap. qui in aliquo crimine* 5. *distin.* 51. cùm *ibi* puniatur Episcopus promouens concubinarium, cum quo poterat dispensare, vt *ibid.* notat *Glos. in ver. qui concubinas*, si promouendo, ipso facto censetur dispensare; non deberet puniri, etsi in foro externo, eius animus sufficeret; se excusasse, quòd habuisset animum cum illo dispensandi; tùm item *cap. ex tua, de fil. Præsbyt. §. super quo*, vbi cùm Episcopus auctoritate Papæ cum aliquibus filijs Præsbyterorum dispensasset expresè, ad habendum beneficium, quod Patres eorum immediatè habuerunt, ij admittuntur ad beneficia retinenda, ergò à contrario sensu, si cum eis non dispensasset expresè, etsi beneficia contulisset; non possent dicta beneficia retinere; ergò sola collatio non habilitat.

Illegitimus filius Monachi, an possit, intuitu priuilegiorum, dispensari ad habendas Prælaturas in ea Religione, in qua Pater eius, Prælatus fuit? Quæst. 31.

1 DE iure commmuni Canonico certum est, filios Præsbyterorum non posse præesse Ecclesijs, in quibus eorum Patres fuerunt Prælati; vt habetur expresè in *cap. præsentium* 3. *de filijs Præsb.* ibi, *sed ipsos ab Ecclesijs, in quibus Patres eorum ministrasse noscuntur, studeas penitùs amouere*; & in *cap. cùm decorem domus Dei* 15. assignatur ratio, ibi, *cùm indecorum sit, vt in Altaris officio, illegitimus filius, impudico Patri ministret, in quo vnig nitus Dei filius ęterno Patri, pro salute Humani Generis victimatur*; & in *cap. ad abolendum* 16. *eod. tit.* ibi, *firmitèr inhibemus, nè Canonicorum filij, maximè spurij, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesijs, in quibus instituti sunt Patres eorum, & si fueris cõtra præsumptum, decernimus, non valere.*

2 At quia prætendunt Regulares, id posse de iure speciali; non erit inutile, hac in parte, *Tridentinum* expendere, cui Religiosorum Priuilegia nequeunt aduersari.

3 *Sacrum* enim *Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de Reformat.* ità loquitur, *vt Paternæ incontinentiæ memoria, Locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasq; decet, longissimè arceatur, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesijs, vbi eorum Patres, beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunq; etiam dissimile beneficiū obtinere; nec in dictis Ecclesijs quomodocunq; ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ Parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere; quòd si in præsenti Pater, & Filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius, suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extrà Ecclesiam, intrà trium mensium spatium; aliàs, ipso iure eo priuatus existat, & super ijs quacunq; dispensatio subreptitia censeatur*: hæc ibi.

4 Super quo *Decreto* orta sunt multa dubia, & per Sacram Cōgregationē declarata, de quibus latè Eminent. *Bellarm.* & *Barbosa in suis Collect. ad d. Cap. Trid.* & *Samuel. disput. 6. controu. 17. tract. 2. de elect.*

5 An vero hoc *Concilij Decretum* extendatur ad illegitimos Regulares, filios Religiosorum; ita vt nequeant promoueri ad Dignitates in Religione, quas eorum Patres obtinent, vel obtinuerunt.

Rodr. tom. 1. q. 13. ar. 7. ait, *quòd non obstante d. Conc. Trid. adhuc Prælatus Regularis potest dispensare cum Religioso, de quo agitur, ad habendas Prælaturas in Religione; tùm quia, Conc. Trid. vbi suprà, loquitur de Clericis sæcularibus, & non de Regularibus; & cùm sit lex pœnalis, nec etiam ad casum similem potest extendi: argumentum enim à simili in legibus pœnalibus non valet, teste Gloss. in cap. in pœnis, de Regul. iur. in 6. tùm etiam, quia Concil. ibi solùm prohibet, quòd filij illegitimi sint beneficiati in Ecclesijs, vbi Parētes eorū beneficium obtinuerunt; at nos hic dicimus, filios illegitimos posse habere Prælatias in Religione, vbi Parentes eorum professi sunt, non autem in Monasterio, vbi Prælationes habuerunt*; hæc ille, quem sequitur *Frater Sigism, à Bonon. de elect. dub. 75. Hier. Rodr. in Comp. resolut. 52. de dispensat. num. 42. P. Samuel, vbi suprà,* & *Lezan. par. 1. cap. 18. nu. 60. & ver. illegitimi Regulares, nu. 17. in fin.* vbi probabilem hanc opinionem dicit.

6 Verùm, *Ludouicus Miranda tom. 2. Manual. q. 2. ar. 10.* vehementèr inuehit contra huiusmodi opinionē, vultq; illegitimum Regularem non posse, nec quidem in tota Religione præesse, eumq; sequitur *Peyr. tom. 2. de Prælato, quæst. 2. cap. 5. §. 9. nu. 137.* & *Tamb. tom. 1. de iur. Abbat. disput. 5. q. 15.* ducunturq; ex multis: Primò, quia licèt dicta iura, & *Conc. Trid.* loquantur de filijs Presbyterorū, nihilominùs vtrobiq; eædē rationes militant, vtpotè malum exemplum Paternæ incontinentiæ, indecorum domus Dei, detestatio Paterni criminis, & euitatio scandali: immò, eò fortiùs militant in Regularibus, quàm in Clericis; cùm enim hi laicalitèr in sæculo viuant, non cedit id, in tàm graue scandalum, quàm cederet in filijs illegitimis Regularium; at vbi militat ratio legis, ibi, & legis dispositio debet habere locum: ergò, &c.

7 Secundò, quia sicut Priuilegium *Canonis, si quis suadente, &c.* est fauorabile respectu ordinis, quem tuetur; licèt respectu percutientium Clericos cēseatur odiosum: ità dicta iura, & *Conc. Trid.* respectu ordinis, & præsertim Religionis, vbi expressè fit votum Castitatis, est fauorabile; quamuis respectu defectum patiētium, videatur odibile; ac proindè ad Religiosos extenduntur.

8 Nec nocet, quòd de his expressè non loquantur; tùm quia, hoc fortè erubuerūt de Religiosis suspicari; tùm quia, quod nunquàm, aut de raro accidit, in consideratione non habetur.

9 Tertiò, quia etiam lex pœnalis, ob identitatem rationis, extenditur de casu ad casum, vt notant Scribentes de lege pœnali, at in casu posito, nedùm occurrit eadem ratio; immò, & maior, & potior, ergo, esto, quòd dicta iura, & *Conc.* sint pœnalia, debent extendi ad casum nostrum, ob eandem, immò fortiorem rationem, de qua dictum est suprà.

10 Sed *Hier. Rodr.* in cit. *loc.* in suo *Comp.* Respondendo ad hoc, dicit, *dato, quòd præfatum Tridentinum extendatur ad filium Regularis, debet fieri extēsio ad casum similem tātū, & non ad dissimilē; etiam si in eo militet maior ratio; ergò tātū debet extendi ad nō obtinendam Prælationem in Monasterio, in quo Pater d. Religiosi fuit Prælatus, qui est casus similis eo, qui in dicto Decreto Tridentino diffinitur, scilicèt, nè filius illegitimus Clerici, habeat beneficium in Ecclesia, vbi eius Pater, illud obtinuit, vel obtinet: non verò ad id obtinendum in alio Monasterio Ordinis, vel Prouinciæ, qui est casus ex hac parte dissimilis, & minimè diffinitus in præfato Decreto, in quo non prohibetur filijs Clericorum, habere beneficiū in Diœcesi, seu Episcopatu, cui assimilatur Prouincia inter Regulares; vbi Patres eorum fuerūt beneficiati, sed tātū in eadē Ecclesia; nā quādo intentio legis limitatur per diffiniti loci expressionē, nullo modo potest fieri extensio cōprehensiua ad alium dissimilem locum, de quo Legislator nullum verbum fecit, argum. cap. 1. de tempor. ordin. in 6. & resoluit Suar. de legibus lib. 6. de extensione legis Humanæ, cap. 3.*

cap.3. nu.21. & cap.4. num.12. hæc *ille.*

11 *Miranda* verò in *cit.loc.* vult, conclusionem prædictam, ob identitatem, & maioritatem rationis habere locum, nedùm in eodem Monasterio, in quo Pater habuit Dignitates, vt dicit *Rodr.* cum suo *Compend. vbi suprà*, Verùm etiam, in tota Religione, in qua Pater habuit beneficia.

12 *Peyr.* autem vult, procedere in Conuentu, & Prouincia tantùm, non autem in tota Religione; ex quo Prouinciæ non sunt inter se adeò magnæ; quin omnes Fratres de Prouincia cognoscant incontinentiam Patris illius.

13 Mihi autê in hoc magis arridet opinio *Rodr.* tùm ob allegata per suum *Compendium*, tùm quia, iura, & *Conc.* loquuntur respectu vnius loci, in quo Pater habet, vel habuit Dignitates, tùm item, quia *Clem.*7. id statuit, tàm pro Clericis, quàm pro Regularibus, sua *Constit.* incip. *Ad Canonum Conditorem*, edita sub anno Domini 1533. quam per extensum refert *Laertius Cherub. tom.*1.*Bull. pag.*598. & liquet ibi, *sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, quæ Præsbyteri, & Clerici, ac Religiosi eorum Patres in titulum, vel commendam, aut administrationem, ad tempus, seù in perpetuum, aliquandò obtinuerunt, nullo vnquàm tempore quoquo modo obtinere possint, &c.*

14 De qua *Constitut.* multa dicit *Nauar. in cap.si quando, de rescriptis*, & nunquàm fuisse reuocatam, testatur *Rodr. in d. ar.*7. & loqui respectu determinatæ Ecclesiæ, in qua scilicèt Patres illegitimorum habuerunt Dignitates, vt *ibi* clariùs apparet. Verùmtamê hodiè debet attêdi *Const. Gregor. XIV.* quæ incip. *Circùspecta*, qua *Sixti V. Constit.* super hoc editas modificauit, & ad terminos iuris communis redegit; vbi côcedens facultatem Regularibus Prælatis, vt seruatis quibusdã conditionibus, illegitimos in Religione recipere posset, sic ait.

Dummodò filius illegitimus in Religione, in qua Pater, siuè antè, siuè post natiuitatem dicti filij, professus fuerit, ipso Patre viuente, non admittatur, quod expressè prohibemus: hæc *ibi*: ex quibus benè arguitur, quòd si Summus Pontifex, ità expressè prohibuit, nè illegitimi in Religione, in qua eorum Patres, antè, vel post ipsorum natiuitatem, professi sunt, in vita Patrum recipiantur, ad euitandum scandalum, & ad euitandam continuam memoriam Paternæ incontinentiæ; multò magis per eandem *Constitutionem* censendum est, vt ijdem Religiosorum filij, ad Prælationes, & Dignitates nô promoueantur in Religionibus, vbi eorum Patres Prælati sunt: & secundùm hanc *Constitutionem* debet intelligi opinio *Miranda*, de qua immeditè suprà, cùm vniuersaliter loquatur in ordine ad totam Religionê, in qua Pater reperitur professus.

15 Nec placet, quod *Rodr.* ait, *vbi suprà*, quòd, scilicèt supradictus *Gregor. in d. Const.* agendo de dispensatione cum illegitimis, ad hoc, vt virtute priuilegiorum, ad Dignitates, & Prælationes promoueri possint, nullum de hac re verbum fecit; ex quo colligit, Papam id consultò fecisse, & silentio prætermisisse; quia, inquit ipse, *dùm non expressè dixit, per suam taciturnitatem videtur consentire; nàm si alitèr voluisset, expressè illud dixisset, vt dixit in primo suo Decreto, agendo de illegitimorum receptione.*

16 Quandoquidèm, vt *Miranda* cum cęteris aduertit, ideò prædictus Summus Pontifex tacuit, nihilq; expressit; quia præsupposuit, priorem ipsius prohibitionem, de non admittendis Nouitijs illegitimis in Religionibus, vbi eorum Patres, antè, vel post filiorum natiuitatem, professionem fecerunt, ipsis viuentibus, obseruatam esse, quòd si d. ctũ *Decretum* obseruaretur, prout obseruari Summus Pontifex præsupposuit, nullus hodiè foret locus controuersiæ.

17 Amplia, prædictam conclusionem nô solùm procedere de filijs genitis post Patrum professionem in Religione, vt manifestè colligitur ex *d. Constit. Gregor. XIV.* verùm etiam, in filijs illegitimis, natis antè dictam professionem, prout constat ex quadam Declaratione Sacræ Congregat. qua censuit, *Tridentinum*, & iura allegata habere locum in filijs naturalibus procreatis tempore, quo Parentes eorum, nondùm erant effecti Clerici; quæ Declaratio magis vrget, & debet habere locum, si vera sit, in filijs Regularium, cùm eorum status debeat esse magis distans ab omni memoria Paternæ incontinentiæ, *Sigism. à Bonon.* & *Peyr.* cit. *loc.*

18 Amplia secundò, prædictam conclusionem non solùm habere locum in filio illegitimo, sed etiam in nepote legitimo, respectu sui aui, *Rebuff. in praxi, tit. de dispensat. super defect. nat. Campanil. in diuer. iur. Rubr.*11.*cap.*13.*nu.*75. & *Garz. de benef. p.*7. *cap.*3.*nu.*27. vbi refert, ità Sacram Congregationem declarasse: tùm quia, cùm filius personam Patris repræsentet, semper renouabitur memoria delicti Aui; tùm etiam, quia filiorum nomine veniunt Nepotes, *l. liberorum, §. sed, & Papirius, ff. de verb. signif.* tùm item, quia ità colligitur ex *d. Trid.* ibi, *longissimè arceatur.*

19 Nec his nocet alia Declaratio Sac. Congreg. quam, vbi suprà refert idem *Garzias*, qua declaratum fuit, in prædicto

De-

Decreto Conc.Trid. non comprehendi filios legitimos ex Patre illegitimo, quia si vera sit, debet intelligi, Auo mortuo, *Peyr.* cit. *loc.* eò magis, quia idé *Garzias vbi suprà*, ait, Sac.Congregat.declarasse, filium legitimum ex filio, vel filia illegitima, non posse habere Dignitatem, quam habuit Auus; ipso Auo viuente, & sentit *Rebuff.* cit.*loc.nu.27.& 28.* & alij plures, quos refert, & sequitur *Rojas de successione ab intestato,cap.20. nu.112.* & *Lessius de Iust.lib.2. cap.34. nu.91.*

20 Verùm, *Nauar.cons.9.nu.9.& 10.de fil. Præsbyt. Ricc. in decis. Curiæ Archiep. Neapolitan. p.4. decis.283. & in praxi p.4. resolut.374.Nouar.de elect.& variat.for.quæst.9. num.60.* & alij infiniti, quos refert *Barbosa in d.* sua *Collect. ad d.cap.15.Conc.Trid. sess. 25.de reform. nu.6.* asserunt, Nepotes legitimos Præsbyt. ex filio illegitimo, respectu beneficij Aui, non comprehendi sub dispositione *d.Decret.Conc.Trid.* de quo est omninò videndus Eminent. *Bellarm.* vbi doctrinalitèr, ac eruditè multa dicit.

21 His tamèn non obstantibus *Peyr.* cit. *loc.* putat, in Religionibus non esse recedendum à conclusione, & ampliatione prædicta, propter puritatem, quam requirit Religiosus status, & ad attendam materiam scandali, & loquacitatis, quæ Fratres otiosos solet valde nimis occupare.

Illegitimi, an legitimentur per subsequens Parentum matrimonium? Q. 32.

1 AFfirmatiuè deciditur in *cap.tanta 6. qui filij sint legitimi*, ibi, *tãta est vis matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur*, & colligitur ex *l.1.& l.nuper, Cod. de nat.lib.* vndè sicut ceteri legitimi debent admitti ad hereditatem paternam, vt constat ex *cap.conquæstus 1.eod.tit.* ibi, *nè dictæ mulieri, hac occasione, super hæreditate paterna molestiam inferat, vel grauamen.*

2 Quod intellige verum; dummodò geniti sint ex soluto, & soluta, seù geniti sint ex Parentibus, inter quos, tempore Conceptionis, seù Natiuitatis, ritè matrimonium constare poterat; prout habetur in *d.cap.tanta*, ibi *si autem vir, viuente vxore sua, aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licèt post mortem vxoris, eandem duxerit; nihilominùs spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus*, hæc *ibi*, ex qua textuali limitatione plura inferuntur.

3 Primò, quod filij nati ex coitu fornicario, etiam domi minimè cohabitante concubina, per subsequens matrimonium censentur legitimati; quia inter concubinam, & virum, tempore conceptionis, matrimonium contrahi potuit; *Glos.in cap.innotuit, ver.coniugata, de elect.* & *Couar.in Epit.4. decretal. p.2.cap.8. §.2.nu.4.*

4 Secundò, legitimantur, etiam si Pater, tempore generationis fuisset in minoribus ordinibus constitutus; etiam si beneficium Ecclesiasticum haberet, *Couar.* cit. *loc.* & *Syl.ver.illeg. q.4.* & clariùs *ver. leg. q.8.* ex quo Clericus beneficiatus in minoribus, non est inhabilis ad matrimonium contrahendum.

5 Tertiò, filius susceptus ex Monacho, & Concubina, vel ex Monacha, intrà annũ probationis, per subsequens matrimonium fit legitimus, ob eandem rationem, & colligitur ex *d.cap.tanta.*

6 Quartò, illegitimus, qui Religionem ingressus, suscipit Dignitates, absq; dispensatione; licèt mortalitèr peccauerit, dispensatione tamèn non eget, ad eas retinendas, vbi inter eius Parentes fuit initum matrimonium; quia per subsequens matrimonium legitimatur; *Sayr. lib.6.de cens.cap.10.nu.30. Bonac.de censur. disput.7.q.2. pun.3. nu.8.Filliuccius tract.41. cap.4.& 5. ver.quod si antè, Sigismund.dub. 73.* & *Peyr.tom.2.de Prælat. quæst.2. cap.5. §.9. num.120.*

7 Attamèn, alij, & verius dicunt, quòd ille, qui sine dispensatione beneficium Ecclesiasticum est assequutus, antequàm eius Parentes contraxissent, & retinuit, peccauit quidèm mortalitèr; quia tunc temporis erat incapax ad recipiendum, & post matrimonium contractum non potest illud retinere, absq; noua electione, vel collatione; ex quo electio, & collatio nulla à principio, non potest conualidari per dispensationem superuenientem; sine nouo consensu Electorum, ad quos spectat electio, vel collatio; tùm quia, non firmatur tractu temporis, quod de iure à principio non subsistit, *cap.non firmatur, de Regul.iur. in 6.* tùm etiam, quia sicut in matrimonio carnali, qui illud sunt prohibiti contrahere, si contrahant, & posteà dispensationem obtineant, opus est nouo consensu, post ipsam dispensationem obtentam; sic à pari dicendum in electione, qua Religiosus illegitimus assumitur ad Prælatiam Regularem, absq; dispensatione, vbi Parentes eius contraxerint, indiget noua electione; quia illa prima fuit nulla, & non potest conualidari per subsequentem Superioris dispensationem, vt dictum est; non autem indiget noua dispensatione, quia de iure Canonico, & Ciuili factus est habilis, & legitimus ad omnia, sicut, cœteri

legitimi,

legitimi, *Panor. in cap. institut. nu. 11. de elect. Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 61. n. 9. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 7. nu. 12. Rodr. tom. 1. q. 13. ar. 8. Campanil. rubr. 11. cap. 13. nu. 156.* & alij plures, quos citat, & sequitur *Samuell. disp. 6. contr. 14. tract. 2. de elect.*

Bigamus, an possit eligi ad Prelaturas Regulares? Quest. 33.

1 NEgatiuè dic; quia cùm sit inhabilis, seu irregularis ad ordines, sic etiam ad beneficia; quæ dantur propter officium, & exercitium; & habetur expressè in *cap. si quis 1. dist. 33.* vbi habentur hæc præcisa verba: *Si quis post acceptum Baptisma, secundis nuptijs fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest fieri Episcopus, non Praesbyter, aut Diaconus, aut prorsus eorum, qui ministerio sacro deseruiunt*, & in *cap. 2. subsequenti, maritum duarum, post Baptisma, Matronarum, Clericum non ordinandum, neq; eum, qui vnam quidèm, sed concubinam non Matronam habuit, neq; illum, qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonium assumpserit, &c.* & in *cap. vt bigami 1.* ibi, *ad Sacerdotium non ascendant*, & *cap. super eo 2. & cap. de bigamis 3. de Bigamis non ordinandis*, & in *Conc. Trid. sess. 23. cap. 17. in fin. de reformat.* vbi officia minorum Ordinum, possunt committi Clericis coniugatis; dummodò non sint bigami.

2 Et hoc ideò, quia Bigami, ob ipsorum bigamiam sunt priuati omni priuilegio Clericali, etiam personali; vnde non gaudent priuilegio *Canonis, si quis suadente 14. q. 7.* nec Priuilegio fori, *cap. 2. de foro compet. in 6.* & subijciuntur foro laicali, *cap. vnic. de bigamis, in 6.* ibi *Bigamos, omni priuilegio Clericali, declaramus esse nudatos, & coercitioni fori secularis addictos, ipsis quoq; sub Anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum Clericalem:* hæc ibi: quæ pœnæ illatæ sunt à Iure Canonico, non ob culpam, quia nullus homo peccat, legitimè contrahendo cum vidua, vel fornicaria muliere: immò exindè consequitur gratiam, & meritum, prout est in matrimonio, vt notatur in *cap. aperiant 31. q. 1.*

3 Sed in pœnam defectus significationis Sacramenti matrimonij: hoc enim Sacramentum fuit institutum, ad repræsentandam coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est vnius cum vna, qui autem binas contrahit nuptias, non potest aptè hanc vnionem significare; perindè patitur defectum in Sacramentis, quod non debet esse in debentibus alijs Sacramenta ministrare; prout egregiè ostendit *D. Thom. in 4. sent. distin. 27. & in Addit. ad 3. par. qu. 66. ar. 4. Syl. Rosella, Tabien. & Armilla in sum. ver. Bigamia.*

4 Vndè, solet definiri, quòd sit defectus ex secundis nuptijs proueniens, teste *Palud. in d. distin. 27. q. 4. ar. 1.*

Quæ definitio, licèt vti diminuta, non placeat *Hostiensi in sum. tit. de Bigam. non ordin. num. 1.* & *Couar. in Clem. si furiosus, in 1. p. §. 2. nu. 1. de homicid.* vbi aiunt, quòd Bigamia est Irregularitas ex defectu Sacramenti procedens, *cap. acutius 26. distin.*

5 Nihilominùs propugnatur à *Tabiena, vbi suprà.*

Et potest esse triplex, vera, interpretatiua, & similitudinaria: vera est, quando aliquis habuit duas vxores de iure, hoc est legitime, & successiuè, vnam post mortem alterius, & cum vtraq; matrimonium consumauit; hic enim reperiuntur duo matrimonia vera, & hoc habet locum, quamuis alteram, vel vtranq; duxerit antè baptismum, *D. Thom. in Addit. ad 3. p. q. 66. ar. 4. Nauar. in sum. cap. 27. nu. 195. ver. secundò dico*, & docet *Glos. in cap. 2. de Bigamis*, quam sequuntur Omnes. & colligitur ex *d. cap. debitum, eod. tit.* & est *text.* clarus *cap. deinde, & cap. acutius 26. distin.*

6 Interpretatiua verò est, quando fingitur, aliquem habuisse duas vxores, quod multiphariè contingit; primò, quando quis habuit duas vxores simul, vnā de iure, hoc est, legitimè, & alterā de facto, idest inualidè; quia fortè prima vxor viuebat, vel ppter aliud impedimentum, nępè affinitatis, vel consanguinitatis, & cum vtraq; consumauit; nàm ad Bigamiam non requiritur, vt vtrunq; matrimonium sit de iure validum, sed sufficit, eas cognouisse, affectu maritali, & habetur in *cap. nupèr 4. de Bigamis*, ibi, *licèt in veritate Bigami non existant: non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis, cum opere subsequuto.*

7 Secundò, quando contrahit cum vidua, Tertiò, cum corrupta per alium, *cap. maritum, distin. 33.* in his enim, & similibus, vir fingitur duas vxores habuisse, *Nauar. cit. loc. Rodr. tom. 1. q. 24. ar. 2.* & *Auila*, multis citatis *p. 7. de Irregularitate, dispnt. 8. dub. 1.*

8 Similitudinaria tandèm est, quando aliquis post votum solemne Castitatis, hoc est, post sacros Ordines, vel post solemnem professionem Religionis, contrahit de facto matrimonium cum aliqua, & consumat, *Sot. vbi suprà, conclus. 2.* nàm per votum solemne Castitatis, quasi spirituali matrimonio copulatur Christo, & Ecclesiæ, & hoc est verissimum, etiam si contrahat

hat cũ virgine, *Nauar.cit.loc.* post *Syl.Tab.* & *Armill.vbi suprà*, & colligitur ex *Can. quotquot 24. cauſ.27. q.1.* vbi ſunt hæc formalia verba.

9 *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ ſunt, profeſſione contempta, inter Bigamos, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt*, ſupple, inter Bigamos ſimilitudinarios.

10 Ex quibus omnibus collige, quòd ad hoc, vt quis fiat bigamus, duo copulatiuè requiruntur. Primum, quòd bis contrahat matrimonium de iure; vel de facto, verè, vel ſimilitudinariè. Secundum, quòd interueniat copula; nàm, vt inquit *Innoc.3.in d. cap.debitum, de Bigamis*, Sacramentum matrimonij, antè conſumationem, ſolùm ſignificat vnionem verbi cum Eccleſia, per Charitatem; at verò poſtquàm eſt conſumatum, ſignificat vnionem realem Chriſti cum Eccleſia, mediante humanitate aſſumpta, quam nunquàm dimiſit; & ideò, qui contrahit duo matrimonia, ſi ea conſumet, non repræſentat perfectè, & integrè hanc vnionem.

11 Vndè, non poteſt dici bigamus, qui contraxit cum vna, & virgine, licèt ipſe adulteretur cum alijs concubinis, nec qui duxit viduam virginem, quæ antè conſumationem matrimonij, primum virum amiſit, *cap. acutius, & cap. deindè, diſtin.16. cap.debitum, de Bigamis*, immò nec ille, qui plura contraxit matrimonia, ſi ſolùm conſumauit cum vna virgine, prout perbellè docet *D.Thom.cit.loc.*

In Bigamia, *quis nàm diſpenſet? Q.34.*

1 D*Thom. 4.ſent. diſtin.27. q.3.ar.3.* & in *addit.ad 3.p.q.66.ar.5.& quolib.4.ar.13.* cui ſubſcribunt omnes *Thomiſtæ*, & lætantèr *Sotus in d.loc.ſent.q.3.ar.1.* & fuſiùs *ar.5.* vbi incunctantèr ait, Papam poſſe, proculdubio, ſuper omni Bigamia diſpenſare, tùm quia, Bigamia non eſt de lege naturæ, neq; pertinet ad articulos fidei, neq; eſt de neceſſitate Sacramenti, quod patet ex hoc, quòd ſi Bigamus ordinetur, recipit ordinis Sacramentum; ergò tantùm eſt de iure humano Canonico, quod ſubeſt poteſtati Papæ, quippè qui de iure habet plenariam poteſtatem ſuper totum ius Canonicum; tùm etiam, quia ità expreſsè habetur in *Can. lector 18. diſt.34.* vbi *Gloſ.in ver.fiat* dicit, quòd *Lucius Papa* diſpenſauit cum Panormitano Archiepiſcopo, qui fuit Bigamus; tùm item, ex *cap.ſuper eo 2.de Bigam.* vbi ſupponitur, Papam poſſe diſpenſare in Bigamia, & reprehenduntur Epiſcopi, qui Bigamos ad ſacros Ordines promouerunt, vbi *Gloſ.in ver. Bigamis* id oſtendit ex multis, tùm deniq; ex quotidiana praxi, qua videmus, Dominum Papã ſuper omni Bigamia diſpẽſare.

2 Neq; his aduerſatur *Apoſtolus Paulus 1. ad Thimot.3. & 2. ad Tit.vlt.* vbi ait, quòd oportet Epiſcopum, vnius vxoris virum eſſe; nàm hoc *ibi* dixit, non promulgando ius Diuinum, ſed propria auctoritate inſtituendo, pro illa Eccleſia; quod autem eſt de inſtitutione Apoſtolorũ, cũ Eccleſia nunc habeat eandem poteſtatem ſtatuendi, & deſtituendi, quàm tunc habuerit, poteſt per eum, qui primatum tenet in Eccleſia, diſpenſare; prout manifeſtè loquitur *D.Thom. vbi ſuprà*, quòd *Apoſtolus* in ſua doctrina aliquando ſit loquutus, promulgando ius Diuinum, conſtat ex illo ad *Galatas 5.* ibi *ſi circũcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit*, & ſimilia; & in hoc Papa non poteſt diſpenſare.

3 Interdùm verò loquebatur, quãdã ſtatuendo, propria auctoritate, vt ipſemet dicit *1. ad Cor.9. cætera cum venero diſponam*; & infrà 16. mandauit, vt collectæ, quæ fiunt in Sanctos, per vnum ſabathi fiant, quod non pertinet ad ius Diuinum; & in his poteſt Papa diſpenſare.

4 Nec poteſt nocere *d.cap. ſuper eo 2. de Big.* vbi *Lucius Papa* dicit, quòd cum Bigamis, contrà *Apoſtolum* diſpenſare non licet, & *cap.nuper 4.eod.tit.* vbi Papa *Innoc.* ait, quòd cum Clericis, qui quantùm in illis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonio coniunxerunt, tanquàm cum Bigamis, non liceat diſpenſare; quia *Lucius Papa in d.cap.ſuper eo*, non dicit, Papam non poſſe diſpenſare, ſed quòd non licet diſpenſare, ſupple, ſine vrgente, & rationabili cauſa; immò *ibi* præſupponit, Papam poſſe diſpenſare, prout ipſemet *Papa Lucius* cum Panormitano de facto diſpenſauit, teſte *D.Thom.* in cit.*loc. ad 3.p. in argum. ſed contrà*, quod *ibidèm* pariter fatetur in *reſponſione ad primum*, pro intellectu *d. cap. nupèr*, ſeu *Decretalis Innoc. Papæ.*

Epiſcopi, an valeant in Bigamia vera, vel interpretatiua diſpenſare? Q.35.

1 ET quidèm poſſe, quòad ordines minores; tùm ad ſuſcipiendum, tùm etiam ad exequendum; non autem quòad maiores, *D.Thom. in 4.ſent. diſt.27. quæſt.3.ar.3.in corp.* ibi *B.Albertus Magnus, art.vlt. Palud.Sot.* Eminent.Cardinal. *Turrecrem. in cap. lector, diſtin.34. num.7. concluſ.1. Syl.ver.Big.q.7. Armill.nu.9.* & *Tab. quæſt.vltim.* quibus fauent fermè omnes

Theologi

Theologi, & quamplurimi *Canonistæ*, & mouentur ex *cap. Lector, distin. 34.* quod est ex *Martino Papa*, ibi, *Lector, si viduam alterius vxorem acceperit, in Lectoratu permaneat, aut si fortè necessitas sit, Subdiaconus fiat, nihil autem suprà; similitèr si Bigamus fuerit.*

2 Quæ verba nequeunt referri ad solum Rom. Pontificem, sed potiùs ad Episcopos; nàm Papa potest pleno iure dispensare cum Bigamis, ad suscipiendum omnes maiores Ordines, vt dictum est suprà, nec nocet, quòd in principio *text.* dicitur, *in Lectoratu permaneat*, ob quod verbum, quidã cẽsent, Episcopo *ibi* fieri facultatẽ dispensandi in vsu ordinis minoris, anteà suscepti; quia mox *ibi* subditur, *aut si fortè necessitas sit, Subdiaconus fiat.*

3 Per quod superadditum apertè conceditur Episcopo facultas dispensandi, in Subdiaconatu recipiendo, occurrente legitima causa; quia tunc temporis Subdiaconatus non erat ordo sacer, vt notat *Hostiens. in sum. tit. de Big. in fin.* & *Sot.* cit. *loc.*

4 Et ratio fundamentalis *d. cap.* est; quia cùm sacris Ordinibus sit votũ Castitatis annexum, per illos deputatur quisquam simplicitèr, & perfectè Diuino cultui, ità vt ampliùs resilire non possit.

5 Secus autem in Ordinibus minoribus occurrit; & ità non est, cur exindè circà hos denegetur Episcopo dispensandi facultas.

6 Quæ *Thomistica* opinio tunc temporis erat certissima; & nunc etiam, de iure existimatur probabilis, eamq; tuetur, inultis citatis *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 86. num. 20.* & *Auila p. 7. de Irregular. disput. 8. dub. 4. conclus. 3.* vbi autumat, se loqui contra *Nauarrum*, & *Emanuel. Rodr.* dicentes, quòd tantùm potest dispensare, vt vtatur susceptis, *tom. 1. q. 24. ar. 2.*

7 Nihilominùs, *Nauar. in summ. cap. 27. in prima specie Irregularitatis, nu. 197. ver. sextò dico, Riccius* post *DD.* collectaneum *decis. Cur. Archiep. Neapolit. decis. 331. Barbosa* post Priscos *p. 2. de off. & potestate Episcopi, alleg. 49. nu. 22. & sequent.* & in suo *Collect. ad cap. 17. Conc. Trid. sess. 23. num. 8. Bonac. tom. 1. de Irregularit. disput. 7. quæst. 2. punct. 4. nu. 15. ver. quæres 3. Ioan. Francisc. Leo in Thesaur. for. Eccles. p. 2. de dispensat. cap. 8. nu. 36. ver. quò verò ad minores Ordines, Marcell. Vulp.* in sua *Praxi Iudiciali, c. 45. de Bigam. nu. 10. Pyrrus Corrad.* in sua *praxi dispensat. Apostolic. lib. 2. cap. 1. num. 14.* & omnes Moderni dicunt, quòd, hoc tempore non potest Episcopus dispensare cũ Bigamis; nec quidèm ad suscipiendum minores Ordines, nec ad ministrandum in susceptis; ducunturq; ex multis.

8 Primò, ex *cap. quisquis 5. distin. 84.* ibi, *quisquis Clericus, aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiastica dignitatis Priuilegio nudetur, laicæ sibi tantùm communione concessa*, vbi *Glos. in ver. duxerit* multa loquitur.

9 Secundò, ex *cap. altercationis 1. de Bigamis, in 6.* vbi, teste *Glos. in ver. altercationis* corrigitur Priscorum opinio, quæ fũdabatur in *d. cap. lector, distin. 34.* ibi *Bigamos, omni priuilegio Clericali declaramus esse nudatos, &c.* vbi nota, quòd Papa non dicit *denudetur*, prout dictum fuit in *d. cap. quisquis, distin. 84.* quasi, quòd Bigamus non sit priuatus, ipso iure, sed priuãdus; sed dicit *declaramus priuatos omni priuilegio Clericali*: quia mox bigamus, commissa bigamia, absq; alia declaratione efficitur de foro laicali, & tenetur ad gabellas, & ad similia onera Laicorum.

10 Tertiò, ex *cap. 17. Conc. Trid. sess. 23. de reform. in fin.* vbi Bigami excluduntur ab omni officio, & exercitio munerum Clericorum, Cælibum, & Coniugatorum, ergò per Bigamiam fiunt meri Laici, adeò, vt nec possint esse Sacristæ in aliqua Ecclesia.

11 Quartò, ex Decis. Sac. Congregat. *Conc. Trid.* cui tempore *Sixti V.* fuit porrecta hæc supplicatio.

An Episcopus sua auctoritate ordinaria potuerit cum suo subdito viro Bigamo, qui aliàs, cum duabus virginibus, & successiuis temporibus, quæ modò defunctæ sunt, matrimonium legitimè contraxerat, & consumauerat, dispensare, vt possit primam tonsuram, & beneficia simplicia accipere, eiq; conferre; & dato, quòd non potuerit, an aliquas, & quas censuras incurrit, tàm Episcopus, quàm qui fuit promotus.

Sacra Congreg. Die 30. Ianuarij 1589. Respondit, *quoad primum, non posse, quoad secundum, Episcopum esse suspendendum à collatione ordinum, itemq; promotum, ab ordinum executione, beneficiumq; amisisse, & fructus perceptos non fecisse suos.*

12 Quod responsum laudauit idem *Sixtus*, prout omnes referunt, & præcipuè *Nicol. Garz. de benef. p. 7. cap. 6. nu. 5.* vbi dicit, quòd licèt dicta Declaratio loquatur de eo, qui cum duabus contraxit, procedit etiam in eo, qui cum vnica vidua, seù corrupta contraxerit, nàm equiparantur à iure, *d. cap. 1. & 3. de Big. & d. cap. vnic. eod. tit. in 6.* adiuncta *Glos. in ver. Bigamos*, & ità consultus respondit anno 1613. à quo transcripsit *d. Leo, Barbosa, Vulpes*, omnesq; alij, qui suprà, in citat. *loc.* & fusiùs refert *Bellarm. in obseru. doctrina ad d. cap. 17. Trid. in ver. dummodò non sint Bigami.*

13 Ad quod facit *Bulla Sixti V.* edita contra malè promotos, quæ incip. *Sanctum*, qua statutum est, ordinantes Bigamos, incurrere in suspensionem, ipso facto, sed ea *Bulla* in hac parte fuit abrogata à *Clem. VIII.* vt notat *Garz. vbi suprà, nu. 11.*

14 Quintò, ex eo, quia Episcopus super iure communi Canonico, & Constitutionibus Conciliaribus non potest dispensare licitè; nisi in casibus sibi permissis.

15 Hinc, Episcopus ordinans hos Bigamos, vel eis conferens beneficia, est suspensus per annum à collatione illius ordinis, *cap. 2. de bigam.* adiuncta *Glos. in ver. offic.* & ipso iure est priuatus à celebratione Missarum; & potest deponi ab Ordine, *cap. etsi, & c. vlt. de tēpor. ordinum 6. cap. nullus pœnitentum, dist. 55.* vt tenent *Syl. & Tab. vbi suprà,* quibus fauet *Nauar. cons. 3. & 4. de Bigā.* & *Barbosa alleg. 110. nu. 15.* & *Sayr. lib. 4. cap. 12. num. 20.*

16 Verùm, verior est contraria sententia, quæ dicit, quòd nulla reperitur suspensio latæ sententiæ contra sic ordinantes; sed tantùm ferendæ, vt constat ex dictis *extrau.* prout etiam Sac. Congregat. declarauit, & docet *Garz. cit. loc.* & *Auila p. 3. disput. 5. dub. 8. §. 7.* & *Thesaurus de pœnis, p. 2. ver. ordo, cap. 2.*

17 Benè verum est, quòd Episcopus potest dispensare cum suo Subdito in bigamia similitudinaria, non solùm, vt in susceptis ministret, sed vt ad maiores ascendat, per *text. in c. de Bigamis 1. qui Clerici, vel vouentes, ibi, adiuncta sibi pœnitentia de vtroque excessu, post eam peractam dispensatiuè poterit et Diaconatus officium reddere, & si perfectæ vitæ fuerit, eum in Presbyterum ordinare;* & *cap. ex litterarum 2. cod. tit. & cap. sanè, il 2. de conuer. coniug.* nec non per *cap. liceat Conc. Trid. sess. 24. de reform.* quia hæc irregularitas est ex delicto, quod tamèn debet esse occultum; in publico autem non potest dispensare: nisi solùm cum virgine contraxerit, per illa iura, quæ allegat, & sequitur *Marcell. Megal. ...p. 3. nu. 16.*

Prælati Regulares, possunt ne in Bigamia dispensare? Quæst. 36.

1 QVod Prælati Regulares habeant potestatem dispensandi cum Religioso bigamo sibi subdito, in bigamia similitudinaria, non est dubitandum; tùm per iura superius allegata, tùm per *d. cap. Trid.* quod sibi conuenit, saltèm ex speciali concessione *Pij V.* valent enim ipsi sicut Episcopi in suos; *Nauar. in sum. cap. 27. nu. 197. Rodr. tom. 1. q. 24. ar. 2.* *Ioann. Lacruz lib. 1. de statu Religion. cap. 6. dub. 7. conclus. 4.* *Bordon. de dispensat. resol. 11. nu. 34.* *Bonac. de Irregular. q. 2. punc. 5. num. 15. §. Bigamia,* & noster *Candidus tom. 2. disquisit. 24. artic. 61. dub. 16.*

2 Neq; eis obstat dicere, quòd in priuilegijs, in quibus fit ipsis facultas dispensandi, ferè semper excipitur bigamia; quia isthæc exceptio refertur ad bigamiam veram, & interpretatiuam, non autem ad similitudinariam; prout notant *Doctores*, & præcipuè *Rodrq. cit. loc. ver. ex quibus*, & *Peyr. tom. 1. priuil. ar. 2. Constit. Iul. 2. §. 29. numero 12. in fin.*

3 Sed maior dubitatio est, an hi possint dispensare in bigamia vera, & interpretatiua, saltèm virtute priuilegiorum?

Ad quam negatiuè respondent *Rodr. in sum. p. 1. cap. 58. de Irregular. concl. 5. n. 7.* quod ratificat *tom. 1. q. 24. ar. 2.* *Ludou. Miranda tom. 2. Manual. q. 8. ar. 14. concl. 5.* vbi fusè de auctoritate dispensandi, *Suar. tom. 5. de cens. disput. 49. sect. 6. nu. 16.* *P. Frater Barthol. de Vecchis dub. 15. nu. 2. in fin.* *Homobon. de Bonis de casibus reseruat. p. 1. cap. 5. §. 5.* *Barbosa allegat. 49. nu. 30.* & antè eos *Couar. in Clem. si furiosus. 1. p. cap. 2.* & *Nauar. in sum. cap. 27. nu. 197. ver. 6. dico, & consil. 84. nu. 1. de Regular. in nouis.*

4 Et mouentur Primò ex eo, quia irregularitas Bigamiæ, homicidij voluntarij, & mutilationis membrorum semper reperitur excepta, vt liquet in tot Priuilegijs concessis minoribus à *Sixto IV.* & ab eodē, & à *Clem. VII.* concessis Dominicanis. Secundò, quia in concessione Generali nunquàm intelliguntur concessi casus speciales, qui sunt Papales, vt constat ex *Regula 81. de regul. iur. in 6.* vbi *Glos.* multa loquitur in *ver. in generali.*

5 Vndè, *Collector Priuilegiorum Mendicantiū, in ver. absolutio extraordinaria quoad Fratres, §. 5. nu. 5.* dicit, quòd prædicta irregularitas, ex bigamia proueniens, quamuis expressè non excipiatur, semper tamen debet haberi pro excepta, cùm sit cæteris grauior ad dispensandum; ideòq; subdunt, quòd debeāt cauere Generales, ac Prouinciales, nè concedant licentiā subditis suis, vt suscipiant Ordines minores, vel vt vtantur susceptis, si inueniant, quòd existentes in sæculo incurrerunt hanc Irregularitatem, pro qua recurrendum est ad Summū Pontificem; & nota, quòd loquuntur de vsu, & susceptione ordinum, non autem de ingressu in Religionem; quia Bigamus nō prohibetur, Religionem ingredi, neq; est inhabilis ad professionem, cùm hoc in nullo iure reperiatur expressum; sed tantùm est Irregularis ad suscipiendum, &

exe-

exequendum ordines, vndè non debet recipi in statum Clericalem; nec Choro præfici, sine dispensatione Papæ, *Nauar. consl. 8. de conuers. coniug. & Vecch. disput. 5. dub. 3.*

6 Nihilominus, *Henriquez in sum. lib. 12. c ap. 6. §. 11. in comm. lit. Z. Auila de cens. disput. 8. dub. 4. conclus. 8. Laur. Portell. in dub. ver. dispensare, in addit. nu. 1. & sequent. Hier. Rodr. in Compendio, resolut. 16. de Bigam. in addit. nu. 14. Sigism. à Bonon. de elect. dub. 71. in fin.* cui fauet *Alphons. de Leon. par. 2. recollect. 11. nu. 236.* vbi ait, opinionem *Emanuel. Rodr.* non esse certam, & de nouo aduertit *recoll. 6. de cens. nu. 776. pag. 607. col. 1. Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 2. cap. 5. §. 8. de Bigam. nu. 99.* vbi dicit, quòd huic sententiæ fauet *D. Thom.* & corrigit, quod priùs dixerat *tom. 1. in Priuil. in 2. Constit. Iul. 2. §. 29. nu. 120. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 6. de bigam. nu. 14.* vbi ait, hac in re consulenda esse priuilegia Regularium, *Diana p. 4. resolut. 63. de Irregul. Samuel. disp. 6. controu. 12. conclus. 2.* dicit, hoc non esse improbabile, *Franciscus Bordonus de dispensat. resol. 11. num 35. Lezana in ver. bigamia*, & alij plures, quibus, ob multa libentèr adhæreo.

7 Primò, quia Carthusiani habent priuilegium, quo ipsorum P. Generalis potest cum suis Subditis dispensare in omnibus Irregularitatibus, nulla excepta, in foro conscientiæ tamen, ac etiam in homicidio voluntario, citrà Altaris ministerium, quod refertur in *Compendio Priuilegiorum Societatis Iesu, ver. dispensare, nu. 4. 5. & 6.* quod, ob mutuam communicationem priuilegiorum, pertinet ad omnes alios Generales, & cùm facultas dispensandi sit fauorabilis, & censeatur gratia Principis, est latè interpretanda, eò magis, quia vbi lex non loquitur, nec nos loqui debemus; *Auila cit. loc. in fin.*

8 Ad quod itèm facit, quia in *Compendio P. Hier. ver. ordines Sacri* habetur, quòd Bigamus de longinquis partibus potest in bigamia dispensari à Prælato, & promoueri ad ordines; quod priuilegium etiam indefinitè loquitur, *Portell. vbi suprà, num. 4.*

9 Secundò, quia *Sixtus IV.* concessit Patribus Minoribus, vt quilibet eorum possit semel eligere Confessorem, & ab eo, pœnitentia sibi imposita in confessione, absolui ab omnibus criminibus, & excessibus, & censuris Ecclesiasticis, & ab eodem dispensari in omnibus irregularitatibus, homicidio voluntario, & mutilatione membri semper exceptis, prout refertur à *Casarub. in Comp. priuil.* ipsorum, *ver. absolutio extraordinaria ad fratres, nu. 5.* quod, ob eandem rationem est latè interpretādum, & ad alios extendendum, quod *Auila vbi suprà* aduertit, esse contra *Rodr. & Nauar. cit. loc.* quia ibi solùm excipitur homicidiū voluntarium, quæ est Irregularitas grauissima omnium, & non excipitur alia Irregularitas, quæ sit facilior Bigamia, & exceptio, vt omnes docent, firmat regulam, seu facultatem in alijs non exceptis.

10 Nec nocet, quòd *Collector ibi* dicat, *aduerte circa hanc concessionem, quòd licèt Sixtus non excipiat in ea Irregularitatem ex Bigamia prouenientem; tamen pro excepta debet semper haberi*, quod etiā fatetur *Rodr. tom. 1. q. 24. ar. 12. ver. 3. nota.*

11 Nam ambo falluntur, cùm Irregularitas orta ex homicidio, sit omnium grauissima, & illa ex bigamia, omniū minima.

12 Nec obest, quòd in alijs Priuilegijs Minorum excipitur bigamia; quia hæc exceptio non comprehendit alia priuilegia; *Ioan. Lacrux lib. 1. de stat. Relig. cap. 6. conclus. 3. in fin. Corduba in addition. ad Comp. Priuil. ver. dispensatio, §. 24.* cui fauet *Rodr. in d. ar. 12. §. secundò est aduertendum.*

13 Tertiò, quia *Martinus V.* concessit, vt Prior Monasterij Sancti Benedicti Vallisoleti, in foro conscientiæ possit absoluere Monachos ab omni excōmunicatione, etiā si talis esset, quam ipse Summus Pontifex reseruare consueuit, & cum eis super omni Irregularitate valeat dispensare, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reseruat; nempè contracta ex homicidio, vel ex membrorum truncatione, aut enormi sanguinis effusione: dummodò aliquid horum trium non sit notorium, & hoc propter scandalum.

14 Quæ concessio licèt fuerit facta soli Priori, fuit tamen extensa postea omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monasteriorum, vt notat idem *Rodr. in d. art. 12.* & habetur expressè in dicta *Bulla* concessionis, quæ authenticè seruatur in dicto Conuentu Vallisoleti, teste *Ioan. LaCrux lib. 1. de statu Religionis, cap. 6. dub. 19. concl. 3.*

15 Idem Priuilegium concessum est Dominicanis à *Iul. 2.* prout dicitur in *Comp. Societatis Iesu, ver. dispensatio, & in Comp. P. Hier. eod. tit. ver. 24. Sorb. Capucc. in annot. ad Comp. ver. dispensatio, in fin. pag. 208.* in impressione Venet. *ver. potest Prior Generalis, & Peregrin. in Comp. ver. dispensatio, §. 1.* ex quibus colligitur, Prælatos Regulares, ob mutuam communicationem priuilegiorum, habere facultatem dispensandi cum sibi subditis, in omnibus Irregularitatibus, ex quacunquè causa contractis, etiam reseruatis Papæ.

16 Quaptopter, vacat illa petitio, est nè *Bulla*, an verò *Oraculum*? quia *Bulla* est; & addo

addo, quòd etiam si fuerit *Oraculum*, non ob id statim est dicendum, quòd *Oracula* hodiè sunt nullius momenti, ob declarationem *Greg. XV.* & *Vrb. VIII.* quia ex declaratione eiusdem *Vrbani*, *Oracula* edita ab Officialibus Papæ in officijs suis, adhuc viuunt, vt videre est in illa, quam per extẽsum habes in *tract. de Oraculis*, vbi dictum est, quòd Cõseruatores, & Generales Ordinum, sunt de numero Officialium Papæ, ideoq; *Oracula* ab eisdem emanata in suis officijs, si sint authentica, valent, sicut, & prius.

17 Nec obijcies dicendo, quòd in generali concessione non veniunt, quæ speciali nota sunt digna, de quorum numero est bigamia, at Dominus Papa in dicto Priuilegio concedit facultatem dispensandi ab omni Irregularitate, in genere, non autem in specie, ergò.

18 Quia, dicta Regula generalis non procedit, quando in concessione generali exprimuntur, & conceduntur casus maiores, vti est Irregularitas ex homicidio, in dicta concessione *Martini V.* & *Iulij II.* expressa, & additur, quòd in dicto Priuilegio reperitur dictio ampliatiua, nempè ly *etiam Papæ reseruatis*, quæ de sui natura comprehendit omnes casus, etiam magis dubitabiles, *Nauar. tract. 3. de iubil. notab. 26. num. 3.* & alij infiniti, quos citat *Barbos. in tract. de dict. & claus. dict. 95.*

19 Et habetur expresè in *l. etiã. ff. de verb. significat. & in l. conuenticula, C. de Episcopis, & Cleric.* ergò dictæ *Bullæ* comprehendunt quæcunq; casum, etiam nostrum, & concludunt de quauis bigamia, eò fortiùs, quia Priuilegia Regularium, amplianda sunt, cùm sint leges perpetuæ, ac si essent registrata in corpore iuris, *Oldrad. cõ. 300. n. 4. Sigism. de elect. dub. 120. nu. 13.* & *Bordonus vbi suprà, nu. 35. in fin.*

20 Quartò, quia *Paulus III.* sua *Constit.* incip. *Exponi nobis nupèr fecistis*, edita anno Domini 1545. die verò 12. Martij, quæ per extensum habetur in *Bullar. Rodr. tom. 2. fol.* mihi 360. concedit Abbatibus, Prioribus, ac Præsidẽtibus Ordinis S. Benedicti Vallisoleti, vt singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ, omnes, & singulas personas vtriusq; sexus dicti Ordinis, intrà septa degentes, possint absoluere ab omnibus, & singulis eorum peccatis, ac sententijs, censuris, & pœnis, ab ipsis, quoquo modo incursis, & etiam à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in *Bulla Cænæ Domini*; nec non dispensare cũ illis super quibusuis Irregularitatibus, per eos pro tempore, quauis occasione contractis, prout *ibi* meliùs est videre.

21 Quod Priuilegium, nouum, maximè, & insolitum vocat *Portell. in dub. ver. dispensare, in addit. nu. 1. & sequent.* cui fauet *Tamb. tom. 2. de Iur. Abbat. disp. 4. q. 12. n. 19.* & *Lezan. p. 4. ver. Irregularitas, nu. 72.*

22 Et ducitur ex multis; Primò, quia id, quod conceditur dictis Patribus super suis Subditis, censetur indultum omnibus alijs Superioribus, quorumuis Ordinum, qui cũ illis in Priuilegijs communicant.

23 Secundò, quia his *ibi* datur facultas dispensandi cum omnibus suis Subditis, in omnibus Irregularitatibus, quauis occasione, vel causa contractis, in quo Papa non limitat, si sit homicidij voluntarij, neq; casualis, neq; limitat, si sit delictum occultum, vel publicum, neq; excipit bigamiam, nec alios casus Papales, prout excepit *Sixtus IV. Iul. II.* & alij, sed absolutè, & in communi dicit, *quauis occasione, & causa contractis*; quod non reperitur in alijs concessionibus.

24 Tertiò, quia istud Priuilegium nunquam reuocatum vidit, nec audiuit, nec aduersatur *Tridentino*, vndè colligit, quòd Prælati Regulares possunt vti tali concessione, vt iacet, sine limitatione; tùm quia, id Papa potest concedere; tùm etiam, quia vbi lex, & Princeps non distinguit, neq; nos distinguere debemus, eò magis, cùm in his nulli fiat præiudicium.

25 Quartò, quòd *ibi* Dominus Papa non distinguit, vt id faciant in foro Sacramentali confessionis, vel conscientiæ; vndè videtur, quòd illa die Prælati poterunt pœnas, & irregularitates auferre extrà Sacramentum Pœnitentiæ.

26 Quintò, quia non reperitur concessum semel in vita, neq; cum pœnitẽtia vnius anni, singulis Hebdomatibus, prout fecerunt alij Summi Pontifices, sed concessio est, pro singulis annis, absq; illa annuali pœnitentia.

Nihilominùs debent Prælati condignam satisfactionem iniungere, & illa nõ vti; nisi in die præscripta.

27 An autem hæc sententia possit probabilitèr in practica sustineri, aliorum Iudicio remittit *Lezana vbi suprà*, verùm affirmat *Hieronym. Rodr. in d. loc. sui Compendij*, cùm nihil in contrarium videatur militare, licèt tutior sit aduersa sententia, & sequenda.

Corpore vitiati, an possint eligi ad Prælaturas Regulares? Q. 37.

1 SVnt, qui absolutè ad quæsitum respondent negatiuè, eò, quia sicut corpore

corpore vitiati, non possunt ad ordines promoueri, vt in toto *titulo de corpore vitiatis, & cap. 1. non confidat, distin. 50. & cap. si quis, cap. qui partem, cap. eunuchus, cap. lator, & sequentibus, distin. 55.* ità pariter, nec ad beneficia, etiam simplicia, quia ob defectum corporis sunt de iure Irregulares.

2 *Glos.* tamen in *cap. Thomas 7. de corpore vitiat. ver. deformitatem* cum distinctione respondet: aut hi sunt corpore vitiati sponte, vel casu, si sponte, distinguo, aut nulla iusta causa interueniente: & tunc ordinandus repellitur, & iam ordinatus deijcitur, *cap. qui partem 6. & cap. si quis à Medicis 7. dist. 55. & cap. Maritum 2. dist. 33.* aut iusta causa interueniente, & tunc non prohibetur ab ordine, puta timore lepræ, vel aliqua simili causa, vt liquet in dictus præcit. *capit.* nisi generet deformitatem, quia tunc in omni casu repellitur, argum. *d. cap. lator, dist. 55. & cap. si Euangelica*, si casu in magnis membris; in paruis autem membris non impeditur; si deformitas modica sit, & sine culpa sua, vt deciditur in *d. cap. Thomas final. de corpor. vitiat.*

3 Exindè, alij colligunt, quòd corpore vitiati aut sunt ità insigniter deformes, vt sine notabili horrore, & scandalo nequeant Ecclesiæ deseruire; & sic sunt penitùs repellendi, aut non sunt ità deformes, sed tantummodo patiuntur aliquem defectum, & debilitatem circà exercitiũ alicuius actus ordinis, & tamen non circa vsum Altaris; & sic secus dicendum; prout habetur expressè in *cap. 2. de Cler. ægrot.* vbi ei, cui abscissi fuerunt duo digiti, & pars manus, sine culpa, permittitur conferri beneficiũ, non requirens celebrationem, non autem requirens illam; *Nauar. in Manuali, cap. 27. num. 252. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 2. nu. 23.* & *Garz.* multis citatis *de benef. par. 7. cap. 12. nu. 1. & sequent.*

4 Quæ nam sit hæc insignis, ac horribilis corporis deformitas, quæ impedit ad exequendum, vel suscipiendum ordines, respectu Clericorum remittitur Episcoporum arbitrio; respectu verò Religiosorum, eorum Prælatis; *Tab. ver. corpore vitiati, Maiol. de Irregul. lib. 1. cap. 2.* & *Sigism. dub. 88. num. 3. de elect.* & quoad ordines, iudicio Episcopi ordinantis.

5 Et additur, quòd quando deformitas est modica, & sine propria culpa, dispensatione non eget; sed de misericordia Papæ toleratur; vt constat ex *d. cap. Thomas, in fin. de corp. vitiat.*

Dæmoniaci, Epileptici, Vertiginosi, Paralysi, & Apoplexia laborantes, Amentes, Podagrosi, Senes, Cæci, & Surdi an sint eligibiles ad Prælaturas Regulares? Quæst. 38.

1 DÆmoniaci nequeũt eligi ad Prælaturas Regulares, ex quo sunt omninò irregulares; vndè prohibentur sacros Ordines suscipere, & susceptos exercere, vt constat ex *cap. Maritũ 2. dist. 33. ibi, neq; illi, qui afflictione Diaboli vexatus est, & cap. communitèr 3. ead. distin.* ibi, *aut in Terram arrepti à Dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur; & in c. 4. in med. subsequẽti*, vbi hæc habentur. *Clerici, qui in adolescentia, à Dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad Superiorem Sacri Regiminis gradum ascendere non possunt*; vbi *Glos.* subdit, *ex hoc, quòd dicit sacri Regiminis, videtur, quòd ad Minores benè possunt promoueri.*

2 Sed pone, quòd modò sint liberati; an valeant promoueri? *Glosa in d. cap. communitèr, ver. de ijs* dicit, quòd nullus talium promoueri debet, etiam postquam liberati fuerint: si autem sint iam promoti; tunc aut sunt omninò ex toto liberati, & sic poterunt exequi officium suum; aut non: & sic remanent Irregulares, sicut, & priùs.

3 Si roges, quanto tempore sunt expectandi, ad hoc vt iudicentur liberi, & sani ex toto? & quidem per annum, iuxtà dispositionem *d. cap. communitèr, ibi, qui tamẽ, & ipsi tandiu erunt ab officij sui ordine, & loco suspensi; quousq; vnius anni spatio per discretionem Episcopi inueniantur ab incursu Dæmonum liberati, D. Anton. 3. p. tit. 28. c. 5. in fin. Nauar. in sum. cap. 27. nu. 203.* & *Suar. tom. 5. de cens. disput. 51. sect. 1. nu. 7.* vbi ad quendam *Canonem Apostolorum* respondet: Sed aduerte, quòd Episcopus non potest dispensare cum his obsessis ad suscipiendum sacros Ordines; tùm quia, hæc est vera Irregularitas, quæ procedit ex defectu Animæ, & Episcopus non potest; nisi in casu, quæ prouenit ex delicto occulto; tũ etiam, quia in *d. cap. communitèr* Episcopis impertitur facultas dispensandi in susceptis, non autem in suscipiendis: & meritò; quia ordinati per ordinationem, habent ius acquisitum ad vsum susceptorum; non autem suscipiendorum; quod ius per superuenientem causam nequeunt amittere, sine propria culpa; nisi durante illa causa, qua cessante, cessat illa Irregularitas.

4 Igitur, dispensatio in hoc erit potiùs declaratio, quàm gratiosa dispensatio; quod nequit dici de suscipiendis, prout fusè

fuse *Suar.in d.disput.51.sect.1. nu.6.* & *Bonac.tom.1.de Irregul.disp.7.q.2.pun.2.nu.23.*

5 Ità à pari dicendum est, quòd Prælati Regulares non possunt dispensare cum sibi Subditis obsessis ad suscipiendum sacros Ordines, sed benè ad vtendum susceptis, quod non est propriè dispensare, sed potiùs declarare, impedimentum sublatum esse, *Sayr. de cens. lib.6.cap.13.num.3.* & *Samuell.* post allegatos *disput.6. controuer.32. tract.2. num.2.*

6 Et ità in facti contingentia vidi practicatum cum quodam obsesso nostri Ordinis, qui virtute Priuilegiorum, ad sacros Ordines prætendebat promoueri, sine dispensatione Papæ, sed meliùs est expectare à Papa, qui solet cõmittere Episcopo loci.

7 Epileptici, seù laborantes morbo caduco, sunt paritèr ineligibiles ad Prælaturas, propter eandem rationem; quia scilicèt sunt Irregulares: quamobrèm non possunt promoueri ad ordines, nec susceptis vti, quod procedit, etiam si semel vexati fuerint tali morbo, & iàm sani effecti, ob periculum reincidendi in illum, & constat ex *d.cap.maritum, & cap.communitèr, dist.33.* vbi *Glos.in ver.de iis* ait, quòd distinguendum est; nàm aut hi frequentèr cadunt, & sic non debent ministrare, vt dicitur in *cap.in tuis litteris 1.caus.7.q.2.* ibi, *vt si frequentèr hoc morbo tangitur, ab oblatione, & Missarum celebratione, modis omnibus prohibeatur:* aut rarò cadunt, & sic subdistingue, aut emittunt spumas, & sic similitèr non debent ministrare, vt deciditur in *cap.nupèr foro Populensis 2. caus.7. q.2.* ibi, *quòd nè scandalum fidelibus videretur ingerere, & Ecclesiam Dei, vbiq; positam, hac offensione turbare, &c.*

8 Aut rarò cadunt, hoc est, semel in mense, & non emittunt voces confusas, neq; spumas; & sic possunt, adiuncto tamẽ sibi Sacerdote adiutore ieiuno, qui possit sacrificium perficere, si fortè celebrantes, incepto *Canone* afficiantur morbo, argum. *d.cap.nupèr,* & docent *Suar.* & *Bonac.cit.loc.*

9 Benè verum est, quòd cùm benè valuerint, rectè possunt in susceptis ministrare, vt dicitur in *d.cap.in tuis litteris*, ibi, *si verò Dei misericordia conualuerit, eum sacrificare iàm non interdicimus:* quandoquidèm non culpa, sed infirmitas est in causa: Infirmitas autẽ non repellit ab officio Diuino.

10 Verùmtamen huiusmodi patientes non debent ad ministerium accedere; nisi priùs habita licentia Prælati, vt dictum est ex *d.cap.communitèr, dist.33.* consulto priùs Papa, qui id solet committere iudicio Episcopi loci.

11 Vertiginosi, Paralysi, & Apoplexia laborantes sunt etiam ineligibiles, ex *d.cap. maritum, & cap.vltim. de Cler.ægrot.* quia istæ infirmitates impediunt vsum, vel totius corporis, vel aliquorum membrorum, & abominationem inferunt, scandalum, & indecentiam.

12 Qui autem solùm habent manus tremulas, aut caput, aut linguam; si tremor non est tàm magnus; adeò, vt scandalum non generet, nec necessarium vsum membrorum impediat, possunt eligi; *Peyr.tom. 2.de Prælat. q.2.cap.4.*

13 Amentes perpetuò, vt qui amentiam habent per modum habitus, hoc est, fixam, & radicatam in propria læsione organorum, & humorum, sunt ineligibiles ad dictas Prælaturas; quia Irregulares, naturali iure, ex quo non habent vsum rationis, immò de directo opponuntur hominibus litteratis, & prudentibus, vt elegantèr solito more docet *D.Thom.2.2.q.46.ar.1.* vbi in *corpor.* ponit discrimen inter stultitiam, & fatuitatem.

14 Hinc, meritò impeditur à susceptione ordinis, *D.Thom.in addit. ad 3.par. q.39. ar.6.in corp.* & habetur expressè in *d.cap. maritum*, ibi *neq; illum, qui in furiam aliquando versus insaniuit;* in quo *ver.ibi Glosa* subnectit, *tunc promotus non deponitur*, vt *7.q.1. can.quamuis*; secus autem, si contingat, amentem fieri ex aliqua causa transeunte, nempè ex vi morbi, vulneris, iræ, passionis breuis, & huiusmodi; quia transacto, & sublato impedimento, cessat irregularitas, *Suar.tom.5.de cens.in d.disput.51. sect.1.nu.4.* vbi ex multis ostendit, quòd is, qui insaniuit, etiã semel, recuperata mentis sanitate, non potest promoueri ad ordines, sine dispẽsatione Papæ, secus quòad vsum susceptorum; quia his poterit vti, liber factus ex toto, vt dictum est suprà, & docet *Glos.in d.cap.* cui subscribunt omnes, quos allegat, & sequitur *Bonac.tom.1. de Irregul.disput.7.q.2.pun.2.nu.23.* vbi notat, eos non esse Irregulares, qui leuem quandam mentis alienationem, vel vertiginem, vel deliquium animi, vel quid simile patiuntur; quia non sunt Amentes habitualitèr: cauti tamen se debent gerere, nè ad celebrandum accedant, non adiuncto socio, quando periculum est, vt ipsi hoc morbo ità vexentur, vt nequeant sacrificium perficere, *Maiol. lib.2. de Irregul. cap.16.* cui fauet *Suar. cit.loc.* & plures alij, quos allegat *Samuell.disput.6.contr.32.n.1.*

15 Podagrosi, qui continua, vel quasi continua Podagra laborant, nequeunt eligi ad Prælaturas: quia Prælati debent esse omninò expediti ad prouidendum necessitatibus Subditorum; hic autem morbus est incu-

inturabilis, & impedit exercitium officij: vndè tali morbo laborantes, censentur Irregulares, ex *cap. penult. de Cler. ægrot.* & docet *D. Thom. 3. p. q. 82. ar. 10. ad 3.* vbi latè de debilitate, & ægritudine, impedientibus vsum ordinis.

16 Secus autem, si Podagra non sit continua, & non impediat; *Campanil. in diversf. im. rubr. 12. cap. 17. nu. 137.* & *Abbas in cap. cùm inter Canonicos, de elect. nu. 7.* vbi dicit, quòd impedimentum non perpetuū, non est cur perpetuò à Dignitatibus arceat: eò fortiùs, quia his, rempore impedimenti potest dari Coadiutor, qui rectè possit gubernare.

17 Senes sunt ineligibiles ad Regulariū Prælatias, ex *cap. nisi cùm pridem 10. de renunciatione*, ibi, *alia verò causa est debilitas corporis, quæ, vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit*, nec tamen omnis, sed illa, solummodò, per quam impotens redditur ad exequendum officium; & docet *D. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 4. ad 3.*

18 Qui nàm sint hi senes ineligibiles, dico; quòd de eis non potest dari certa Regula, cùm non sint vnius complexionis, & temperamenti, nec sub vno aere viuant; vndè relinquuntur prudentis arbitrio; Regulariter autem censentur septuagenarij, *Menoch. lib. 2. de arbitr. cas. 59. nu. 3.*

19 Cæci, & Surdi non sunt eligibiles, ob prædictas rationes; hæ namq; potentiæ sunt necessariæ simpliciter ad gubernium, *cap. hinc etenim, §. cæcus, distin. 49.* & docet *D. Thom. 3. p. in 4. q. 82. ar. 10. ad 3.*

20 Verùm, Surdastri non censentur ineligibiles; *Nauar. lib. 1. consil. de corpor. vitiat. consil. 7. nu. 3.* & post citatos *Sayr. de cens. lib. 6. cap. 8. num. 5.*

21 De alijs autem constat ex sacra scriptura, *Leuit. 21.* ibi, *homo de semine tuo, per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, &c.* de quibus vide *D. Thom. cit. loc.* & *Trid. sess. 22. cap. 4. de reform. in fin.* vbi ait, *nec alijs in posterùm fiat prouisio; nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras, habilitates integrè habere dignoscuntur, aliter irrita sit prouisio*: hæc ibi.

Supprior in Ordine Prædicatorum, an possit eligi in Priorem illius Conuentus, in quo est Supprior? Quæst. 39.

1 Affirmatiuè dici; tùm quia, id nec in iure communi Canonico, neq; in iure Regulari reperitur prohibitū, at non prohibita censentur indulta.

2 Tùm etiam, quia nemo priuandus est iure suo, sine propria culpa, *cap. satis peruersum 7. dist. 56.* ibi, *vt quis priuetur, quem sua culpa, vel factum ab officio, quo fungitur, gradu non deijcit*; & *Can. ruenientum 16. q. 7. & cap. 1. de re iudicata.*

3 At Supprior, si sit Sacerdos, per professionem cōtinuatam in Religione, spatio duodecim annorum, habet ius ad eligendum passiuè, vt est videre in *cap. 2. de elect. Prioris, tex. 5. & in Decreto Clem. VIII.* quod *ibid.* habetur, sub *lit. Q. tex. 7. pag. 117. col. 1.*

4 Ergò, si cætera concurrant, non est, cur à tali electione repellatur, & potest colligi ex *declarat. ad text. 1. cap. 2. de elect. Prior. Conuent. lit. C. pag. 107. col. 4.* ibi, *quòd si primus scrutator, idest, Supprior fuerit electus, secundus scrutator in publicando scrutinio, &c.*

5 Nec te moueat Statutum Prouinciæ Lombardiæ, & Romanæ, quo cautum est, vt Suppriores non possint eligi in Priores illius Conuentus, in quo sunt Suppriores, & si secus fiat, electio est nulla, & irrita; quia est locale, ex ordinatione scilicèt Eminent. Cardinal. Alexandrini, teste *Castellino cap. 18. nu. 5. de elect.*

Supprior in Ordine Prædicatorum, an possit eligi in socium Prioris eundi ad Capitulum Prouinciale? Qu. 40.

1 Remigius Scropha in suis morallibus, *q. 24. nu. 5. in fin.* & *Samuell. disput. 4. controuer. 5. tract. 2. de elect.* Respondent affirmatiuè; nàm Supprior habet ius acquisitum ad eligendum passiuè, si habet cætera requisita, vt dictum est hic immediatè suprà, sed nemo priuandus est suo iure quæsito, sine propria culpa, vt constat ex allegatis iuribus, ergò.

2 Confirmatur, Officium Suppriorarus non priuat, neç priuare potest Suppriorem suo iure quæsito; nec Supprior culpat in acceptando, vel exequēdo ministerium talis Officij: immò meretur.

Quamobrèm debet exindè potiùs præmium accipere, quàm pœnam pati.

3 Hinc Primò infertur, quòd Prædicator Generalis, si fiat Supprior alicuius Cōuentus, non ideò amittit, vel suspenditur eius ius acquisitum eligendi in Capitulo Prouinciali; sed Suppriotatu non obstante poterit ire ad Capitulum Prouinciale, ibiq; vocem habere, vt fuit declaratum Romæ 1608. *declarat. 5.* & habetur in *declarat. distin. 2. de elect. Prior. Conuentualis, cap. 2.*

cap.2. text.8. lit.V. pag.118. col.3.

4 Secundò, quòd si quis, vbi fuit electus socius, in Suppriorem eligatur, non proindè amisit ius, sed potest, immò debet, ire ad Capitulum Prouinciale, & cum ceteris votare; quia vt dictum est, officium superadditum non priuat iure quæsito.

5 Neq; his obstat *declaratio* nostrarum *Constitutionum*, sub his verbis expressa, vbi suprà, *Itèm cùm absentia Supprioris sit Conuentui valdè damnosa; nullo modo debent Suppriores in socios Priorum eligi, qui autem oppositum fecerint, debent grauitèr puniri, ac voce priuari, sicut fuit ordinatum Bononiæ 1275. & Tholosæ 1304.* quia in his verbis non ponitur clausula annullatiua, seù Decretum irritans, nec dicitur; quòd Suppriores non possint eligi, sed quòd non debent eligi; & inter hunc, & illum modum loquendi multum interest; & tantùm *ibi* additur, quòd eligentes Suppriores sunt grauitèr puniendi; non quia fortè elegerunt hominem incapacem, sed quia sunt in causa damnificandi Monasterium, quod ipsi posset euenire, ob absentiam Supprioris, in socium electi.

6 Ego autem dico, quòd sicut electio Prælatorum Regularium potest licitè, ac validè coarctari ad tres, vel quatuor personas, cum exclusione ceterorum, vt dictum est hìc suprà; ità paritèr, & electio sociorum, cum exclusione Suppriorum, quod nō est contra ius Canonicum statuere, sed secundùm iura gubernare; eò fortiùs, si coarctatio, & exclusio fiat ex rationabili causa, vel ex aliquo accidenti, vt dictū est *in tract.1. de elect. q.10.* & occurrit in casu posito: nàm ad euitandum damnum, quod Conuentui posset accidere, ob absentiam Supprioris, cautum est, vt Suppriores non eligantur; & ob commune bonum Monasterij deberet præcipi, vt nullatènus possint eligi; nec tale præceptum poset præiudicare iuri tertij; tùm quia, omnes Dominicani iurarunt, & solemni voto promiserūt obedientiam suis Prælatis, viuere secundùm Regulam S. Augustini, & Constitutiones Fratrum Prædicatorum obseruare, vt constat ex modo profitendi.

7 Tum etiam, quia quod sancitur in Capitulo Generali, dùm fit, ad id specialitèr deputatis, censetur fieri ab omnibus, etiam vt singulis; tùm item, quia Religiosus quis acceptans officium Supprioratus, sub hac conditine, & clausula, *vt non possit eligi in socium*, videtur consentire, & renunciare iuri suo, & quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

8 An autem hodiè Eligentes Suppriorem in Socium Prioris euntis ad Capitulum Generale, possint meritò puniri? affirmatiuè dic; tùm quia, P. Generalis, & Capitulum Generale, ex Priuilegio potest præcipere suis Subditis, nè vtantur hoc, vel illo iure, & Priuilegio, Tum etiam, quia Subditi tenentur obedire, & in casu contrarij, vti violatores voti obedientiæ possunt castigari; tùm item, quia iurant, proprias Constitutiones Ordinis Prædicatorum obseruare; vt dictum est.

Socius Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, si supersedeatur à Capitulo, illo anno; an sit socius, tempore futuri Capituli, vel alius sit eligendus? Quæst.41.

1 FVit hæc quæstio in Ordine nostro perplexa, & coràm Reuerendiss. Magistris interdùm agitata, de cuius materia latè *Remigius Scropha q.24. in moral. Festus in summ. constitut. p.3. cap.24. de elect. Magistri Ordinis, Castell. cap.15. de elect. Magister Camillus Polonus* in suo *summ. Capitulor. Generalium, ver. Diffinitor,* & in suo *Director. de elect. par.2. cap.5. & 1. p. cap.2.* & *Samuell. disp.3. contr.2. nu.22. tract.3. de elect.* & alij quàm plures eiusdē nostræ Familiæ.

2 Tù verò, nè in æquiuoco labores, aduerte, quòd in Nobis aliud est loqui de solo Capitulo Prouinciali, & aliud de sola electione Prouincialis, & aliud de vtroq; simul, vt constat ex multis.

3 Primò, ex ipsamet *Constitut.* quæ de his separatim agit, nempè *cap.3. de elect. Prioris Prouincialis, & cap.7. de Capitulo Prouinciali, dist.2.* vndè *declaratio d. cap.3. de elect. tex.3.* sub *lit.B. pag.123. col.2.* ait; *tunc electio pertinere debet ad Capitulum Prouinciale, & non ad Electores, hoc est, ad Priores cū singulis Socijs, & ad Magistros in Theologiā, & ad Prædicatores Generales.*

4 Secundò, quia in Capitulo Prouinciali eligūtur quatuor Diffinitores, qui etiam possunt eligi de non Capitulo, vt dicitur in *tex.1. d. cap.7. pag.138. col.3.* per quos discutiuntur iura totius Prouinciæ; fiunt petitiones Graduatorum, prouisiones Cōuentuum, Iudices ad causas ciuiles, ac criminales, si quæ sint, mutationes Fratrum, & similia, quæ in vnum redacta publicantur, & dicuntur acta Capituli, vt *ibid.* nominantur.

5 Tertiò, quia in dicto Capitulo Prouinciali eligitur Diffinitor futuri Capituli Generalis, secundùm formam Canonicam, vt dicitur in *declarat. tex.6. cap.5. de elect. Diffinitorum, lit.C. pag.136. col.1.*

6 In Capitulo autem electionis merè

Pro-

Prouincialis; nihil horum fit, nec debet fieri; cùm *ibi* de sola electione tractatur: vndè non ineptè solet dici, quòd aliud est, Capitulum Prouinciale prouisionis, & discussionis iurium Prouinciæ, & aliud est, Capitulum electionis Prouincialis.

7 Quartò, Priores Conuentuales non habent votum in electione Socij Prioris, euntis ad Capitulum Prouinciale, nec valent in illa se intromittere: at in electione Electoris ad finem eligendi Prouincialem, habent primum votum, vt constat ex *declarat.tex.5.cap.3.de elect.Prioris Prouincialis*, sub *lit.D.pag.124.col.2.*

8 Ergò, aliud est, loqui de Capitulo Prouinciali, & aliud, de sola electione Prouincialis, vt latè ostendit *Castell. cap.15. de elect.nu.23.fol.*mihi 327.vbi aduertit, quòd quando insimul celebratur Capitulũ Prouinciale, & in eo eligitur futurus Prouincialis, Prior Conuentualis debet se omninò abstinere à suffragando in dicta electione Socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale.

9 His stantibus, cum distinctione resolue quæsitum; aut enim versamur in electione Socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, in quo non eligitur nouus Prouincialis, sed tãtùm discutiuntur iura Prouinciæ, vt dictum est suprà; & sic, in casu posito Socij electi non admittuntur, sed debent de nouo eligi alij Socij, vt habetur *in declarat. text.5.cap.3. de elect. Prior.Prouincialis*, sub *lit.E. fol.124.col.3.* ibi, *itèm declaramus, quòd Socij Conuentuum electi ad Capitulum Prouinciale, vocem tantùm habeant in Capitulo Prouinciali illius anni, pro quo fuerunt electi; si autem ex causa, vel impedimento, à Capitulo Prouinciali, illo anno supersedeatur, ad tractatum Capituli Prouincialis anni subsequentis, ex vi talis electionis non admittantur, sicut fuit declaratum Ferrariæ 1362.*

10 Aut sumus in simplici, & mero Electore Prouincialis, & sic dic, quòd hi Electores, qui largè, & abusiuè vocantur Socij; vbi semel electi fuerint ad eligendum futurum Prouincialem, debent in omni casu admitti, & habere vocem in futura electione Prouincialis: tùm quia, nemo debet priuari suo iure quæsito, sed Electores per talem electionem acquisiuerunt ius ad eligendum futurũ Prouincialẽ: ergò.

11 Tùm etiam, quia ità habetur expressè in *d.tex.5.cap.3.de elect. Prior.Prouincialis, fol.123.col.4.* ibi, *electio Prouincialis spectat ad Priores Conuentuales, & ad Prædicatores Generales, & vnum Fratrem de quolibet Conuentu, ad hoc idem, pro qualibet electione de Priore Prouinciali fienda (si pluriès fieri contingit) nouitèr electum*, ergò pro vna, & eadem electione Prouincialis, non possunt eligi alij Electores, sed iam electi, vocem habere debent in futura electione Prouincialis; quia ad istam fuerunt electi, & nondùm elegerunt, vt benè notat *Scropha* cit.*loc. num.3.* ad hæc facit *declarat.4. Valentiæ 1647.*

12 Quod etiam habet locum, quandocunq; quis eligitur Socius insimul, & Elector, pro futuro Capitulo Prouinciali, si fortè erit mixtum; vtpotè electionis Prouincialis, ac prouisionis, & discussionis iurium Prouinciæ.

Electiones Diffinitorum, & Sociorum eorundẽ, euntiũ ad Capitulum Generale, quò nàm modò sint faciendæ in Ordine Prædicatorum? Quæst.42.

1 Diffinitores Capituli Generalis in Ordine Prædicatorum, debent eligi à maiori parte Vocalium, per modum scrutinij, secundùm formam Canonicã; de qua dictũ est hic suprà *tract.1.* vndè eorum electio non potest committi Prouinciali, & Diffinitoribus Capituli Prouincialis; non enim vtimur compromisso; prout declaratur sub *lit.C.tex.4.cap.5.de elect.Diffinit.Cap.Generalis,pag.136.col.1.*

2 Socij verò Diffinitorum non eliguntur à toto Capitulo Prouinciali; sed tantùm assignantur à Diffinitorio Capituli Prouincialis in anno Diffinitorum, & à Prouinciali in anno Prouincialium; qui quidem possunt designari per fabas, vel in voce à Diffinitorio prædicto, secundùm laudabilem consuetudinem Prouinciæ, *Castell. in d.cap.15.nu.1.*

3 Qui insupèr debent habere litteras testimoniales, subscriptas, non tantùm à Prouinciali, sed à toto Diffinitorio; aliàs non admittuntur, vt expressè dicitur *in fin. d.tex.5. de elect. Diffinit.*

4 Quod dictum intellige verum regularitèr, quia si in aliquo casu cõgregaretur Capitulum, ad effectum eligendi Diffinitorem, seu Electorem Capituli Generalis dùmtaxat, Diffinitor in tali Congregatione electus, ex quo nequit habere litteras testimoniales suæ electionis in Electorem, vel Diffinitorem, subscriptas à toto Diffinitorio; cùm in tali Congregatione Diffinitores non fiant; sufficit, vt habeat illas subscriptas à Scrutatoribus, qui, in tali casu censentur subrogati loco Diffinitorum.

5 Fratres de aliena Prouincia, etiam si per annum permanserint in aliquo Conuentu, vel Conuentibus alterius Prouinciæ, non

non possunt eligi in Diffinitores, neq; in Socios ipsorum, neq; in Electores Capituli Generalis; nisi sint illi Prouinciæ, pro qua eligêdi sunt, incorporati, idest, affiliati simpliciter, vt declaratur sub *lit. D. tex. 5. cap. 5. de elect. Diffinit. Cap. Generalis, pag. 136. col. 2.*

6 Prouinciales non possunt eligi in Diffinitores Capituli Generalis Diffinitorum, neq; deputari in Socios eorum, ità statutum fuit Neapoli 1600. & refert *Castell. in d. loc. num. 8.*

7 Si quis Diffinitorum, in Prouincialem fuerit electus, & confirmatus, talis quantù ad actū Diffinitoratus, cum ratione officij Prouincialatus, in tali casu electionis Magistri diffiniri habeat, reputatur nō superstes, & ideò ad Diffinitionem alius Elector debet eligi, & admitti; prout declaratur *lit. D. tex. 3. de elect. Magistri, cap. 5. pag. 131. col. 1.* ad hæc facit *declar. 4. Valentiæ 1647.*

Si aliquis Diffinitorum eligatur in Prouincialem in aliquo Capitulo Prouinciali, & quòd in eodem Capitulo Prouinciali quis eligatur in Diffinitorem, loco Diffinitoris in Prouincialem electi, an huiusmodi electio sustineatur? Quæst. 43.

1 Samuell. *in disp. 3. controu. 2. tract. 3. de elect. Canon.* sub *concl. 16. nu. 33.* negatiuè respondet; tùm quia, Diffinitor in Prouincialem electus, & non confirmatus, censetur superstes, cum iure quæsito ad diffiniendum, vt constat ex *d. l. eo Constit.* vbi dicitur, quòd alius Elector debet eligi, quando primus ille Diffinitor fuit electus, & confirmatus in Prouincialem; ergò per confirmationem amittitur ius antiquum Diffinitoratus, & non alitèr; tùm etiā, quia Diffinitor electus in Prouincialem, per solā electionē nullū ius acquirit ad Prouincialatū, *c. 2. de elect. Prior. lit. L. in declarat. ver. declaramus, f. 112. col. 1.* ergò nō datur locus nouæ electioni, sed debet expectari eius confirmatio, secus non vacat locus, & consequentèr non potest alius Diffinitor eligi; tùm item, quia ità colligitur ex *declarat.* sub *lit. A. tex. 1. cap. 2. de elect. Prior. pag. 105. col. 2.* vbi Fratres non possunt sibi eligere, vel postulare Priorem; nisi ille, qui præest in tali officio, sit penitùs amotus, nec potest fieri electio, sub conditione, *si eum contingerit amoueri*, vt *ibid.* dicitur, ergò non est locus nouæ electioni, nisi post confirmationem, aliàs nulla erit electio.

Socius Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, an possit eligi in illo Connentu, vbi sunt quinq; vel quatuor Vocales? Quæst. 44.

1 Hanc quæstionem mouet noster *Castell. in suo tract. de elect. cap. 5. nu. 87.* sed non resoluit, forsitàn, ob quod dicitur in *Cap. Generali*, Neapoli celebrato 1600. *§. declarationes, nu. 9. quòd scilicèt, vbi non sunt sex Vocales, excepto Priore, non potest eligi Socius pro Capitulo Prouinciali, si secus factum fuerit, electio nulla erit*; quod, item fuit sancitum Parisijs anno 1611. *§. ordinationes, nu. 10. ibi, in Conuentibus, vbi non sunt, ad minus sex Vocales, non eligatur Socius illo anno pro Capitulo Prouinciali*; quod tamen fuit postea renocatum Romæ 1629. *declarat. 8.*

2 Et meritò, quia Capitulum Generale nihil potest statuere contra ius commune Canonicum, vt infrà dico, nec contra ius commune nostrarum *Constitut.* à Sancta Sede approbatum; sed hoc statutum erat contra ius commune Canonicum; nam de iure communi Canonico electio pertinet ad Collegium, per ea iura, quæ refero in *tract. 4. de elector. q. 1.* de iure autem Canonico tres personæ idoneæ sufficiunt ad constituendum Collegium, per allegata in *tract. 2. de Capitulo*, ergò de communi iure Canonico tres personæ satis sunt ad Canonicè eligendum, & actus per hos Capitulariter factus, sustinetur; præterea, qui, seruatis seruandis electus fuit à maiori parte, vltrà medietatem existentium in Capitulo, censetur ritè, & canonicè electus, *cap. quia propter, de elect.* ergò electus à duobus de Capitulo, si ibi tres tantùm Vocales adsint, est ritè electus.

3 Nec non, erat contra aliud nostrum statutum, auctoritate Apostolica editum in *Capitulo Generali*, Romæ celebrato anno Domini 1559. quod infrà alias *declarationes tex. 2. c. 1. de dombus*, sub *lit. E. pag. 95. col. 3.* reperitur insertum, sub his verbis.

Qui autem aliquando integrum numerum habuerunt, & modò ad hunc redacti sunt, vt quatuor Fratres Vocales cum Priore non habeant, titulo Prioratus gaudere interim permittantur, Socium verò ad electionem Prouincialis, vel ad Prouinciale Capitulum, nequaquàm eligant, hæc ibi.

4 Ergò, per argumentum à contrario sensu, si sint quatuor cum Priore, possunt eligere, vt latè noster *Scropha q. 17. in moralibus.* Verùmtamē in *Capitulo Generalissimo*, Romæ celebrato cum auctoritate Apostolica, anno 1644. sub Reuerendissimo

Fratre

Fratre Thoma Turco *declarat.*3.fuit declaratum, *quòd Priores Conuentuales eorum Conuentuũ, qui absq; sua culpa, duodenarium numerum Fratrum, sustentare non possunt: nihilominùs manere debeant in sua possessione: dummodò alant sex Fratres Capitulares, ità vt habeant vocem in Capitulo Prouinciali, & quòd dicti Conuentus habeant ius eligendi, & mittendi Socium Prioris ad idem Prouinciale Capitulum.*

5 Quod dictum intelligendum est, iuxtà *declarat.* factam Valentiæ 1647. *nu.*5. vt in dicto numero senario comprehendi debeat Prior ipse, sed cum discrimine; ità scilicèt, quòd ad hoc, vt Prior talis Conuentus habeat ipse ius vocis in Capitulo Prouinciali, sufficiat, quòd Conuentus alat quinq; Fratres Capitulares, & prætereà Priorem ipsum, sed ad hoc, vt Conuentus ille habeat ius ad mittendum Socium Prioris, pro Capitulo Prouinciali, alere debeat quinq; Patres Vocales, & qui de iure habeant vocem, nedùm in Capitulo, sed in electione Prioris, & Socij, & præter eos Priorem ipsum; qui tamen in electione Socij non se ingerat, iuxtà ea, quæ in *Constit.* habentur *distinct.*2.*cap.*3.§.5.*lit.*E.

6 Quod iure optimo declaratum est, cùm correspondeat nostris *Statutis de elect. Prior. Conuent. cap.*2. *dist.*2. expressis sub *declarationibus text.*1. *lit.*A. *pag.*106. *col.*4.*in fin.* vbi dicitur, *quòd quando non eligitur quis de Collegio, ad hoc, vt eius electio sit rata, & legitima, debet eligi à maiori parte Eligentium, vltrà medietatem.*

7 *Quando verò eligitur quis de Collegio, debet habere duo vota, vltrà medietatem, nè fraudi locus adsit, & nè possit aliquis se ipsum eligere.*

8 Cùm ergò iuxtà nostras *Constit.* Prior non debeat se intromittere in electione Socij, & nemini liceat, se ipsum eligere: necessum est, vt in Conuentu sint ad minus quinq; Vocales, alitèr Eligendus de Collegio, nunquàm poterit habere duo vota, vltrà medietatem, cùm medietas vnius voti, pro vno computetur.

9 Et exindè infero, quòd cùm in electione Electoris Prior habeat primum votum, sufficient quatuor Vocales cum Priore, ad eligendum Electorem, ad finem eligendi Prouincialem, extrà Capitulum Prouinciale, vel ipsum Magistrum Ordinis; nàm in tali casu extat numerus quinarius Electorum, qui satis est, ad eligendum de Collegio.

10 Neq; his potest obstare præfata *declarat.* Valentiæ, quia loquitur de electione Socij, euntis ad Capitulum Prouinciale, in qua electione Prior Conuentus non potest votare: Ego autem loquor de electione Electoris, euntis ad Capitulum, seu Congregationem meram Prouincialis, quæ valdè differt à Capitulo Prouinciali, vt dictum est suprà.

SVMMA QVAESTIONVM, Tract. VI. De Electis.

DE ELECTIS
Tractatus VI.

Electus, ad hoc, vt eius electio sit rata, & legitima, quot suffragia debet habere? Quæst.1.

1 DE Iure Canonico, satis est, vt eligatur à maiori parte, vltrà medietatem existentium in Capitulo, iuxtà dispositionem *cap. quia propter, de elect.*

2 In Ordine autem Prædicatorum debet obseruari antiquissimum eius *statutum*, quod habetur circa *nonum requisitum, de electione Prioris Conuentualis, distin.2. cap.2. tex.1.* sub *lit. A. pag.106. col.4. in fin.* ibi, *& si inuenerint, quòd aliquis existens extrà Collegium, aut extrà numerum eligētium, fuerit electus à maiori parte, vltrà medietatem omnium eligentium, eius electio rata, & legitima habeatur; si quis verò de numero ipsorum eligentium electus fuerit, vt illius electio sit rata, & legitima, nè fraudi locus adsit, neq; possit aliquis se ipsum eligere, duo vota, vltrà medietatem, collata esse oportet; declarantes tamen, satisfieri huic statuto de duobus votis, si constet, illum esse electum à maiori parte, secluso suo voto, si fortè illud sibi contulisset; id autem tunc satis constabit, quando aderit vnum votum, & dimidium, quod dicitur vltrà maiorem partem, vtpotè, si eligentes sint quinq; maior pars sunt tres, requiritur, & sufficit, vt electus, qui est de numero eligentium, habeat quatuor vota, vt eius electio rata, & legitima habeatur:* hæc *ibi.*

3 Ex quibus Primò collige, quòd electio alicuius de numero eligentium in Ordine Prædicatorum: nisi excedat, & habeat duo vota, vltrà medietatem, est nulla, & irrita: verùm, cùm iste defectus se teneat

ncat

peat ex parte electionis, & non ex parte personæ electæ, potest de nouo, sine præuia dispensatione reeligi in eodem Conuentu, & ab eisdem Electoribus; prout fuit pluriès declaratum, & præsertim Romæ 1583. teste *Castell. cap.4.nu.15.de elect.*

4 Secundò, quòd nullus potest eligere se ipsum, etiam si iurasset eligere idoniorem, & crederet se esse magis idoneum, ex *cap. in scripturis 9. caus.8. q.1.* tùm quia, locus Regiminis, desiderantibus negandus est; tùm etiam, quia nullus debet sibi sumere honorem, nisi qui vocatur à Domino, tanquàm Aaron; tùm item, quia nemo debet oriri à se ipso; tùm deniq; quia nimis ambitiosus videretur, prout ex multis ostendit *Glos.cap.cùm in iure 33.in ver.ex se, de elect. Turrecremat.in cap.si quis, il primo, dist.79. Megal.* in suo *promp.ver.elect.nu.54. in fin.* cui fauet noster *Tab.ver.elect.1.num.25. & elect.2. nu.4.* vbi dicit, quòd quisq; debet de se ipso cognoscere culpam, & de alio ꝑsumere bonum, *cap. final. de præsumpt.* licèt alij teneant oppositum, quod fortassè poterit habere locum in electione per modũ compromissi; vndè *Glos.& Abbas in cap.licèt, in ver.à duabus partibus, de elect.* dicunt, quòd electi vox, non debet in numero eligentium computari; & in his fundatur speciale statutum Dominicanorum, de non eligendo se ipsum, *Castell.cit.loc. & cap.5. num.45. de elect.*

Electo, an debeat præsentari electio, & infrà quod tempus? Quæst.2.

1 QVòd electio de iure communi Canonico sit ad summum celebranda infrà tres mẽses, constat ex *cap.nè pro defectu 41. de elect.* & ex decisis suprà *tractat.3. de tempore electionis, quæst.1.*

2 Quam electionem, Electores quamcitiùs commodè poterunt, eidem electo tenentur præsentare, ac ipsius consensum petere, vt clarè habetur in *cap.quàm sit 6.de elect.in 6.* vbi *Glosa in casu* dicit, quòd istud tempus hodiè est redactum ad tempus octo dierum, prout expressè deciditur in *cap.cupientes 16. de elect. §.cæterùm si eligentes, in eod.6.*

3 Quiquidèm electus infrà vnum mensem post consensum debet confirmationem quærere, vt dicitur in eodem *cap.cupientes,* & infrà immedietatè habetur.

Electus, ad hoc, vt sit verè Prælatus, an teneatur suæ electioni consentire, & infrà quod tempus, & confirmationem petere? Quæst.3.

1 ET quidem, electus, vt dictum est, tenetur de iure Canonico, infrà mensem suæ electioni consentire, & infrà tres menses, post consensum electioni præstitum, confirmationem petere, quòd si iusto impedimento cessante, infrà huiusmodi trimestre tempus omiserit; electio eadem, ipso iute, & eo ipso, viribus vacuatur; prout expressè deciditur in *d.cap.quàm sit 6. de elect. in 6.*

2 Sed aduerte, quòd tempus trium mẽsium, petendi confirmationem, post consensum præstitum, redactum fuit ad tempus vnius mensis; vt habetur in *cap.cupientes 16. eod.tit. in 6.* & dictum est hìc immediatè suprà.

Electus, electioni de se factæ, an valeat dissentire, ac etiam post consensum, iuri suo renunciare? Quæst.4.

1 AFfirmatiuè deciditur in *cap.si electio, de elect.in 6.* nec ad dissentiendum, vel renunciandum, antè confirmationem requiritur licentia Superioris; tùm quia, in *d.cap.*hoc non dicitur; tùm etiam, quia nec in statutis Religionis reperitur expressum; tùm item, quia in manu electi repositum est, acceptare, vel respuere, absq; alia licentia.

2 Nec obstat dicere, quòd intrà mensem, post sibi præsentatam electionem, tenetur consentire; *cap.quàm sit, de elect.in 6.* nàm hoc intelligitur in casu, quo vult consentire; in quo casu tenetur hoc facere, infrà mensem, sibi in *d.cap.*assignatum: at si consentire non vult, ad hoc cogendus non est; tùm quia, nemo inuitus cogitur consentire, *cap.gesta, & cap.vbi ista, dist.73.* tùm etiam, quia secus, non liberè consentiret.

3 Et quamuis ille, qui electioni suæ consensit, infrà tres menses confirmationem petere debeat, vt in *d.cap.quàm sit, de elect. in 6. §.cæterùm,* & alioquin electio ipso facto est nulla: tamen non ideò renunciare non valet, sed exindè potiùs apparet, posse renunciare, absq; alia licentia: nàm cùm dicat ius, vt confirmationem infrà tres menses petere debeat, & si non petat, electio, ipso iute viribus careat, videtur sibi terminus præfixus, vt animum suum declaret; & elapso termino, confirmatione non petita, habet vim tacitæ renunciationis, vt

ex illo

ex illo textu notat *Anchar. in cap. final. de consuetudine, in 6.*

4 Nec, termino elapso locum habet purgatio moræ; nàm ius exequitur, eò ipso, quòd priuat, *Anchar. in d. cap. quàm sit, nu. 3.* & posse electum, post præstitum consensum, antè confirmationem renunciare electioni, absq; alia licentia, tenet, post allegatos, *Federicus de elect. d. b. 41. num. 8.* dummodo talis renunciatio non fiat in præiudicium Superioris, vt in casu, quo electus foret repellendus, & Electores priuandi, iure eligendi, ex quo ineligibilem elegerunt.

5 Benè verum est, quòd si electio, ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat, vel post consensum renunciat iuri suo, aut fortè diem claudit extremum, seu propter occultum eius vitium, irritatur: Electores, qui iàm fecerant, quod spectabat ad ipsos, infrà iuris terminum eligendo; habebunt à dissensu, renunciatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam: dummodò nihil fraudulentèr egerint in præmissis; prout expresse dicitur in *d. cap. si electio, de elect. in 6.*

6 Hinc prouidè sancitum est in Ordine Prædicatorum, quòd si canonicè aliquem elegerint, & contigerit, vt cassetur electio, incipiat de nouo alter mensis electionis, à die, quo canonicè constiterit Conuentui prædicta cassatio; quod sanè intelligendum est habere robur, quomodòcūq; cassetur electio, siuè per defectum in ipsa commissum, siuè propter aliam rationem, etsi, in isto casu Prouincialis Priorem pro deriit, ille talis non erit Prior, vt in *pag. 113. col. 1. tex. 5. lit. O.*

Electus, & confirmatus, an postquàm acceptauit, possit suæ Prælaturæ renunciare, sine licentia Superioris? Quæst. 5.

1 Negatiuè dic, quia per mutuum consensum eligentium, & electi, maximè post confirmationem subsequutum, nascitur inter ipsum, & Ecclesiam, ad quam eligitur, quoddā vinculum spirituale, quod non potest ad libitum dissolui, nec quidèm à Superiore, sine iusta, & legitima causa, vt expressè deciditur in *cap. inter Canonicos 21. de elect.*

2 Hinc, in Ordine nostro cautum est, vt nullus Præsidens valeat se ipsum declarare absolutum ab officio suo, propter quamcunq; transgressionem commissam, prout dicitur sub *lit. O. ad tex. 6. Prol. nostrarum Constit. pag. 8. col. 1.*

Electus, an valeat inuitè confirmari? Quæst 6.

1 Negatiuè de iure communi; vt constat ex decisis; quia cùm electus dicatur sponsus Ecclesiæ, ad quam eligitur, *cap. inter corporalia, de translat.* & inter sponsum, & sponsam non possit matrimonium constare: nec spirituale vinculum oriri, nisi mutuo, ac libero mediante consensu, *cap. cùm inter Canonicos 21. de elect.* nullus enim inuitè cogitur consentire; itá à pari, per dictum *capitulum inter corporalia.*

2 Nihilominùs, in Regularibus, ob solemne votum obedientiæ, non procedunt dicta iura, cùm Religiosi non habeant velle, nec nolle: nisi dependentèr à Prælato; ideòq; electus, & confirmatus, potest cogi, etiam sub censuris, ad acceptandum, & exequendum officium sibi impositum: nisi renuens assignet rationabilem causam, *Castell. cap. 14. nu. 21. de elect.*

An sit meliùs, Electioni consentire, vel illam, ex humilitate respuere? Qu. 7.

1 Respondet *Layman. qu. 69. cap. 6. de Prælatis Ecclesiasticis*, quòd meliùs agit electus, si electioni canonicę consentiat, non, vt præsit, sed, vt multis prosit, ad gloriam Dei; quia talis acceptatio procedit ex motiuo Charitatis, quæ est omnium virtutum præstantissima.

2 Quod dictum intellige verum, in casu necessitatis, quando scilicèt, non adest alius magis idoneus, qui possit ad talem Prælaturam eligi; nàm digniori tenetur dignus cedere, ex Charitate, quæ non quærit, quæ sua sunt, & ex Humilitate, quæ omnium virtutum radix est; secus autem, si tantū reperiretur par, & ęqualis; quia, ceteris paribus, potior est conditio possidentis.

Electus ad Prælaturam, si putet se dignum ad illam, an peccet mortalitèr refutando? Q. 8.

1 Glosa *in cap. in scripturis 8. quæst. 1. ver. minimè* affirmatiuè respōdet, & se fundat in *text. d. cap.* ibi, *qui renuit Omnipotentis Dei oues pascere, ostendit se Pastorem Summum minimè amare: ergò*, subnectit, *qui se dignum credit, & Prælaturam sibi*

sibi oblatam, non recipit, mortalitèr peccat.

2 Quod dictum intellige verum, in casu necessitatis; qnando, scilicèt, alius non adesset, qui posset in ea administrare; secus autem: tùm quia, nullus se debet dignum putare ad Prælaturam: tùm etiam, quia multa incumbunt onera Prælato.

3 Hinc, *D. Thom. 2.2.q.185. ar.1. ad 3.* in referendo dictum *Sācti Augustini*, ait, *otium Sanctum quærit Charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas Charitatis; quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ, atq; intuendæ vacandum est veritati, si autem imponit, sustinenda est propter Charitatis necessitatem*: hæc *ille*, cui *ibid.* subscribit longa manu *Caiet.* multa notando, vide illum, & non pigebit.

Electus dignus, omisso notabilitèr digniore, an mortalitèr peccet, si tali electioni consentiat? Quæst. 9.

1 D. *Thom. 2.2.q.185. ar.3. in fin. corp.* Respondet negatiuè, ibi, *ex parte autem eius, qui assumitur, non requiritur, quòd reputet se alijs meliorem; (hoc enim esset superbum, & præsumptuosum) sed sufficit, quòd nihil in se inueniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium, &c.*

2 Exindè *Caiet. ibid. in Comment.* subinfert, quòd is, qui eligitur, non tenetur ad comparatiuam; non enim tenetur, ad hoc, quod licitè acceptet, reputare se alijs magis idoneum, ad Ecclesiæ Regimen: sed tenetur ad positiuam, quòd nullum, scilicèt, in se impedimentum inueniat, ad Prælationis officium assumendum; quæ autem sint impedimenta, ad recipiendum tale munus, constat ex decisis in *tract. de eligendis*, & ex *c. nisi cùm pridèm 10. de renunciat.*

Si Electus sit occultè Irregularis, vel habeat aliud occultum impedimentum, an teneatur se prodere, & manifestare? Q. 10.

1 ET dico, quòd sic, de iure communi, & ordinariè loquendo, prout colligitur ex *cap. innotuit 20. de elect.* ibi, *qui tandèm spontanea tibi, & secreta Confessione, mōstrauit, quòd conscientia eius aliquantulùm erat læsa*, & infrà, *§. multa*, ibi, *& humilis deuotio confitentis, qui sponte, ac humilitèr suum maluit confiteri reatum, quàm læsa conscientia, Thronum conscendere Pastoralem*: vbi *Glos. ver. defectum*, ait, *siuè impedimentum, quia, & si non sit nota delicti, est tamen nota defectus impedientis promotionem*, & *cap. nisi cùm pridèm 10. de renunciatione, §. personæ*, ibi, *quia licèt Irregularitatem huiusmodi non potuerit subticere, si tamen, & culparet*, vbi *Glos. in ver. non potuerit*, subnectit, *idest, non debuerit de iure, tempore suæ examinationis*, & *cap. ex pœnitentibus 55. distin. 50.* ibi, *qui se ordinationis tempore non prodidit, fuisse pœnitentem*, vbi *Glos. in ver. non proderit*, ait, quòd ex hoc *capite* videtur, quòd quilibet ordinandus, teneatur prodere crimen suum, quod *ibid.* affirmat noster *Turrecremata ar. 1. num. 1. D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 13. Syl. ver. ordo 2. q. 2.* & *Tab. eod. ver. 6. nu. 1. in fin.*

2 Ex quibus colligunt *DD.* quòd ordinandus interrogatus ab Episcopo, antè sui promotionem ad ordines, tenetur pandere suum vitium occultum, quod reddit ipsum incapacem ordinis, & volentes contrahere carnalitèr; tenentur manifestare impedimentum occultum, *Sanchez lib. 5. de matrim. disput. 14.* & quòd Irregularis electus ad Prælaturam, tenetur non acceptare; immò respuere, nisi priùs dispensationem, si dispensabilis est, obtineat, *Layman. quæst. Canonic. de Prælat. Ecclesiasticis, cap. 6. quæst. 60.*

3 Nec obijcies, dicendo, quòd nemo tenetur delictum suum prodere: nisi iuridicè interrogatus, quod esse nequit; nisi infamia præcedēte, *cap. qualitèr, & quandò, de accusat.* quod non potest occulto crimini adaptari; quia, teste *Innoc. in c. 1. de postulat. Prælat. nu. 5.* quando fit inquisitio contra promotum, vt puniatur; tunc non licet absq; infamia procedere, & in hoc casu loquitur *d. cap. qualitèr, & quandò, de accusat.* quando autem contra promouendum, nè promoueatur indignus, non requiritur infamia, sed debet Superior ex officio inquirere, *cap. nobis, de elect.*

4 Nec dices, quòd nemo tenetur se infamare; quia, in tali casu nulla necessitas est imposita se infamādi, cùm vnusquisq; liberè possit ab ordinibus, & Prælatijs suscipiendis abstinere; etenim beneficium petere, aut oblatum repudiare, non est necessitatis, sed libertatis.

5 Dixi, ordinariè, & regularitèr loquendo; tùm quia, fieri potest, vt Electus in aliquo casu Prælaturam sibi delatam recusare non valeat, nec suam Irregularitatem manifestare, absq; magna infamia; & in tali casu licet probabilitèr, eam acceptare, & posteà cùm occasio aduenerit, dispēsationem impetrare; *Suar. tom. 5. de cens. disp. 40. sect. 2. 4. difficult. nu. 31. & 34.* cui fauet *Layman. cit. loc.* Et ratio esse potest, quia electio, & collatio beneficij, facta personæ Irregulari, substantialitèr subsistit,

quamuis

quamuis de iure Ecclesiastico prohibita fit, & etiam infirmata in ordine ad forum externum, cùm nulla lex obliget in casu necessitatis; quod tamen non attidet *Sanchez vbi suprà*.

6 Tùm etiam, quia Religiosus promotus, aut in Capitulo, aut in litteris patentibus suæ confirmationis, absoluitur, & dispensatur à suo Superiore, ad effectum, &c. Tùm item, quia in meo Ordine per electionem electus nullum ius acquirit; nec potest antecedentèr ad confirmationem, tali electioni de se factæ consentire, & post confirmationem sui Superioris tenetur sui animum declarare, vt dictum est hic suprà *quæst. 4. nu. 3*.

Electus, & confirmatus, si sit occultè excommunicatus, an debeat se prodere, si alitèr non potest se excusare ab acceptatione Prælaturæ? Qu. 11.

Dixi in *tract. præced. qu. 10.*

Electus bis, seù per duas electiones, eodem tempore, ab eisdem Electoribus, ad vnam, & eandem Ecclesiam: an valeat ambas electiones amplecti, & prosequi? Quæst. 12.

1 Negatiuè deciditur in *cap. vt quis duas 25. de elect. in 6.* cùm non nisi ex vna ipsarum possit ius habere; vndè electus per duas electiones, tenetur vnam illarum acceptare, & alteram respuere; immò, eò ipso, quo vnam eligit, censetur alteri renunciare: ideòq; vbi electus, vnam elegit, in casu oppositionis non poteit ad aliam redire, vt *ibid.* notat *Gloss. in fin. cas.*

Religiosus electus ad Prælaturam, extrà suum Ordinem, an possit, non obtenta priùs licentia sui Superioris, tali electioni consentire; & quid si de facto consentiat? Qu. 13.

1 Respódeo negatiuè; quia Religiosus non est sui iuris, nec habet arbitrium, sed suum velle, & nolle subijcitur voluntati Prælati, vt pluriès dictum est; quamobrèm, si consentiat, non obtenta priùs licentia legitimi Superioris, consensus est irritus, & nullus, & eius ius forsitan quæsitum, amittitur; prout expresse deciditur in *cap. si Religiosus 27. de elect. in 6.*

2 Proinde, Regulares, etiam immediatè à Domino Papa, in Episcopatum electi, non consentiunt, quin priùs à P. Reuerendissimo Generali, qui clauem Ordinis tenet, acceptandi licentiam habeant: etenim per Episcopatum auocatur Religiosus ab ipsa Religione, non sine eius iactura, vt praxis ipsa docet.

3 Dixi, non consentiunt, quin, &c. Non autem dixi, quòd non possunt consentire; quia licentia hæc, de qua est sermo, non est ipsi Regulari assumpto simplicitèr necessaria ad consequendum Episcopatum, à Papa sibi collatum; nam eo ipso, q aliquis Religiosus est à Papa in Episcopatū electus, vel confirmatus, aut consecratus, est exemptus à iurisdictione suorum Prælatorū, per ea multa iura, quæ allegat *Nauar. in consil. 6. num. 3. de testam.* etenim eò, quòd Papa confert Monacho Episcopatum, sciens esse Monachum, & inhabilem ad acceptandum beneficium, sine licentia sui Superioris, censetur dispensare, *Rodr. tom. 1. q. 38. ar. 5. & tom. 2. q. 58. ar. 1.* sed est voluntaria; quia Regulares assumpti, hoc faciunt ad ostendendum humilitatem Religiosā, & nè desinant participare suffragia sui Ordinis, prout latè ex multis ostendit *Peyr. in formul. Pral. tit. G. cap. 6. nu. 1. & 2. fol. mihi 631.*

Electus per potentiam Potestatis sæcularis, si tali electioni consentiat, in quas pænas incurrit? Quæst. 14.

1 Et dico, quòd efficitur ineligibilis, ipso iure, & electio est nulla, & eligentes à beneficijs per triennium suspenduntur, & sunt priuati potestate eligendi, vt expresse habetur in *cap. quisquis 43. de elect.* Quando autem electio dicitur fieri per potentiā Potestatis sæcularis, vide *tex. in cap. cùm terra 13. & cap. Vuinton. 25. eod. tit. de elect.* vbi *Gloss.* & *DD.*

Electus, & confirmatus in Ordine Prædicatorum, qui tamen noluit Prælaturam, & confirmationem acceptare, an in rigore possit dici confirmatus, adeò, vt per talē confirmationē, eius Ecclesia desinat esse vidua? Qu. 15.

1 Negatiuè dic; quia vinculum spirituale non contrahitur inter eligentes, nomine Ecclesiæ, & electum, seù inter confirmatorem, & confirmatum: nisi per liberum consensum vtriusq; nempè confirmantis, & confirmati, *cap. inter Canonicos 21. de elect. & cap. quàm sit, eod. tit. in 6.*

2 At, in

2 At, in casu posito, confirmatus non acceptauit; immò renuit; ergò propriè, & verè non potest dici Prælatus, & sponsus Ecclesiæ, ad quam fuit electus: nisi largè, & impropriè, cùm desit ei vnum de substantialibus requisitis, vt constat ex decisis, eò fortiùs in Ordine nostro, quia electus vnanimitèr, & confirmatus quomodòcunq; nullum ius acquirit ad Prælaturam Regularem; nisi liberè consentiat, vt habetur in *declarat. ad tex. 3. cap. 2. de elect. Prioris Conuentualis, pag. 111. col. 3. & pag. 112. col. 1.* quamobrèm confirmatio apud Nos, nisi acceptetur, non aufert vacantiam Prioratus, sed eadem vacantia adhùc perseuerat; vndè ius eligendi iterùm reuertitur ad primos Electores, qui sine fraude fecerunt, quod in se erat, eligendo capacem, infrà legitima tēpora, *Castell. c. 14. n. 66. de elect.*

Electus, per sui electionem an quærat sibi aliquod ius? Quæst. 16.

1 DE Iure Canonico certum est, quòd electus per electionem acquirit ius ad rem, sed non in re, hoc est, acquirit ius ad Prælaturam, ad quam est electus, sed antè confirmationem non habet exercitium administrationis; electio enim dat ius in habitu, & confirmatio in actu, seù dat exercitium administrationis, vt constat ex *cap. nosti 9. de elect.* vbi *Glos. in ver. confirmata*, ait, quòd per confirmationem acquirit electus plenam administrationem, & *cap. qualitèr, & cap. auaritiæ 5. in 6. eod. tit.* ibi, *si quod ius per electionem quæsitum est*, adiuncta *Glos. in princip.* vbi plura ad hoc allegat iura.

2 Hinc, *Hostiens. in cap. quia propter, n. 66. de elect.* & alij plures, quos citat *Megal. in prompt. ver. elect. nu. 51. vers. nec ex tali*, dicunt, quòd electus absq; vllo vitio ambitionis, potest agere, & officium Iudicis implorare pro confirmatione, quando dilataretur, quia cùm sit electus, & naturalitèr perfecta sit eius electio per consensum maioris partis Eligentium, potest ipse electioni liberè consentire, vt probat *tex. in c. cū inter Canonicos, de elect.* & cùm per consensum Eligentium, & Electi, quasi coniugale vinculum sit contractum, vt habetur in *d. cap. cùm inter*, potest ipse ad id agere, quod sibi per tale vinculum debetur; exindè inferunt, quòd sola electio facit Prælaturam, & quærit ius electo, & per confirmationem nihil noui iuris quæritur, sed solùm exercitium iuris, per electionem quæsiti.

3 An hoc habeat locum in Collegijs Religiosorum, cùm hi sint incapaces iuris quærendi, ob votum Paupertatis, quo vetantur, aliquid, vt proprium possidere: obseruanda sunt propria statuta à Sācta Sede approbata, an id admittant?

4 Certum est, quòd in Familia Dominicana non procedit, vt constat ex *tex. 3. cap. 2. de elect. Prior. Conuent. pag. 111. col. 3. lit. L.* vbi dicitur, quòd ille, qui est Canonicè electus in Priorem alicuius Conuentus nostri Ordinis, non potest statim, pronunciata electione, cedere iuri suo: tùm quia, talitèr electus in Ordine nostro, ex tali electione nihil iuris acquirit: tùm etiam, quia, etsi ab omnibus eligatur, in potestate Prælati erit, eum confirmare, vel non confirmare, vt dicitur in eodem *tex.* & quamuis eum non confirmet, non tamē restat tali electo locus appellandi, vel aliqua causa prosequendi, siuè aliquid in foro contentioso repetendi, quia scilicèt, per electionem ad Prioratum ius nullum acquisiuit, *ibid. col. 4. ver. 3.*

5 Nec obstat dicere, quòd coniugale vinculum consurgit ex mutuo libero consensu, quia Religiosus non habet velle, aut nolle, sed tantùm tenetur Prælato obedire, secus veniret contra vota.

Electus; an valeat Procuratorem constituere ad confirmationem petendam, vel defendendam suam electionem, in casu oppositionis? Quæst. 17.

1 AFfirmatiuè deciditur in *cap. cupientes, §. si verò, de elect. in 6.* qui quidèm Procurator potest esse de numero Eligentiū, si ei ità visum fuerit, vt colligitur ex eodem *cap.* & ità in facti contingentia fuisse practicatum in Ordine Minimorū testatur *Peyr. in suo form. lit. E. c. 18. col. 2. nu. 1.* an autem procedat in Ordine nostro, ex quo *ibi* electi nullum ius per electionem acquirunt, vt dictū est suprà; & dico, quòd sic; tùm quia, non solùm electus non potest confirmationem petere, vt dictum est; verùm etiam, ipsi Electores, etiam per se soli, absq; interuentu electi, vt docet *Glos. in cap. quàm sit, ver. petere, de elect. in 6.* sed Electores in Ordine nostro non vetantur hoc facere, ergò; nàm expressa nocent, non expressa, non nocent, *de Regul. in 6.* eò magis, quia in pœnalibus, non fit extensio; tùm etiam, quia etiam ipsemet Electus potest instituere Procuratorem, non ad defendendū ius sibi per electionem quæsitum; quia esset litigare de subiecto non supponente; sed ad informandum Dominum Papam de toto electionis negotio, vt habetur in

d.cap.cupientes, §.si verò,de elect.in 6. tùm item,quia recursus ad Sanctam Sedem,nec etiam Regularibus censetur vetitus; cùm appellatio ad Superiores sit species defensionis,quæ cunctis debetur de iure naturæ, *Rodr.tom.1.q.29.ar.2.*

2 Sed aduerte, quòd cùm hi Procuratores debeant in iudicio comparere, & non admittantur: nisi sint publicis instrumentis roborati, *cap.1. de Proc. constituendis*; sint per publicum contractum, rogatum manu publici Notarij, vt iuris, & moris est,sub infrascripta forma verborū constituendi;& quamuis Prælati nostri Ordinis in causis Religiosorum possint creare Notarios Religiosos, qui sint inter nos eiusdem valoris, & fidei, sicut Notarij sæculares, iuxtà priuilegium nobis concessum à *Pio V.* quod refert *Rodr. tom.3. quæst.8. art.1.*

3 Verùm, ad tollendos scrupulos, & quia subscriptio constituentis potest esse non nota, & faciliter falsificari; melius, & tutius erit, hac in parte vti Notario sæculari.

Forma constituendi Procuratorem ad petendam confirmationem, vel defendendam electionem.

4 IN *nomine Domini, &c. F.N. Ordinis Prædicatorum, per hanc Procurationis Epistolam cunctis pateat, & sit notum; qualitèr ego P.N. de N. Ordinis Prædicatorum, non valens ad infrascripta vacare, & personalitèr interesse in Ciuitate Rom. meis vrgentioribus occupatus negotijs, confisus ab experto, de fide, prudentia, & integritate N. de N. ipsum quidèm N.licèt absentem,tanquā præsentem, spontè, & omni meliori via, facio, & consti tuo meum verum,charum,legitimum, & indubitatum Procuratorem, ad Procuratorio nomine, & pro mei, & Monasterij parte comparendum in Sancta Sede, & in Curia Romana, & coràm quocunq; Iudice,Officiali, & legitimo Superiore, in omni Curia,Loco, & foro, mihi permisso,pro omnibus, & quibuscunq; meis litibus, & quæstionibus, & dicti Monasterij, ac quæstionibus, & causis actiuis, passiuis,ciuilibus,criminalibus, & mixtis, motis, & mouendis; tàm pro, quàm contra,ibiq; iura mei prædicti constituentis, & dicti Monasterij defendendum, & allegandum, scripturas quaslibèt, tàm publicas, quàm priuatas præsentandum, & præcipuè, ad defendendum electionem ad mei beneficium factam, &c. & informandum Sanctam Sedem super toto negotio dictæ electionis, &c.testes examinari petendum, memorialia nomine mei, & dicti Monasterij porrigendum, &c. & omnia alia necessaria, & opportuna in prædictis, & prædicto negotio, & circa singula, & omnia faciendum, quæ facere possem egomet prædictus constituens, si præsens, & personalitèr adessem, vsq; ad finem litis, & sententiæ executionem; constituens, &c. dans, & concedens, &c. d.N. meo Procuratori plenam, & omnimodam potestatem, prædicta omnia liberè faciendi, & exequendi, cum potestate substituendi vnum, vel plures Procuratores loco sui, cum simili, vel limitata potestate, &c. pro quo promitto de rato, & proindè iuro, tacto pectore, more Religiosorum, rogans te infrascriptum Notarium, vt hanc meam Procurationem per Epistolam, tua manu scriptam, mea, & infrascriptorum Iudicis, & testium subscriptam, tuo signo robores, & ego N.Notarius N. præsentem feci de ordine, & voluntate supradicti constituentis, & in fidem, hic meo solito sigillo signaui, requisitus, &c.locus sigilli; Ego N.Notarius, &c. Ego F.N. constituo, vt suprà, Ego N. fui testis, & præsens in constitutione dicti Procuratoris, Ego N.Iudex, &c.*

Electus legitimè, si appellauit à Confirmatore, eo,quòd ipsum noluit confirmare: an tali appellatione pendente, ritè possit ab eodem confirmari? Quæst. 18.

1 PORtellus *in dub.ver.appellare, nu.8.* dicit, quòd sic; non obstante, quòd appellatio ligat manus Iudicis appellati, & prohibet ampliùs procedere: & ratio esse potest; tùm quia, appellatio introducta est à iure in beneficium ipsius appellantis, sed vnusquisq; potest cedere iuri suo, & beneficio; tùm etiam, quia hoc non est contrà finem, & intentionem appellantis; immò correspondet suo desiderio; tùm item, quia licèt appellatio suspendat iurisdictionem Iudicis; à quo appellatur, non tamen quòad tendentiam in faciliorem exitum causæ, vt notant *DD. in tit. de appellat.*

2 Hanc tamen responsionem *Castell. cap.16. de elect. nu.19.* limitat, non procedere in casu, quo appellatum sit ad Sāctam Sedem, secus ad alium Superiorem Iudicem; quod verum existimo, si causa non fuit introducta, nàm per introductionem causæ, cessat omninò iurisdictio Iudicis appellati.

Electus, si antè confirmationem, suæ administrationi se ingerat; an sit ab ea repellendus, & priuetur iure quæsito? Quæst. 19.

1 QVòd Electus, quantumcunq; solemnitèr, & vnanimitèr non habeat administrationem in Ecclesia, in qua electus est: nisi post confirmationem, à legitimo Superiore sibi factam, habetur clarè in *cap. nosti 9. de elect.* adiuncta *Glos.* vbi in *casu* ait, *nota, quòd nullus electus antè suam confirmationem potest aliquid administrare; quod si fecerit, hoc ipso repellatur*, prout habetur in *d. cap. nosti, & in cap. qualitèr 17. eod. tit.* ibi, *quoniam electus à vobis antè confirmationem administrationi Episcopatus se immiscuit*. & in *cap. cùm iàm dudùm 18. de præbendis*, ibi, *se ingerit, & ingessit, antè confirmationē*, & magis expressè in *cap. auaritiæ 5. de elect. in 6.* ibi, *hac generali Constitutione sancimus; vt nullus de cetero, administrationem Dignitatis, ad quam electus est, priusquàm celebrata, de ipso electio confirmetur, sub Oeconomatus, vel Procurationis nomine, vel alio, de nouo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus, per se, vel per aliū, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat; omnes illos, qui secus fecerint, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes, eo ipso, priuatos.*

2 Et quamuis vinculum spirituale matrimonij contrahatur per solum consensum eligentium, & electi, vt constat ex *cap. cùm inter. de elect.* fuit tamen ità prouisum, nè aliàs de confirmatione non curarent electi, *Butr. in d. cap. nosti, nu. 6. in fin.*

3 Et quamuis sola electio faciat Prælatum, & quærat ius electo, & per confirmationem nihil noui iuris illi quæratur, sed solùm exercitium iuris, per electionem quæsiti, vt dictum est suprà.

4 Nihilominùs, antè confirmationem Ecclesia dicitur vacare, & durat prima vacatio, vsq; ad confirmationem, vt probat *tex. cap. quàm sit, de elect. in 6.* & per confirmationem vacare desinit, per *cap. 1. & 2. de translat. Prælat.* ideòq; si electus antè confirmationem moriatur in Curia; beneficium non dicitur vacare in Curia; sed attenditur prima vacatio, dato, quòd super illa electione, vel confirmatione, in Curia litigaretur, *Francus d. cap. quàm sit, de elect. in 6. num. 1.*

5 Limita tamen dicta iura, in Prælatis, qui hodie per Papam prouidentur, nàm ipsi, eò ipso, quòd per Papam pronunciati sunt, administrare possunt; quia talis pronunciatio habet vim electionis, & confirmationis, *Abbas in d. cap. nosti, nu. 4.* & colligitur ex *cap. cùm olim, de caus. possessionis, & propr.*

6 Verùm, nemo debet recipi in Prælatum, nisi habeat literas Papæ, non quia, vt ait ipse, literæ sint de substantia Prælaturæ, cùm ad illam consequendam sufficiat voluntas Papæ; vt refert *Bald. in l. humanum, C. de legib.* sed quia literæ sunt de substantia probationis, ità, vt sine illis nemo sit in Prælatum recipiendus, etiam si per testes probet, quòd D. Papa pronunciauit illum in Prælatum.

7 Secundò, limita quòad Generales nostræ Religionis, & aliarum participantium Priuilegia, Ordini nostro indulta; nàm ipsi, eo ipso, quòd sunt electi, habent plenam, liberam, & omnimodam curam, & administrationem omnium rerum, & personarum suæ Religionis, vt constat ex nostris *Constit. cap. 5. de elect. Magistri, tex. 5.* & *ibid.* declaratur sub *lit. T. pag. 132. col. 2.* & liquet in nostro *Mari Magno*, vbi à *Sixto IV.* confirmatur Priuilegium, nobis concessum à *Gregor. 9.* ibi, *tu fili Magister, & prædecessores tui, iuxtà eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactènus, ac à Sede Apostolica toleratam; statim postquàm electi, secundùm prædictis Constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, Magisterij officium pienè, ac liberè in omnibus exercentes, ijdemq; Fratres vobis deuotè, ac humilitèr obedierint, & intenderint reuerentèr*: hæc *ibi lit. F. pag. 149. in Bull. Vsusmaris.*

8 Quod itèm nobis concessit *Innoc. IV.* per speciale *Diploma*, quod per extensum habetur in eodem *Bull. pag. 14.* quod paritèr in specie fuit cōcessum à *Paul. III.* & *Iul. III.* Societati Iesu, vt est vid:re in eorū *Comp. ver. Generalis, §. 1.* de quibus latè *Rodr. tom. 2. q. 52. ar. 2.* & *Miranda* in suo *Manual. Prælat. tom. 2. q. 23. ar. 32. concl. 3.*

9 Tertiò, limita in casu, quo ille, qui habet potestatem confirmandi, facit actum, qui confirmationis vim habet: vtputà; quia locum in Choro, vel Capitulo assignauit, vel inuestituram illi fecit, *Abbas in cap. transmissam, num. 3. de elect. ibid. Hostiens. num. 8.* & *Cucchus in Institut. maior. titul. 4. num. 11.*

10 Quartò, limita in illis Prælaturis, in quibus, ex cōsuetudine rationabili, & legitimè præscripta, introductum est, vt electus sine confirmatione habeat administrationem, cum enim talis consuetudo, à iure admissa sit, ità vt iuri positiuo præiudicium afferat, *cap. fin. de consuetud.* non est dubitandum, in tali casu posse electum sine confirmatione ministrare, nàm consuetudo, vt cōstat ex decisis, dat ius, & priuilegium,

uilegium, *Megal.* in suo *promp. ver. elect. num.59. ver. limit.5.*

Electus, & confirmatus, si deindè in excommunicationem incidat, an sit, ipso facto, sua dignitate priuatus? Quaest.20.

DIxi *tract. praecedent. suprà, q.11.*

Electus, si è vita decedat, vel renunciet, aut ob eius occultum vitium electio irritetur: ad quos nàm spectat noua electio? Quaest.21.

1 ET quidèm, spectare ad primos Electores, deciditur in *cap. si electio 26. de elect. in 6.* vbi habentur haec verba praecisa, *si electio, ex eo non sortitur effectum; quia electus consentire recusat, vel post consensum renunciat iuri suo, aut fortè diem claudit extremum, seù propter occultum eius vitium irritatur; Electores (qui iàm fecerant, quod spectabat ad ipsos, infrà iuris terminos eligendo) habebunt, à dissensu, renunciatione, morte, vel irritatione praedictis, ac si vacatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam: dummodò nil fraudulentèr egerint in praemissis*; Vt si v.g. Electores in fine trium mensium, quod est tempus sibi à iure praefixum ad eligendum, *cap. nè pro defectu, de elect. & cap.2. de conecess. praeb.* dicant, *eligamus talem*, qui dissentiet, & sic à die dissensus adhùc habebimus tres alios menses, vt notat *ibi Glos. in ver. fraudulentèr*: nequeunt vti dispositione praedicta, & ratio esse potest, quia nemo est, sine propria culpa, suo iure priuandus, *cap. satis peruersum, distin.56. cap. iuuentum 16. q. vlt. & cap.1. de re iud.* ergò quotiès electio erit irrita, & non sortietur effectū suum, vtpotè confirmationem, absq; culpa Eligentium, spectabit de nouo ad primos Electores, qui in culpa non sunt.

2 Verùm tamen aduerte, quòd electio facta ab aliquo compromissario, si non sortiatur effectum suum, ob dissensum, mortem, vel vitium electi, non ampliùs reuertitur ad ipsum compromissarium, sed ad primos compromittentes, prout expressè deciditur in *cap. si compromissarius 37. de elect. in 6.* ibi, *siuè etiam ignorantèr (cùm suo sit functus officio) eligendi potestas liberè reuertitur ad eosdem*, supple, primò compromittentes, quod etiam habetur in *cap. post translationem, de renunciatione*, vbi non valuit electio, vel postulatio facta per compromissarium, & nihilominùs D. Papa mādat, quòd compromittentes eligant, quod dictum *Glos. in ver. consentire*, limitat; dummodò aliud non appareat in mandato; nàm si ei facta sit potestas eligendi bis, ter, totiès, & quotiès, opus fuerit; electio reuertitur ad ipsum compromissarium, non autem ad ipsos compromittentes, quibus imputandum est, de tali potestate tradita. Si tandèm hi, ad quos spectat, nollent infrà tempus praefixum, ad electionem procedere, ius prouidendi deuoluitur ad Superiorem immediatè, iuxtà *cap. nè pro defectu 41. de elect.*

Electus, & confirmatus, vbi acceptauit, quanto tempore debet, in sua Praelatura administrare? Q.22.

1 HAc in parte sunt obseruanda Statuta Ordinum, & praecisè approbata à Sancta Sede; In Ordine verò Praedicatorum debet attēdi *Constit. Iulij 2.* edita super temporalitate Priorum Prouincialium, Conuentualium, & Priorissarū, quam per extensum ponit *Vsusmaris* in nostro *Bullario, pag.* mihi 170. & est tenoris sequentis.

Iulius Episcopus, seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam: sub Religionis Iugo Domino famulantes libētèr prosequimur, fauore gratiae specialis, & ad ea, per quae eorum quieti consulitur, & ambitioni via praecluditur, diligentèr intendimus, & in his nostri Pastoralis officij partes fauorabilitèr impartimur, prout in Domino conspicimus salubritèr expedire.

Sanè exponente nobis Venerabili Fratre nostro, Oliuerio Episcopo Hostiensi, ac Protectore Ordinis Praedicatorum, percepimus, quòd perpetuitas, seù diuturnitas in officijs dicti Ordinis, multa detrimenta, ac etiam contentiones inter ipsius Professores saepiùs afferre cōsueuit, ac per eundem Oliuerium Episcopum, nobis humilitèr supplicato, quòd tàm Priores Prouinciales, & Conuentuales eiusdem Ordinis, quàm Priorissae Monialium Sancti Augustini, sub cura praefati Ordinis, vltrà certum tempus, in suis perseuerare officijs non possint, perpetuo statuere, & ordinare, aliasq; in praemissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui singulorum, praesertim Religiosorum quieti, & paci, quantum cum Deo possumus libentèr consulimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd in praedicto Ordine Priores Prouinciales, vltrà quadriennium, Conuentuales

les verò, & præfatæ Priorissæ, vltrà biennium, in huiusmodi non possint perseuerare officijs; sed his elapsis temporibus, ipso facto, absq; alia absolutione sint à præfatis officijs absoluti: nec qui Prior Prouincialis fuit, possit infrà octo annos, eius absolutionem immediatè sequentes, eiusdem Prouinciæ esse Prior Prouincialis; nec qui Prior Conuentualis fuit, possit infrà quadriennium immediatè sequens, eiusdem Conuentus esse Prior Conuentualis; & similitèr, quæ Priorissa fuit, infrà etiam quadriēnium immediatè subsequens, nō possit eiusdem Monasterij esse Priorissa; nisi in Monasterijs nouis, aut nouitèr reformatis, ad quorum Regimen aliūdè Moniales, aut vocatæ, adductæq; fuerint: in his enim post annos viginti, post institutionem, aut reformationem volumus, posse diutiùs Priorissas durare, & citiùs reassumi, prout antè præsentium literarum emanationem fieri poterat.

Verùm, nè Capitula Generalia, aut Prouincialia, opportunis contingat carere suffragijs, sacrisq; temporibus, Fratres ipsius Ordinis discurrere, eadem auctoritate volumus, & declaramus, quòd si quadriennium alicuius Prioris Prouincialis finiri contingat, Ordine non habente Magistrum Generalem, aut incboato anno celebrandi Capitulum Generale, in quo secundùm præfati Ordinis Constitutiones, Priores Prouinciales debent diffinire, extensum intelligatur in vtroq; casu, illius quadriennium, vsq; ad Capitulum Generale completum, in quo Generalis Magister electus erit, vel in quo diffinire debent.

Similitèr, si alicuius Prioris Conuentualis biennium contingerit compleri, Prouinciæ carente Priore Prouinciali, aut infrà Septuagesimam, & Pascha, biennium illius, in primo casu, vsq; ad electionem Prouincialis, seù Capitulū Prouinciale cōpletum, in quo Prouincialis electus fuerit, in secundo verò casu, vsq; ad completum Prouinciale Capitulum, si infrà tempus Paschale illius anni celebrandum fuerit, alioquin vsq; ad Resurrectionis Dominicæ octauas inclusiuè, intelligatur extensum.

At præsentes verò Priores Prouinciales, qui quadriennium in Prouincialatus officio peregerunt, aut antè proximum celebrandum Capitulum Generale, sed interim dispositioni Superiorum suorum, ac si præsentes litteræ non emanassent relinquentes.

Volumus, statim completo præfato Generali Capitulo, proximè celebrando, prædictos omnes absolutos, ipso facto, absq; alia absolutione à prædictis officijs esse, & ità tenore præsentium declaramus, ex nunc, prout ex tunc eos absolutos. Priores verò Conuentuales præsentes, qui biennium in Prioratus officio peregerunt, aut antè celebrandum Prouinciale Capitulum suæ Prouinciæ peregerint, vsq; ad Prouinciale Capitulum cōpletum, proximè celebrandum in illa Prouincia perdurare possint, sed statim, præfato Capitulo cōpleto, eos à suis officijs absoluimus, & absolutos declaramus.

Priorissæ autem præsentes Monasteriorum non nouitèr constructorum, aut reformatorum, quæ per biennium in suo officio transierunt, aut antè Festum Penthecostes, proximè futurum biennium peregerint, vsq; ad primam visitationem solemnem eiusdem Monasterij durare possint, si infrà annum à Festo Penthecostes, proximè futurum incboandum visitatio supradicta fiat: alioquin immediatè post Octauas Festiuitatis Resurrectionis Dominicæ, anno Domini 1505. eas à suis officijs absoluimus, & absolutas declaramus.

Volumus quoquè, & eadem auctoritate perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd Vicarij Generales Congregationum exemptarum à Prioribus Prouincialibus, siuè vitæ communis, siuè Regularis, non possint vltrà triennium in Vicariatus officio perdurare, sed vt triennio completo, ipso facto, sint absoluti, absq; alia absolutione, & declaratione: nec possit, qui Vicarius fuit eiusdem Congregationis, Vicarius esse infrà sex annos immediatè sequentes.

Nec intendimus propterea, Consuetudines, Statuta, aut Priuilegia quarundam Congregationum infringere, disponentia, quòd Vicarius Generalis, biennio tantùm duret; sed tenore præsentium concedimus præfatis Congregationibus, vt possint in primo Capitulo earum, si voluerint, etiam ipsa tempus Vicariatus Generalis in tertium annum perpetuò prorogare: in omnibus tamen Congregationibus seruari volumus, quòd si Vicarius Generalis biennio tantùm durare potest, infrà quadriennium immediatè subsequens, si verò per triennium, infrà sex annos immediatè sequentes, eiusdem Congregationis non possit esse Vicarius Generalis.

Per hoc autem non intendimus, potestatem adimere Superioribus ipsius Ordinis Prælatis, quin possint infrà præfata tempora Priores Prouinciales, & Conuentuales, ac Priorissas, Vicariosq; Generales absoluere ab huiusmodi officijs, sed liberam eandem, quam hactenus habuerunt auctoritatem super absolutione præfatorum eis relinquentes, super confirmatione, manutentione, & institutione eorundem restringimus, iuxtà prædicta.

Quæcunq; verò ordinauimus de Prioribus Conuentualibus, vacante Prouincialatu, à tempore Septuagesimæ ineunte, intelligendum esse volumus, etiam de Prioribus Conuentualibus subditis Vicarijs Congregationum, vacante Vicariatu, aut tempore Septuagesimæ idm ingresso; & si contra præmissa, aut præmissorum aliquid factum fuerit scientèr, vel ignoranter

rantèr post præsentium promulgationem, totum irritum, & inane illud esse, decernimus, & declaramus, quacunq; id auctoritate factum fuerit, etiam litterarum Apostolicarum, nisi in illis plena, & expressa mentio de præsenti Statuto, & dicto Ordine fiat, & aliàs id honestati Ordinis, & paci, ac quieti Fratrum expediens fuerit.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordini præfato, aut alicui Prouinciæ, Domui, Monasterio, aut Magistro Generali, vel alicui Priori Prouinciali, vel Conuentuali, aut Priorissæ, aut etiam alicui Congregationi, vel Vicario Generali cōcessis litteris Apostolicis, etiam in forma Breuis, & priuilegijs, ac constitutionibus ipsius Ordinis, quibus illa, etiamsi de eis, eorumq; totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio, seù quæuis alia expressio habenda esset, & in eis quæuis clausulæ, etiam derogatoriarum derogatoriæ fortiores, & insolitæ continerentur, præsentibus pro expressis habentes, hac vice dùmtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris (quoad præmissa) specialitèr, & expresſè derogamus, cęterisq; contrarijs quibuscunq;

Cęterùm, quia difficile foret, præsentes litteras ad singula quæquè loca, in quibus expediens fuerit originales deferri, volumus, ac dicta auctoritate decernimus, quòd earundem præsentium litterarum transumpto, manu publici Notarij subscripto, ac alicuius Prælati Ecclesiastici, aut illius Curiæ, aut demùm præfati Ordinis Generalis Magistri, sigillo munito, vbiq; stetur, & eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio, & extrà, & vbi illud fuerit exhibitum, vel ostensum, in omnibus, & per omnia, prout eisdem præsentibus staretur, & adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: nulli ergò omninò, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum: anno Incarnationis Dominicæ 1504. 6. Kalen. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

2 Nota primò, quòd prædicta *Bulla* non comprehendit Reuerendissimos Generales dicti Ordinis, sed Inferiores ab ipsis: Generales enim sunt perennes in officijs, ipsorum vita durante; volente tamen Papa, & seruatis *Constit.* Ordinis.

3 Nota secundò, quòd prædicta *Constit.* fuit in *Capitulo Generali*, Salmanticæ celebrato 1551. sub Reuerendissimo Fratre Francisco Romęo, Ordinis Magistro, reuerentèr, atq; lætantèr recepta, *Castell. cap. 5. de elect. pag.* mihi 149. *col.* 1. tùm quia, antiquitùs Priores, instar Monachorum, erant semper Priores, quod multis displicebat: tùm etiam, quia, natura duce, omne animal se ipsum diligit, & in optimo sui generis statu conseruare cupit: tùm item, quia omnia noua placent, præsertim in modo imperandi.

4 Nota tertiò, quòd prædicta *Bulla Iulij II.* non viget, nec practicatur in omni Prouincia; nàm in quibusdam Prouincijs habentur particularia priuilegia, cum clausulis, validè irritantibus, quæ debent attentè legi, & considerari, an loquantur absolutè, an verò habeant easdem exceptiones, quas habet *Bulla Iulij II.* nàm si loquantur absolutè, & indistinctè; debent intelligi, absq; vlla limitatione, vt dictum est suprà, quamobrèm, si priuilegium, quod derogat alijs *Apostolicis Constitutionibus*, absolutè dicat, *& absq; vlla exceptione imperet, quòd Prouinciales sint biennales*; mox, completo biennio, censentur absoluti, adeò, vt seruatis seruandis, absq; mora sit procedendum ad electionem noui Prouincialis.

5 Nota quartò, quòd Romæ 1629. sub vigilantissimo, ac sapientissimo Rodulfio, Ordinis Magistro, fuit statutum, iuxtà dispositionem *d. Bulla Iulij* 2. vt Prouinciales pro quiete, vtilitate, ac vniformitate totius Ordinis durent in suis officijs quadriennio, & Priores Conuentuales triēnio, exceptis Prouincijs, in quibus est speciale indultum Apostolicum, vt *ibi* est videre *ordinat.* 11.

6 Nota quintò, quòd nostra Prouincia Lombardiæ, ex speciali indulto sibi concesso à *Paulo III.* quod extendit *Castell. cap. 14. nu. 27. de elect.* habet, vt suus Prouincialis pro tempore non possit perdurare in suo officio, vltrà biennium, & quòd in principio Capituli Prouincialis secundi anni sui Regiminis, expleat Prouincialatum, & quòd remaneat Vicarius Prouinciæ, donec Prouincia habuerit præsentem nouum Prouincialem, non obstante contraria dispositione nostrarum *Constit.* vt *ibid.* melius est videre.

7 Nota sextò, quòd nostra Prouincia Calabriæ habet speciale *Diploma*, sibi indultum ab *Vrbano VIII.* 1643. quo extat sibi concessum, *vt Prouinciales, & Priores Conuentuales, de cętero in dicta Prouincia sint biennales, nō obstantibus Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum, quomodolibèt concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectū præsentium dùmtaxat, specialitèr, & expresſè derogamus, cęterisq; contrarijs quibuscunq;*

hæc

hæc ibi; vt apparet in proprio originali, typis dato, quod asseruatur in omni depósito huiusmodi Prouinciæ.

8 Nota septimò, quòd dicta *Bulla Iulij II.* exceptis, quibus fuit derogatum per dictũ *Indultum*, nobis concessum ab *Vrb.VIII.* remanet in sua viridi obseruantia, & colligitur ex illa clausula, *illis aliàs in suo robore permansuris*.

9 Nota octauò, quòd dicta nostra Prouincia Calabriæ, ab antiquo, & immemorabili memoria viuit secundùm ritum dictæ Prouinciæ Lõbardiæ; vndè obseruat, vt ipsius Prouinciales sint biennales, & quòd, elapso ipsorum biennio, à principio Capituli secundi anni sui Regiminis, sint, & remaneant Vicarij Generales totius Prouinciæ, vsq; dùm præsentem non habuerint nouum Prouincialem.

10 Verùmtamẽ, equum censeo, super hoc habere speciale mandatum à Magistro Ordinis, ob multa: Primò, quia ei resistit communis nostra *Constit. cap.3. de elect. Prioris Prouincialis, tex.1.pag.121.* Secundò, quia in *d.Bulla Iulij II.& Vrb.VIII.* de hoc nihil dicitur; vndè subintrat illa Regula, quod casus omissus in aliqua particulari constitutione, remanet in dispositione iuris communis. Tertiò, quia dictum priuilegium Prouinciæ Lombardiæ, cùm exorbitet à nostro iure communi, non potest extendi ad alias Prouincias. Quartò, quia quando priuilegium, ex parte materiæ, & obiecti habet determinatum locum, non potest extendi in alium locum, *Iason l.beneficium, nu.18.& 24.ff.de constitut.Princip. Surd.decis.274. ad fin.c.1.& 2.de priuil.in 6. Gonzalez ad Regul.8. Cancell.Glos.35.nu.17. Rota Rom.decis.663.nu.2.1.p.recent.* & multis citatis *Suarez de leg.lib.8. de lege humana fauorabili, cap.26.*

11 Nec obstat dicere, quòd in Ordine Prædicatorum datur communicatio priuilegiorum inter Prouincias eiusdem Religionis, vt quod vni Prouinciæ est concessum, extendatur etiam ad alias; quia hoc non procedit in priuilegijs exorbitantibus, & quæ rarò conceduntur, *Syl.ver.priuilegium, nu.1.& 2. Tab. Armill.& Rosella eod.ver.nu.3.* quibus fauet *Rota Romana decis.214. a.p.recent.& decis.55. nu.14. & 15. par.2. diuers.* & in vna *Valentin.* 28. Nouembris 1603. coràm Eminentiss. Cardinali Lancellotto, & in vna *Toletana* 16. Nouembris 1605. coràm Iullo, & in *Mediolanen.* 10. Aprilis 1606. coràm Reuerendiss. P.Coccino. Et colligitur ex *l.hoc modo, ff. de conditionibus, & demonstrat.* & docent indifferentèr *Canonistæ*, quòd priuilegium, quo Papa concedit, vti lacticinijs, & ouis, diebus prohibitis in Hispania, non potest extendi ad Italiam, vel Galliam; quia, scilicèt priuilegium in materia, & loco determinato non transit fines sibi præscriptos, nec potest ad alios trahi; vndè adagium est, quòd exorbitans à iure communi, non est in consequentiam trahendum: Ergò priuilegium. Lombardiæ non potest ad Calabros extendi, & vice versa Priuilegium nobis ab *Vrb.VIII.* indultum, nõ extenditur ad Siculos, & sic de singulis.

An Capitulum Prouinciale in Ordine Prædicatorum, debeat necessariò celebrari in Sabbatho Dominicæ, Deus, qui errantibus? Quæst.23.

1 Respondeo, quòd non; sed debet celebrari in illo tempore, & die assignanda; prout dicitur in *cap.3.de elect. Prioris Prouincialis, text.4.* ibi, *post Prouinciale Capitulum, si Priorem Prouincialem mori, vel amoueri contigerit, qui eius locum obtinet, teneatur conuocare quantociùs poterit Electores, & in die ad eligendum assignata, Prior Prouincialis eligatur.*

2 Idem dicitur in *lit.B.fol.123. col.1.* ergò non cogimur eligere in Sabbatho Dominicæ, *Deus, qui errantibus*, sed in die assignata: & in *cap.7.tex.4.fol.140.* dicitur, *quòd Capitula Prouincialia sint deinceps biennalia*: nec *ibid.* dicitur, quòd fiant, in aliquo determinato tẽpore: quibus additur *Decretũ* Capituli Generalis, Romæ celeb. 1629. *ord.20.* vbi dicitur, *quòd in casu mortis, vel amotionis Prioris Prouincialis teneatur Vicarius Prouincialis, &c.* ergò de iure *Constitutionum* non habetur tempus determinatum celebrandi Capitulum Prouinciale.

3 Secus autem dicendum de Capitulo Generali, quod de iure *Constit.* debet celebrari in Vigilia Pentecost. vt dicitur in *cap.5.de elect. Magistri Ordinis, tex.5.*

4 Sed, vt plurimùm, & regularitèr Capitulum Prouinciale, ob temporis opportunitatem, consueuit celebrari in dicto Sabbatho Domin. *Deus, qui errantibus*, put notat *Castell.de elect. Canon.cap.6.n.8.*

Biennium Prouincialium in eodem Ordine debet esse ecclesiasticum, seù morale, an verò secundùm Kalendarium, & Mathematicè? Quæst.24.

1 Respondeo, quòd quando Prouincialis eligitur in dicto Sabbatho præcedenti Dominicam, *Deus, qui errant.* de consuetudine prædictum biennium

clau

clauditur, & terminatur in eodem Sabbatho, præcedenti Dominicam, in quo fuit facta electio.

2 Et dicitur biennium completum moraliter, & Ecclesiasticè, sicut dicimus, Festum Paschæ currere de vna ad aliam Pascham. Quando verò biennium incipit in alio tempore: debet intelligi Mathematicè, adeò, vt qui fuit electus in die 18. Februarij anno 1645. terminet suum biennium in eadem die, de anno 1647.

3 Nec aliquod ius reperitur in contrarium, prout benè notat *Remigius Scrophan in moralibus, q.13. nu.9. fol.*109. & ad hoc facit *declar.6.* Valentiæ 1647.

Biennium officij Prouincialatus, quod terminat post Septuagesimam: an prorogetur, vsq; ad Sabbathum præcedentem dictam Dominicam, Deus, qui errantibus? Quæst.25.

1 ET dico, quòd nullibi legitur, nulloq; iure cauetur, quòd si Prouincialis terminet bieniû sui Prouincialatus post Septuagesimam; quòd eius biennium protrahatur vsq; ad *Deus, qui errantibus, &c.*

2 Nec *Bulla Iulij II.* loquitur absolutè; sed in duobus casibus respectu Prouincialium: nempè, quando Ordo caret Magistro Generali, & quando inchoatus est annus celebrandi Capitulum Generale, in quo Prouinciales habeant diffinire; prout ex *Bulla* prædicta, quam habes hìc suprà, apparet: non nego, quòd ad euitandum discursum Religiosorum, forrassis habendum in sacris temporibus, bonum erit consulere Magistrum Ordinis, vt dignetur illud prorogare, vsquè ad octauam Dominicæ Resurrectionis, vt cum maiori commodo PP. Prouinciæ possint, & valeant illud adire.

Completo biennio Prouincialatus quisnam remanet Vicarius Generalis Prouinciæ, & noua electionis? Quæst.26.

1 DE Iure *Constitut.* mortuo, vel amoto Priori Prouinciali, Prior illius loci, in quo est celebrandum primum Capitulum Prouinciale, vices eius in omnibus tenebit: prout expresse habetur *de elect. Prioris Prouincialis, cap.3. tex.1. fol.121. col.1.*

Et idem Prior erit Vicarius electionis, prout dicitur in *cap.7. de Capit. Prouinciali, tex.2. in med. fol.139. col.3.* & durat vsq; ad confirmationem electi.

2 Et nota, quòd ly *amoto* intelligitur, nedùm quando absoluitur, sed etiam quando terminat officium: quia sic amouetur à Pontifice, vt patet ex *d. Bulla Iulij II.* vel ex alio Priuilegio præscribente tempus Dignitatum: *ibi*, sed his elapsis temporibus, ipso facto, absq; alia absolutione sint à præfatis officijs absoluti; & sic Prouincialis per terminationem officij remouetur à Prouincialatu.

3 Nec in prædicta *Bulla Iulij II.* habetur, quòd Prouincialis præteritus debeat esse Vicarius electionis, vel Prouinciæ, vsq; ad confirmationem electi Prouincialis, quod est mente tenendum; quia sunt, qui sibi vsurpant iurisdictionem non debitam: vndè peccant mortaliter, & faciunt electionem vitiosam.

4 Nec obstat illa *declarat. tex.4. cap.7. de Capitulo Prouinciali* præcit. *in lit. C. ver. item declaramus, fol.140. col.4.* vbi de loco seruando inter Vicarios Generales, & Particulares dicitur, *quartus est Vicarius Prouinciæ, videlicet Prior Prouincialis, vel præteritus antè confirmationem Prouincialis, nouitèr electi, vel nouus electus antè sui confirmationem, iuxtà priuilegia, & consuetudines diuersarum Prouinciarum*; hæc *ibi*.

5 Quia hæc declaratio præsupponit priuilegium, ergò vbi non adest priuilegiû, debet obseruari ius commune nostrarum *Constitutionum*: nempè, vt Vicarius electionis, vel Prouinciæ sit Prior illius Monasterij, in quo primum Capitulum Prouinciale celebrandum erit: Et aduerte, quòd hoc ius commune non potest tolli per consuetudinem; nisi sit legitimè præscripta, & legalis, vt dictum est in *tract. de priuil.* secus erit corruptela, & abusus.

Quinàm Priores, & Socij debent interesse, & votare in electione Prouincialis? Quæst.27.

1 REspondeo, quòd illi dùmtaxat Priores, & Socij debent admitti ad electionem Prioris Prouincialis, quorum Conuentus, ad minus, alunt, & habent duodecim Fratres, quorû decem necessariò debēt esse Clerici, cû eorû Doctore, seu Lectore; prout expressè sancitur in *tex.2. c.1. de domibus concedendis, fol.95.* quod fuit sæpè confirmatum, & indictum *ibid. lit.C.*

2 Et aduerte, quòd Socij debent admitti; dummodò fuerint electi; prout dictum est *tract.5. de eligendis, q.44.*

Exa-

Examinatores scrutiniorum Patrum Vocalium, electorum pro Prouinciali Capitulo, quonàm modo sunt instituendi? Qu. 28.

1 Respondeo, quòd debent eligi, eo modo, quo eliguntur Diffinitores; at debent eligi à Patribus Prouinciæ tantùm. Nota ly *tantùm*; & debent proponi à Prouinciali, seù à P. Vicario Prouinciæ, de consensu, & consilio Patrum Prouinciæ; sed electio spectat ad Patres Prouinciæ, igitur debent eligi: in hac aūt Prouincia Calabriæ huiusmodi Examinatores non eliguntur per Nationes, etsi eligantur duo ex Calabria Citrà, & duo ex Calabria Vltrà: nàm eligi per Nationes, est eligi diuisim, & separatim; *Festus 2.p.cap.21.de Diffinit.fol.* mihi 271.

2 Secus facientes, debent priuari voce actiua, & passiua, & eorum acta non valent: prout expressè declaratur in *text.3. cap.5. de elect. Diffinit. fol.134.col.2. ver. item declaramus*, vbi excluditur omnis consuetudo, vt *ibidem*.

3 Proindè, electio Prouincialis aliter facta, aut est nulla, aut venit annullanda.

4 Nota, quòd quando Examinatores prædicti eliguntur per Nationes, in vna Natione proponuntur à Patre Prouinciali, & in alijs Nationibus proponūtur ab alijs Patribus antiquioribus illius Nationis: & sic Propositura diuiditur, & partitur, vtputà, quando Prouincialis est vnius Nationis, ad eum spectat proponere Examinatores scrutiniorum pro parte huius Prouinciæ, & alij eligēdi pro tata aliarum Nationum debent proponi à Magistris antiquioribus illius Prouinciæ, sed electio spectat ad solos Patres Magistros, seù Patres Prouinciæ, vt dicitur *ibid.*

5 Nota etiam, quòd tunc Diffinitores eliguntur per Nationes, quando Vocales diuiduntur in quatuor partes, & quæuis pars eligit vnum suum: ità fit quoad Examinatores, *Festus* cit. *loc. fol.271. ver. ex hac.*

Diffinitores Capituli Prouincialis in dicto Ordine Prædicatorum, à quibus sunt eligendi, quo modo, & in qua die? Quæst. 29.

1 Diffinitores Capituli Prouincialis debent eligi à Prouinciali Capitulo per vota secreta; prout eliguntur Priores: quorum electio, licèt non sit Canonica, fit tamen modo Canonico, prout habetur in *distin.2.de elect.Diffinit.Capit.Generalis, & Prouincialis, cap.5. tex.1. in med. fol.133. col.3.*

2 Prædicti autem Diffinitores debent eligi in die proximo, præcedente diem assignationis Capituli Prouincialis; prout expressè sancitum reperitur in *text.3.d.cap. fol.134.* & *ibid.* declaratur, in *lit.B.* quòd priùs debent eligi prædicti Diffinitores, & postmodùm in secunda die assignata, debet eligi Prouincialis, *col.4.* quo fit, vt Capitulum Prouinciale nequeat celebrari, quin priùs Diffinitores fuerint electi: prout dicitur expressè in *text.2.cap.7.de Capitulo Prouinciali, in princip. fol.139.* ibi, *Prior illius loci, vbi Capitulum fuerit celebrandum, cum Diffinitoribus Capituli, in celebratione procedat eiusdem*: quia prædicti Diffinitores debent tractare omnia, & diffinire, vt dicitur *ibid. in tex.3.*

3 Isti quatuor Diffinitores debent emēdare excessum Prouincialis; vndè errat illa Prouincia, quæ facit totum oppositum, eligendo primò Prouincialem, & postmodùm Diffinitores, nec dicas, eam excusari ob consuetudinem, & antiquam praxim: quia contra legem expressam consuetudo non est, nisi corruptela, & abusus, & in *Prologo tex.1.fol.3.* declaratur, quòd omnis consuetudo contrà Constitutiones introducta, est corruptela, & debet auferri, secus Prælati debent puniri, ità *in fin.* & in *tex.8. d. Prol. fol.9. col.3. ver. item conformiter, ad ea, &c.* declaratur, non esse in potestate alicuius Prouinciæ, prætextu cuiusuis Consuetudinis, aut Priuilegij, acceptare, vel non, Statuta, & Cōstitutiones: & auctoritate Apostolica tollitur, & annullatur omnis consuetudo, & priuilegium, contrà Constitutiones introducta, & per multa iura *Castell.* ostendit, consuetudinem non posse præualere contrà Constitutiones, *cap.21.de Consuet. punc.9. fol.469.* etenim consuetudo, ad hoc, vt præiudicet, debet esse introducta pro bono fine, & cū scientia, & tolerantia eius, cui præiudicat, hoc est, Papæ.

Vicarius institutus à P. Reuerendissimo Generali in dicto Ordine, an habeat vocē in electione, cui præest, & quem locum debeat tenere? Quæst. 30.

1 Quilibet Vicarius Generalis Prouinciæ, per quemcunq; modum legitimè fuerit institutus, locum Prouincialis debet tenere: prout expressè habetur in *declarat. tex.4. cap.7. de Capitulo Prouinciali, lit.D. fol.140.*

2 Vicarij tamen Magistri Ordinis, vel Prio-

Priorum Prouincialium, si sint Vicarij, non generales, sed particulares, nempè Nationum, siuè aliquorum Conuentuum, siuè missi ad aliquam Prouinciam visitandam, debent vbiq; tenere locum suum, hoc est, suæ professionis, aut ratione Magisterij, vel Prouincialatus: nisi in Capitulo, dùm officium correctionis exercent, & illos actus exercere debent, qui expressi fuerint in litteris patentibus, *vt ibidem.*

3 Quò verò ad vocem habendam in electione aduerte, quòd debent attendi litteræ patentes, & considerari, an sit institutus à P. Generali, vel Prouinciali, cum voto, vel sine voto; nàm si Magister Ordinis, vel Capitulum Generale, aliquem Fratrem illius Prouinciæ, Vicarium instituat in eadem; iste Vicarius de Prouincia habebit votum in electione, etiam si expressum non fuerit in litteris patentibus; prout expressè habetur in *text. 6. cap. 3. de elect. Prior. Prouincialis, fol. 124. col. 4.*

4 Secus autem dicendum, de Aduena, qui nunquàm habebit votum in electione; nisi in specie fuerit in litteris expressum; quia dùm lex nostra hoc cauet pro Oriundis, implicitè negat de Aduenis, & Peregrinis, *Scropha in Moralibus, q. 15. in respon. ad 2. confirmationem primi argum. pag.* mihi 110. *num.* 10.

5 Quibus additur, quòd locus Campanelli, & dicere *Orationem fidelium*, spectat ad Dignitatem, & non ad Officium, vt sepè exprimitur in dictis *Constit.* & præcipuè in *cap. 13. de Itinerant. dist. 2. fol. 169. col. 1.* & quòad *fidelium* habetur in *cap. 1. tex. 1. litt. I. fol. 16. col. 3. de Off. Eccl. dist. 1.*

SVMMA QVAESTIONVM,

Tract. VII. De Confirmatione Electionis.

Confirmatio quid, & quotuplex sit? Qu. 1.
Confirmatio, an sit necessaria in omni electione, & à quo facienda? Quæst. 2.
Confirmatio infrà quod tēpus debet fieri? Q. 3.
Confirmatio, an habeat certam, & determinatam formam? Q. 4.
Confirmator antè quàm veniat ad actum confirmationis, quot, & qualia debet aduertere? Quæst. 5.
Si confirmatio fiat absq; causæ cognitione, an sit, ipso iure nulla? Q. 6.
Cōfirmator, an licitè possit, in aliquo casu indignum confirmare? Qu. 7.
Confirmator, an valeat licitè confirmare dignum, prætermisso digniore? Qu. 8.
Confirmator, an illius electionem debeat confirmare, qui, apud bonos viros reperitur accusatus de aliquo graui delicto? Q. 9.
Confirmator, quem nàm debet confirmare, si duo sint Prouinciales, simul electi, in eadem Prouincia? Q. 10.
Confirmator, an licitè possit confirmare electionem factam per abusum Potestatis Laicalis? Q. 11.
Electio, quæ non fuit ritè, & legitimè facta, an possit validè confirmari? Q. 12.
Confirmator, an possit supplere defectus electionis? Q. 13.
Confirmator si casset electionem alicuius digni, electi in Prouincialem, & nouam electionem faciat, in personam alterius, eiq; possessionem tradat, ac primò electus, vt grauatus, ad Superiorem appellet, & ab eo obtineat fauorabilem sententiam, nempè, suam electionem fuisse Canonicam: ideòq; malè fuisse cassatam, quis nàm ex his erit in Prouincialatu sustinendus? Q. 14.
Electus huiusmodi, qui ob dictam electionem, sibi cassatam, ad Superiorem appellauit, habebit nè expensas à Monasterio? Q. 15.
Confirmatori iniustè nolenti electionem confirmare, an licitum sit, pecuniam dare, ad hoc, vt à tali vexatione desistat, & electum confirmet? Q. 16.
Confirmatus, & in possessionem immissus, an possit sua Prælaturæ renunciare, & si post renunciationem pœniteat; an sit restituendus? Quæst. 17.
An Vicarius Generalis possit hanc renunciationem admittere, & de alio prouidere? Quæst. 18.

DE

DE CONFIRMATIONE Electionis. Tract. VII.

Confirmatio quid, & quotuplex sit? Quaest. 1.

1 DE hac re latè dixi *t. p. praxis, tract. de Confirmatione priuil. q. 1. & 2.* vbi quæsitum est, quid sit confirmatio facta in forma communi, & quid ex certa sciẽtia, & inter hanc, & illam quid intersit; & quid, si fiat cum illa clausula, *supplentes omnes, & singulos defectus; ac iuris, & facti solemnitatem*: de qua clausula vide, quæ dico in *tract. 9. claus. 10.*

Confirmatio, an sit necessaria in omni electione, & à quo facienda? Q. 2.

1 STIu. Peritissimus V. I. D. Dominicanus, in *sum. ver. confirmatio humana. quaest. 1. num. 2.* dicit, quòd sic, de iure tamen commmuni, vt constat ex allegatis iuribus, & habetur expressè in *cap. auaritiæ 5. de elect. in 6.* vbi electus, si antè confirmationem, se ingerat administrationi, repellendus est ab ea, & priuatur iure quæsito.

2 Verùm *ibi* ponit quatuor fallentias; Primò in Papa, qui, eo ipso, quo eligitur, confirmatur, per *cap. in nomine, dist. 24.* Secundò, quando sic administranti parcitur, *cap. nosti, de elect.* Tertiò, quando Abbatissa, electa à maiori parte, non tamen à duabus partibus, impugnatur, nè confirmetur; quia interim potest administrare, per *cap. indemnitatibus, §. si verò, de elect.* Quartò, quando confirmatio petenda est à Papa, & electus est valdè remotus, scilicèt, vltrà Italiam; quia tunc antè confirmationem administrare potest, in temporalibus, & in spiritualibus, excepto, quòd nullam alienationem potest facere, vt habetur in *cap. nihil, de elect.* quod verum intelligit, quando non est in mora petendæ confirmationis, aliàs habebit locum pœna *d. cap. auaritiæ*; & quod dicitur de Vltramontanis, etiam de Citramontanis intelligendum est; quãdo scilicèt, Curia est extra Montes, *Syl. cit. loc.* qui *ibid. quaest. 3.* subdit, quòd si electus est exemptus, & subest immediatè Papæ, ab ipso Papa est petenda confirmatio, vel ab eius Legato de latere: secus autem, si habet alium Prælatũ immediatũ, & cõstat ex *cap. si Abbatem 36. de elect. in 6.*

3 Exindè colligit, quòd Prouinciales exempti in Mendicantibus, confirmari habent per Generales, & non per Papam, propter rationem dictam, quia scilicèt, non sunt illi immediati; nàm, vt præsupponitur de iure Canonico, electi debent confirmari per suum Superiorem, & Prælatum immediatum; nàm certum est, quòd Episcopus confirmat sibi Subditos, per *cap. ad Monasterium, de elect.* Archiepiscopus suos Suffraganeos, per *cap. cùm dilectus, de elect. & cap. illud, distin. 54.* Archiepiscopum non, exemptum confirmat Patriarcha, per *cap. bonæ, il 1. de elect.* Patriarcham verò confirmat Papa, *cap. Venerabilem, eod. tit.*

4 Hinc, Priores Conuentuales in Ordine Prædicatorum habent confirmari ab ipsorum Prouincialibus, quia his immediatè subsunt, siuè electi sint per modum scrutinij, siuè instituti ab eisdem alio modo, *distin. 2. cap. 2. de elect. Prioris, text. 1. pag. 110. col. 2.* vbi habentur hæc formalia verba.

Priores autem Conuentuales, supradicto modo, electi à Priore Prouinciali, si ei visum fuerit, confirmentur: idem etiam fiat, si aliquis à maiori parte illorum, ad quos pertinet electio, de alio Conuentu fuerit postulatus.

5 Priores Prouinciales in eodem Ordine cõfirmantur à Magistro Ordinis, propter eandem rationem, *dist. 2. cap. 3. de elect. Prouincialis, tex. 8. pag. 125. col. 4.* vbi hæc habentur.

Prior autem Prouincialis supradicto modo electus, poterit per Magistrum Ordinis confirmari, vel eius electio cassari, si ipsi Magistro videbitur.

6 Dixi, de iure communi, quia alitèr dicendum est de iure speciali, quandoquidèm hodiè Generales ferè omnium Religiosorum, statim vbi electi sunt, censentur confirmati per priuilegia illis concessa.

7 Vndè, absq; alia Papæ confirmatione possunt in suo Generalatu administrare, vt constat ex priuilegijs, quæ pro Generali Ordinis Minorum refert *Rodr. tom. 2. q. 52. ar. 2. & Mirand. tom. 2. Manual. Prael. q. 23. ar. 32. cõcl. 3.* & pro Generali Ordinis Prædicatorum constat ex *Mari Magno* suprà citato, & pro Generali Minimorũ cõstat ex *Mari Magno* ipsorum, quod incip. *Virtute conspicuos*, & refert per extensum *Peyr. tom. 1. priuil. constit. 2. Iul. 2. §. 1. & tom. 1. de Subdit. quaest. 1.*

quaest. 1. cap. 31. §. 11. pag. mihi 161. col. 2. ver. fallit.

8 Nec dices, quòd in Ordine Prædicatorum, vbi Magister Ordinis est electus, deducitur ad Ecclesiam, cantãdo, *Te Deum laudamus*, & quòd inthronizatur, hoc est, ponitur in Sede, ad hoc parata, illiq; sedenti, per manuum deosculationem obedientia præstatur.

9 Quia hæc non sunt de intrinsecis, ad electionem Generalatus requisitis. Sed potiùs fiunt in signum actualis possessionis, & ex quadam laudabili, & antiqua consuetudine.

10 Neq; officit dicere, quòd Romæ electione sequuta, omnes Capitulantes cum alijs Fratribus, qui illic reperiuntur, cum Generali Magistro canonicè electo processionaliter accedunt ad D. Papam; quia hoc non fit ex necessitate, sed ex quadam deuotione, & vrbanitate, vt scilicèt ipsi Papæ Generalem electum præsentent, & ab eodem benedictionem accipiant.

Confirmatio infrà quod tempus debet fieri? Quaest. 3.

1 Quòd electio de iure communi sit celebranda infrà tres menses, computandos à die carentiæ, habetur ex *cap. nè pro defectu 41. de elect.* & quod Electores electionem ipsam, quamcitius commodè poterunt, teneantur electo præsentare, & ipsum requirere, vt consentiat, vel dissentiat electioni, habetur in *cap. quàm sit 6. eod. tit. in 6.* & quod istud tempus præsentandi electionem, hodie sit redactum ad tempus octo dierum, constat ex *cap. cupientes, eod. tit. in 6.* & quòd electus habeat vnum mensem ad se deliberandum, & declarandum suum animum, constat ex *d. cap. quàm sit,* & quòd electus post consensum teneatur infrà tres menses confirmationem petere, liquet in eodem *cap. quàm sit, §. cęterùm,* de qua re latè dico *tract. 3. de tempore electionis, q. 1. & tract. 4. de Elector. q. 38. & tract. 6. de Electis, q. 3.*

2 Nunc verò additur, quòd Confirmator, ad summum tenetur infrà tres menses electionem confirmare, vt colligitur ex *d. cap. nè pro defectu*, ibi, *Is verò, ad quem fuerit deuoluta potestas, non differat vltrà tres menses, de Consilio Capituli sui, Viduatam Ecclesiam, de persona idonea ornare.*

3 Ex quibus verbis clarè apparet, quòd Confirmator in tali casu gerit vicem Electoris, & Confirmatoris, perindè in conscientia tenetur eligere meliorem, illumq; statim confirmare, si tamen electio fuit concors, & vnaminis; quia electio, cui contradicitur, non debet confirmari; nisi intridicè, remotis contradictionibus, & oppositoribus auditis, prout clare habetur in *Declarat. ad text. 3. de elect. Prior. Conuent. cap. 2. pag. 111. col. 4. in fin.*

Confirmatio, an habeat certam, & determinatam formam? Q. 4.

1 Et dico, quòd non; quia in iure nulla reperitur præscripta forma confirmationis, ac proindè ad sui valorem sufficit quodcunq; dictum, aut factum, quo voluntas Confirmatoris declaratur; quapropter si Superior, ad quem pertinet confirmare, sit præsens electioni, & eam legitimè factam, voce approbet, nulla alia scriptura requiritur; similitèr si Canonicè electus ad Confirmatorem accedat, & hic illi dicat, *gaudeo tua electione*, vel illum amplectatur, vel benedicat, vel ei det locum Superioritatis debitæ tali Prælaturæ, vel faciat, vt Subditi illi manum deosculentur, vel obedientiam promittant; nihil aliud requiritur; cùm tunc confirmasse censeatur: tùm quia, vbi verba non sunt de substantia, non minus valet factum, quàm verba; *Panorm. in cap. Ecclesia vest. n. 1. de elect.* tùm etiam, quia voluntas Superioris in his, non vno modo declaratur, nec refert, quòd isto, vel illo modo declaretur, iuxtà notata per *Innoc. in cap. cùm Bertoldus, de re iudic.* & per *Archid. in cap. vt quis duas, de elect. in 6.* quos sequitur *Sigismundus de elect. dub. 46. nu. 5. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. nu. 63. Samuell. disput. 8. controuer. 2. concl. 7. & Peyr.* in suo *formul. lit. C. c. 18. n. 1.*

2 Verùm, in Ordine nostro est præscripta forma litterarũ cõfirmationis Prioris electi per scrutinium, in *Formulario*, cuius verba, ob breuitatem, quam affectamus, relinquimus hìc inserere; vide *ibi pag. 5. à tergo.*

Confirmator, antequàm veniat ad actum confirmationis, quot, & qualia debet aduertere? Quaest. 5.

1 Respondeo, quòd munus Confirmatoris est, etiam nullo instante, & nemine opponente, antequàm confirmet electum, duo copulariuè examinare, nempè, processum electionis, & qualitatem, & habilitatem personæ electæ; *cap. cùm nobis 19. de elect.* ibi, *quanquàm contra personam illius, quem elegistis, nihil dictum fuerit, vel obiectum; quia tamen iuxtà verbum*

bum Apostoli dicentis, nemini citò manum imponas, &c. debemus attendere diligentèr ad ea, quæ circa personam, inquirenda fuerant, &c. ibiq; *Glos. in ver. ex officio*, subnectit, *quòd etsi nihil obijciatur electo, qui cōfirmat electionem, debet inquirere, de modo electionis, an sit Canonicè facta, de persona etiam electi, an sit idonea*, iuxtà *cap. venerabilem 34. eod. tit.* ibi, *est enim regulariter, & generalitèr obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat, &c.* vbi

2 *Glos. in ver. cas.* ait, *item ad officium illius, qui confirmat electum, etiam si nihil ei obijciatur, pertinet inquirere, an sit idoneus, item ad eum pertinet examinatio, ad quem pertinet confirmatio*, & *cap. nihil 44. eod. titul.* ibi, *sancimus, quatènus cùm quisquam ad Regimen Animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligentèr examinet, & electionis processum, & personam electi, vt cùm omnia ritè concurrerint, manus ei confirmationis impendat; quia si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm deijciendus est indignè promotus: verùm etiam indignè promouens puniendus, ipsum quoq; decernimus, hac animaduersione puniri, vt cùm de ipsius constiterit negligentia, maximè, si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ętatis illegitimæ, approbauerit; non solùm confirmandi primum successorem illius careat potestate. Verùm etiam, nè aliquo casu, pęnam effugiat, à perceptione proprij beneficij suspendatur, quousq; &c.* hæc *ibi.*

3 Hæc tamèn inquisitio, quòad processum electionis, si necessariò facienda sit, facienda est, vbi electio fuit celebrata, *Megal.* in suo *prompt. ver. electio, nu. 66.*

4 Inquisitio verò quòad vitam, facienda est, vbi est conuersatus, vt dicitur in *cap. postquàm 3. de elect.* ibi, *cuius vita, vel actus, quia melius possunt, vbi est conuersatus cognosci, inquirantur, quia ibi notus est*, subnectit *Glos. in ver. conuersatus.*

5 Si tamen in pluribus locis fuerit conuersatus, in omnibus est inquisitio facienda; non nominatim de aliquo crimine inquirendo; nisi fortè confirmandus, sit de eo in specie infamatus; sufficit in genere inquirere, per dicta à *Cardinal. Zabarell. in cap. 1. de postul. Prælat. nu. 16. Bellemera in d. cap. postquàm, nu. 1.* & alijs, quos citat, & sequitur *Megal. cit. loc.*

6 Et quamuis circa modum inquirendi discrepent *DD.* tu autē iuxtà tradita ab Eminent. *Cardinal. Zabarella in d. cap. postquàm, nu. 16.* cum distinctione concorda, quòd aut confirmandus non habet contradictorem, nec mala fama laboret; & tunc sufficit, habere bonas litteras testimoniales Capitulantium; aut promouendus habet contradictorem, & malam famam; & tunc inquirendum est iuridicè, hoc est, per testes iuratos, & instrumenta, & litteras testimoniales confectas, vt decet, ità vt omninò iuridicè vacuentur opposita, & contraria fama tollatur, argum. eorum, quę habentur in toto *titul. de purgat. Canon.*

7 Tunc autem iuridicè vacuantur opposita, quando, seruatis seruandis, iuxtà praxim nominatim citantur, & vocantur competitores, & oppositores, si noti sunt; si verò non sunt in manifesto, sufficit, vt generalitèr citentur, & requirantur in Ecclesia per publica edicta, assignato peremptorio termino ad comparendum, & fiat prouisio per diffinitiuam sententiam, vt ex multis ostendit *Castell. cap. 14. de confirmatione, nu. 6. & sequent. Samuell. disput. 8. controu. 2. conclus. 11. & 12. tract. 1. de elect.* & *Megal. eod. tit. nu. 63.*

Si confirmatio fiat, absq; causæ cognitione, an sit, ipso iure nulla? Q. 6.

1 P*Anor. in d. cap. nihil, de elect. num. 1.* Respondet affirmatiuè, & habetur expressè in *cap. final. de elect. in 6.*

2 Verùmtamen *Rodr. tom. 2. q. 52. ar. 5. ver. sed cùm videamus*, putat, quòd praxis, quæ seruatur à Generalibus in confirmatione electionis Prouincialium, factæ in concordia, in qua prætermittitur dictum examen, sit tuta, propter multa: tùm quia, hi sunt viri prudentissimi, de quibus non potest præsumi ignorantia iuris circa id, in quo versantur: tùm etiam, quia ex multis priuilegijs nō tenentur obseruare Apices, ac subtilitates iuris, quarum vna extat, non confirmare electum, sine causæ cognitione; tùm item, quia ex priuilegio sibi concesso à *Sixto IV.* anno Domini 1475. possunt supplere hunc defectum, tùm deniq; quia ità colligitur ex *Clem. exiui, §. demùm, de verb. signific.* vbi *Glos. in ver. exceptione* ait, quòd licet *text.* solùm loquatur de Ordine Minorum, corroborat tamen consuetudinem aliorum Ordinum.

2 In Ordine Minimorum non confirmant Generales, nisi habitis litteris testimonialibus, subscriptis à toto Capitulo, fidem faciente, electionem omninò esse Canonicam, *Peyr. tom. 1. de Subdito, quæst. 1. cap. 31. §. 11. concl. 2. pag.* mihi 161. *col. 1.* quod paritèr laudat in suo *Formulario L. C. cap. 18. nu. 3.* vbi dixit, quòd est tuta, & iuridica illa praxis, & consuetudo, quam obseruant omnes fęrè Religiones, confirmandi electiones Prouincialium, nullo

præ-

præcedente iuridico examine, & habendi fidem famæ, & litteris testimonialibus Capitulantium, quibus tenentur subscribere omnes, etiam qui in electū nō consenserūt, suumq; votum non dederunt; quod etiam probat *Sigismundus de elect. dub. 46. tit. 4. nu. 60. Lauor. de elect. tit. 4. nu. 60.* & *Miranda tom. 2. q. 17. art. 6.*

4 Generales verò in Ordine Prædicatorum confirmant Prouinciales, iuxtà statuta ipsius Ordinis, pluriès à D. Papa approbata, cum solis litteris à Scrutatoribus electionis sibi transmissis, quæ sunt de substantia processus informatiui; nàm per eas informatur P. Generalis de omni eo, & toto, quod in electione gestum est.

5 His tamen solent accedere litteræ subscriptæ à toto Capitulo, quæ sunt tantùm de vrbanitate; solùm enim approbant, quod ipsi Patri Generali significatum est per Scrutatores.

6 Neq; his obstant verba *d. cap. final. de elect. in 6.* ibi *dummodò tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa*; tùm quia, ly *prout*, non inducit conditionem, sed causam, & idem significat, quod, *quia*, vt latissimè probat *Grammat. decis. 59. nu. 21.* tùm etiam, quia prædicta *Clementina* videtur loqui de electione facta in discordia, tùm itē, quia in Regularibus, ob prædicta priuilegia, videtur reformata.

Confirmator, an possit licitè in aliquo casu, indignum confirmare? Qu. 7.

1 NEgatiuè *Ledesma 2. par. summ. tract. 7. cap. 2. concl. 7. dub. 7.* & ratio potest esse multiplex; Primò, quia cùm idoneus non sit tali beneficio, confirmatio redundaret in graue damnum Ecclesiæ. Secundò, quia confirmatio est inuenta, vt Superior examinet, & videat, si seruata sint, quæ sunt seruanda circa electionem, quorum primum est, vt fiat in persona digni. Tertiò, quia si Superior confirmaret electionem indigni, videretur concurrere, & confirmare peccatum Electorum. Quartò, quia si licitè hoc posset facere, non foret punibilis, iuxtà dispositionem *cap. nihil, de elect.* vbi non solùm priuatur potestate confirmandi successorem; verùm etiam, si per malitiam confirmauit, grauius puniendus est, ad arbitrium Iudicis Superioris, vt *ibid.* clarè dicitur.

Confirmator, an valeat licitè confirmare dignum, prætermisso digniore? Q. 8.

1 AFfirmatiuè *Bannes 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 3. ad 7. Caiet. in summ. ver. elect. & ver. beneficium*, & *Conar. in regula peccatum, p. 2. §. 7. nu. 4.*

2 Immò tenetur *Rodr. in summ. p. 1. cap. 106. concl. 11. nu. 13.* quia confirmatio est actus exterior, & iudicialis, & fit à Confirmatore, vt à Iudice; sed electio digni, prætermisso digniori, in foro externo est valida.

3 Ergò Confirmator, ex iustitia distributiua tenetur illam confirmare; secus grauaret Electum, quippè qui, & de tali grauamine potest ad Superiorem appellare; vndè solet dici, quod electio est voluntatis, confirmatio autem est necessitatis: nàm ex debito iustitiæ Confirmator tenetur cōfirmare electionem ritè factam, *Castell. cap. 14. nu. 17. de elect.* vbi post allegatos affert decisionem Rotæ Rom. factam coràm Eminentiss. *Pamphilio* anno 1617. vbi habetur, *quòd Canonicè electus, contrà quem non extant vrgentia, confirmari omninò debet, & si renuat Confirmator Ordinarius, recurrat ad Superiorē maiorē*: hæc ibi.

4 Quod intellige verum, secundùm ius commune: nàm si iura particularia, vt est in Ordine nostro, statuant, Confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit, dign orem fuisse prætermissum, poterit id facere, *Sanchez tom. 1. consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 8. nu. 4. Salon. 2. 2. q. 63. ar. 2. ad 3. contrmisc.* quod verum intelligit *Lezan. p. 2. cap. 12. nu. 39.* si euidentèr constaret, relictum esse digniorem, aliàs enim ad cuitandas lites, & contentiones, meliùs esset confirmare electionem digni, sicut iure communi cautum est.

5 Amplia, vt Confirmator sciens, per scientiam habitam in Confessione, aliquem esse indignum; si nihil aliud obstet, debet illum confirmare, *Hostiens. in summ. lib. 1. de elect. §. à quo, & qualitèr confirmanda, n. 27.* quem sequitur *Peyr. tom. 1. de Subd. quæst. 1. cap. 31. §. 11. dicto 9. pag. 161. col. 2.* quia cùm confirmatio, vt dictum est, sit actus exterior, & Confirmator sit Iudex, procedere debet, secundùm allegata in illo foro; & non secundùm cognita in Confessione; vndè valdè erraret, non confirmando; iniuriam enim faceret Sacramento, & iustitiæ Electi.

6 Si tamen Confirmatori proponantur duo, vel tres, tenetur sub mortali, digniorem confirmare, *Ledesm. cit. loc.* & *Armill. ver. elect. num. 1.* quia tunc Electoris, & Confirmatoris vicem gerit, & Elector in conscientia tenetur semper meliorem eligere.

Con-

Confirmator, an illius electionem debeat confirmare, qui apud bonos viros reperitur accusatus de aliquo graui delicto? Quæst. 9.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. omnipotens 4. de accusat.* ibi, *valdè graue est, vt vir, de quo tanta, & talia denunciantur (cùm antè requiri, & discuti debeant) honoretur*; vbi *Glos. in casu* ait, quòd si aliquis infamatur, non debet ad honores promoueri, donec de hoc inquiratur, vel indè se purgauerit, & sic pendente accusatione, promoueri non debet; immò punietur grauitèr promotor, promouendo lite pendente, *cap. tantis Daniel grauatus testimonijs 3. dist. 81.* & promotus remoueri debet, si promou a ur, pendente lite; quamuis innoxius fit, & culpa carens, *l. qui cum vno, §. rens, ff. de re milit.* & docet *Glos. margin. in d. c. tantis, ver. obrepsit*, vbi subnectit, quod si accusator per annum tacuit, posteà potest promoueri electus; immò tres menses dantur ad probandum obiecta, vt in *authen. de Sanctis. Episcopis, §. 3. collat. 9.* nisi Iudex breuius tempus fuerit moderatus, *cap. quisquis 4. q. 5.* argum. *cap. accepimus, de fide instrum. & cap. personas, de appell. in fin.* quod debet facere ad retificandum lites: quot autem testes sufficiant, ad quem excludendum à Prioratu, & Prouincialatu.

2 Respondent *Aretinus in practica crimin. de numero testium, c. 2. ver. testes itaq; & Thom. à Iesu tract. 3. de Visit. Regul. cap. 7. nu. 10.* dicentes, quòd quinque, aut sex testes singulares, quamuis nihil probent ad infligendas pœnas ordinarias, & positiuas.

3 Sufficere tamen, ad excludendum aliquem electum à Definitoriatu, vel Prouincialatu; quod colligunt à *Iul. Clar. in pract. crim. q. 53. §. dixi tamen*, vbi latè agit; an testes singulares probent: quod dictum verum censeo, si sint tales, quales exiguntur ad bonam, vel malam famam, nempè, non Inimici, Maleuoli, Viles, aut turpioris notæ: sed Amici, aut Neutrales, si sint Viri graues, & omni exceptione maiores, & testentur de causa scientiæ; non enim electus ob leuè dictum debet suo iure priuari.

4 Amplia, vt Confirmator minimè debeat confirmare electionem, ex qua timetur aliquod futurum scandalum; etiam si electus nullum defectum patiatur, *Pacor. in cap. 1. de elect. nu. 8.* noster *Turrecremata in cap. si fortè, dist. 63. & in cap. si duo, dist. 39. nu. 1. Felin. in cap. 12. de præscription. nu. 2.* nam multa licita sunt dimittenda, scandali vitandi causa, per allegata à *Peyr. tom. 1. de Subd. q. 1. cap. 7. concl. 4. ver. ad euitandum*; & est decisio Rotæ Rom. coràm *Seraph. decis. 516. nu. 4.* & constat ex *cap. ad aures 5. de tempor. ordinat.* vbi dicitur, quòd nihil cum scandalo faciendum est à Prælatis.

5 Amplia, vt nec debeat confirmare electum in magna discordia; etiam si eius electio sit facta à maiori parte Eligentium, sine tamen magno excessu votorum, vt docet *Glos. in cap. si quando, de elect. in 6. Syl. eod. tit. & ver. confirmatio, Azor. p. 2. instit. moral. lib. 6. de 4. decalogi præcepto, c. 14. §. 11. & Castell. in d. cap. 14. nu. 58. de elect.* propter eandem rationem, vtpotè, ad euitandas futuras discordias, quæ Religiosam tranquillitatem euertunt, quod præcipuè procedit, quādo electus est vir cholericus, iniuriarum memor, & vindicatiuus, *Castell. cit. loc.* nisi post electionem conueniant, & repacificentur, vel separentur per nouam assignationem, & remotionem à loco litis, *Peyr. in formul. tit. C. cap. 18. nu. 6. in fin.*

6 Amplia, vt ipsi Confirmatori integrum sit cōfirmare, vel cassare electionem, prout sibi secundùm scientiam priuatam, vel publicam videbitur bono communi expedire; etiam si electio foret Canonica, & facta de persona benemerita; quia bonum commune præfertur, & antecellit priuato, *Bannes 2. 2. q. 67. ar. 2. in respons. ad 2.*

7 Quod dictum intellige verum, supposita causa rationabili, quæ apta sit iuridicè probari, si fuerit necesse, *Castell. vbi suprà, nu. 56. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. nu. 59.* & *Peyr. cit. loc. in formul. nu. 6. in fin.*

8 Dixi, si necesse fuerit, quia ordinariè loquendo, Confirmator non tenetur iuridicè probare iustam causam, quam prætendit habere non confirmandi; sed sufficit, vt eam probatam habeat extraiudicialitèr, hoc est, ex relatione testium deponentium de fama electi, extrà iudicium, sine iuramento, & processu, cùm agatur de fama solùm ad excludendum; non autem ad puniendum, vt dictum est suprà, & docent communiter *DD. in cap. postquàm, de elect. & in cap. 1. de postulat. Prælat.* & habetur expressè in *cap. indemnitatibus 42. §. sanè, de elect. in 6.* ibi, *sine strepitu iudicij, & figura, per Superiorem inquiratur primitùs, antequàm confirmetur eadem electio, vel etiam infirmetur.*

9 Et in *Clem. exiui, de verb. signific. §. demùm*, vbi *Glos.* ait, quòd in confirmatione Prouincialium non proceditur iudicialitèr, quia, vt dicitur hic, non admittuntur exceptiones partis alterius.

10 Neq; his obstāt *Portell. in respons. casu 4. n. 3. & Peyr. in d. suo formul. nu. 6. in fin.* dicentes, dictam causam esse iuridicè probandam: quia hoc dictum tunc poterit esse

esse verum; quando Confirmator esset manifestus inimicus electi, vel quando ex non confirmatione grauis infamia irrogaretur electo; quod esse nequit, quando electio cassatur propter formam non seruatam, aut defectum Electorum; nam exindè nullum præiudicium fit famæ, & honori electi, vt expresse dicitur in *cap. considerauimus, de elect.*

11 Idem procedit, quando electio non confirmatur, ob naturalem defectum electi, vt si sit Cęcus, Surdus, nimis Podagrosus, Annosus, Laborans morbo caduco, & similis; quandoquidèm naturales defectus non infamant.

Confirmator quemnam debet confirmare, si duo sint Prouinciales insimul electi in eadem Prouincia? Qu. 10.

1 CAsus iste non est de impossibilibus: nàm non est nouum, vota eligentium se in duas partes diuidere, *cap. nec nouum 17 caus. 8. q. 1.* quia quot sunt homines, tot sententiæ, quot sententiæ, tot opiniones, *cap. sicut in sacramentis 151. distin. 4. de cōsecratione*, & natura hominis prona est ad dissentiendum, *ff. de recept. arbitr. l. item si vnus, §. principaliter.*

2 Nec est reprehensibile, cùm vtraquè pars mouetur bono zelo, vt notat *Glos.* marginalis in *d. cap. nec nouum*, secus autem, si Electores malo zelo, & temeritate concertantium sic elegerunt, schisma procurantes; prout expresse decidi tur in *cap. si duo forte 8. dist. 79.* quæ iura licèt loquātur de electione Episcopi, vel Rom. Pontif. nihilominùs, cęteris paribus possunt respectiuè intelligi de electione Prouincialium, & Generalium Ordinum.

3 Exindè sunt, qui colligunt, quòd quando id factum est, bono zelo; tunc iudicio Prælati relinquitur confirmare; ità tamen, vt ille præferatur, qui fouet potiota iura, hoc est, qui maioribus meritis iuuatur, & qui magis à Prouincia appetitur, vt expresse decidi tur in *cap. si forte 36. distin. 63.* ibi, *si forte, quod nec reprehensibile; nec irreligiosum iudicamus, vota eligentium in duas se diuiserint partes, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus studys iuuatur, & meritis.*

4 Si verò se diuiserint, malo zelo, neutèr confirmandus est, eò fortiùs, si exindè nascatur scandalum, *Glos. in cap. considerauimus 10. de elect. in ver. ordinationem*, vbi ait, quòd propter scandalum noluit Papa, quod in illa vocatione aliquis eorum promoueretur.

5 Verùmtamèn, hodiè non iuuat talis distinctio, quia neuter in casu posito est confirmandus: nisi electus, iuxtà formam *cap. quia propter, de elect.* hoc est, seruatis seruandis, à maiori parte vltrà medietatem eligentium in Capitulo, *Samuel. disp. 8. controuer. 3. tract. 1.*

6 Non reticeam tamen dicere, quòd Dominicani ex speciali priuilegio, vnum possunt eligere, & plures postulare; & Confirmator potest, quem maluerit confirmare, omisso electo; Iudicio tamen mediante, & retento consilio Discretorum.

Confirmator, an licitè possit confirmare electionem factam per abusum potestatis Laicalis? Qu. 11.

NEgatiuè dic, ex decisis hìc immediatè *suprà tract. 3. q. 14.*

Electio, quæ non fuit ritè, & legitimè facta, an possit validè confirmari? Quæst. 12.

1 NEgatiuè dic; quia Confirmatio est accessoria ad electionem; vt constat ex eius diffinitione; est enim confirmatio, iuris priùs habiti per electionem corroboratio; seù est exercitium iuris quæsiti per electionem, vt, multis citatis notat *Castell. cap. 14. de elect. nu. 5.* & *Peyr. tom. 1. de Subd. q. 1. de obedientia, c. 21. §. 11. in 2. probat. concl. 8.*

2 Accessorium autem sequitur naturam sui principalis, vt liquet in *Regula 42. de regul. iur. in 6.* & habetur expresse in *cap. inter dilectos, §. cùm igitur, de fide instrum.*

3 Ergo, si nulla sit electio, nulla paritèr erit illius confirmatio. Confirmatur; nàm vice versa, si nulla sit confirmatio, nō ideò electio est nulla, si ex parte rei præsupponatur valida; quia principale non sequitur naturam sui accessorij, at potest stare sine illo, vt patet in substantia, quæ non deficit, si corruant eius accidentia; accidens autē deficit, deficiente substantia; quia accidētia pendent ex illa, non autem illa ex his.

4 Verùm, Dominicani circa hoc habent vnum notabile Priuilegium, sibi concessum ab *Alexandro IV.* & *Sixto IV.* & est, quòd quando electio facta de Prouinciali, vel de Priore, contingit, ex aliqua causa non confirmari, adhùc Superior, ad quem pertinet confirmatio, poterit eligere, & confirmare vnum ex illis Fratribus, quos ipsi Electores in suis litteris postularunt: Prædicatores enim vnum eligunt, & plures

res solent postulare, *Castell.cap.2.de elect. num.6.& 12.*

5 Quod Privilegium cōprehendit omnes alios Regulares, qui nobiscum communicant in priuilegijs; *Lezana part.2. cap.12. nu.41.*

Confirmator, an possit supplere defectus electionis? Qu.13.

1 DEfectus electionis sunt in duplici differentia, quidam enim sunt substantiales, vti illi, qui lædunt formam: quidam verò accidentales, vt qui violant solemnitatem iuris positiui, & inter hos, & illos hoc interest; quia illi irritant electionem, ipso facto, hi verò non annullant, ipso facto, sed reddunt annullandam, si fiat oppositio, vt constat ex decisis *tract.1.q.17.*

2 Electio nulla, ob defectum solemnitatis iuris positiui potest confirmari ab habente auctoritatem dispensandi super illis defectibus, secus autem, si desit consensus maioris partis; qa hoc est de forma, & naturali substantia electionis, vt communitèr notant *DD. in cap.quod sicut, de elect.* & sequitur *Castell.cap.4.nu.45.de elect.*

3 Et hoc ideò, quia ius positiuum Canonicum non potest abrogari: nisi de expressa scientia Papæ, quæ non præsumitur, sed debet omninò cōstare: vndè *Bart.in l.si constet 12. nu.2. ff.de appellat.* ait, quòd per confirmationē non confirmatur electio inualida, nisi fieret ex certa sciētia, & *Bald.in l.nominationes 27. nu.2. ver.tu dic, Cod. de appellat.* inquit, quòd confirmatio Superioris non purgat vitium electionis: nisi Princeps confirmet ex plenitudine potestatis, & loquitur in proprijs terminis electionis, in qua non fuit seruata forma *Capituli quia propter, de elect.*

4 Hinc, considera defectus, cuius generis sint, nàm si loquamur de substātialibus, recurrendum est ad D.Papam; si verò de accidentalibus, attendè contradictores, nàm, vt dictum est, confirmatio non tribuit validitatem electioni nullæ; nec electio annullanda recipit vires per cōfirmationem factam in forma communi, *cap.quod sicut, de elect. §.etiam confirmata*: Ideoq; recurrendum est ad habentem potestatem dispensandi, & sanandi defectus, qui, & ex certa scientia debet confirmare; secus autem nihil operatur, vt dictum est suprà, & constat ex decisis.

5 Noster autem Magister Ordinis habet speciale *Diploma*, sibi concessum à *Paulo V.* quo potest supplere ad titulum reformationis, quoscunq; defectus electionis Canonicæ: dummodò illi constet de voluntate Eligentium: quàpropter, quotiès iudicauerit expedire; intuitu tamen reformationis potest electionem confirmare, etiam si sit inualida de iure positiuo, ob aliquos, scilicèt defectus, etiam essentiales: dummodò tamen sit valida de iure naturali, hoc est, quòd ei constet de consensu, & voluntate Eligentium circa personam electam, & quòd in ea obseruata sit forma, *cap.quia propter, de elect.* quòd, scilicèt sit facta à maiori parte Eligentium in Capitulo; tunc, & eo casu non obstantibus defectibus alijs multis de iure positiuo essentialibus, potest confirmare electionem factam modo supradicto, prout latè probat *Castell.in cap.14.de elect.nu.59.*

6 Et colligitur ex illa dictione, *quoscunquè*, quæ cùm sit vniuersalis affirmatiua, nihil excludit: immò in materia fauorabili auget, & in materia odiosa restringit; put latè ex multis ostēdit *Barbos.dict.279.*

7 Quod priuilegium, ob communicationem priuilegiorum extenditur ad alios Magistros Ordinum.

Confirmator si casset electionem alicuius digni, electi in Prouincialem, & nouam electionem faciat in personam alterius, eiquè possessionem tradat: ac primò electus, vt grauatus ad Superiorem appellet, & ab eo obtineat fauorabilem sententiam, nempè, suam electionem fuisse Canonicam: ideòq; malè fuisse cassatam, quisnàm ex his erit in Prouincialatu sustinendus? Quæst.14.

1 P*Eyr. in formul. lit.C.cap.18.nu.10.* Respondet, quòd in tali casu primò electus est sustinendus, & mouetur ex multis: Primò, quia iure suo iniustè priuatus, est restituendus, *cap.conquerente, de restit. spoliatorum*; sed iste fuit priuatus iure suo per electionem acquisito. Secundò, quia in *l.in operis, ff.locati*, disponitur, quòd si quis locauit rem duobus, tenetur soluere primo, & ille præfertur secundo conductori, etiam si huic res locata sit tradita, *Iason in l.quotiès, C.de rei vendic.col.8.ver.3.* ergò à pari, si illa Prouincia est locata duobus, primus est secūdo pferēdus. Tertiò, qa si quis à me auferat iniustè pallium, & alteri vendat, illudq; illi tradet, possum ego illud repetere, & ab emptore, etiam bonæ fidei recuperare: immò iste emptor bonæ fidei, statim, vt sciuerit, pallium esse meum, tenetur illud mihi restituere, *Sayr.* post

allegat. *in Claui Regia, lib. 10. tract. 2. cap. 2. nu. 1.* Quarè non potero recupetare Prouinciatum à me iniustè oblatum, etiam ab eo, qui bona fide possidet?

2 Verùm, hæc opinio non potest penitùs procedere in Ordine Prædicatorum; quia in eo electus, nullum ius per electionem acquirit, nec etiam per confirmationem: nisi vbi acceptauerit: vndè non potest dici grauatus exinde, nec potest appellare: quia ei resistunt *Constitut.* dicti Ordinis, quas tenetur obseruare.

3 Quò verò ad alias Religiones, cum distinctione resolue, aut enim in sententia lata ad beneficium primò electi, fuit auditus secundò electus, & confirmatus: & sic sententia *Peyr.* potest habere locum, maximè, si per illum primò electum fuisset appellatum antè secundam electionem; secus autem, & ducor ex multis.

4 Primò; quia nemo inuitè est sua possessione priuandus, nec quidèm lite pendente; per ea iura, quæ refert, & sequitur *Afflict. decis. 98. nu. 2. ibiq; Vrsillus,* & constat ex *tit. lite pendēte,* vndè solet dici, quòd etiam prædo est manutenendus in possessione, in qua reperitur, secus diceretur spoliatus.

5 Secundò, quia ius p electionem acquisitum, est reuocabile; prout Confirmatori expedire videbitur, *cap. nihil est, de elect.* est enim ius tenue, & valdè inperfectum, omninò indigens confirmatione, *cap. qualiter, cap. cùm dilectus, de elect.* & communitèr docent *DD. in cap. postquàm, eod. tit.*

6 Sed in casu nostro Confirmator, licèt iniustè cassauit electionem: ergò primò electus per talem cassationem amisit ius ad rem quæsitum: Superior enim ex *d. cap.* potest hoc agere, & vsus est iure suo, quāuis quòad Deum peccasset, & teneretur ad interesse, *Nauar. in summ. cap. 17. nu. 96.*

7 Tertiò, quia Ecclesia Vidua per electionem noui Prælati non dicitur maritata, nec Prælatus per solam electionem dicitur eius sponsus, & maritus: nisi per confirmationem; vndè si electus ad aliquam Prælaturam, moriatur antequàm confirmetur, non dicitur vacare talis Prælatura: nisi per mortem primi, qui illam habebat, vt constat ex differentia, quæ est inter ius ad rem, & ius in re, de qua *Castell. cap. 1. num. 17. de elect.*

8 Ergò in casu posito, electus secundò, & confirmatus, est vetus sponsus, & maritus, qui nullatenus debet sua sponsa priuari, quin priùs fuerit auditus in iuribus suis.

9 Quarto, quia iste secundò electus, fuit electus, confirmatus, & in possessionem immissus à Superiore habente potestatem: ergò legitimus est possessor.

10 Nec dices, quòd Superior non habet talem potestatem: nisi in casu illegitimæ electionis, quia hoc non dicitur in *d. cap. nihil 44. de elect.* sed *ibid.* tantùm habetur, quòd Superior non debet promouere indignum, secus puniatur: immò quòad promouendum benemeritos relinquitur iudicio Superioris, ibi, *Episcopi quoq; tales ad dignitates promoueri procurent, qui commissum sibi officium, digne valeant adimplere:* nec reperitur in iure, quòd Superior cassans electionem digni, sit ipso facto priuatus potestate confirmandi successores: priuatio enim dignitatis, etiam iure dicente, quòd sic faciens sit ipso facto priuatus, exigit declaratoriā Iudicis, perindè actus facti antè declaratoriā Iudicis, sustinentur.

11 Quintò, quia Confirmator prætēdens habere causam non confirmandi, non tenetur eam probare iuridicè, sed sufficit extraiudicialitèr, vt dictum est suprà, ergò integrum erit ei dicere, habuisse iustam causam cassandi, nec tenetur hanc iustam causam non confirmato ostendere, sed suo Superiori, cùm necessum erit, nec ista discussio, & iustificatio iustæ causæ inficit electionem, & confirmationem subsequutam, si non antecesserit appellatio; quia si primò electus appellarit à non Confirmatore, non est procedendum ad secundam electionem, sed sententia Superioris, ad quem fuit appellatum, debet expectari: & ad hoc facit *text.* rotundus in *c. considerauimus 10. de elect.* ibi, *nec non, & post appellationem, per quam ad suum statum omnia debent reduci, facta fuit, &c.* quæ quippè reuocatio fieri debet, parte audita quia inaudita parte, nihil rectè potest in iudicio definiri.

12 Nec his nocent argumenta per *Peyr.* allata, quia conuincunt de habente ius in re, non autem ad rem, quod etiam in casu posito per cassationem electionis præsupponitur abrogatum.

Electus huiusmodi, qui ob dictam electionem, sibi cassatam, ad Superiorem appellauit, habebit nè expensas à Monasterio? Quæst. 15.

1 HVius decisio pendet ex illa, an Monacho litiganti cum suo Abbate pro causa propria, debeantur expensæ à Monasterio; de qua re late *Sanchez lib. 6. ad decal. cap. 12. n. 26. Peyr.* autem *tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 4. nu. 128.* cum distinctione resoluit; aut ille nimis ambitiosè procurauit, eligi ad talem dignitatem,

tatem,

tatem, ad quam non erat eligibilis: aut non: primo modo, non habebit expensas à Monasterio, maximè si in sua electione habuit oppositores, tùm quia, Monasterium non tenetur fouere ambitionem sui Subditi; sed potiùs extirpare; tùm etiam, quia qui se opposuerunt, videntur duci zelo Religionis, nè scilicèt, quis culpabilitèr eligatur, tùm item, quia multum interest Religioni, Prælatum ambitiosum non habere: secus autem secundo modo.

Confirmatori iniustè nolenti electionem confirmare, an licitum sit, pecuniã dare, ad hoc, vt à tali vexatione desistat, & Electum confirmet? Q. 16.

1 Sotus lib. 9. de iust. q. 6. ar. 1. cui ferè omnes subscribunt, negatiuè respondet, cùm confirmatio sit ius spirituale, quod vendi, & emi nequit, sine labe simoniæ.

2 Confirmatur; quia huiusmodi actus tenderet, non solùm ad vexationem tollendam, verùm etiam, tenderet, & pararet viam ad confirmationem; & sic saltèm mediatè ordinaretur ad obtinendam confirmationem; Electus enim non daret vtiq; Confirmatori pecuniam, si non intenderet, intuitu illius consequi confirmationem, ac proindè dat ex intentione obtinendi ius spirituale, & consequentèr simoniacè agit.

3 Verùmtamen *Zachar. Pasqualigus decis. 235. nu. 3. & seq.* tenet, quòd pecunia potest dari Confirmatori, vt vexatori tantùm; & non aliàs; quia tale pretium non ordinatur ad confirmationem, nec datur ex intentione confirmationis, licèt talis intentio adsit, sed ad redimendã iniustam vexationem, vt scilicèt desistat à duritie, & vexatione, & se cõstituat in debita æqualitate, & iustitia: vndè talis actus habet pro obiecto aliquid honestum, nempè, animi æqualitatem, & iustitiam. Perindè non potest esse simoniacus.

4 Nec valet obiectio, qua dicitur, quòd non daretur pecunia, nisi adesset intentio confirmationis, quia, vt dictum est, non datur ex intentione confirmationis, sed ex intentione habendi Confirmatorem æquum, & iustum.

5 Quæ quidèm opinio potest esse vera de iure naturali, & in foro poli, secus in foro fori, de iure Canonico, in quo quod fit, & non quod intenditur, examinatur, *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 50. num. 29. Maior. in 4. senten. dist. 25. q. 5. ad 2. & Peyr. tom. 1. de Subdito, quæst. 1. cap. 31. §. 11. in fin. ver. dico 13.*

Cõfirmatus, & in possessionẽ immissus, an possit sua Prælatura renunciare, & si post renunciationem peniteat, an sit restituendus? Quæst. 17.

1 Quòd Dignitates possint renunciari, certum est, vt constat ex *cap. quoniam 1. de renunciat. in 6.* vbi expressè deciditur, quòd Papa potest Papatui renunciare; ergò multò magis, & nos potetimus inferioribus dignitatibus renunciare: Verùm ista renunciatio debet fieri in scriptis, *cap. qualitèr, cap. quamuis 7. q. 1. & cap. Gonsaldus 17. q. 2.* quia cùm renunciatio sit strictissimi iuris, vt fusè probat *Paris. lib. 8. de resignat. q. 1. nu. 8. & seq.* ad tollendas omnes lites, debet de illa semper constare per testem irrefragabilem, vt sunt literæ, quæ scriptæ manu propria probant plenè intentionem scribentis, *l. plura mem. §. Titius, ff. depositi, vel contra.*

2 In his autem scriptis Primò debet poni nomen Prælati, cui fit renunciatio, iuxtà *cap. ego N. de iur. iur. cap. in nomine Domini, d. stin. 73.* Secundò, debet exprimi nomen dignitatis eiusdem, vt constet, an sit eius Superior, *Paris. vbi suprà. q. 9. nu. 5.* Tertiò, ponitur nomen, & cognomen ipsius renunciantis, ad euitandum dubia, & æquiuocationem, *l. ad recognoscendos, Cod. de ing. & manumissis.* Quartò, exprimitur dignitas, quæ resignatur, vt specificè constet de renunciatione, *Paris. cit. nu. 7.* Quintò, ponitur causa renunciationis, quia hæc semper requiritur, *Fuscus de visit. p. 2. cap. 28.* Sextò, renunciantur omnia alia iura, pertinentia ad ipsam Dignitatem, nè contingat postea, circa aliquid dubitari, *Paris. cit. loc. nu. 9.* Septimò, requiritur libertas in Resignante, quia si coactè resignet, eius renunciatio non sustinetur. Octauò, requiritur iuramentum, secundùm praxim loci, vt postea nequeat impugnari, *Paris. vbi suprà, nu. 17.* Vltimò, requiritur annus, & dies, iuxtà stylum, vt sciatur tempus resignatæ dignitatis.

3 Quò verò ad aliud quæsitum, etiam certum est, quòd antequàm renunciatio fit à Superiore admissa, potest renunciantem penitere: Vbi autem admissa fuerit, non datur locus penitentiæ, quia re integra licèt penitere; secus non integra; nam actio semel extincta, non reuiuiscit; ideòq; non potest quis redire ad illud, cui renunciauit, *cap. quàm periculosum sit 8. caus. 7. q. 1. ibi, nec recipere postmodùm poteris, quod semel cessit,* supple, & acceptatum fuit, *cap. si illic 29. caus. 23. q. 4.* vbi *Glos. in casu ait, si inuenerint, quòd Stephanus satisfecerit, &* ille

ille remiserit, & *cap. ex transmissa* 3. *de renunciat.* ibi, *ex quo ea, quæ sibi contulerat, ad petitionem suam resignauit eidem*.

4 Benè verum est, quòd renuncians potest eandem dignitatem renunciatam repetere antequàm alteri sit collata, dummodò is, cui renunciauit, velit, & sit contentus, vt liquet in *d. c. ex transmissa*, ibi, *hortari tamen eos poteris, &c.*

5 Nec non, si renuncians opponeret, quòd inconsultè renunciauit, nempè in Ira, Indignatione, Dolo, Vi, Metu, & similibus, *Paris. cit. loc. q.* 13. *nu.* 39. & colligitur ex *cap. super hoc* 5. *de renunciat.* ibi, *non vi, nec metu, nec oppressione, nec interuentu pecuniæ, nec promissione exortam Iudex inuenerit*, vbi *Glos.* multa docet.

6 Veruntamen, Superiores practici, ante acceptationem renunciationis, concedunt renuncianti duos, vel tres dies ad mature deliberandum; & sic præciditur via ad repetendum officium renũciatum: nisi fortè, toto illo tempore duret vis, metus, dolus, & non sit in libertate, de quibus debet iuridice constare: nec de facili admitti debet talis exceptio.

An Vicarius Generalis possit hanc renunciationem admittere, & de alio prouidere? Qu. 18.

1 Respondeo, quòd non: nisi ei specialitèr sit commissum, *cap. dudùm, de præbendis, in* 6. vbi deciditur, quòd nec Delegatus Papæ potest recipere resignationes beneficiorum, in manibus suis liberè factas, nec eas conferre idoneis personis: nisi, ad hoc habeat speciale mandatum, adiuncta *Glos. in ver. casus, in fin.* quod habet locum, etiã si iste Vicarius habeat potestatem deponendi; nàm renunciationem admittere, & deponere, diuersa sint, *Paris. lib.* 7. *de resignat. q.* 24. *nu.* 2. & à diuersis non fit illatio.

2 Verùm, si talis Vicarius habet potestatem instituendi, & deponendi, potest renunciationem acceptare, & alium loco depositi, seruatis seruandis instituere, *Innoc. in cap. quod in dubys, nu.* 3. *ver. nisi, ibiq; Abbas, nu.* 6.

3 Idem procedit, si in eius litteris patentibus reperiatur illa clausula, *vt possit facere, quæ per nos ipsos facere possumus, etiam si nostrum requirerent speciale mandatum*, vt dicitur in *c. qui ad agẽdum, de procurat. in* 6. *ver. committantur, ibiq;* allegati per *Barbos. n.* 8. & *Couar. lib.* 2. *var. cap.* 5. *n.* 8.

SVMMA QVAESTIONVM, Tract. VIII. De Dominio in Genere.

DE

DE DOMINIO IN GENERE.

Tractat. VIII.

An Dominium, sit Vocabulum Latinum, vel Barbarum? Quaest. 1.

1 DOminium, Dominatus, & Dominatio, à posse dicuntur, vt docet infrascripti *Doctores*, & voces Latinæ sunt, & pro eadem re capiuntur; etenim significant rerum proprietatem, quæ quidem rerum proprietas distinguitur à possessione, vsu, & vsufructu; prout habetur in *tit. ff. de acquirend. rerum domin.* & *de aquirend. vel amitt. poss.* & in sacris litteris, *Tob.* 8. & *Machab.* 11. & docent noster *Sot. de iustit. & iur. lib.* 4. *q.* 1. *ar.* 1. quem sequitur *Bannes in* 2. 2. *ad quaest.* 62. *de domin. q.* 1. *in princ.* & *D. Barthol. à Sancto Fausto tom.* 2. *Theol. Moral. p.* 2. *specul. confess. disp.* 1. *de dominio*, & *Megal.* in suo *prompt. ver. dominium.*

2 Quippè qui asserunt, prædictas voces in hoc differre; quia nomen, *dominium*, apud *Ciceronem* non legitur; sed loco eius fuit vsus hac voce, *mancipium*, & *nexus*, vt patet 7. *Epistol. ad Atticum*, *Bannes* cit. *loc.* proindè mancipare, idem est, quod dominium transferre, vt constat ex Patre, qui suos mancipat filios, hoc est, cùm quando dominium suarum rerum transfert in filios.

3 Verùm hoc parum refert; nàm, etsi hæc vox apud *Ciceronem* non legatur; satis est, quòd apud alios optimos reperiatur Latinos, & ea voce vtantur prophani, & Sacri *Doctores*, Latinæ linguæ peritissimi; prout *Varro de re rustica*, & *D. Hieronymus*, multis in *locis*, & *Iuris Consulti* non pauci.

4 Addunt item, differre ex eo, quòd dominatio, & dominatus semper in malam partem vsurpentur; quia assumuntur ad significandum aliquam tyrannidis effigiē, hoc est, Regiam potentiam, illegitime, & malè partā; prout loquitur *Cicero Tuscbul. lib.* 5. *de Dionysio*, & *lib.* 2. *de Oratore.*

5 Sed nec hoc militat; quia omnes istæ voces, in bonam, & in malam partē paritèr vsurpantur; nàm *Tob.* 8. sumitur dominium in bonā partem, & 2. *Machab.* 11. in malam; item dominatus *Luc.* 22. in malam partem, sic etiam in 14. *Isai.* in bonam verò partem 88. & *Isai.* 16. *emitte agnum Domine dominatorem Terræ.*

6 Benè verum est, has voces quòad hoc discordare, quòd dominatio, & dominatus, crebriùs, nè dicam semper, importāt dominium, quod Superiores, erga suos Subditos exercent; siuè illud legitimum sit, siuè non: attamèn dominium significat possessionem, seù facultatem, quam quis habet, etiam in rebus, sensu, & ratione carentibus: quàpropter malè diceretur, Petrum habere dominatum, vel dominationem Fundi, Pomarij, Equi, & similium; benè tamen diceretur, habere dominium prædictarum rerum, prout notat *Faust. vbi supra*; & sic dominium vti magis amplum posse referri, etiam ad inanimata, & sensu carentia; secus autem dominatus, & dominatio.

Dominium quid sit? Quaest. 2.

1 DOminium, strictè, & propriè sumptum; prout dicit ordinē, & rationem iuris, ad rem inferiorem, quæ ordinatur in commodum illius, qui dicitur dominus, quod per *Aristot. lib.* 5. *Ethicor. cap.* 6. dicitur dominiū herile, seù dominatiuum; est ius, seù facultas propria, perfectè disponendi de re, in omnes vsus, lege permissos, in proprium commodum; prout per plura benè probat *Sot. de iust. & iur. lib.* 4. *q.* 1. *ar.* 1. & *Bannes* 2. 2. *ad q.* 62. *q.* 1. *de dominio*, & *Syl. in summ. ver. dominium.*

2 Qua in diffinitione ponitur *ly facultas*, loco generis; & idem est, quòd potestas legitima, & iuridica, quæ secundùm leges, & iura habetur; ceù est illa, quam quisq; habet ad vtendum rebus suis, diciturq; ius, quia domino, & patrono fieret vtiq; magna iniuria, si absq; legitima causa prohiberetur disponere de rebus suis.

3 Hoc autem ius, quod quilibet homo poterit habere in rebus suis, dupliei modo consueuit appellari ius in re, & ius ad rem; ius in re, est illud, quod quis habet in rem propriam, existentem tamèn in dominio, & possessione ipsius habentis; ius autem ad rem; idem est; quod quis habet ex aliquo vinculo alicuius obligationis, ad rem aliquam sibi debitam, nondùm tamèn possessam: quemadmodùm hęres institutus post mortem testatoris, antequàm adeat hæreditatem, hoc est, antequàm illam acceperit, dicitur habere ius ad rem, ... autem in ... nisi post adeptam possessionem

4 Domi-

4 Dominium ergo est ius, quod amplectitur vtrumque, hoc, & illud; ly *propriè*, ponitur loco differentiæ, quæ distinguit dominium à possessione, aliquis enim potest habere possessionem, & non proprietatem, nec dominium vtendi re in omnes vsus; ly *perfectè disponendi*, ponitur item ad differentiam vsusfructus, seu vsuariorum, qui quidem non habent facultatem suprà substantiam rei, cuius sunt vsuarij, perindè nequeunt illam destruere, nec alienare, vt patet in Emphytheota, qui habet dominium vtile, non autem naturale directum, idest, habet facultatem super fructus, salua substantia rei, cuius sunt fructus; & sic conductores alieni prædij non possunt dici veri domini, ly *in proprium commodum*, stat loco differentiæ, per quam Rex, Pater, Episcopus, & Prælatus non possunt dici domini absolutè, quia, & si Rex ius habeat in ciues, Pater in filios, & Prælati in subditos; attamen tale ius non respicit absolutam commoditatem ipsorum Regum, sed etiã ciuium; non Patrum, sed etiam filiorum; non Prælatorum, sed etiam subditorum.

5 Hinc, *Arist. lib. 3. Polit. cap. 3.* duplex imperium cõstituit, aliud Regium, seu Ciuile, quo Rex est propter ciues, non è contra; & aliud dispoticum, idest dominatiuũ, quo Inferiores ordinantur in proprium commodum, & vtilitatem Superiorum, quod aliàs consueuit appellari tyrannicum; ità cit. *Doctor.*

6 Sic item ponitur, ly *lege permittente*, loco differentiæ, per quam Parochi, & Episcopi, omnesq; alij Beneficiarij nõ possunt alienare res Ecclesiæ sibi cõmissas, nec ad libitum de illis disponere; quia impediuntur hoc facere, lege iustissima; qua conseruantur iura, & res Ecclesiæ; quod extenditur ad pupillos, qui licèt sint domini, tamèn non habent potestatem expendendi sua in omnes vsus.

7 Ceteræ autem particulæ, vtputà, *lege permissos*, ponuntur potius causa explicationis, quàm necessitatis; tum quia, per has particulas nihil de nouo excluditur, quod per alias particulas suprà recensitas non fuerit exclusum; tum etiam, quia vsus, qui non est lege permissus, non est vsus, sed abusus; & facultas ad vsum non permissum lege, non dicitur propriè facultas, quæ debet esse iuridica, immò nec est potestas, moraliter loquẽdo, prout docet *Bañes cit. loc.*

8 Si autem dominium large sumatur, prout dicit ordinem, & respectum ad rem quomodocumq; possessam, vel habitam, siuè Superiorem, siuè Inferiorem, potest sic diffiniri; quòd sit facultas propria, seu ius vtendi re, in omnes actus lege permissos; & sic Patres, Reges, & similes suprà nominati, Domini possunt appellari.

Dominium quotuplex sit? Qu. 3.

1 Quemadmodùm ius à *Philosopho in 5. Ethicor.* diuiditur in naturale, & ciuile, seu politicum; ità, & dominium; est nãmq; dominium ius, vt suprà dictum est.

2 Dominium naturale est ius alicui competens à natura, habendi rem, eaq; vtendi, vt ius Patris in filium, Viri in vxorem, & Domini in seruum.

3 Ciuile autem est ius alicui competens, non ex natura, sed ex dispositione legis Humanæ, vel Diuinæ, *Syl. ver. dominium, quæst. 1.*

4 Hoc item ciuile dominium est duplex, seculare, quo Reges, alijq; Principes suos gubernãt Vasallos; & Ecclesiasticum, quo D. Papa, & alij Inferiores Prælati, suis dominantur Subditis.

5 Verùmtamen, horum omnium dominium subdiuiditur in directum, vtile, & mixtum; prout colligitur ex *l. 1. ff. si ager vectigal.* nãm, vt notat *Paulus de Castro in l. proprietas, nu. 2. Cod. de probat.* in re corporali dantur tria; vtputà, nuda proprietas, vsusfructus formalis, & proprietas plena, scilicèt iuncta cum vsufructu; quam nos dominium mixtum, seu pleuum, & perfectum appellamus.

6 Dominium ergò directum, est vsus cõsistens in sola, & nuda rei proprietate, vt si quis sit fundi dominus, & fundi fructus, & vtilitates non percipiat, quæ ex fundo solent prouenire, sed aliquod tantùm vectigal in recognitionem directi dominij, quod habet in dicto fundo; prout colligitur ex *dict. l. 1. & l. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. possess.*

7 Vtile autem est ius in sola vtilitate consistens, quæ vtilitas ex fundo nascitur, & dicitur quasi dominium, vel dominium imperfectum; quia ità possidens, ad canonem tenetur, & vectigal soluit, vt dicitur in *d. l. 1. & l. 2. ff. eod.*

8 Mixtum verò, seu plenum amplectitur totam rei substantiam, seu proprietatem, & vsum; & secundùm hoc, dominium consueuit diffiniri, quòd sit ius de re corporali perfectè disponendi: nisi lege prohibeatur; prout docet *Bartol. in l. si quis vi, §. differentia, n. 4. ff. de acquir. possess. & Bald. in l. fœminæ, §. illud autem, Cod. de secundis nupt.* vbi dixit, ius dici de re corporali, quia in incorporalibus propriè non cadit dominium; sed quasi dominium, vt sunt iura, & actiones; sed hodiè ista differentia non atten-

attenditur: Et dicitur perfectè disponendi, quoniam rei suæ quisq; est moderator, & arbiter, idest, dispositor, *l. in re mandata, Cod. mandati*,

9 Proindè, emphytheota dicitur habere dominium vtile, & dominus, qui in emphytheusim concedit, dicitur habere dominium naturale directum, *Syl. ver. dominium, qu. 1. D. à Sancto Fausto, de domin. q. 2. & Megal. in promp. ver. dominiũ, in princ.*

Vsus, & vsusfructus, possessio, & proprietas quid sint, & quomodò à dominio differant? Qu. 4.

1 VSus est ius vtendi re aliena, salua eius substantia; hinc is, cui concessus est vsus alicuius prædij, vtiq; poterit ex illo colligere flores, fructus, & poma, pro se, suaq; familia. Verùm non potest hæc prædicta alteri dare, nec vendere.

2 Vsusfructus autem, est ius vtendi, & fruendi aliena re, salua tamen eiusdem rei substantia; & sic vsufructuarius, non solùm poterit, quæ dicta sunt de vsu; sed potest vltrà frui, hoc est, non solùm fructus consumere, si consumptibiles sint, eosq; convertere in sui vtilitatem: Verùm etiam, & alteri vendere, & donare; hoc enim est frui; vt post multos notant *Syl. ver. dominium, q. 2. Sot. & Bannes cit. loc.*

3 Dominus autem, ex quo perfectum habet dominium, quod plenum dicitur, vel mixtum: potest liberè disponere de qualitate, & substantia suarum rerum, hoc est, potest rei suæ proprietatem, & flores, & fructus, & quidquid illius sunt, consumere, dare, vendere, vel commutare.

4 Possessio verò est corporalis rei detentio, corporis, & animi adminiculo interueniente, & iuris causa, seù titulo suffragante, & ob id rerum incorporalium, vt sunt iura, & actiones, non datur propriè realis possessio, sed quasi, *l. sequitur 4. §. si viã, ff. de vsucapionib.* nec etiam si deficiat animus, aut corpus, aut ius: quapropter fur, & latro non dicuntur possessores, sed iniusti detentores, ità *Hostien. in summ. de causa possess. & propr. Syl. cit. loc. q. 2. & Cuiacius in Paratblis Codicis, lib. 7. titul. 32. de acquirend. & retinend. possess.*

An in rebus consumptibilibus possit vsus à dominio distingui? Qu. 5.

1 AFfirmant *Doctores*, vtraq; lege suffulti; Diuina, scilicèt, & Humana. Diuina quidèm, quia *Deutor. 23.* lege cauetur, vt vnusquisq; ingrediens vineam proximi sui, posset vuas comedere, non autem foràs extrahere: ergò vuarum vsus erat apud ingredientes; dominium verò pęnès Dominum vineæ.

2 Id ipsum habetur in *Actis Apostolorum, cap. 2.* vbi erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuiq; prout cuiq; opus erat; & tamen dominium illarum rerum non erat pęnès omnes fideles.

3 Quibus additur ius humanum; nàm *Instit. de vsu, §. minus, de vsu, & habitat.* dicitur, quòd quis potest habere vsum olerum, & florum pomarij, non tamen habere dominium, vt possit eas vendere, & alienare; & duo *Decreta* Romanorum Pontificum, nempè *Nicolai 3. in cap. exijt, qui seminat, de verb. significat. in 6. & Clement. 5. in Clem. exiui de Paradiso*; quibus idem definitur, prout notat *Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 1. ar. 1. Bannes 2. 2. ad quæst. 62. q. 1. ver. dub. est solemne, Nauar. in cap. non credatis, q. 1. nu. 3.* & alij plures, quos citat *D. Barthol. à Sancto Fausto 2. p. specul. Confess. disp. de dom. q. 6.*

4 Proindè, Mendicantes omnes, & signantèr Minores, nullo modo posse dici proprietarios, sed verè vsuarios; quia rerum sibi cõmissarum, vt purà panis, vini, & aliorum vtensilium, profectò dominium non habent, nec facultatem liberam de illis disponendi; sed esse pęnès Romanum Pontificem, illisq; vtuntur rebus, vti bonis Papæ, & Papæ conuiuæ; & sic, vniuersalitèr tene, quòd omnis vsus, cuiusuis rei distinguitur à dominio; siuè res sit non consumptibilis vsu, vti est ager, domus, & prædium; siuè sit vnico actu consumptibilis, seù consumabilis, prout est vinum, quod haustu vno consumitur; siuè sit multiplici actu consumptibilis, prout sunt vestes, & libri, qui in dies atteruntur per vsum; quia vsus est effectus dominij; dominium autem, se habet, vt causa, sed causa, & effectus distingũtur realitèr; & sic vnum potest stare sine alio, vt manifestè patet in rebus locatis, vel conductis, quarum vsus reperitur pęnès conductorem, dominium verò pęnès locatorem, & in alijs nobis cõcessis ad vsum, de quibus nullatènus possumus disponere, sine Superiorum licentia, saltèm interpretatiua.

5 Nec obijcias, quòd vsus sit ius vtendi rebus, salua earum substantia, & quòd impossibile sit, quòd aliquis homo vtatur rebus, quæ vnico actu consumuntur, prout est panis, vinum, & similia; & quòd salua remaneat prædictarum rerum substantia; ergò exindè dices, in his saltèm rebus vsum non posse à dominio distingui: nec subiungas in vim confirmationis, quòd

actus.

actus dominij in rebus huius generis sit ipsamet sumptio ipsarum.

6 Nàm huiusmodi rationes, prout aiūt *Sot.* & *Bannes* in præcit. *loc.* procedunt de dominio actuali, quod impropriè ità dicitur, cùm sit verè exercitium dominij, & ipsemet actualis vsus rerum prædictarum, vt infrà declaro: fallunt autem de dominio habituali.

7 Datur enim duplex dominium, sicut duplex vsus, nempè, habituale, quod à iuris prudentibus consueuit appellari, vsus iuris, seù propria habitualis facultas, seù potestas in actu primo liberè disponendi de rebus: & actuale: quod itèm solet dici, vsus facti; seù actualis vsus in actu secundo, quod est propriè exercitium habitualis dominij; & iste actualis vsus rerum prædictarum largè, & impropriè dominium appellatur, cùm verè ab ipsomet actuali vsu non distinguatur; quia nulla res distinguitur à se ipsa, & entitate sua, prout omnes sciunt.

8 Dixi, impropriè, & largè, quia verum dominium, strictè, & propriè sumptum, est plena, & perfecta habitualis facultas disponendi de re, in omnem vsum, lege permissum, sine dependentia ab alio, vt dictum est suprà.

9 Vicarij autem in casu posito non possunt ad libitum, & in omnem vsum disponere de substantia prædictarum rerum, quia habent, v.g. circa vinum ius limitatum. & dependens ab alio: quapropter, & si possint vinum bibere, non tamen possunt illud vendere, nec commutare, nec alteri dare, vt diximus de vuis Iudeorum.

10 Quippè qui possunt item, & impediri in actuali vsu, antè vsum, & post vsum, nè prædictis amplius vtantur: & hoc ideò; quia eorum licentia reuocabilis est, & pendet à voluntate veri domini: quæ omnia repugnant rationi veri dominij, consistentis in facultate prædicta, vtendi re liberè, & independentèr ab alio.

11 Nec tandèm decisis obstat, quòd Papa *Ioannes vigesimus secundus*, post *Nicolaum* 3. oppositum determinauerit in *extrau. ad conditorem*, & quòd *D.Thom.* 2.2. *q.*78. *ar.*1. *in princip. corpor.* astruat, ex eo non licere vsuram pro pecunia mutuata accipere; quia scilicèt venderetur id, quod non est, vt putà, vsus pecuniæ, vti distinctus à pecunia ipsa, quem quidèm vsum in genere moris præsupponit, ab ipsamet pecunia non distingui; secus in genere entis, prout *ibid. Caiet.* aduertit, & *Turrecremata in summ. de Eccles. lib.*2. *cap.*112. *in respons. ad nonum*, & *D. Anton. p.*4. *cap.*4. §. 10. & *Syl. in sea mm. ver. dominium, q.*2.

12 Quia hi, & consimiles debent intelligi, iuxtà prædicta, nisi fortè velis dicere, prædictum Papam *Ioannem* discurrendo veluti particularem Doctorem, esse opinionis contrariæ, & *D.Thom. vbi suprà* fuisse loquutum de pretio prædictarum rerum, quod nēpè exigi non potest seorsum, aliud pro vsu, & aliud pro re: secus autem de dominio, quominùs dominus possit vsum restringere, vt illo alij non vtantur, eo modo, & forma, ad verum dominium requisitis, prout volunt, & docent præcit. *Doctores*.

*Titulus quid, & quotuplex sit, & an à dominio distinguatur? Qu.*6.

1 Est sanè titulus radix, & basis, seù principium, & causa moralis ipsius dominij, & ob id, tanquàm causa, & effectus distinguitur ab illo: causa enim, & effectus realitèr distinguntur, prout docent *Philosophi*.

2 Proindè, dicenti alicui, se esse dominum alicuius rei, solemus dicere, ostende titulum, hoc est, fundamentum, & basim tui dominij; prout notat *Sot. cit. loc.* & *Molina tom.*1. *de iustit. disp.*4.

3 Titulus autem absolutè sumptus, potest esse duplex, nempè, à natura, & lege. Titulus iuris naturalis est ipsamet conseruatio vitæ humanæ, ob quam Deus, & natura, in omnia Terræ nascentia, sine quibus humana vita conseruari nequit, dedit homini appetitum, se conseruandi, & ius vtendi alimento; & sic parentum titulus in proles, est naturalis genitura, & titulus, quo quisq; propria possidet, est ius gentium, quo facta est prima rerum diuisio.

4 Titulus verò legalis, ceù est emptio ad empta, venditio ad vendita, electio in ordine ad Prælatos, & similia, quæ lege aliqua, vel præscriptione possidentur, subdiuiditur in verum, & præsumptum titulū.

5 Verus est, quando adest vera causa, seù radix, ex qua pullulat dominium, vt cū quis agrum emit à vero domino, tunc sic emens dicitur habere verum titulum, qui erit rei emptæ venditio, sibi facta ab homine habente facultatem disponendi liberè de re iam dicta.

6 Præsumptus autem, quando præsumitur vera causa, & radix, & tamen ex parte rei non reperitur; vt si quis bona fide dominium emat à Caio, quem putat dominum esse, & illius domus alienandæ facultatem habere. Ceterùm non ità est; talis emptio, bona fide facta, sic adeò iustificat contractum, vt tali modo emens, si sit dominum adeptus; faciat fructus suos, & iusto titulo possidet, non quidem vero, sed præsumpto,

& colo-

& colorato; pront dicitur in *ff. cod. l. pignor. §. 1. & ff. pro empt. l. 11. §. si à pupillo*, & notant *Syl. in summ. ver. vsucapio*, q. 4. & *Glos. in cap. dudùm*, il 2. *de elect. ver. intitulatam.*

An iustus titulus, & rei traditio requirantur necessariò, ad acquisitionem dominij? Q. 7.

1 ET dico, quòd sic; prout habetur in *l. traditionibus, C. de pactis, & in l. nunquàm, ff. de acquirend. rerum dominio.*

2 Hæc requiruntur ex legum dispositione, non autem de iure naturæ; nàm de iure naturæ, ad alicuius rei acquirendum dominium, vt infrà dicemus, non est necessaria ipsa traditio, est tamen rationi consonum, vt tunc ab vno in alium intelligatur translatum dominium, quando desinit esse sub potestate prioris domini, & transit in potestatem posterioris. *Petrus de Rauen. in singul.* 883. & *Glos. & Bartol. in l. 1. ff. de dote legata, & tex. in l. qui tibi, C. de hæreditate, vel actione vend.*

3 Sed nota diligentèr, quòd iste transitus, sola venditione, vel promissione, aut donatione non perficitur: proindè si quis rem suam vendidisset Petro, cui non tradidit, si postmodùm venderet Antonio, & traderet: in tali casu Antonius acquireret verum dominium illius rei venditæ, etsi Petrus habeat actionem damni passi in venditorem, vt deciditur in *l. quotiès, C. de rei vend. c.* & docent *DD. ibid.*

4 Fallit tamen prædicta decisio in multis; & primò, in pacto legis commissoriæ, & adiectionis in diem: vbi ipso iure transfertur dominium sine traditione, vt post *Glos. in l. 1. ff. de donat.* tenet idem *Rauenna in singul.* 879.

5 Secundò, in donatione causa mortis; ità post multos *Megal. in prompt. ver. domin. num.* 12.

6 Tertiò, fallit in vltima voluntate, vtputà in testamentis, & legatis certæ speciei, & in successione ab intestato, in bonis defuncti: quibus in casibus satis est hæredi acceptare hæreditatem, & legatarijs acceptare legata post mortem legantis; prout habetur in *ff. de legatis, & in ff. de acquir. poss.* & *Bart. in d. l. traditionibus, nu. 2.* per tex. *l. 1. & 2. Cod. commun. de legat.* quod sequitur *Faust. de dom. q. 5.*

7 Quartò, in acquisitis ex legis dispositione, vtputà, quando res incidit in commissum, *Doctores cit.* itèm in donatione, & venditione facta Ciuitati, Ecclesiæ, vel alijs pijs locis, aut in redēptionem captiuorū, *l. vlt. C. de sacrosanctis Eccl.* aliasq; multas fallentias vide in præcit. *Auctoribus*, & *Monter. in d. l. traditionibus, C. de pactis.*

Dominiū quot modis acquiratur? Q. 8.

1 ET dico, quòd omne dominium acquiritur duplici modo, nempè iure naturæ, seù gentiū, & ciuili: primo modo, ea omnia per occupationē acquirūtur, quæ nō sunt in bonis alicuius: Feræ igitur, Bestiæ, Volucres, Pisces, & omnia animalia, quæ Mari, Cœlo, & Terra nascuntur: sic itèm gemmæ, & thesauri sunt primò occupantium, prout dicitur in *§. feræ, Instit. de rer. diuis.* quod extenditur ad ea, etiam, quæ ab hostibus capiuntur.

2 Iure autem ciuili potest acquiri rerum dominium, nempè præscriptione, vsucapione, abrogatione, monachatione, testatione, successione, alijsq; modis, de quibus omnibus *Syl. Sot. Bannes*, & *Megal.* præcit. *loc.* vbi multa huius generis habes.

Dominium habere, quibus nàm propriè competat? Quæst. 9.

1 REspondeo, quòd illis solis competit, qui vigent intellectu, & arbitrio; quia illi soli competit habere dominium, qui liberè, & ex electione operatur, prout docet *D. Thom. 1. 2. q. 1. ar. 1. & 2.* operari autem liberè, & ex electione idem est, quod finis, & mediorum rationem cognoscere, quod nequit esse sine intellectu, & voluntate.

2 Hinc, qui sui, suarumq; actionum dominium non habet, multò minus, aliarum rerum poterit habere dominium; qui sibi non præest, quomodò poterit alijs præesse? qui sui iuris non est, quomodò erit ceterorum? vt benè demonstrat *Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 1. ar. 2.* & *Bannes 2. 2. ad quæst. 62. q. 2. ar. 1. & 2.* quos, multis citatis sequitur *Molina tom. 1. de iustit. disp.* 18.

3 Hinc, Deo optimo maximo primò, & principalitèr conuenit, rerum omnium, habere dominium, iure naturæ, titulo creationis, & conseruationis; prout in *Psal. 23. Domini est terra, & plenitudo eius, & Iud. 9. Deus Cœlorum, Creator Aquarum, & totius Creaturæ, & Isai. 44. Ego Dominus faciens omnia.*

4 Fuit quidèm ab æterno, potestate dominus, ab Orbe tamen condito, vsu, & actu; nàm anteà nullæ erant res, quæ illi parerent: nisi velis, nihilum pro re vsurpari, super quod ab æterno ferè suam potuisset exercere potestatem, sicut in tempore,

V

pore, ex nihilo cuncta creauit.

5 Secundò, conuenit Angelis; & hoc tàm respectu suarum operationum naturalium, vtputà, cogitationum, & volitionum, ob quas, dicuntur habere dominium dominatiuum, de quo loquitur *Sot. cit. loc.* quàm etiam, respectu aliarum rerum corporalium, in Orbe positarum, ob quas dicuntur habere dominium gubernatiuum, prout *Arag. & Salon in 2.2.q.62. ar.1. & 2.* Deus enim omnia corporalia gubernat, medio ministerio Angelorum, iuxtà illud *Pauli ad Hebreos 1. omnes sunt administratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos*; etenim ad hæc ministranda habent Angeli ius non minus, quàm Rex, vel Magistratus, quibus Populi cura commissa est, prout legitur *Daniel. 10.* dixit Angelus Danieli, *& nũc reuertor, vt prælier aduersus Principem Persarum; cũq; egrederer, apparauit Princeps Græcorum*, in quibus locis Angeli vocantur Principes, & Domini.

6 Et tandèm, in Terris, & in Sublunaribus conuenit soli homini; quia in terris solus homo est ratione præditus, libertate munitus, & omnia corporalia in sui commoditatem ordinat, prout habetur *Genes. 1.* vbi Deus dixit, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maribus, volatilibus Cæli, & bestijs terræ*; etenim fieri ad Imaginem Dei, nil aliud est, quàm fieri intellectu, & voluntate liberum; hæc enim est facies Dei, per quam factus est homo, Dominus omnium Creaturarum, præcisè Sublunarium.

7 Quamobrèm, bruta animalia, prædictarum rerum omnium nequaquã possunt habere dominium; quia nec media eligũt, nec finem cognoscunt, tenduntq; in Herbas, & Aquas, instinctu naturæ; quæ quidèm Iumenta, etsi crebriùs dicantur Pecudum Reges, vel Duces, vt Apes, & Grues; non ideò possunt dici, illorum habere dominium: nisi metaphoricè, equiuocè, & abusiuè, ob vmbram quandam dominij, quod reperitur in homine; ità *Sot. cit. loc. ad 1. & 2. argument.*

Dominus humanæ vitæ, quisnàm sit? Quæst. 10.

1 Sinè controuersia, Deus solus est nostræ vitæ Dominus; quia ipse solus vitæ, & mortis verum habet, & absolutum dominium, ità vt non solùm vti Iudex puniendo, vel tanquàm iustus defendendo, sed absolutè, veluti Auctor humanæ vitæ, potest omnes homines occidere, & de nobis omnibus disponere, sicut, & nos de pecoribus nostris; quod manifestè colligitur ex sacræ scripturæ testimonijs, nã *Deut. 32.* legitur, *ego occidã, & ego viuere faciã, & 1. Regũ 2. Dominus viuificat, & mortificat*; & *Sap. 16. tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*; prout docet *D. Thom. 2.2. q.64. ar.5. ad 2.2. & 3. argum. & q.77. ar.2. ad 2.* & *Caiet. ibid. & q.150. ar.2.* quem sequitur *Magister Victoria in relect. de homicid. nu.23.* & *Bannes 2.2. ad quæst.62. disput.2. de domin. conclus.4.*

2 Proindè, benè Deus, tanquàm vitæ dominus potuit Abrahæ præcipere, vt filium suum Isaac, in sacrificium immolaret, & Sauli, vt interficeret omnes Malachitas, etiam Innocentes; & *Iosue 6.* filijs Israel, vt interficerent, etiam Innocentes quarundam gentium, habitantium in terra promissionis, & hac absoluta potestate multotiès est Deus vsus, prout notat *Bannes cit. loc. in fin.* prædictæ *disput.* vbi *in princ.* huius generis multa habes.

3 Quapropter, Respublica non erit domina, sed custos, & tutrix vitæ ciuium, prout etiam homo, est tantùm custos, & tutor vitæ propriæ, suorumq; membrorum, ac aliarum rerum, quæ absolutè censentur necessariæ ad vitæ humanæ conseruationem, non autem dominus, & patronus; nã sicut fieri potest, quòd aliquis habeat dominium Agri, Ouium, & similium, & alius illorum vsum, & vsumfructum: ità, cęteris paribus dicendum est, quòd Deus Optimus Maximus, sibi retinuerit dominium vitæ nostræ, membrorum, & salutis, & quòd nobis concessit vsum, & custodiam; quod ratione suadetur; nàm vita nostra est fundamentum omnis dominij humani, quia antequàm quis vitam accipiat, nullius dominij est capax, & veluti fundamentum dominij non potest cadere sub dominio, ceù fundamentum omnium accidentium non potest esse accidens. Et adde, quòd præsens vita nostra, aut sumitur pro ipsa anima, quatènus informat corpus, aut certè pro operatione animæ vegetatiuæ, quæ est simpliciter necessaria ad detinendum animam in corpore.

Neutra autem stat sub libero arbitrio nostro; quia tàm coniunctio animæ cum corpore, quàm operatio animæ vegetatiuæ pendet à solo arbitrio Diuino.

4 Hinc, nullus homo potest se ipsum interimere, nec vitam, nec sua membra, pretio vendere, nec illa pro pecunia commutare; quia, vt dictum est, non est dominus, sed custos, & illorum, & vitæ vsuarius; quod decisum habes in *l. liber homo, ff. ad leg. Aquiliam*, vbi expresse habetur, nemi-

nem

nem esse dominum suorum membrorum, quod egregiè ostendit *D.Thom.cit.loc.* 2.2. *q.64.art.5.*& *Couar. lib.1.var.resol.c.2.nu.*8.

5 Nec his obstat, quòd quis possit pro amicis vitam propriam perdere, iuxtà illud, *maiorem Charitatem nemo habet, &c.* & pro salute corporis, putre membrum abscindere; quia hæc non arguunt, hominem suæ vitæ, vel membrorum habere dominium, vel ad sui libitum de illis posse disponere: sed posse anteponere opus virtutis, nempè charitatis, fidelitatis, & amicitiæ, vitæ corporali, quod Diuino, & naturali iure laudatur, & membrum pro salute exponere, non fit libertate, sed necessitate, quæ dominij rationi repugnat.

6 Nec nocet illud dictum *Ecclesiast. cap.15.* quòd Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: hoc enim refertur ad actiones morales, quarum homo dominiū habet, quippè quas potest in sui commodum spirituale, vel corporale exercere, suo arbitrio, & voluntate.

7 Nec itèm officit, quòd Princeps, & Respublica possit suum subditum euidentissimo vitæ periculo exponere, vel occidere; quia hoc facit ratione communis boni, vel in pœnam patrati criminis, quod tàm Princeps, quàm Respublica potest, ob bonum commune, vtputà, propter publicam pacem, & communē vtilitatem, & ciuium tranquillitatem, quorum omnium Princeps, & Respublica sunt custodes, & tutores, non autem domini absolutè.

8 Proindè, qui se, vel alium occidit, facit iniuriam Reipublicæ, non, quòd sit vitæ hominum domina; sed quia tutrix, & custos, ceù qui violat puellam commissam tutori, iniuriam facit, non solùm puellæ; verùm etiam, & tutori, sub cuius custodia illa manet; ità *Sot.lib.4. de iust. q.2.ar.3.* & *Bannes 2.2. cit.loc. conclus.4.* quos, multis citatis sequitur *Valentia tom.3.disp.3.q.10. p.* & *Salon.2.2.quæst.62. ar.1. &* 2.

An homo, ità sit suæ famæ dominus, vt licitè possit se ipsum infamare, atq; negligere, ceù pecuniam, & alia bona fortunæ? Quæst. 11.

1 Affirmant DD. si sermo sit de fama, per se sumpta, absoluta à scandalo, & præcisa ab omni aliorum damno; secus autem, si sit alijs debita, vel alligata; ità expressè *D.Thom.2.2. q.73.ar.4. ad 1.* vbi ait, *& tunc sui arbitrij est, detrimentum suæ famæ pati; nisi hoc vergat in periculum aliorum*; & *Sot.de iust. lib.4.q.2. ar.3.concl.4. & q.10.ar.3.& de tegendo secreto, membro 1.concl.3. Bannes 2.2. ad q.62.disp.2.de dom.conclus.5.Sanchez* post multos *de statu relig.lib.6.& 8.n.43.*& antè eum *Nauar.lib.2.de restitut.cap.4.nu.14. & in summ. cap.18.* & *Couar. lib.2. variar.resol. cap.2. nu.*8.

2 Et hoc ideò, quia honor, & fama, teste *Arist. 1.& 10.Ethycorum*, est præmium virtutis; ergò sicut potest homo disponere de bonis, quibus fama comparatur; sic itèm, & de eorundem bonorum præmio, quod fama est; est enim homo eorum omnium dominus, quæ suo libero arbitrio acquiruntur; prout idem *Sanct.Thom.2.2. q.64. ar.5. ad 3.* honor autem, & fama, vt constat, proprio labore, propriaq; industria acquiruntur, & augentur.

3 Hinc, possumus famam negligere, & nos infamare; citrà tamen aliorum interesse, quemadmodùm, & nostram pecuniā erogare, & alia fortunæ bona elargiri: etenim fama computatur inter alia bona fortunæ, vt dictum est, & sic infamare, non est intrinsecè malum, sed indifferens; prout de communi docet *Nauar.cit.loc. de restit. c.4. nu.4.* & sic quidèm potest, bono fine, honestari, sicut, licèt crimen prodigalitatis sit, absq; rationabili causa, alijs sua bona omnia temporalia donare; sine tamen eleemosynæ, vel, vt quis perfectius viuat, prodigalitas non censetur; sed insecutio consilij Euangelici, illius, scilicèt, quod habetur *Matth.19. vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus*; & *Luc.14. qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, &c.*

4 Quamobrèm, licitum erit aliquando defectus, tàm propriæ culpæ, quàm naturæ, ex causa honesta, & rationabili propalare, & indicere; quod, nedùm peccatum non erit, sed opus virtutis, & meritorium, vt cū quis crimen suum, etiam extrà Confessionem Sacramentalem, suo Confessori, vel cuicunq; Amico, Aduocato, vel Chyrurgo reuelat, ad capiendum consilium, vel ad maiorē sui humiliationē, vel proximi ædificationem; prout fecit *August.* & *Anselmus*, & alij multi, qui sua peccata, nedùm voce, sed etiam scriptis detegerunt; prout *Clauis Regia Sacerd.lib.11. cap.3. proposit.1. num.32. Bonac. tom.2.de restit. in particul.disput.11.q.4. pun.10. proposit.1.nu.2.* & nouissimè *Ioan.Sanchez in select. disp.46.nu.9.* & *D.Barthol. à Sācto Fausto 2.p. specul Confess.de dom. disp.1.q.23.& 24.*

5 Et quamuis hæc hactènus vera sint: caueant tamen Confessarij, suis pœnitentibus facultatem concedere, vt publicè possint sua peccata indicere, sine humilitatis, vel

vel confusionis, aut excitandi in se maximum dolorem: nàm satis probabilitèr timetur scandalum, vt docet *Suarez de pœnitentia, disp. 21. sect. 2. nu. 8.* & *Ioan. Sanchez cit. loc. num. 22.*

6 Huiusmodi namq; proclamationes solent magis obesse, quàm prodesse, prout dicitur in *cap. hoc videtur 22. q. 5.* & *ibid.* noster *Turrecremat.* sine autem rationabili causa, se ipsum infamare, malum est, & graue: tùm quia, de sua natura peccatum debet celari, & fama, sicut alia bona omnia debet custodiri, iuxtà illud *Eccles. 14. curam habe de bono nomine*: ex debito ergò naturæ vnusquisq; tenetur, se diligere, suaq; bona tueri.

7 Quàpropter, se infamantem *Caiet. 2. 2. quæst. 73. ar. 2. ver. circa detractionem*, non excusat à mortali; & sequitur *Greg. de Valent. disput. 5. quæst. 17. pun. 2.* & *Aragon. 2. 2. q. 62. ar. 1. & 2.* quia fama, omni temporali commodo præferenda est, *l. Iulianus, ff. si quis omiss. causa testamen.* & honor, & vitæ æquiparantur, *l. iust. caus. ff. de manumiss. vindict. l. sed isse quidèm, ff. quod metus causa, l. vt vim, ff. de iust. & iure*, vbi habetur, ad defendendum honorem posse aggressorem occidi, ac si vellet eripere vitam, *Bald. in l. 1. C. de Confess. Panormit.* & *Felin. in cap. 1. de testib. cogend. Io. Lupus in tract. de Regno Nauarræ 3. p. §. 2.* & noster *Paludanus 4. distin. 21. q. 2. ar. 3.* & habetur in *cap. Sacerdotibus 11. quæst. 6.* quia bona sine causa dilapidare, malitiosum est: & eò fortiùs, si ex infamatione sui ipsius sequatur aliorum scandalum, vel ruina; quia væ Mundo à scandalis; & væ illi, per quem scandalum venit, quia scandalizantes sunt alijs occasio peccandi, propter mala exhibita opera; perindè peccant mortalitèr, si qui perperàm, & sine iusta causa peccata sua occulta deregant, ceù sunt illi, qui ad finem iactantiæ, vel complacentiæ gloriantur peccasse: etenim ex horum auditu iuuenes, aut scandalizantur, aut sollicitantur ad peccandum, aut alicui malo exponuntur; quia in his, & crebriùs complices produntur, quippè quæ, si sint feminæ, vel masculi, vel fama priuantur, vel morti destinantur.

8 Quod itèm extenditur ad eũ, qui se verè, vel falsò infamat de turpi, graui, & atroci crimine, vtputà de Heresi, de Patriæ, vel Reipublicæ proditione, de peccato nefando, de simonia, & de alijs pessimis, ob quæ habetur aliorum scandalum, aut damnum, & interesse; *Sot. de iust. lib. 4. quæst. 6. ar. 3. ad 4. dub. 3. concl. 2. & lib. 5. quæst. 10. ar. 2.* propè *finem*, *Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 2. n. 8.* & *Nauar. in summ. cap. 18. n. 58.*

9 Nec non ad personam publicam, cuius fama est necessaria, & valdè vtilis, tàm propriæ saluti spirituali, & corporali, quàm etiam eorum, quorum curam habet, vel Reipublicæ, & Communitati, quibus præest, & præfixus manet.

10 Hinc, Prælatus non potest, quin mortalitèr peccet, suam famam prodigere; quia eius infamia vergeret in damnum Subditorum suæ Religionis, & Reipublicæ, quorum commune bonum, & omnia media ad illud necessaria tenetur ex debito iustitiæ procurare, custodire, & stabilire; nec potest huic suo iuri, & obligationi cedere, vel renunciare, sine notabili damno Communitatis, & Reipublicæ, prout elegantèr *D. Thom. 2. 2. q. 73. ad 1.* & *Nauar. in d. sum. cap. 18. nu. 28.*

11 Quod procedit in omni Religioso, cuius fama ex iustitia est obligata Religioni, & statui, in quo reperitur; etenim delicto, & culpa vnius Religiosi solet tota Religio infamari, & Communitas cõtemni, & mancamentari.

12 Id ipsum procedit in Parentibus, & Consanguineis, quorum infamia, aut transit ad filios, & heredes, soletq; obscurare, vel dehonestare stirpem totam, & familiam; & in alijs multis casibus, de quibus vide præcitatos *Doctores*: ex quibus facilè poteris colligere, quòd aut rarò, aut nunquàm fama reperitur absoluta, & nemini debita; & consequentèr in paucis conceditur, se ipsum infamare.

An vnus homo possit alteri dominari? Quæst. 12.

1 De iure Gentium, & Ciuili, sicut potest quis effici seruus, ità, & dominus: quia seruus refertur ad dominum, & è contra: sunt vtriq; relatiua.

2 Duobus autem modis potest quis effici seruus: nempè iure emptionis, & venditionis, ceù quando homo est liber, & ob pretium, se ipsum vendit, & tradit in seruitutem alterius: prout sępè fiebat in lege veteri, & habetur in *2. Exod. et cap. 25. Leuit.*

3 Et iure belli, qui enim iusto bello capiuntur, iure gentium, sunt serui capientium, quæ quippè seruitus licita est, & iusta, secundùm illud *2. Petr. 2. à quo quis superatur, eius seruus est*: immò hoc opus dicitur misericordiæ: quia cùm homo miles posset hostem interficere; misericordia, & pietate, seruat illum in mancipium.

4 Proindè, homines in bello capti appellantur mancipia; quasi ab hostibus manicipari, & dicti sunt serui, à seruando; quia cum

cùm capti sint in iusto bello, iustè possunt occidi; à victoribus tamen seruantur, morte commutata in seruitutem; ità *D. August. lib. 19. de Ciuitat. Dei, cap. 15. Sot. de iustit. lib. 4. quaest. 2. ar. 2.* & *Couar. in Regul. peccatum, p. 2. §. 11. num. 1.*

5 Secus autem dicendum de iure naturali, quia iure naturæ nullus homo est seruus, nec dominus; sed omnes liberi, & pares; prout idem *August. cit. loc.* dicitur namq; *Eccles. 5. fecit Deus hominem rectum*, hoc est, liberum; & verè nunquàm fuit dictum homini, vt dominaretur homini, sed Piscibus Maris, & Bestijs Terræ.

Quonàm tempore, & iure, sint introducta, & multiplicata dominia? Q. 13.

1 IVre naturali, & Diuino, omnia forent communia, si Adam non peccasset; exceptis tamen vxoribus, prout colligitur ex 1. *Gen.* vbi per Deum optimū maximum facta fuit homini, in communi rerum possessio, & docent *Isydorus lib. 5. & Gratianus in decret. dist. 1. cap. ius naturale*, & *ibid.* scite noster *Turrecremat. Sot. de iust. lib. 4. qu. 3. ar. 1.* & *Bannes 2. 2. ad q. 62. art. 2.* Quia in illo felici statu innocentiæ, vel terra, etiam inculta, spontè fuisset fructifera, vel parua indiguisset cultura, quam homo faciliter, de se sine iussu præstasset: quoniàm post peccatum dictum est ei, *in labore vultus tui vesceris pane tuo*: Et per peccatum, nedùm Mors, sed etiam Auiditas, Ambitio, & Discordia transierunt in Mundum vniuersum.

2 Quod itèm fuit renouatum ex particulari Dei prouidentia, post Diluuium, *Gen. 9.* vbi *Noë*, & filijs eius dictum est: *crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & replete eam*; & sic in communi ad certum tempus possederunt omnia.

3 Post verò peccatum facta est prima rerum diuisio, iure gentium, quo scilicèt gentes omnes vtuntur, hoc est, ex consensu Populorum, predictam diuisionem statuentium, & approbantium, vt definitur in *Decret. dist. 1. cap. 9.* quod ius gentium est sedium occupatio, vt *ff. de iust. & iur. l. ex hoc iure dominia distincta*, & habetur in *caus. 12. q. 1. can. dilectissimis*, vbi habetur, quòd communis vsus omnium, quæ sunt in hoc Mundo, omnibus hominibus inesse debuisset, sed per iniquitatem (supple primi parentis) alius hoc dixit esse suum, & alius istud.

4 Perindè, communi omnium iudicio, factum est, vt res fiant propriæ, & inter homines diuisæ; & hoc, ex causa rationabili, & bono fine, ad hoc, scilicèt, vt cessassent litigia inter homines, & foueretur pax, vel staret camporum cultura, & abigeretur hominum negligentia; quod patet ex eo, quod *Gen. 4. Abel* offerebat de primogenitis Gregis sui, & *Cain* de fructibus Terræ: quæ quidèm res, nisi fuissent prædictorum propriæ, non fuissent laude dignæ, & *Gen. 13.* orto iurgio inter Pastores *Abraham*, & *Loth* fuit Terra diuisa.

5 Ad hanc tamen primam rerum diuisionem subsequutæ sunt aliæ multæ de iure Ciuili, & positiuo: prout docet *D. Thom. 2. 2. qu. 66. ar. 2. ad 1.* & habetur in *cap. quo iure, distin. 8.* vbi habetur, quòd iure humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea, & sic tolle Imperatorum iura, & desinit meum, & tuum.

6 Nec his obstat, quòd dominia sint à Deo immediatè, per naturam operante; prout docent *D. Thom. lib. 3. de Regim. Princ. cap. 1. Victor. relect. 3. de Ciuil. potestate*, & *Sot. de iust. lib. 4. q. 4. ar. 1.* & habetur in *cap. audacter 8. q. 1.* & *Ioan. 19.* vbi dicitur ad *Pilatum, non haberes in me potestatem vllam, nisi desupèr tibi datum fuisset.*

7 Quia sicut leuia, & grauia, à generante mouentur naturalitèr, sursum, vel deorsum, hoc est, Auctore naturæ, habent talem inclinationem naturalitèr se mouendi: ità homo, Auctore naturæ, est animal sociabile, hoc est, naturalitèr inclinat, in societate viuere, ad hoc, vt omnia sibi necessaria possit habere; indiget enim multis, quæ sibi solus non valet administrare: quamobrèm, dictum est ei, *non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi, Gen. 2. & Eccles. 4. melius est ergo, duos esse simul, quā vnum: habent enim emolumentum mutuæ societatis; & si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.*

8 Sic itèm naturalitèr inclinat, ab vno regi, & gubernari: prout idèm *D. Thom.* docet ex *Aristot. 1. polit. cap. 5.* & *Salomon Prouerb. 11. vbi non est Gubernator, Populus corruet*; & *Seneca lib. 1. de clementia, cap. 4. ille Rex, ait, est vinculum, per quod Respublica cohæret, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda; si mens illa Imperij subtrahatur*: vt perbellè *Bald. in d. l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur.* vbi multa cumulat pro necessitate capitum, ad societatem conseruandam; & habetur in *cap. quia diuersitatem, de concess. præb.* habent enim homines mentes diuersas, & ex necessitate cogente, omnia indigent capite.

9 Et sic quantum ad substantiam, seù natiuitatem dominia introducta sunt, iure Diuino; quia Deus creauit hominem, cum

supra-

supradicta inclinatione, & appetitu viuendi in societate, & regendi ab vno capite: quò verò ad distinctionem, & appropriationem instituta censentur à iure gentium, & Ciuili; prout suprà dictum est, & docent *Bald. & Bart. in dict. l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. num. 5.*

Ius gentium quid sit, & quomodò distinguatur à Iure Ciuili? Q. 14.

1 CVM lex, quatènus apud homines extat, adæquatè diuidatur in naturalē, & positiuam; omnis enim nostra lex, vel est notitia rerum moralium, insita à natura; & sic naturalis, quæ est vna immutabilis, omnibusq; communis, ex eo, quòd vbiq; instinctu naturæ, non constitutione aliqua, habeatur.

2 Vel est iussio lata à Superiore; & sic est positiua; rectè quæritur; ad quam partem spectet ius gentium, an sit de genere legis naturalis, vel legis positiuæ?

3 Et omissis aliorum placitis, dico simpliciter, esse de genere legis positiuæ: esseq; propriè legem quandam humanam; etenim ius gentium, & ciuile, penès hoc differunt; quia ius gentium est commune omnibus Nationibus; ius autem ciuile est proprium, & peculiare huic Ciuitati, aut Regno, aut Nationi: ius ergò gentiū est illud, quod fuit constitutum consensu, & conuentione, seù moribus, & consuetudine omnium Populorum.

4 Ius autem ciuile constituitur auctoritate, & iussu talis Reipublicæ, seù Principis, in propria Ditione, & Loco.

5 Perindè, dicitur ius gentium, quasi positum ab omnibus gentibus, & quo omnes gentes vtuntur; quod nequit dici de iure ciuili; quia hoc non ab omnibus, sed à quibusdam positum est; prout docet *D. Thom. in 1.2. quæst. 95. ar. 4.* vbi quærit diuisionem humanarum legum, aitq; legem humanam, & positiuam diuidi in ius gentium, & ius ciuile.

6 Benè verum est, quòd *ibid.* docet, omnem legem humanam deriuari à lege naturæ, quod anteà dixerat, non sic adeò, quòd lex humana debeat cōtinere eadem præcepta naturalia; sed quia debet habere conuenientiam, & conformitatem quandam cum naturali lumine rationis, vt ea, scilicèt, iubeantur, quæ conuenientia sunt rationi; sicq; itèm intelligitur, cùm ait, quòd ius gentium ea continet, quæ deriuantur à principijs naturalibus, per modum conclusionis, ideſt, quæ concluduntur esse rationi consona, & accomodata ijs principijs per discursum humanum.

7 Quod itèm docet in *respons. ad* 1. vbi ait, quòd de facili in huiusmodi homines consenserant; ergò secundùm *S. Thomam*, ius gentium latum est: & vim habet ex consensu hominum, quod rursus replicat in *2.2. quæst. 57. art. 3.* vbi determinat, ius gentium differre à iure naturali, ex hoc, quòd sit humana potestate positum, vt dictum est.

8 Proindè, *Isydor. lib. 5. Ethymol.* & *Gratianus in decretis, distin. 1.* diuidunt ius humanum, in ius gentium, & ciuile, vt refert ipsemet *Sanct. Thomas in d. q. 95. ar. 1.* vbi supponit, ius gentium: sicut ius ciuile haberi ex humana constitutione; prout constat ex exemplis *ibi* positis, prout sunt manumissiones, seruitutes, bella, discretæ gentes, Regna condita, dominia distincta, agris termini positi, & alia multa, quæ notantur in *ff. de iustit. & iure, l. 4. & 5. & in Institut. tit. de iur. nat. gent. & ciuil.* quæ omnia planè humanam constitutionem supponunt, de qua re vide *Sot. de iustit. lib. 1. quæst. 5. ar. 4. & lib. 3. q. 1. ar. 3. Conrad. in 1.2. quæst. 95. ar. 4.* & *ibid. Mediu. Couar. in Regula peccatum 2. par. §. 11. num. 4. Albertum lib. 5. Ethycor.* & *Turrecremat. in cap. humanum genus, distin. 5.*

Potestas Laicalis, in foro externo exercita; quòd sit, & vndè orta? Qu. 15.

1 POtestas sæcularis est facultas à Deo Optimo Maximo toti mortalium communitati, immediatè, & naturalitèr concessa à principio Mundi, ad regendum, & gubernandum in rebus naturalibus, vt secundùm naturalem rationem benè viuant; prout ex iam decisis patet, & docet *D. Thom. lib. 1. de Regim. Princ. cap. 14.* & *Nauar. in relect. in cap. nouit, de Iudicijs, notab. 3. nu. 85.*

2 Et hoc ideò, quia ex quo Deus, vt dictum est suprà, voluit, homines debere in societate viuere, vt habetur in *Gen. 2.* proculdubio tenemur fateri, quòd eis indidit, & concessit totum illud, quod requiritur ad conseruationem societatis: Deus enim non deficit in necessarijs, & qui vult finē, necessariò vult ea omnia, sine quibus finis haberi nō potest; prout docet cōmunis Phylosophia, & habetur in *c. præterea, de offic. legat.* & in *l. 2. ff. de iurisdict. omn. Iudic.*

3 Vnum verò de requisitis ad perpetuādā societatem, & conseruandam communitatem, est iurisdictio, & facultas præcipiendi id, quòd est æquum, & rationi consonum; alias non potest diù conseruari com-

communitas: sicut dicitur *Prouerb.* 14. & habetur in *cap. final. distin.* 89. *vbi non est gubernator, dissipatur Populus.*

4 Proindè, Grues, & Apes, naturali instinctu, & auctore naturæ, pro cõseruatione societatis, Regem faciunt, & Principem instituunt, à quo regi, & gubernari patiuntur: quantò magis homines, ad Dei imaginem facti, naturali instinctu debent, tenenturq; pro conseruatione communis boni, Principem sibi constituere, cui vni sic electo, supremam potestatem habenti, tenentur obedire, & se submittere, quòad rerum omnium naturalium regimen, & gubernium: prout idem *D. Thom.* ex *Arist.* docet *lib.* 1. *de Regim. Princip. cap.* 2. *&* 4. & habetur in *cap. Monachi, de statu Monach. & in l. ex hoc iure, ff. de iurisdict. omni Iudic.* prout suprà dictum est, qua in re benè nota, quod tàm Princeps, quàm Respublica non habet potestatem: nisi à singulis, qui quidèm cùm non sint absolutè propriæ vitæ domini, nec illam Reipublicæ conferre possunt, *Sot. de iustit. lib.* 4. *q.* 2. *ar.* 3. & post multos à *Sancto Fausto de domin. q.* 22.

Adam fuit nè Princeps, & totius Orbis Dominus? Quæst. 16.

1 SVnt, qui dicunt, *Adam* primum Parentem, eodem iure, quo factus est à Deo primus omnium parens, habuisse paritèr positiuum, & actuale dominium totius Orbis; & sic fuit parens, & dominus vna die: Secus esset dicendum, quòd aliquando Mundus fuisset sine Principe, qui posset malè facta vlcisci: quod verisimile non est; cùm omni tempore Mundus debeat esse perfectus.

2 Proindè, *Adam*, vti pater, & dominus, suis potuit filijs facultates distribuere, quibus maximè affluebat, prout, & eius posteri antiquiores, qui circà Mundi primordia vixerunt, ità *Sot. de iust. lib.* 4. *q.* 3. *ar.* 1.

Potestas Ecclesiastica quid sit, quando incepit, & quomodò à Laica distinguatur? Quæst. 17.

1 POtestas Ecclesiastica, propriè, & perfectè sumpta, est facultas quędam supernaturalis, immediatè à Christo Domino instituta, & *Diuo Petro*, Ecclesiæ capiti, eiusq; successoribus concessa, ad regendum, & gubernandum fideles, secùdùm legem Euangelicam, in supernaturalibus, & etiam in naturalibus, in quantum spectant ad supernaturalia: prout docet *D. Thom. lib.* 1. *de Regim. Princip. cap.* 14. & *Nauar. in relect. super cap. nouit, de Iudic. not.* 3. *nu.* 82. & colligitur ex illo *Matth.* 18. ibi, *quęcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cęlo, & quęcunq; solueritis super terram, erunt soluta, & in Cęlo, & cap.* 16. ibi, *super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam,* & ibi, *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, &c.* Ergò antè aduentum Christi Nostri Redemptoris Claues Regni Cęlorum non erant in Ecclesia.

2 Quòd hæc supernaturalis auctoritas sit primò, principalitèr, & immediatè concessa *Diuo Petro*, eiusq; successoribus, per quem, & quos diffunditur ad alios omnes Ecclesiæ Prælatos, docet idem *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 1. *ar. vlt. & q.* 11. *ar.* 1. *&* 2. *& in* 4. *sentent. distin.* 19. *quæst.* 1. & *Caiet. in Opuscul. tom.* 1. *& apolog.* 1. *p. cap.* 1. *&* 2. *par. cap.* 9. *Panor. in cap. significasti*, & *Nauar.* cit. *loc. notab.* 3. *num.* 84.

3 Isthæc verò potestas spiritualis, de qua loquimur, in multis differt à Laicali, & primò in genere causæ efficientis; quia Laicalis potestas fuit ab initio Orbis instituta à Deo: hæc autè Ecclesiastica, à Christo Domino, seù à Deo incarnato, & homine facto: prout colligitur ex *D. Paul. ad Galatas cap.* 4. & docet *P. Victoria relect.* 1. *de potest. Eccl. sect.* 5. *q.* 1. *propos.* 5. *fol.* mihi 30. vbi dicit, quòd authoritas propriè, & perfectè spiritualis, quæ sunt Claues Regni Cęlorum, nunquàm fuerunt in lege naturæ, nec in lege scripta antè aduentum Redemptoris Nostri.

4 Differunt itèm in genere causæ finalis, nàm finis potestatis Laicalis est conseruatio hominum in statu naturali, in vita, scilicèt, bona, & virtuosa, quæ fit instinctu naturæ per virtutes morales.

5 Finis autem potestatis Ecclesiasticæ est, conseruare hominem in statu supernaturali, quod in præsenti fit per gratiam, & in futuro per gloriam; prout docet *D. Thom.* omnesq; alij *Doctores*, quos legito, si velis, & præcipuè Emin. *Bellarm. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *de notis Ecclesia, litt. B.* vbi ex multis ostendit, quod Ecclesia fluxit de latere Christi, & quòd Ecclesia veteris testamenti fuit figura noui: & *ibid. lib.* 5. *cap.* 6. *de Laicis, litt. E.* ait, quòd politica potestas, in vniuersum considerata, non descendendo in particulari ad Monarchiã, Aristocratiam, vel Democratiã immediatè est à solo Deo, vt authore naturæ, & quòd etiam in statu innocentiæ foret, si *Adam* non peccasset, & quòd in duobus differt à potestate Ecclesiastica, Primò, ex parte subiecti, nã politica est in multitudine, tanquàm in subiecto: Ecclesiastica autèm in vno homine: Secundo,

cundò, ex parte causæ efficientis, quia politica absolutè considerata, est de iure Diuino, & in particulari, est de iure gentium: Ecclesiastica verò est omnibus modis de iure Diuino, & immediatè à Deo.

Iurisdictio ordinaria, & delegata quid sint, & quomodò distinguantur? Quæst. 18.

1 QVemadmodùm Iudex, siuè sit Secularis, siuè Ecclesiasticus, æquè diuiditur in ordinarium, & extraordinarium, seu Delegatum; ità, & omnis iurisdictio, aut erit ordinaria, aut delegata.

2 Ordinaria potestas illa dicitur esse, quæ nascitur ex aliquo Officio, vel Dignitate, cui annexum est, alios iudicare, ciuiliter, & criminalitèr in vtroq; foro; quæ quidèm potestas officio, vel dignitati sic connexa, est introducta à Lege, Principe, Vniuersitate, siuè Populo, aut ex consuetudine, ad vniuersitatē causarum, vt dicitur in *c. more, ff. de iurisdict. omn. Iudic.* & docet *Delius in rubr. de off. delegat.*

3 Prædictis modis omnibus fieri potest, vt officium sit ordinarium, ac insupèr ex quadam iuris permissione, quamuis officium ab alijs committatur, vt docet *Felin. in rubr. de offic. delegat.* & *Paz* in sua *praxi tom. 2. prælud. 3. nu. 3.*

4 Proindè, Vicarij Generales Episcoporum dicuntur, & sunt Iudices ordinarij, *Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 20. nu. 4.* & colligitur ex *Gloss. in cap. 2. de off. Vicarij lib. 6. ver. official.* non obstante, quòd eis sit officium ab Episcopis commissum, *Gloss. in cap. perlectis, dist. 25. & cap. Romana, de appellat. lib. 6. ver. generalitèr.*

5 Delegata verò potestas dicitur illa, quæ non dimanat ab officio, nec ab aliqua dignitate, sed ex commissione Iudicis ordinarij, ad certas particulares causas: ità communitèr *Doctores*, & post multos notat *Miranda in Ordine Iudic. tom. 1. quæst. 2. ar. 4. conclus. 1. Syla in summ. ver. iurisdict.* & *Portell. in dub. ver. Prælat. in addit. ad dispensandum, nu. 1.*

6 Quæ quippè Delegata potestas expirat morte Delegantis, re integra, secus autem iurisdictio ordinaria, prout prolixè ostendit *Meroll. tom. 2. cap. 6 num. 524. & tom. 3. cap. 3. dub. 1.* vbi huius generis scitè multa docet de iurisdictione ordinaria, & delegata.

SVMMA QVAESTIONVM.

Tract. IX. De Prælatis.

DE PRAELATIS.

Tractat. IX.

Prælatus vndè dicatur, quid sit, & quotuplex? Quæst. 1.

1 DE Iure Canonico Prælatus dicitur à præferendo; quia cæteris præfertur, & super alios præeminentiam habet, vt dicitur in *tit. de postulat. Prælat.*

Verùm ex nominis Ethymologia dicitur quasi præ alijs ditatus, vel antè latus, quasi quòd antè alios sit positus; prout notat *Panorm. in cap. cùm ab Eccles. de off. ordin. nu. 1.*

2 Huiusmodi autem Prælati sunt in duplici differentia: etenim alij dicuntur Prælati Superiores, seù Supremi, & alij inferiores; prout colligitur ex *Clem. di. §. in Ecclesijs, de sepult.* & notat noster *in ver. Confessor 1. quæst. 8.*

3 Prælati Superiores sunt in triplici differentia, alij sunt Patriarchæ, seù Primates, sic dicti, quasi Patres Patrum, qui quidèm pluribus præsunt Prouincijs, seù Episcopis; prout constat ex *cap. 1. & 2. dist. 99. & ex cap. duo simul, de off. ordin.*

4 Alij sunt Archiepiscopi, seù Metropolitani, qui habentur, quasi Principes Episcoporum; quippè qui pluribus præsunt Episcopatibus, seù Diœcesibus.

5 Alij sunt Episcopi, qui vni soli præsunt Diœcesi, licet sub se plures habeant Parochias, de quibus latè *Barbosa de potestate Episcopi, p. 1. tit. 1. cap. 6. nu. 6. & par. 2. allegat. 25. nu. 9. & allegat. 36. nu. 12.*

6 Prælati autem Inferiores sunt multi; vti Archidiaconi, Decani, Archipræsbyteri, vt in *cap. 1. de ætat. & qualit. ordinandorum*, & omnes alij Episcopo inferiores Prælati appellantur; prout *Syl. cit. loc.* & *Ricciull. in tract. de iur. personar. extra Eccles. gram. exist. lib. 4. cap. 61. nu. 23.*

7 Quod etiam, cæteris patibus, procedit in Religionibus Mendicantium, vbi profectò reperiuntur Prælati Superiores, seù Supremi, prout sunt Generales Ordinum, qui toti præsunt Religioni, Prouinciales, qui vni soli Prouinciæ præsunt, Guardiani, & Priores, qui suis Prioratibus, seù Guardianijs præsunt, & inuigilant, & his consimiles, quorum nomina, etsi sint diuersa, parum refert; dùm ratio significata per nomen, est eadem, ità *S. Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 2. §. 2. Sot. in 4. distin. 22. q. 2. art. 1. ver. nomine autem, Rodriq. tom. 1. quæst. 12. ar. 6. Miranda tom. 2. Manual. quæst. 19. ar. 1* cum alijs multis, quorum collectaneum ponit *Laur. Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. ca p. 4 §. 4. & Tamb. de iur. Abbat. tom. 1. disput. 1.*

Prælati nomine, venit nè honor, an verò onus, dignitas, vel officium? Q. 2.

1 ET dico, vtrumq; venire, & hoc magis, quàm ille; prout docet *Glos. final. in cap. expositulis, de corpor. vitiat.* argum. *text. in Canon. Nerui 13. distin.* vbi *D. Gregor.* ait, *omne, quod hic eminet, plus afficit meroribus, quàm honoribus gaudet.*

2 Quòd autem Prælatura sit nomen honoris, & dignitatis, probatur in *cap. vt Apostolicæ, de priuil. in 6. & in cap. si quis deinceps, & ibi Glos. 16. q. 7. & tex. in authentica habita, C. nè filius pro patre, & Ioan. Andr. in cap. tuam, de ætat. & qualit. & in cap. maioribus, de prabend.*

3 Quibus in locis, communitèr Doctores aiunt, quòd verà Prælatura importat honorem, & dignitatem, quæ est cum administratione rerum Ecclesiasticarum, & cum honore iurisdictionem habet, *cap. volumus, cap. Diaconus, & cap. quia, distin. 99.*

4 Insimul, & officium, quod est, habere onus annexum: perindè, Iustinianus Patriarcha Hierusalem dixit, *Cathedram attendunt, & non onus*; quia etsi Prælatura sit nomen Dignitatis, & Officij, honoris, & sollicitudinis, prout docet *Glos. in d. cap. tuam, de ætat. & qualit.* tamèn magis attenditur honor, quàm onus ab illis, quibus dictum est, *Vos nescitis, quid petatis,* vbi noster *S. Antoh.* subiungit, quòd Cathedra *Petri* verè est spinis plena, & Romanus Pontifex dicitur *Seruus seruorum Dei,* non nuncupatiuè, sed substantiuè: & hoc propter immēsas negotiorū moles, & quotidianas curas, quæ sæpè sæpiùs, nunc, & semper malè afficiunt corpus, & animam.

Quæ, & quot requirantur, ad hoc, vt aliquis Religiosus possit dici verè, & propriè Prælatus? Quæst. 3.

1 VEra Prælatura, de communi sententia Doctorum fundatur in cura.

cura, cum auctoritate, & iurisdictione ordinaria, quam Prælati exercent suprà Subditos in vtroq; foro, interno, scilicet, & externo contentioso, ità *Syl. ver. Prælat. q.1.*

2 Isthæc ergò authoritas sic qualificata, facit iuridicè Prælatos, *Glos. in cap. 2. de Iudic. & in Clem. dudùm, de sepult. ver. Prælati,* & tradit *Abbas in cap. decernimus, de Iudiciis, nu. 10.* & sic omnis Prælatus est Iudex ordinarius, vt qui beneficio legis suam habet auctoritatem; prout *Glos. in cap. cùm ab Eccles. de off. Iud. ord.* Delegatus verò, qui illam habet, non beneficio legis, sed alterius commissione, cuius vices gerit, per *l. 1. ff. de off. eius,* ad quam iurisdictionē pro vtroq; foro, de iure communi requiritur electio per Vniuersitatem, seù Collegium Clericorum, aut Religiosorum, & confirmatio, & quòd electus sit Clericus, *Panor. in cap. cùm ab Ecclesiarum, de offic. ordin.* secus autem ex speciali, vt infrà dicemus.

3 Quàpropter, si Clericus eligeretur in Rectorem ab Vniuersitate Laicali, per talem electionem non posset habere iurisdictionem in Clericum sæcularem; quia Laici non habent, nec possunt alteri dare ius in Clericos: nàm nemo dat, quod non habet; & sic Clericus, tali modo electus à Laicis, non potest diei Prælatus; *Syl. in summ. ver. Prælat. q. 1. nu. 1.*

4 Dixi, verè, & propriè; quia largè, & impropriè, ad hoc, vt Clericus dicatur Prælatus, satis est, quòd in Ecclesia habeat aliquam prærogatiuam, vel gradum honorificum, sine iurisdictione; vt Plebani, Decani, Archipræsbyteri, *cap. 1. de stat. & qualit. ordin.* itèm omnis habens curam animarum; prout colligitur ex *cap. tua, de Cler. ægrot.* & sic Parochus potest diei Prælatus, ità *Panor. in d. cap. decernimus, Syl. cit. loc. in princ.* & *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 1. num. 6.*

Patres Generales Ordinum, Prouinciales, & Priores Conuentuales, an sint Prælati? Quæst. 4.

1 Affirmant communitèr *Doctores,* ducunturq; ex multis, & primò, quia hi Patres habent curam animarum cum potestate, & iurisdictione ordinaria in vtroq; foro Subditorum; quod satis esse diximus paulò superiùs, ad constituendum verum Prælatum; prout colligitur ex *cap. decernimus, de Iud.* & *Glos. ver. Eccles. Prælati, & cap. final. de pœnit. & remiss.*

2 Et quòd prædictorum iurisdictio sit ordinaria, patet ex eo, quia dimanat ex proprio officio, & beneficio legis, vel Priuilegio, in perpetuum eis concesso à Domino Papa, vel ab electione multorum, in Domino legitimè congregatorum: Communitas enim iuridicè congregata, ius habet, & potestatem eligendi sibi Superiorē, vt ab illo, quem eligit, regatur; cui paritèr, & electo tenetur obedire, vtroq; modo fit; & attenditur ordinaria potestas: prout sine controuersia tradunt *Doctores.*

3 Hinc prædicti Patres, illam, quam habent potestatem, possunt aliis suis Fratribus committere, ac delegare; & hoc ideò, quia sunt ordinarii Iudices, & veri Prælati: nàm penès hoc distinguuntur ab non ordinariis Prælatis, *Hier. Rodr. in comp. resol. 114. nu. 12.* & *Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4. nu. 72.*

4 Insupèr, & esse possunt Procuratores, ac Delegati Domini Papæ, *Sylu. ver. Prælat.* antè 1. q.

5 Et quòd ipsorum potestas sit in vtroq; foro, ex eo constat, quòd duplici gladio se tuentur contra Subditos, quorum animas, & corpora possunt sine dubio soluere, & ligare: prout docent praxis, & consuetudo, & hoc ideò, quia sunt illorum Iudices ordinarii, veri Prælati, Pastores, & Parochis & veluti tales, hac iurisdictione carere non debent, *Suar.* multis citatis *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2.*

6 Et hoc procedit, nedùm in foro pœnitentiæ, verùm etiam, quòad forum contentiosum, vbi benè possunt Subditos censuris afficere, multis modis punire, & ad triremes condemnare, vt dicitur in *cap. cùm in Eccles. de maior. & obed. & cap. cùm ab Eccles. de off. ordin. Sot. in 4. distin. 22. q. 2. art. 1.* & *Nauar. in summ cap. 27. nu. 5.*

7 Quibus, & addunt, ità fuisse Romæ decisum, ob multa, quæ refert *Sylu. cit. loc. nu. 1.* sic itèm fuisse declaratum à *Clem. IV. Sixto IV.* & *Iulio II.* & refert *Anton. Cordub. in annotatione ad Compend. priuil. Fratrum Minorum, ver. Guardianus,* & habetur in *Comp. dicto ver. absolutio quòad Fratres,* & *Rodr. addit. ad ver. iurisdictio, cap. 237.* & *Nauar. in cap. non dicatis, num. 95.* vbi id, quod dictùm est, probat ex eo; quia præfati Patres iurisdictionem habent ex officio, seù ex lege Canonica, quæ Prælatis, ritè electis dat iurisdictionem competentem in suis officiis, *Tortell. in dub. in addit. ad ver. Prælat. num. 1. & 2.* vbi multa de iurisdictione ordinaria.

8 Nec te moueat, quòd prædicti Patres ad tempus eligantur, & quòd ad dignitatem, limitato tempore assumantur; nàm de essentia Dignitatis, & Prælaturæ nō requiritur necessariò, vt dignitas, vel officiū sit perpetua, sed satis est, quòd possit esse perpetua,

petua, si placeret Domino Papæ: etenim Vicarij Generales Episcoporum, licèt sint ad nutum Constituentium amouibiles, *tex.* iuncta *Glos. in Clem. 2. de rescriptis*, & *Gemin. in cap. 1. de off. Vicar. in 6.* nihilominùs habent dignitatem, & sunt in dignitate constituti, *Imol. in Clem. 1. de Regul.* & *Paris. de resignat. benefic. lib. 7. q. 24. nu. 79.* ità *Glos. in Clem. 1. de elect.* cum alijs multis, quos allegat *Syl.* cit. *loc. nu. 1. & ver. delegare, quæst. 2. ver. 8.* & *Sanchez* post multos allegatos in *Decal. lib. 6. cap. 13. nu. 78.*

9 Nec eas inficias, ex eo, quòd dignitas debet esse perpetua ad faciendum Prælatum, prout videtur supponi in *cap. de multa, de præbend.* & in *cap. 1. de consuet. in 6.* & *in extrau. execrabilis, de præben.* quia in prædictis *Capitulis* agitur tantùm de beneficijs Ecclesiasticis, quæ ad vitam sunt conferenda, & consequentèr censentur perpetua: Verùmtamen prædicta iura fallunt in munere, & officio, cui est annexa iurisdictio, & administratio, cum cura animarum, licèt sit tempore limitata; prout est officium Cõseruatoris, & Delegati Apostolici, quippe qui, etsi sint in eorum officijs temporales, & non perpetui, sunt attamèn veri Prælati, pront colligitur ex *cap. 1. 2. & vlt. de off. delegat. in 6.* & ex *cap. statutum, de rescriptis, eod. lib.* quæ iura Prælatum sine perpetuitate supponunt, prout post multos benè notat *Tambur. de iur. abbat. tom. 1. disput. 1. q. 2. nu. 8.*

Priores instituti per solum Diffinitorium, vel per solum P. Prouincialem, ac Vicarij locorum, an sint veri Prælati? Quæst. 5.

1 Et dico, quòd sic; quia hi etiam ordinariam habent potestatem super Fratres sibi commissos, in vtroq; foro, prout colligitur ex *cap. in singulis, de statu Monach.* & licèt instituantur per solum Prouincialem, aut Diffinitorium Capituli Prouincialis, vel Generalis, prout sępè contingit in nostro Ordine, & præcipuè, quando ius prouidendi, & eligendi deuoluitur ad Prouincialem, ex quo Electores infrà mensem à die notitiæ carentiæ Prioris, eligere recusarint, aut quia nolunt, aut quia Vocales non sunt in numero requisito, in tali, & simili casu Priores instituuntur per Diffinitorium, vel per P. Prouincialem, de voto tamèn, & consilio aliquorum; vt dicitur in nostris *Constit. distin. 2. de elect. Prior. Conuent. cap. 2. text. 5. lit. O. ver. infra mensem.*

2 Tamen Priores sic instituti, censentur

electi, & confirmati, virtute Collegij, vel ex speciali priuilegio, prout docent *Syl. ver. Prælat. q. 2. Rodr. tom. 1. q. 12. art. 6. in fin.* & *Miranda tom. 2. Manual. q. 20. ar. 1. concl. 1.*

3 Quod etiam extenditur ad illos Vicarios, qui aliquibus paruis Conuentibus præsunt, immediatè subiecti Prouinciali, vel P. Generali, etsi ad nutum Superiorum possint amoueri, ità *Angel. ver. Prælat. in princip.* & *ver. Delegat.* & *Rosella ver. delegare, §. 11.*

4 Quod itèm amplia ad illos Vicarios, qui ponuntur in Conuentibus, loco Superioris defuncti, vel priuati, vel absentis per longum tempus; quia habent eandem auctoritatem, quam illi, in quorum loco subrogantur; quia, vt dicitur in *cap. Maiores, de Bapt. §. ad id autem*, subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum succedit; & docent præcitati *Doctores.*

Patres Suppriores, an sint veri Prælati? Quæst. 6.

1 Negant *Doctores*; quia hi sunt in Monasterio sub dominio, & potestate P. Prioris præsentis, quo præsente, iurisdictionem ergà Fratres nullam habent, nec curam animarum, præter illam, sibi in specie à Priore concessam.

2 Perindè, in absentia Prioris, in eorum Conuentibus alium Vicarium non possunt instituere: nisi sibi per P. Priorem sit hoc in indiuiduo concessum; nec itèm possunt Fratres ad probationem, vel professionem recipere, nec Confessorem eligere, nec aliorum Fratrum Confessiones audire, prout habetur in nostris *Constit. distin. 2. cap. 3. tex. 8. fol. 117. col. 4.*

3 Secus autem, mortuo, vel amoto Priore, cùm vices eius plenariè in omnibus obtineant, poterunt in tali casu agere, quidquid Priores possunt iure ordinario: nàm per amotionem, & mortem Priorum fiunt quasi ordinarij Fratrum, & consequentèr possunt sicut, & Priores.

4 Dixi, de iure ordinario, etenim in tali casu Suppriores, etsi per mortem, vel amotionem Priorum fiant Subditorum Iudices, & Prælati; non poterunt tamèn præsentare Episcopis suos Fratres, pro Confessionibus sæcularium audiendis; nec pro ordinibus suscipiendis, nec alia huiusmodi, quæ Priori competunt, non de iure ordinario, sed ex commissione speciali, & priuilegio; prout dicitur in cit. *loc.* nostrar. *Constit. fol. 118. col. 4.*

5 Nec obstat, quòd Suppriores, & Vicarij Priorum, in absentia eorum possint

Fratres suorum Conuentuum, vel ad se declinantes absoluere ab omnibus excessibus,& censuris,à iure,vel à Iudice,quomodocunq; generalitèr promulgatis,eisq; administrare Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis; quia hoc totum possunt ex priuilegio, quod dicitur, *Mare Magno*, quo fit eis facultas per Dominum Papam, & ex hac speciali,& limitata potestate nō licet extendere manus ad ea alia, quæ per Priores fiunt, iure ordinario, vel ex commissione speciali; prout suprà dictum est.

Prælati, an possint dici Subditorum Domini, & suarum Ecclesiarum Patroni? Quæst. 7.

1 NEgatiuè dic, & constat ex decisis; nàm facultas libera, quam habent Prælati super Ecclesias,& Subditos sibi commissos,non ordinatur in proprium commodum, & vtilitatem ipsorum Prælatorum: sed potiùs in bonum,& vtilitatem Subditorum; secus autem, eorum dominium foret dispoticum, & tyrannicum, contra illud Domini dictum *Luc.22.* vbi Christus differentiam assignauit inter dominium Christianum, Ciuile, Politicum,& Dispoticum, Barbarum; *ibi* enim dixit, *Principes Gentium dominantur eorum, &c. Vos autem non sic*; & *1.Petri cap.5.non dominantes in Clero*, supple in propriam vtilitatem.

2 Quapropter, vir non potest propriè dici dominus vxoris, nec Reges absolutè domini ciuium, de quibus conquæritur Dominus dominantium, *Ezech.14.*& faxit Deus, quòd sicut hodiè, sic semper sit eorū dominium, Regium, Ciuile,& Beneuolum.

Prælatis, an liceat Prælaturam appetere, cui adiuncta sit animarum cura? Quæst. 8.

1 CVM iste appetitus, de quo agitur, de se sit indifferens; potest bono fine honestari, vel dehonestari,& illicitus fieri, tàm ex parte subiecti, seù personæ appetentis, quàm ex parte obiecti, seù rei appetitæ.

2 Ideòq; oportet distinguere,& diligentèr aduertere, quæ, quot,& qualia sint in Prælatura, & quonàm modo appetatur,& quæ paritèr sint partes ipsius personæ appetentis.

Nàm si persona appetens sit omninò inhabilis, vel indigna, ob naturalem, vel canonicum defectum, de quibus sacri *Canones* loquuntur in *c.cùm in cunctis, de elect. & cap.licèt canon, de elect.in 6. & cap.innotuit, eod.tit. & cap.constitutus, il 1.de appellat.*

3 Omni dubiò procul, mortalitèr peccat, tùm ratione iustitiæ; impedit enim locum digno, cui tali Prælatura, ex iustitia debetur, vltrà dammum, quod facit Ecclesiæ sibi commissæ: etenim solet indignus Prælatus bona suæ Ecclesiæ dilapidare, & suis ouibus potiùs nocere, quàm proficere; tùm itèm peccat, ratione præsumptionis; appetit enim id, quod sibi non debetur, & ad quod exequendum non habet vires; prout docent communitèr *Doctores*.

4 Si autem persona sit digna, ità vt illas habeat conditiones, quas iura præscribunt, & *Apostolus Paulus* enumerat *Epist.1. ad Timot.cap.3.* si his fretus conditionibus, ritè, & rectè Prælaturam appetat, mortalitèr non peccat.

5 Dixi, primò, ritè, & rectè, hoc est, nō per preces, non per munera, non per obsequia; hoc enim esset simoniam committere, secundùm *D.Thom.2.2. quæst.100. ar.5. in corp. & ad 3.*

6 Nec itèm secūdò propter celsitudinē gradus, nō propter honorem, non propter bona temporalia, vtputà, ob redditus pingues, & huiusmodi commoditatem, non vt præsit, sed vt prosit saluti animarum sibi commissarum; sic appetens, nedùm non peccat, sed meretur, vt docet *D.Thom.2.2. quæst.85.ar.1.* & *ibid.Caiet.concl.3.* & *Sot.de iust.& iur.lib.10.q.2. de Episcopatu optando, ar.1.concl.3.* Quod probatur, nàm in tali casu, non adest turpitudo ex parte appetentis; quia, vt supponitur, homo qualificatus est, secundùm iàm recensitas qualitates; nec itèm ex parte rei appetitæ; nàm sic appetere, est ordinare Prælaturam in salutem animarum, ità vt finis, & ratio appetendi, quæ mouet voluntatem, sit ly *prodesse Populo, & Proximo sibi commisso*; quod nedùm est laudabile, verùm etiam virtuosum, atq; meritorium: vndè Prælatura non est res appetita, vti finis vltimus, sed ceù medium ad finem, quod ordinatur in adiutorium proximi, gratia cuius prælatura appetitur: etenim actiones morales specificantur à fine vltimo, & affectus ab obiecto perpenditur, prout omnes sciunt: nàm in Episcopatu, teste *D.Thom. vbi suprà*, tria possunt considerari, quorum vnum est principale, & finale, quod est Episcopalis operatio, prodesse scilicèt saluti proximi; quod colligitur ex illo *Ioannis vltim. Petre pasce oues meas.*

7 Tertiò, quod consequentèr se habet ad ista, est scilicèt reuerentia, & honor,& sufficientia temporalium; Episcopalem autem

autem actionem appetere, bonum est, vt idem *D.Thom.* docet: proindè *Caiet.* asserit cit. *loc.* quòd si Ioannes moueatur ad appetitum Episcopatus, ratione bonorum circumstantium, vt scilicèt, habeat sufficientiam temporalem, & honorem: Verùmtamen si cum hoc intèndat, facere debitum suum, circa curam animarum, & distributionem bonorū, tàm Ecclesiæ, quàm Pauperibus Terræ, nec intendit vti Episcopatu, ad finem temporalium, sed quantum sibi conceditur, frui portione sua, & debito sibi honore, ad Dei laudem, & Proximi vtilitatem: in tali casu non peccat, nec quidèm venialitèr, testatur *Nauar. lib. 5. consil. de sent. excomm. consil. 17. nu. 7.* & *Ledesma de statu Episcop. cap. 3. conclus. 1.* quia principalitèr, & primò appetit, vt prosit, & minus principalitèr, seù secundario, propter vtilitatem, & honorem; & in vnaquaq; re, quod principalius est, debet attendi.

8 Quæ hactenus dicta, etsi vera sint methaphysicè, ac speculatiuè, fallunt tamèn sępè in vsu, & praxi: nàm pauci reperiuntur, qui sint tales, sicut *Paulus*, & iura describunt, ad alijs præessendum; quia in effectu, ęgrè distinguuntur, ac reperiuntur illa tria supradicta in Prælatura; & ò vtinam (quod peius est) humana voluntas, à temporalibus bonis non inciperet, vel in illis non fineret; sic adeò, vt temporalia spiritualibus anteponat, & ordinem hunc inuertendo, spiritualibus iniuriam facit.

9 Præterea addo, considerandum esse euidentissimum periculum, cui se committit, de sua salute, etiam si sit persona digna, ob multitudinem, & grauitatem tot obligationum, quas secum ferunt Prælaturæ, vt clarè constat ex *d. loco ad Timot. 3. & ad Tit. 1.* aduertat, quæso, iste homo dignus, q. Prælatus debet esse custos animarū, quas Christus, proprio sanguine redemit, & in die Iudicij tenetur Deo suam præsentare Ecclesiam, sine ruga, & sine macula, & pro persoluendo suo munere, mortem; etiam si oportet, tenetur appetere; & patr, *quis est iste, & laudabimus eum*, prout notat *Sot.* cit. *loc.* paulò antè *ad* 1. [illegible]

10 Et se committere magno periculo suæ salutis, sine vrgente necessitate, profectò temerarium est, sicut si quis sine necessitate se proijciat in procellosum Mare, peccat mortalitèr, propter periculum, cui se exponit, occidendi se ipsum.

11 Hinc grauissimi *Doctores* intrepidè fatentur, ac protestantur, quòd sine vrgentissima causa mortale sit, Prælaturam appetere, & grauitis procurare; saltèm, ob præsentaneum periculum, cui se exponit de sua salute; ita *Tab. ver. Cathedra, num. 1. Syl. ver. Episcopus, quæst. 3. Ioan. Bapt. Corrad. 1. p. respons. q. 252. Sot.* cit. *loc.* & *Peyr. tom. 1. de Prælat. q. 1. cap. 6.*

12 Et *D.Thom.* in hac opinione perpetuus fuit doctor, & obseruator, & *quodlib. 2. ar. 11.* in proprijs terminis ait, quòd hanc quæstionem soluit *August. lib. 16. de Ciuit. Dei*, vbi dicit, *quòd locus Superior, sine quo Populus regi non potest; etsi administretur, vt decet, tamen indecentèr appetitur; cuius ratio est*; subiungit *D.Thom.* *quia qui appetit prælationem, aut est superbus, aut iniustus; iniustia enim est, quòd aliquis velit sibi plus de honore accipere, vel de potestate, aut de alijs hominibus bonis, nisi sit maioribus dignus, vt dicitur in 5. Ethyc.*

13 *Quòd autem aliquis æstimet, se esse magis dignum omnibus alijs, super quos Prælationem accipit, superbiæ, & præsumptionis est; vndè oportet, quòd quicunq; Prælationem appetit, aut est iniustus, aut superbus; & ideò nullus, suo appetitu debet ad Prælationem peruenire, sed solùm Dei iudicio, secundùm illud Apostoli ad Hæbreos 5. nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron*, hæc *ille*.

14 Et volens declarare casum necessitatis, qui excipitur in *d. conclusione, in quodlib. 12. ar. 17.* in eisdem proprijs terminis, an liceat appetere Episcopatum, respondet, *quòd contingit appetere dupliciter, aut propter necessitatē vrgentem, aut non vrgentem: primo modo dupliciter, vel quando imponitur à Superiore, vel quando non inuenitur aliquis, qui vellet onus Prælationis subire, tali necessitate existente: meritorium est appetere: vndè Isai. quem mittam, & quis ibit? nobis respondit, ecce ego, mitte me, tamèn non dixit se indignum. Secundo modo, quādo non vrget necessitas, sic non licet, quia non potest carere, aut vitio iniustitiæ, si velit se minorem præferri maioribus, aut vitio præsumptionis, si reputet se sufficientem præferri alijs, vndè Chrisostomus primatus Ecclesiasticos concupiscere, nec iustum, nec vtile, super illud Reges gentium dominantur eorum*, hæc *ille*.

15 Quàpropter *Sot.* cit. *loc.* antequàm respondeat ad argumēta, benè dicit, quòd desiderium Episcopatus, aut iniquum semper fuit, aut de præsumptione suspectum; & idem *D.Thom.* in cit. *loc. 2. 2. in corp.* tacitè respondēs ad obiecta, per nos in principio facta, ait, quòd, etsi appetere proximis prodesse, secundùm se, sit laudabile, & virtuosū: verùm quia, prout est Episcopalis actus, habet annexā gradus celsitudinē, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat, ad hoc, quòd Subditis prosit, sine manifesta necessitate: Proindè *Gregor.* dicit 28. *Moralium*, quòd prælatio per meligrem

liorem intentionem fugienda est, quod quidem S.Thom. docet quodlib.5.ar.22. vbi laudat, qui Prælaturas declinauerunt, & quod docuit, ipse fecit; nã ab Vrbano IV. Romam vocatus, adduci nõ potuit, vt honores acciperet, & Archiepiscopatum Neapolitanum, etiam deferente Clem.IV. Pontifice, recusauit.

16 Benè verum est, quòd appetere secundùm quid, licitum est, hoc est, si Superiori videatur expedire, & cognoscendo se indignum, cũ tremore Deo totum negotium committat, quia Deum precari, vt me dignum faciat, ità vt alijs prodesse possem, virtuosum est, prout idem D.Tom. ait in d.quodlib.col.2. & in præcitatis locis.

17 Nec obijcies auctoritatem Pauli ad Timot.3. quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; nàm D.Thom. & Gregor. Respondent, ità esse in illo tempore, hoc est, in primitiua Ecclesia; tunc enim præ inopia Episcoporum, non ità facilè reperiebatur, qui præesset Plebibus, quia eo ipso, quòd quis Plebi præerat, ad tormenta martirij ducebatur primus; & sic Episcopatum desiderare, nihil aliud erat, quàm Martirem pro Christo fieri, quod optimum est; vel dicas, Episcopum esse, vel desiderare esse, ad præscriptum Apostoli Pauli bonum est, hoc est, esse inreprehensibilem, sobrium, ornatum omni virtute, &c. de quibus diximus.

18 Nec his obstat, quòd beneficia per concursum plurimorum conferantur ex Decreto Conc.Trid. & quòd Clerici accedunt, non vocati, sed spontè, & tamèn non reprehenduntur; quia publicus concursus fit, vt dignioribus beneficia conferantur, pro vtilitate; & necessitate Ecclesiæ; nemini tamen præcipitur, vt accedat, si namq; præciperetur, vel si accersiti venirent, non peccarent, sed si spontè veniant ad curata beneficia, sine vrgente necessitate, & sufficienti habilitate, peccant mortalitèr, quia magno periculo se exponunt, & præcipuè si ordinem inuertant.

19 Nec replices, quòd si vir sit perfectus, potest licitè Prælationem appetere, non ex præsumptione, sed Charitatis zelo, pro communi bono Ecclesiæ, & eo magis, quando ad hoc diuinitùs incitatur; nàm cum Caietano dicam, aduerte diligentèr, nè te ipsum seducas, existimando, necessitatem imminere, vbi necessitas fortè non est; ità diligentissimè considera, ly diuinitùs; quia Charitatis zelum multi possunt sibi promittere, se incitantem, dùm dicunt, scio, quòd non me mouet aliud, quàm zelus animarum, sed quòd huiusmodi incitatio diuinitùs veniat, nemo potest cognoscere, sine speciali Dei testimonio, vt dicitur de Prophetia, hoc est, non debet certè affirmari, quòd diuinitùs sit, nisi constet per speciale Diuinum testimonium, vt constat de Isaia, & Samuele, qui quidèm uiderunt apertè, se priùs purgatos, & vocatos esse à Deo, & postmodùm Prælaturam acceptarunt, nolite omni spiritui credere, quia qui citò credit, leuis est corde.

Prælati negligentia, an sit culpa mortalis? Quæst. 9.

1 PRælatus, si ea omittat exercere, quæ ad suum officium sunt necessaria, vtputà, visitare, & corrigere, peccat vtiq; mortalitèr, & docet Glossa cap.ea, quæ, de off. Archyd. & ibid. Hostiens. quia Prælatus tenetur de omissis, & commissis, sic adeò, vt non solùm teneatur de dolo, & lata culpa, sed etiam de leui, quòad damnum animarum, Sylu.ver.Prælat. q.4.

2 Perindè, si permittat, sui Ordinis frequentèr violare Regulas, ad culpam tamẽ venialem obligantes, & ob pigritiam, vel nè suam perturbet quietem, vel alia simili de causa, desinat corrigere, & obuiare: peccat mortalitèr: nàm Prælatus tenetur pro viribus procurare progressum suæ Religionis, quippè qui p huiusmodi frequentem trãgressionem retardatur, impeditur, & detrimentum patitur.

3 Quod quidèm detrimentum ipsi Prælato, tanquàm custodi imputatur: quod cùm sit graue, grauem inducit culpam; prout post multos docet Sanchez in summ. lib.1. cap.6. nu.19.

4 Nec dicas, quòd Subditus in tali casu non peccat, plusquàm venialitèr, ergò neq; Prælatus, cùm vna, & eadem res non debeat diuersimodè iudicari; nàm fallit consequentia: Custos enim vineæ tenetur ex officio impedire damnum illius; & ideò si videat ingredientes seorsum vineã, ità, vt singuli racemum vnum asportent, & tacet, non se opponens, peccat mortalitèr, ob damnum notabile illatum vineæ, quam custodit; & tamèn ingredientes illi, tantùm venialitèr peccant, propter paruitatem materiæ: prout docet Naldus in summ. ver. Prælatus, num.11. ità à simili; etsi Subditi peccent, vt supponitur, venialitèr, Prælatus autem peccat mortalitèr, vt dictum est.

5 Sic itèm peccat Prælatus, si per auaritiam, vel per incuriam omittat sui Conuentus possessiones colere; nàm ad id tenetur, tãquàm bonus Pater familias, ad hoc, vt per possessionum redditus, suis possit Subditis alimenta præstare, Sayr. in Clau. Reg. lib.7, cap.7. nu.6.

6 Ad

6 Ad hoc item tenetur, vt Procurator; prout habetur in *cap. fraternitatem, de donat.* tùm itèm, vt minus onerosus sit Populo in eleemosynis quærẽdis, tũ itèm ad euitãdũ Populorũ scandalũ, quia sæculares scãdalizantur de pigritia; & Religiosorũ inertia, cùm videant Regularium agros, sentibus ornatos, & spinis repletos, & apricari, fine cultura, & mirantur, quòd cùm Religiosi possent de suo viuere, cum aliquo paruo labore, velint alienos sudores otiosè comedere, quod à nostris est valdè notandum, nè sint in malo statu; *Peyr. tom. 2. de Prælat. quæst. 1. cap. 5. §. 1. num. 39.* & *Syln. ver. culpa, quæst. 1. nu. 2.*

Prælati, an de iure censeantur instituti, in proprium, vel Subditorum commodum? Quæst. 10.

1 PRælatos, in Religionibus constitui, in commodum, & vtilitatem Subditorum, constat ex decisis hic *quæst. 7.* & constat ex illo *Zaccariæ 3. & cap. 13. & cap. 34.* ibi, *væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonnè Greges pascuntur à Pastoribus? & ibid.* subiungitur, *Lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, & ægrotum non sanastis, & quod confractum erat, non alligastis, &c.*

Prælati Regulares, debent, nè esse perpetui, an verò temporales, vtpotè, triennales, vel biennales? Quæst. 11.

1 QVòd sanctius, & melius sit, esse perpetuos, docet *Nauar. com. 3. de Regul. nu. 13. & seq. & lib. 3. eod. tit. consil. 82. nu. 8.* in prima edit. & *consil. 4. de iur. patron. nu. 2.* & mouetur ex multis; primò; quia per nouam mutationem Prælati minuitur eius auctoritas, & reuerentia, ad percipienda bona, & castiganda mala, vt constat ex *cap. visis 50. caus. 16. quæst. 2.* ibi, *humani cordis est, illum timere, cuius iudicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur,* minuitur etiam charitas, obedientia, humilitas, & concordia Subditorum, ad subeunda præcepta Superiorum.

2 Secundò, quia exindè oritur ambitio, qua bona pars Monachorum, ad Prælaturas anhelat, contra *cap. quorundam, de elect. in 6.* Itèm exindè conuentiones simoniacæ, quibus alijs promittunt suum fauorem, futuris triennijs, vt in præsenti sibi foueãt, contra *cap. pio 1. quæst. 2. & cap. 5. de pactis.* Tertiò, exindè oritur eneruatio disciplinæ Regularis, dùm Eligendi Electoribus promittunt fauores, & honores, indulgentias, siuè licentias, impunitates, & similia. Quartò, quia illinc pullulant factiones, & dissidia inreconciliabilia, quæ impediunt cultũ Dei, qui non colitur, nisi tempore pacis, *Clem. dudùm, de sepult.* & susurrationes, murmurationes, & detractiones, ferè continuæ, dùm alij aliorum veros defectus, & vitia, tùm naturæ, tùm morum detegunt, & sæpè falsos imponunt, quo factiones cõtrariæ personarum opinionem bonam tollant, vel minuant, ad hæc è contrariò, pax, & concordia mala, commendatio; & laudatio immodica, immò, & falsa, qua suæ factionis personas extollunt, & suprà nubes efferunt, contra *cap. inter verbera 11. caus. 3.* Quintò, quia exindè nascitur impunitas vitiorum, contra iustitiam distributiuam, nàm de raro visum est, electos primo anno, vllum eorum, qui sibi suffragati sũt, in gratiam suffragiorum, castigare, aut ingrata eis præcipere, & vice versa exindè crudelitas, & inclementia, vltrà quã par sit, puniendi, corrigendi, & inquietandi eos, qui sibi sunt aduersati, contra auream doctrinam *D. Thom. 2. 2. qu. 108. art. 3. & 4. & quæst. 157.* Sextò, quia ità sanserunt *SS. Basilius, Augustinus, Bernardus, Dominicus, Franciscus,* & similes Religionum Patriarchæ, & antiquiora statuta mutare, indecẽs est, ex quibus clarè constat, quòd in Ordine Prædicatorum, iure optimo cautum est, vt ipsorum Generales eligantur, & sint perpetuò Generales, sicut Episcopi in eorum Diœcesibus.



EVM-

SVMMA QVAESTIONVM.

Tract. X. De Potestate Prælatorum.

Potestas Prælatorum Regularium, an sit de iure Diuino, vel humana Papali? Qu.1.

Potestas Prælatorum Regularium, an possit, licito iure per Romanum Pontificem restringi, ac limitari? Quæst.2.

Prælati Regulares, an habeant iurisdictionem, quasi Episcopalem? Qu.3.

Prælati Regulares, Episcopo Inferiores, an dicantur habere proprium territorium, & esse nullius Diœcesis? Qu.4.

Potestas, & iurisdictio Prælatorum Regularium, an sit magna circa suos Subditos? Q.5.

Prælati Regulares maiores, vti sunt Generales, & Prouinciales, an habeant maiorem auctoritatem in suos Subditos, quàm Episcopi? Quæst.6.

Potestas data Episcopis per Concil. Trid. sess. 24. de reformatione, cap.6. incip. liceat: scilicet dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus occultis, in foro conscientiæ, an de iure competat Regularium Prælatis; an verò ex priuilegio Pij V.? Qu.7.

Prælati Regulares, an possint leges ferre? Q.8.

P. Generalis Ordinis, an valeat independenter à Capitulo leges ferre? Q.9.

Prælati Regulares, an sine consensu Capituli, vel Patrum de consilio, ad hoc deputatorum; possint tutè, & validè, mandata, & præcepta facere? Qu.10.

Prælati Regulares, an saltem in foro conscientiæ teneantur obseruare leges à se latas? Quæst.11.

Generales Ordinum, an saltem in foro conscientiæ teneantur obseruare leges à se latas in Capitulo? Qu.12.

Prælatus Regularis, an possit suis Subditis, ad libitum præcipere contrà, vel suprà Regulam? Qu.13.

Prælatus, potest ne, iustè præcipere Subditis, vt tempore pestis, infectis assistant, & Sacramenta administrent? Q.14.

Prælati Regulares, an possint, suis præceptis, statutis, & sententijs obligare suos Subditos, vbicunq; existentes, illosq; citare, etiam si sint in alieno territorio, excommunicare, propria auctoritate capere, & capi facere? Quæst.15.

Prælatus maior, nempè Generalis; an possit compellere Subditos eundi ad Indos, pro illorum conuersione, non obstante, quòd eis immineat periculum mortis? Q.16.

Prælatus, an possit mutare leges, à sua prædecessore conditas, vel à se latas, saltem in Capitulo Generali, cũ consensu, & causa? Q.17.

Prælatus, eo ipso, quo facit contra legem, vel præceptum, à se latum; an censeatur illud statim abrogare? Qu.18.

Prælatus summus in ordine, nempè Generalis, an possit compellere Subditos, ad acceptandum Episcopatum? Qu.19.

Regulares, an possint cogi à Domino Papa, ad Episcopatum acceptandum? Qu.20.

Prælati Regulares, an possint compellere Subditos ad acceptandum Prælaturas? Qu.21.

Prælatus, an possit alicui sibi Subdito præcipere; vt ea die ieiunet, qua Regula non obligat, vel ipsum astringere, vt aliquam pœnitentiam sustineat, vltrà illas, quæ continentur in Regula? Qu.22.

Prælatus Regularis, an possit sibi reseruare casus? Quæst.23.

Prælati Regulares, an possint aliquid præcipere suis Subditis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, eamq; sibi reseruare? Quæst.24.

Prælati Regulares, an valeant casibus reseruatis ad præscriptum Decret. Clem. VIII. excommunicationem latæ sententiæ annectere, illamq; sibi reseruare? Quæst.25.

Casus reseruati in Regulis, & Constitutionibus Regularium, an censeantur extincti, si non fuerint renouati, iuxtà d. Decretum? Q.26.



DE

DE POTESTATE Prælatorum. Tract. X.

Potestas Prælatorum Regularium, an sit de iure Diuino, vel humano Papali? Quæst. 1.

1 IVrisdictionem Prælatorum Regularium, nedum esse de iure humano, & Papali, probat *Bannes 2.2. q.1.ar.2. dub.8. concl.2.* & *Bellar. tom.1. lib.7.cap.22.* Verùm etiam, esse de iure Diuino, docent grauissimi, & peritissimi *Doctores, Medin.in lib.de Indulg. cap.24. Rodriq.tom.1.quæst.17. art.2. Ludou.Miranda* in suo *Ordine Iudic. tom.1.quæst.2.ar.5.conclus.2.* & in *Manuali Prælat. tom.1. quæst.13.art.4.* & alij plures eiusdē Illustriss. Familiæ Sancti Francisci, quos sequitur *P.Frater Franciscus, Longus Coriol.de casibus reseruat.par.1. sect.1. art.3.* cum multis, quos allegat *Laurentius Peyr. tom.2.de Prælat.q.1.cap.5.§.2.* quod multipliciter, & luculenter probant.

2 Et Primò, ex eo, quòd status Religiosorum sit à Christo Domino immediatè institutus, & ab Apostolis amplexatus, & seruatus, ad hoc, vt sit in Ecclesia vsq; ad finem Mundi, prout docet *D.Thom.2.2. qu.88.ar.4.ad 3.* & *Palud.in 4.sent.distin.38. q.1.diff.5.cōcl.3.Ledesma de statu Relig.* quos sequitur *Suarez tom.3.de Relig. lib.3. cap.2. n.2.* & colligitur ex illo *Matth.19.* vbi Christus adolescentem docuit, quæ sint necessaria ad se conseruandum in perfectiori Religiosorum vita, *ibi* enim dicitur, *si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia, quæ habes, & da Pauperibus*: Ecce votum Paupertatis; & additur, *& veni, & sequere me*, Ecce votum obedientiæ, & *ibid.* subiungitur, *sunt Eunuchi, qui se castrauerunt, propter Regnum Cælorum*, Ecce votum castitatis, prout notant præcit. *DD.* quippè qui, insupèr affirmant, Apostolos fuisse Monachos, non autem Clericos, prout ex multis colligit *Peyr.in tom.2. priuil.Minimorum, in Const.4. Pij V. nu.3. & tom.2.de Prælat. q.1. cap.5. nu.2.* vbi per extensum habes verba multorum Sāctorum, sed quidam veriùs dicūt; quòd fuerūt Clericalis ordinis Sacerdotes quorū successores propriè sunt Sacerdotes seculares, & Episcopi, vt docuit *Suar.tom.4. de Religione, tract.2.lib.1.casu 7.nu.12. & infrà quæst.7. num.14. Caietan. tom.1. Opusc. tract.1. cap.2. nu.40.* qui quidem iam dictus Religiosorum status ità fuit perfectè institutus à Christo Domino, vt per nullā humanam potentiam, quòad essentialia, meliùs potuisset institui, vel augeri. Quem itèm fuisse institutum, ad hoc, vt vsq; ad finem Mundi sit, & reperiatur in Ecclesia Sancta Dei; & probant ex *4.ad Ephesios*, ibi enim legitur, ad *consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in vnitate fidei, &c.*

3 De essentia autem, & formali conceptu Religionum perpetuò duraturarum est, habere Prælatum eiusdem generis, & societatis; prout decretum est per *Clem.V. in Concil.Viennensi*, & habetur in *Clem.1. de elect.* vbi hæc verba leguntur: *Cùm rationi non congruat, quòd homines disparis professionis, vel habitus, simul socientur in eisdem ministerijs, firmitèr prohibemus, nè Religiosus aliquis alterius Religionis, vel habitus, de cætero in Prælatum eligatur.*

4 Quod itèm decreuit *Innoc.6.in cap.cōtrà causam, de elect.* vbi dicit, id esse contra legem Diuinam, veluti simul arare in Boue, & Asino, quod est, secundùm *Glos.* homines disparis, siuè diuersæ professionis, & in vno, & eodem officio, seu professione sociare.

5 Id ipsum habetur in *cap.in nona 16. q.7.* propter quod non licet, vt Monachus alterius Ordinis, vel seculares Clerici, Regularibus Religiosis sint Præsules, & Ducis; aliàs esset arare in Boue, & Asino, & sic non foret benè prouisum statui Religiosorum, nec quippè posset longè diù conseruari, vt dictum est.

6 Secundò, quia potestas iurisdictionis, quæ data est Ecclesiæ, in illis verbis *Matth. cap.18. dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus*, est potestas Prælatorum: nàm nomine Ecclesiæ intelliguntur omnes Prælati, prout docent omnes *Doctores*, & præcipuè *Chrysost. Hom.16. in Matth.Hugo Cardinal.Caiet.Lyra in d. cap. Matth.*

7 Sic itèm, quando Christus dixit Apostolis *ibid. quæcunq; solueritis super Terram, erunt soluta, & in Cælis*; non solùm hæc verba debent referri ad solos præsentes Apostolos; sed etiam ad omnes alios Prælatos, in Ecclesia futuros, secundùm omnes *DD.* & refert elegantèr *Roffensis ar.9.contra Lutherum, Sot.in 4.sentent.distin.22.qu.1. art.2.* &

& *Cardinal. Turrecremat. in summ. de Eccles. lib. 2. cap. 77.* Quibus in verbis asserunt, omnibus Prælatis fuisse traditam potestatem erga Subditos in vtroq; foro.

8 Prælati autem Religionum sunt veri Prælati, & habent proprias oues, prout suprà dictum est, & habetur per *Glos. in Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, ver. proprij*, & *Abbas in cap. Abbates de priuileg. 6. ver. quasi Episcopalem*; quod etiam sine controuersia tenent omnes *DD.* Iuris Canonici, ergò eorum potestas est de iure Diuino, sibi per Dominum Papam ministrata.

9 Quod itèm colligunt ex illis verbis *Pauli ad Ephes. 4.* vbi dicitur, *quod ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*, vbi per Pastores intelliguntur omnes Prælati Ecclesiastici, curam animarum habentes, seu sunt Præfecti Religionum, prout dictum est de communi sententia *Doctorum*: ergò huiusmodi Prælatis Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes; potestatem, quam suprà Subditos exercent in vtroq; foro, habent de iure Diuino.

10 Confirmatur ex eo, quòd Episcopi potestatem, quam exercent extra Sacramentum penitentiæ, habent immediatè à iure Diuino, prout docent *Victoria de potestate Ecclesiæ, quæst. 2. nu. 28. Sot. de iust. lib. 10. q. 1. ar. 4. & lib. 8. q. 5. ar. 5. Bannes vbi suprà, Suarez tom. 4. disp. 30.* & alij plures, quos citat *Ildefonsus Castro lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 24. & contra hæreticos, ver. Episcopus.*

11 Prælati autem Regulares, vti sunt Generales, & Prouinciales, sunt similes Episcopis quòad iurisdictionem, prout suprà dictum est; ergò à Christo Domino immediatè habent eorum iurisdictionem, & potestatem: proindè subiectio Religiosorum ad suos Prælatos, quamuis sit de iure Papali, & humano, & dependeat à Sũmo Pontifice: quia reuera, sine eius Ministerio, & interuentione Prælati Regulares nullam haberent iurisdictionem; cum hoc tamen stat, quòd sit immediatè à iure Diuino, *Sot. de iust. lib. 8. q. 3. ar. 1.*

12 Nàm, etsi electio Moysis, Iosue, Saulis, & Dauid, sit facta ministerio Prophetarum; non tamen potest negari, quin sit facta à Deo proximè, & immediatè; prout docet *Azor. 2. p. instit. Moral. lib. 11. cap. 1. q. 1. ver. obycies*, & Sacramenta immediatè fuerunt instituta à Christo, etsi per Ministros nobis ministrentur, & applicentur.

13 Cum ergò Christus instituerit Religiones, & earum Pastores, omni dubio procul, cum iurisdictione requisita, & necessaria instituit, vt dictum est; & cùm sciret, quòd non potuisset manere nobiscum, per extrinsecam assistentiam, & realem præsentiã, prout cum Apostolis conuersatus fuit per multos dies; mandauit quidèm suo Vicario Petro, eiusq; successoribus, vt perpetuò darent iurisdictionem omnibus Prælatis Ecclesiasticis in particulari, hìc, & nunc, opportunam, & necessariam, pro modulo Regiminis, prout ipsemet fecit, & dedit omnibus Apostolis in communi.

14 Nec hoc tollit virtutis, vel suppositi immediationem; quod enim fit iussu, & mandato Principis, dicitur factum esse à Principe immediatè, & proximè.

15 Nec tàs infic ias, ex his, & toto discursu concludi necessarium esse, ad perpetuitatem, & conseruationem Religionum, vt Religiosis omnibus vnus præfigatur homo, qui Religionem regat, & curet; non tamèn benè concludi, quod iste Præfectus, & Præsul debeat esse eiusdem societatis, & professionis: nàm de mente Summorum Pontificum, & iure naturali, & Diuino dictum est, quòd de essentia Religionum est, habere Prælatum eiusdem societatis, & professionis, secus foret arare in Boue, & Asino; & sic Religio diu conseruari non posset, contra præcitata iura, vt in *cap. in non æstisone 16. q. 7.* & in *cap. diuersis fallacijs, de Cler. coniugat.* dicitur, quòd malè conueniunt Citharæ cum Psalterio: diuersitas professionis, & habitus, dissentiones, & scandala causat, *cap. quod Deo 33. q. 5. cap. quidèm, de Apostat.*

16 Nec obstat, quòd aliquando Religionum Prælati fuerunt Episcopi diuersæ professionis; nàm nos loquimur, quid faciendum est de iure, nõ autem quid factum sit de facto, *cap. cùm causam, de elect.* multa enim iure fieri prohibentur, quæ facta tenent, *Peyr. cit. loc.* & additur, quòd omnes Religiones, à Rom. Pontifice approbatæ, vt decet, suos semper habuerũt Prælatos eiusdem societatis, & professionis, vt constat de Benedictinis, & alijs antiquioribus.

17 Et si Prælati, eorumq; Religiones aliquãdo fuerint sub immediata cura Episcoporum respectiuè; hoc tamen non tollit, quin iurisdictio, & potestas Prælatorum Regularium sit de iure Diuino, sicut iurisdictio Episcopalis est de iure Diuino, non obstante, quòd Episcopus stet sub potestate Metropolitani.

18 Et quot mala, & damna sint nata ab hac Prælatione, nobis immediatè facta per Episcopos, & quomodò fuerint causa impulsiua ad eximendum nos ab eorundem Episcoporum iurisdictione, diximus in *tract. de exemptione*, & habes in *cap. nimis*

mis iniqua,& cap. nimis prava, de excessibus Prælat.& Clem.unic.eod.tit.

Potestas Prælatorum Regularium, an possit, licitò iure per Romanum Pontificem restringi, ac limitari? Quæst. 2.

1 Affirmant vnanimitèr *Doctores*, & aliter pensare, est malè sentire de summa,& absoluta potestate D.Papæ; prout habetur in *cap.licèt, de translatione Prælatorum, in cap.proposuit,de concess. præben. & in cap.cuncta per Mundum 9. q.3.* vbi consultò,& clarè dicitur, q Romanus Pōtifex est,Diuino iure totius Ecclesiæ caput,successor Petri,& Vicarius Christi; cui, & in persona eiusdem Petri *Matth.*18. collata est suprema potestas super Terram, vt dicitur in *cap.quodcunq;24. q.1.* & in *cap. à nobis,il 2. de ȷeiu.excomm.*

2 Quò fit,vt quod factum fuerit à Papa, censeatur factum,non à puro homine; sed ab homine Cœlesti, vicegerente Dei in Terris,prout dicitur in *cap.quanto,de translat. Prælat.* quia Deū,& Papæ est vnum, & idem Tribunal,*Hostiens.in d.cap.*& *Glos.ibid.* subiungit. *Romanum Pontificem esse talem, cui non possumus dicere,cur ità facis? sed summo consensu ei tenentur omnes obedire,in omnibus, & per omnia, quæ manifestè non fuerint in Ecclesiæ destructionem, sed potiùs in ædificationem.*

3 Nec his notet, quòd Episcoporum, Archiepiscoporum; & aliorum omnium Prælatorum Regularium potestas,ac iurisdictio sit ordinaria, & iure Diuino sibi cōpetens, & immediatè à Christo Domino recepta, ratione suorum officiorum, vt suprà dictum est,quia etsi ità sit, fuit tamen prædictis concessa,non independentèr, sed dependentèr,& ordine hierarchico, ità, vt Inferiores dependeant à Superioribus, & in hoc ordine Dominus Papa, primum, ac Supremum retinet locum; quapropter, iure optimo potest,& potuit, prædictorum omnium potestatem, & iurisdictionem restringere,ac limitare, prout meliùs sibi videtur expedire, prout docent concorditèr omnes Catholici *Doctores*,& addunt,Rom. Pontificem, non mediatè, sed immediatè præesse omnibus Ecclesijs, & Diœcesibus quorumcunq; Prælatorum Inferiorum.

4 Perindè, posse, absq; illorum præiudicio,totum illud, quod sibi benè visum fuerit,in salutem animarum,& ob rectam gubernationem vniuersalis Ecclesiæ præcipere,prout expressè docet *D.Thom.in summ. contra errores Græcorum, q.66.* & contrarium fateri, esset in fide errare; *Pelta. in cap.1. de Constit.* & *Nauar. super cap.non liceat,de spolijs.Cleric. §.3.nu.1.* vbi de hac re late disputat,& in *cap.placuit, de pœnit. distin.2. num.2.*

5 Ex his collige, Archiepiscopos,Episcopos,& Prælatos omnes Regulares posse pariter coarctare, ac limitare iurisdictionem, & potestatem Prælatorum omnium, sibi sobiectorum; iusta tamen exigente causa: hinc,licitò iure potest P.Generalis restringere Prouincialium auctoritatem; sic itèm Prouincialis potest Priorum Conuentualium potestatem limitare, ex rationabili causa; quia etsi prædictis omnibus competat iurisdictio de iure Diuino: Fuit tamen eis collata, vt dictum est, ordine hierarchico,hoc est,ità,& talitèr,vt Minores essentialitèr dependeant à Maioribus, & sic Maiores Prælati possunt facere totū illud, quod faciunt Minores, sibiq; Inferiores, & Maiora: possunt enim sibi reseruare casus, à quibus Inferiores non absoluunt, inconsulto Superiori reseruante; prout docet *Miranda* in suo *Ordine Iudic. tom.1. q.2. ar.6. conclus.2.*& habetur in *Conc.Trid. sess.14.cap.7.can.11.* de qua re vide,quæ dico in *tract.de priuil.*

Prælati Regulares, an habeant iurisdictionem,quasi Episcopalem? Qu.3.

1 Vnanimitèr affirmant *Doctores*,& eam docet *D.Thom.2.2. qu.33. ar.7.ad 5.*& habetur in *cap.Episcopus, §. si ergo 11.q.3.* & *Glos.in cap.nè pro defectu 41. de elect.* & hoc ideò,quia hodiè omnes ferè Regulares sūt exempti ab Ordinariorum Episcoporum potestate, per priuilegia sibi directè concessa, vel per communicationem,& extensionem habita.

2 Hinc,habent in suos Subditos potestatem ordinariam, & quasi Episcopalem, seu similem,& proportionatam Episcopali, iuxta *Glos.in Clem.1. ver.propriu, de rebus Eccles.non alien.*quam singularem,& ab omnibus receptā putat *Nauar.comment.2.de regul,nu.63.ver.addo 2.cap.cui portio 12.qu.1. Cardinal.in dict.Clem.q.34. Abbas in cap.1. de reb.Eccles.non alien.*& alij multi,quorum non est numerus.

3 Quaptopter PP.Generales, & Prouinciales possunt in suos Subditos totum illud, quod possunt Episcopi in Clericos, sibi subiectos; *Nauar.lib.5.de regul. cons.23.* quia suorum Religiosorum ordinarij sūt, *cap.cùm ab Ecclesiarum Prælatis,de off.ordin. & final.C.de iurisdict.omn.Iudic.*& sic possunt suos Subditos, de iure communi excommunicare, *cap.transmissam, & cap.suffraganeis,*

neis, de elect. prout notant *Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. nu. 5.* & *Coriolan. de casib. reser. p. 1. sect. 1. ar. 2.* & casus sibi reseruare, ex *Decret. Clem. VIII.* Item concedere dimissorias litteras ad suscipiendum ordines, vt constat ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 10.* & docet *Nauar. tom. 3. consil. lib. 1. consil. 22. de tempore ordinand.* & ad triremes destinare, *Panorm. in cap. cum Clerici, §. de adulterijs, num. 13. de Iudicijs,* & *Nauar. in d. 2. comment.*

4 Quæ quidèm sic adeò vera sunt, vt secus dicere, sit malum, prout post multos docet *Coriol. cit. loc.* & alij, quos allegat *Barbosa de off. & potestate Episcopi, allegat. 105. num. 4. Ascan. Tambur. tom. 1. de iur. Abbat. disp. 35. q. 3. num. 4. in calce, Rodriq. tom. 2. quæst. 63. art. 4. & in summ. p. 1. cap. 29. num. 3. Campanil. in diuers. iur. Canonic. rubric. 12. cap. 13. nu. 2.* & *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 2. nu. 6. & disput. 3. n. 9. concl. 4.*

Prælati Regulares, Episcopo Inferiores, an dicantur habere proprium territorium, & esse nullius Diœcesis? Quæst. 4.

1 Affirmat *Roland.* cum alijs multis, quos allegat *lib. 3. consil. 13. nu. 44.* ex eo, quia loca exempta ab ordinariorum Episcoporum iurisdictione, & Domino Papæ immediatè subiecta, constituũt territorium per se; quod largè, vel quòad aliquos effectus, vel per modum æquiparationis admittit esse verum *Felin. in cap. graue, nu. 2. in fin. de off. iud. ordin.* & *Gonzal. super regul. 8. Cancell. Glos. 43. num. 191.* nàm Regulares, ab ordinariorum Episcoporum iurisdictione immunes, aut sunt nullius Diœcesis, sicut Priores nostri Conuentus Balneatensis, Superioris Calabriæ, qui quidem ex speciali priuilegio præsunt sæculari Clero, cum plenaria iurisdictione, & sic verè, ac propriè dicuntur de per se habere propriam Diœcesim, & Territorium, cuius respectu verè appellantur Diœcesani, prout docent *Cardinal. in Clem. 1. §. volumus, q. 4. nu. 2.* & *ibi Imol. num. 38. Panormit. nu. 15. de foro compet.* & *Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 29. num. 18. & lib. 8. disput. 2. num. 12.*

2 Aut sunt immunes, sed in aliena Diœcesi, prout regularitèr reperiuntur esse Mendicantium loca, in alterius Diœcesi sita, & erecta; & sic secus dicendum est, prout sępè decreuit Sacra Rota Romana, anno Domini 1611. coràm *R. P. Attrebaten.* Et 1621. coràm *R. P. D. Buratto:* Cuius Rotæ decisiones per extensum refert *Ascan. Tambur. tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. quæst. 9.* nàm eo ipso, quòd huiusmodi Monasteria dicuntur esse in aliena Diœcesi, nõ possunt constituere Territorium separatum; implicat enim in adiecto, esse in aliena Diœcesi, & habere Territorium separatum: nàm habere Territorium separatum, idem est, quod esse extrà Territorium, seu esse extrà Diœcesim, prout benè notãt *Doctores*, quos cumulat *Tambur. cit. loc.*

3 Quod magis patet, si aduertas, huiusmodi Regulares, qui existũt in aliena Diœcesi, in multis subijci correctioni, & visitationi loci Ordinarij, quod non procedit in illis, qui sunt nullius Diœcesis, ex eo, quòd habent Territorium separatum, seu forum, *l. pupillus, §. territorium, de verb. signif.*

4 Hoc autem separatum Territorium solus Papa concedere potest, ex speciali priuilegio; quia ad ipsum solùm spectat, separare vnã Diœcesis partẽ ab aliqua tota Diœcesi: ità *Hostiens. in cap. cùm contingat, nu. 1. de for. compet.* & *ibid. Butrius nu. 11. ver. Consuet.* & *Panor. nu. 18.*

5 Proindè, benè nota; quòd aliud est, esse nullius Diœcesis, & aliud, esse in Diœcesi, vel de Diœcesi alterius; nàm esse nullius idem est, quod esse exemptum cum proprio Territorio; esse autem in aliena Diœcesi, est esse exemptum, sine proprio Territorio; & tandèm esse de aliena Diœcesi, est esse sine exemptione, & territorio; prout communitèr notant *Doctores, Lapus Clem. 2. de priuil.* & *Abbas in cap. graue, de offic. iud. Ordin.* & alij plures, quos citat Illustriss. Doctor *August. Barb. in collect. tom. 1. in d. cap. graue, nu. 3. ver. in sua Diœcesi existentes, de off. Iud. ord.*

Potestas, & iurisdictio Prælatorum Regularium, an sit magna circa suos Subditos? Quæst. 5.

1 Et quidèm magna est, nàm Prælati Regulares de iure, circa suos Subditos, ea omnia possunt, in quibus non sunt prohibiti.

2 Insupèr, si eorum potestas non esset per Dominum Papam limitata, possent in suos Subditos, omni proculdubio totum illud, quod potest Romanus Pontifex in tota Ecclesia: hi enim, vt suprà dictum est, sunt Ecclesiæ veri Prælati, Iudices ordinarij, habentq; facultatem de iure Diuino sibi debitam, quam ceu Episcopi, & Archiepiscopi, immediate à Christo receperunt, ad fęlicitèr gubernandum, & regendum statum Regularium; prout scitè ostendunt noster *Victoria in relect. de potest. Eccles. q. 2. nu. 18.*

nu.28. & *Sot. in 4. ſentent. diſtin.27. q.1. ar.4.* quos ſequitur *Rodriq. tom.1. q.27. art.6.* & *Miranda in ordine Iudic. tom.1. q.2. ar.6.* & in *Manual. Prælat. tom.1. q.13. ar.5.*

3 Benè tamen verum, quòd iſtorum recenſita poteſtas in multis, & multis limitata reperitur à iure, Papa, vel Eccleſia; prout docent *Sylu. ver. caſus, nu.2.* vbi refert quinquaginta caſus, Papæ reſeruatos, de quibus latè idem *Miranda in d. Manual. tom.2. q.7. à 1. artic.* vſq; ad 7.

4 Hinc benè dicitur in noſtris *Conſtit. diſtin.2. cap.3. tex.10.* quòd Prior Prouincialis eandem habet poteſtatem in ſua Prouincia, quam, & Magiſter Ordinis in toto Ordine, ſic itidèm Prior Conuentualis in ſuo Conuentu, reſpectiuè; quia hi omnes ſunt veri Prælati, vt dictum eſt, tantò minus, quantò eorum auctoritas, vt dixi, reperiatur limitata à P. Prouinciali, vel Generali, cæteriſq; Superioribus in forma.

Prælati Regulares maiores, vti ſunt Generales, et Prouinciales, an habeãt maiorem auctoritatem in ſuos Subditos, quàm Epiſcopi? Quæſt.6.

1 IN deciſis habemus, Prælatos Regulares, ſuper ſuos Subditos habere iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, hoc eſt, ſecundùm quandam Analogam proportionem, & hoc ſignificatur per ly *quaſi*; quæ eſt particula diminuens; quia de facto iuriſdictio Epiſcopalis in ſpiritualibus eſt maior, & dignior, ſimpliciter, omni dignitate, & poteſtate Regularium: Cùm ſtatus Epiſcopalis ſit melior, ac dignior omni ſtatu Mendicãtium: prout docent communitèr *Doctores*, & ea, quæ ſunt de ordine Epiſcopatus, nullatenus poſſunt Regularibus conuenire.

2 Benè verum eſt, quòd in quibuſdam, & ſecũdùm aliqua, maior eſt prædictorum Regularium auctoritas, quàm ſit Epiſcoporum; cùm ad plura ſe extendant: nàm Prælati Regulares habent poteſtatem, & ſuper animas, & corpora Subditorum, nec non, & illorum lites, etiam criminales, & ciuiles ſæpè dirimunt; quod non poſſunt Epiſcopi, *Portell. in dub. ver. Prælatus, nu.6.* & *Bordon. reſolut.2. q.9.*

3 Quod procedit in vtroq; foro, *Sanchez de matrim. lib.8. diſp.2. nu.13. & diſp.3. num.9. concl.4.* quia tàm ad abſoluendum, quàm diſpendandum, plura poſſunt Regulares, quàm Epiſcopi, vt conſtat ex deciſis, & infrà dico, prout patet de homicidio voluntario, & caſibus, Domino Papæ reſeruatis, à quibus Epiſcopi non abſoluunt, *Rodriq. tom.1. q.24. ar.16. in fin. ver. nec mirum eſt, Sanchez cit. loc.* & *Beya par.4. caſ.37. §. & quamuis*: Sed in his ſeruanda ſunt, etiam priuilegia, Religioſis à Papa conceſſa.

Poteſtas data Epiſcopis per Conc. Trid. ſeſſ.24. de reform. cap.6 incipiente, liceat: ſcilicèt; diſpenſandi in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus occultis, in foro conſcientiæ, an de iure competat Regularium Prælatis, an verò ex priuilegio Pij V.? Qu.7.

1 ET quidèm, competere de iure, affirmant *Ioan. de Lacruce de ſtat. Relig. lib.1. cap.6. dub.16.* & *Henriquez lib.14. cap.18. nu.2. & in comment.* & alij plures Viri grauiſſimi, quos citat *Diana par.7. tract.2. reſol.4.* ducunturq; ex multis, Primò, quia hæc poteſtas Epiſcopis tradita in *d. cap.* eſt ordinaria, licèt ſpecialis; competit enim eis, non ratione perſonæ, ſeu ordinis, ſed dignitatis, vel perpetui officij, vt docet *Bartol. in l. ambitioſa, nu.3. ff. de decret. ab ordin. faciend. Bald. in cap. final. de off. ordin. Sylu. in ver. delegat. q.8.* & *Couar. lib.3. var. cap.20. num.6.*

2 Quod magis conſtat, ſi aduertas, omnem iuriſdictionem, in vniuerſum, æquè diuiduin ordinariam, vel delegatam; vt ſuprà dico, & prædictam iàm recenſitam, auctoritatem *cap.6. Trid.* nullatenus poſſe eſſe delegatam; nàm *Tridentinum in d. Decreto* non dicit, vt id competat Epiſcopis, tanquàm Delegatis Sedis Apoſtolicæ, in quo caſu, etſi poteſtas competat dignitati, vel officio perpetuo; cenſetur tamen delegata: ſecũdùm *Gloſ. final. in cap. ad abolendam, de hæret.* & *ibi Panor. nu.15.*

3 Nec itèm dicitur in *d. cap.* vt Epiſcopi diſpenſent auctoritate Apoſtolica, quæ quippe verba denotant auctoritatem delegatam paritèr, vt docet poſt multos *Maranta* in ſua *pract.4. p. diſtin.5. nu.4.*

4 Hinc, Capitulum, ſede vacante, ex quo habet ordinariam iuriſdictionem Epiſcopi, poteſt, ea omnia exercere, quæ in *d. Decreto* competunt Epiſcopis, vt docent *Genuenſ.* in ſua *pract. Cur. Archiep. Neap. cap.66. nu.22. Sayr. deciſ.31. de tempor. ordin. Nonar. ſingul. Iuris Pontificij concl.2. Suarez tom.4. in 3. p. diſp.30. ſect.2. nu.2.*

5 Quod itèm procedit in Epiſcopis, nondùm conſecratis, prout omnes concedũt, ex eo, quia poteſtas conceſſa in *d. cap.* conceditur Epiſcopis, vt dictum eſt, non ratione ordinis Epiſcopalis, ſed ratione iuriſdictionis ordinariæ.

6 Prælati autem Regulares, & præcipuè maiores,

maiores, vti sunt Generales, & Prouinciales in sua Diœcesi, quæ comprehendit eorum Monasteria, habent plenam, & ordinariam Episcoporum iurisdictionem, & ab illis, sola consecratione differunt, vt docent communiter *DD.*

7 Proindè, Confessarios in suis Diœcesibus, hoc est, in suis locis, & Monasterijs, instituunt, & approbant, quod ad Episcopos spectat, ex *Decreto Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de reformat.*

8 Nec non, vt dictum est, & casus sibi reseruant, & dimissorias litteras ad ordines suscipiendum, suis Subditis concedunt, & alia huius generis multa, quæ concernunt munus Episcopi: & sic, dubio procul in suis prædictis locis, tanquam in propria Diœcesi, sunt Episcopi æquipollentèr, vt post multos docent *Franciscus Merolla, tom. 1. disp. 4. de legib. & constit. cap. 6. de dispensat. coroll. 9. nu. 134.* & *Franciscus Bordonus resol. 2. q. 10. nu. 19. de potestate Prælat.*

9 Et consequentèr, nomen Episcopi in *d. cap.* non sumitur propriè, & formalitèr, sed largè, & translatiuè: etenim præsupponit pro quocunq; Prælato, habente iurisdictionem ordinariã, quasi Episcopalem: prout egregiè *Rodr.* & *Henriquez cit. loc.* & *Bossius sect. 1. de Iubil. cas. 10. nu. 220. Beja 4. p. cas. 37. Floret de Mena var. resolut. lib. 3. quæst. 24. nu. 18. Duard. in Bull. Cœnæ Domini, lib. 3. §. 2. q. 8. nu. 55. Monet. de commut. vltim. volunt. cap. 5. nu. 455.* & *Sigismund. à Bononia de elect. dub. 51.*

10 Secundò, quia aliàs Subditi Prælatorum Regularium, essent peioris conditionis, Subditis Episcopis, quod non debet dici, cũ sint in statu perfectiori, ac strictiori, aut esset illis malè prouisum, cùm non deceat, illos vagari, Romamq; petere, pro absolutione, & dispensatione, in casu, quòd in reseruatos incidant, vel si Irregularitatem admittant; quippè qui, cùm nulli subdantur Episcopo ex vna parte, & cùm ex altera, proprium habeant Territorium, seu Monasterium, quod nõ est veluti pars Diœcesis alicuius Episcopi, sed potiùs quasi Diœcesis distincta: in casu indigentiæ, sicut potest occurrere, & sublatis priuilegijs; à quo nam essent absoluendi Regulares? non vtiq; ab Episcopis vicinis; quia non sunt illorum Subditi, nec de illorum Diœcesi, quod requiritur, iuxtà *d. Decret.* Concil. enim dicit, *sibi Subditis, & in sua Diœcesi, & loco*: nec itèm possent absolui à proprio Prælato, si in hoc *Decreto* non comprehenduntur; prout benè notat *Coriol. 1. p. de casib. sect. 1. ar. 23. nu. 4.* à quo ergò? Romam petere, vt dixi, periculosum, nè dicam, damnosum, & scandalosum.

11 Tertiò, quia id declarauit *Pius V. sua Constit.* quæ incipit. *Rom. Pontif. circumspecta benignitas*; quam ponit per extensum *Confess. in collect. litt. Apostolic. & priuil. pag.* mihi 186. in impressione Veneta, ibi, *& insuper, quia Sacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in Irregularitatibus; prout sess. 24. cap. 6. habetur, nè Prior Conuentualis, & Superiores Prælati totius d. Ordinis, tàm in d. Prouincia, quàm extrà eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut sæculares existant, eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus præfatis, vt ipsi per se ipsos, idem omninò in Fratres, & Moniales d. Ordinis sibi Subditos, tàm quòad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascunq; facultates, eadem auctoritate, & tenore, perpetuò concedimus, indulgemus, & etiam declaramus*, hæc ibi: Quandoquidèm Papa in *d. Bulla* duo declarauit, alterum, quod se tenet ex parte Subditorum, quòd, scilicèt, non licet Religiosis Subditis, virtute *Bullæ Cruciatæ*, & priuilegij eligere Confessorem, ab Ordinario approbatum: alterum ex parte Prælatorum, quòd scilicèt, ius datum Episcopis per *Conc. Trid. in d. cap. sess. 24. de reformat.* cõpetit Regularibus Prælatis; quapropter si abrogaretur priuilegium *Pij V.* vel simile, adhùc Prælati Regulares vti possent facultate prædicta, in vim *Concil. Trid.*

12 Nec his obstat, quòd ea, quæ iure speciali competunt Episcopis, prout est facultas concessa per *d. Cap. Trid.* non possint in alios transire, prout docent *Innoc. in cap. cùm in cunctis, nu. 17. de elect.* & *Abbas in cap. verùm, nu. 9. de for. compet.* quos sequitur *Petrus Cenedus in collect. 4. ad 6. de elect. num. 3. Suarez tom. 5. de cens. disput. 41. sect. 2. num. 18.* & nouissimè *Bonac. de cens. disput. 7. q. 5. pun. 1. nu. 7.*

13 Quia, etsi competẽtia Episcopis iure speciali delegato, seu ex commissione, non possint transire in alios; ea tamẽn, quæ cõpetunt, iure ordinario speciali; prout est dicta facultas, benè possunt ad alios transire, *Panorm. in cap. verùm, nu. 9. de for. compet. Felin. in cap. eam te, nu. 17. de rescriptis, Rodr. tom. 1. q. 61. ar. 9. Meroll. cit. loc.*

14 Nec itèm nocet, quòd prædictum *Decret. Trid.* exorbitat à iure communi primeuo, quo obtento solus Papa poterat dispensare, & consequentèr vti odiosum debet restringi, & non ampliari; vt dicitur in *cap. quæ exorbitant, de Regul. iuris, in 6.*

15 Quia prædictum *Decretum*, de quo agitur, ex quo reducit Episcoporum potestatem ad ius primæuum, & antiquum, est fauora-

fauorabile; & consequentèr ampliandum; nàm Apostoli, in quantum Apostoli, omnes fuerunt æquales, & immediatè à Christo Domino, potestatem iurisdictionis, in totū Orbem acceperunt, prout eruditè probat *Caiet. in Opusc. de auctor. Papæ, & Concil. cap. 3. & 4.* & *Baunes 2. 2. quæst. 1. ar. 10.*

16 Cùm autem Episcopi, in locum Apostolorum succedant, diuisi per suas Diœceses, in his Diœcesibus, iurisdictionis potestatem habēt, sicut Rom. Pontif. habet in totū Orbem; tantò minus, quantò, in quibusdam casibus reperiatur limitata à Domino Papa, prout luculentèr docet *Sylu. summ. ver. casus.*

17 Cùm ergò, iàm dictum Decretū, corrigat ius Canonicum, quo Dominus Papa limitauit Episcoporum potestatem, auferendo talem limitationem, reducit Episcopalem potestatem ad suam primæuam antiquitatem, & quasi naturalem statum, in quo reperiebantur Episcopi, antequam eorum potestas fuisset, vt dictum est, limitata; omni dubio procul ius correctiuum erit, reducens constitutum ad terminos iuris primæui, & naturalis status, non autem ius nouum; prout quidam malè dicunt; & sic amplè debet interpretari, prout docent *Rodr. Bordon. & Coriol.* cum alijs in præcit. *loc.* quia omnis constitutio correctoria, reducens constitutum ad ius primum, secundùm omnes *Doctores*, debet amplè interpretari, & largè exponi.

18 Nec tādem obstat quædam declaratio Sac. Congregat. quæ circumfertur, facta in *d. cap. liceat*, quòd scilicet, in hoc *Decreto* non comprehenduntur Inferiores, habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem: sed tantùm Episcopi, priuatiuè, quòad omnes alios; quia de hac nō constat authenticè: & sic illi non standum, ex *Decreto Vrbani VIII.* super hoc edito, prout nos latè diximus in *1. par. tract. 8. de interpetratione Priuilegiorum, quæst. 4. nu. 3.* & si constaret, nec haberet vim legis; quia Auditores Rotæ Romanæ nō habent auctoritatem condendi leges, & consequentèr non possunt obligare, *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 2. nu. 10.* sed facit opinionem probabilem, *Suarez lib. 7. de legib. cap. 11.* cum alijs multis, quos citat *Zacchar. Pasqual. decis. 8. & 9. Beya* autem in *d. p. 4. cas. 37. §.* & *rationes* ait, prædictam declarationem non loqui de Regularibus, sed de quibusdam Abbatibus, subiectis, in pluribus Episcopis, quibus non competit illud ius, cùm nec æquipollentèr possent dici Episcopi; vti sunt Abbates Ecclesiæ collegiatæ, & aliqui Archydiaconi, *Meroll.* cit. *loc.* & vltimò *Bordonus* ait, Prælatos Regulares non esse Episcopis Inferiores, sed pares in iurisdictione; & sic debere intelligi illud verbum, *priuatiuè*; supple Inferiores.

Prælati Regulares, an possint leges ferre? Quæst. 8.

1 ET quidèm Generales Religionum omnium, approbatarum tamèn à Rom. Pontif. posse respectiuè leges ferre, de consensu maioris partis Generalis, vel Prouincialis Capituli, non est, qui neget: dummodò contrà ius commune, vel naturale, aut Diuinum non constituant: quia hæc facultas condendi leges, pullulat, & dimanat à iurisdictione ordinaria, & potestate, quam quis habet in suos Subditos, *D. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 3. & 2. 2. quæst. 51. ar. 2.* & habetur in *l. 1. de constit. Princ.* & *Bartol. in l. Imperium, nu. 8. ff. de iurisd. omn. Iudic.* Peindè quantum quis habet de iurisdictione, tantum habet de auctoritate ferendi leges, & statuta; nec vlteriùs extenditur; nisi, hi, quorum intecest, consentiant, vel ad minus sint præsentes, vt docēt *Bald. in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. Innoc. in cap. 1. de locato, & in cap. à nobis, il 1. de sent. excomm.* vbi allegat *cap. final. de his, quæ à Prælat. fiunt*, & *Syl. in summ. ver. lex, n. 4. in fin.* & colligitur ex *Instit. de iur. nat. §. 1. & 2.*

2 Generales autem Ordinum, præcipuè Mendicantium, sunt veri Prælati, & ordinarij suorum Subditorum, habentq; supremā auctoritatem Episcopalem, vel quasi Episcopalem in toto Ordine, quem gubernāt, vt dictum est; & sic iure ordinario habent auctoritatem excommunicandi, suspendendi, interdicendi, cæq; omnia operandi, quæ potest Episcopus cum suo Diœcesano Capitulo, vt multis citatis notat *Bonac. tom. 2. de legib. in disput. 1. quæst. 1. punt. 3. nu. 15. & 28.*

3 Confirmatur, nàm ordinare aliquid ad bonum commune, quod facit lex, vel est totius multitudinis, vel alicuius gerentis vices eius; vndè legem condere, pertinet ad multitudinem, vel ad personam publicam, quæ habet curam totius multitudinis, prout idem *D. Thom. in cit. loc. 1. 2. quæst. 90.* quem post multos sequitur *Suarez lib. 4. de leg. cap. 6. nu. 25.* & *Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 9. nu. 29.*

4 Consultò dixi, à Rom. Pontif. approbat. quia in Lateranens. & Lugdunens. Generali Concilio, sub grauissimis pœnis prohibitum est, priuata auctoritate, nouam Religionem instituere; & eò fortiùs, si de mulieribus loquamur, prout statuit *Ioan. XXII.* & *Clem. V.* Sic adeò, vt sine graui nota

nota temeritatis, & pœnalitatis, nemo possit, de se Religionē instituere: quapropter, optimo iure fuit suppressa, & annullata prætensa Congregatio Iesuitissarum, per *Vrbanum VIII.* sua *Constit.* 119. incip. *Pastoralis Rom. Pontif. cui cura, &c.* edita, anno Domini 1630. & publicata die 27. Augusti, & posita in 4. *tomo Bull. Cherubin.*

5 Quia, etsi à Christo Domino, immediatè sit institutus Religiosorum status; hoc tamen intellige, in genere, & ordine Hierarchico, vt suprà dictum est.

6 Ità, quòd ad specificam distinctionem, & secundùm hic, & nunc, cuiusuis Ordinis, & Instituti, tàm viuendi Regulæ, quàm Constitutiones, & Statuta, debeant omninò examinari, & approbari per Romanum Pōtificem, cui soli commissa est cura totius Ecclesiæ Vniuersalis: quia *Petro* dictum est, *pasce oues meas*; & omnes homines sunt oues Domini Papæ; & ad ipsum spectat de omnibus ouibus: hinc nec Euangelio crederem, nisi *Petrus* approbasset.

7 Quod dictum est, de Generalibus Ordinum, extende proportionabilitèr, ad PP. Prouinciales, hi etiam respectiuè dicuntur Prælati, & Ordinarij suarum Prouinciarum, & habent iurisdictionem, quasi Episcopalem in præfixis sibi Prouincijs, vt suprà diximus. Episcopi autem, de consensu Capituli, ex sui muneris potestate possunt, sine dubio, statuta condere; suis tamen Subditis conuenientia; prout omnes docent in *cap. cùm omnes*, *& cap. cùm accessissent, de Constit. & cap. 1. de consecrat. distin. 3. & cap. 2. de locato*, vbi supponitur, Episcopos posse statuta facere, & habetur expresse in *c. vt animarum, de constit. in 6.*

8 Verùm, licèt Prouinciales in suis Cōgregationibus, seu Capitulis Prouincialibus possint statuta perpetua facere, obligantia omnes Religiosos illius Prouinciæ; debent tamen hæc condere, publicare, & obseruari facere de consensu Reuerendiss. P. Generalis, vel Capituli Generalis, quia huiusmodi statuta respectu totius Prouinciæ, sunt res grauissimæ: & ideò non debent fieri, sine influxu Supremi Capitis, seu Tribunalis, confirmantis, vel approbantis statuta prædicta, argum. *cap. cùm accessissent, de Constit.* tùm quia, sicut pars, regularitèr non debet discordare à toto; ità cùm expedit in aliquo discrepare, non debet id facere, sine motione, & cōsensu capitis, vel totius corporis: maximè quando sunt dispositiones in re perpetuò futura: Cùm tandèm P. Generalis debeat habere prouidentiam singularum Prouinciarum, etiā quoad proprias obseruantias earū, valdè rationi, & iusto consentaneum est, vt sine illo, statuta non introducantur; ità *Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 8. nu. 5.*

9 In nostra autem Dominicana Religione, ad euitandum multitudinem Constitutionum, in specie, prudentèr, prohibēdo cauetur, nè de cętero aliquid statuatur, nisi per duo Capitula Generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo, immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri, siuè per Priores Prouinciales, siuè per alios Diffinitores, vbicunq; illud tertium Capitulum celebretur, prout habetur in *Prol. Constit. tex. 7. fol. 8.*

10 Proindè, nec Prior Prouincialis, nec Magister Ordinis, nec aliquod Capitulum potest facere Constitutionem in Ordine nostro, sed oportet, quòd ad Constitutionem faciendam concurrant tria Capitula Generalia, & continua; vel vnum Capitulum Generalissimum, quod tribus Capitulis Generalibus continuis æquipollet, prout *ibid.* fuit sępè declaratum.

11 Possunt tamen Capitula Generalia, & Magister Ordinis facere ordinationes, & admonitiones, quæ perpetuò durabunt, quousq; fuerint reuocatæ, & poterunt secundùm ipsas nostri Superiores corrigere Fratres, & etiam in ipsis dispensare, ex causa rationabili, vt *ibid.* declaratur.

12 Et sic, aliud est loqui de iure communi, & aliud de iure speciali: nàm de iure cōmuni certum est, quòd in omnibus Religionibus, à Sancta Sede approbatis, reperitur potestas ferendi leges, & condendi statuta perpetua, quæ Ordini, & Regulæ conformia sunt, prout docet *S. Thom. 2. 2. quæst. 104. ar. 5. & quæst. 186. ar. 6.* vel quæ ad Ordinis, ac Regulæ conseruationem videntur, etiam si in Regula, quam Regulares promiserunt, expresse non comprehendantur.

13 Hæc autem potestas, statuta condendi, an sit pęnès Supremum Ordinis Prælatum, vel pęnès Capitulum, aut pęnès vtrūq; simul, vel pęnès Capitulum Generale, aut Prouinciale; attendendæ sunt Regulæ, Cōsuetudines, & Priuilegia cuiuscunq; Ordinis, de qua re vide *c. in singulis, de statu Monach.* vbi habes huius generis multa.

14 Sed quid dicendum, si talia statuta fiant per P. Prouincialem in Capitulo Prouinciali, sine tamen consensu P. Generalis? dicas, non valere in Ordine nostro: nisi per modum præcepti, vel mandati; verùm quoad alios, consule eorundem priuilegia, consuetudinem, vel regulam: de iure tamen communi affirmat *Salas*, esse valida, per doctrinam *Bald. Innoc.* & aliorum, *in locis* per ipsum citatis in *tractatu de legib. disp. 8. sect. 12.* & sic prædicta statuta possent

ſent dici lex municipalis, vtputà, facta de conſenſu Ciuium vnius Loci, vel Prouinciæ: Reliqui autem Inferiores Prælati, nequeunt leges ferre, ſed tantùm præcepta, & mandata, quæ expirant morte mandātis; & obligant Subditos, ex voto obedientiæ; ſi fiant, vt decet, in cuſtodiam Regulæ, quam iurarunt obſeruare: Et hoc ideò, quia huiuſmodi Prælati non habent publicam auctoritatem; nec iuriſdictionem vniuerſalem in ordine ad totam Religionē, quam profeſſi ſunt, prout requiritur, ad ferendum leges, pro communi bono; tùm etiam, quia hæc poteſtas condendi propriè leges, eſt de reſeruatis Principi, in ſignum ſupremæ poteſtatis, vt poſt allegatos docet *Fachineus lib.13. contrRou. cap.22.*

15 Quā quidèm poteſtatem iuriſdictionalem, & gubernatiuam, habent Supremi Principes à Communitate, proximè, vel remotè, prout docent *Sot.lib.4.de iuſt.q.4. ar.1.§.hic autem*, & *Cardinal.Bellarm.tom.1. lib.3.de Laicis, cap.6.* quia Reſpublicæ, & Communitates, iuriſdictionem tranſtulerunt in Principes, *D.Thom.1.2. quæſt.90. ar.3.* & habetur in *l.1.ff.de conſtit.Princ.& l.2.§.nouiſſimè, ff.de orig. iur.* vbi *DD.*

16 Qui quidèm Principes ſupremi, poteſtatem ſuis largiuntur Magiſtratibus, & Gubernatoribus, vndè poſſunt leges ferre, ſecundùm quod habent auctoritatem, ſibi conceſſam à Supremo Principe, vt dictum eſt: ità, & Prælati Regulares (cęteris paribus) poterunt leges Eccleſiaſticas ferre, ſecūdùm auctoritatem ſibi factā à Domino Papa, totius Eccleſiæ Supremo Principe: 3.

P. Generalis Ordinis, an valeat independentèr à Capitulo, leges ferre? Quæſt. 9.

1 NEgatiuè dic, de iure tamen communi: tùm quia, ſicut P. Generalis regulariter habet poteſtatem à Capitulo, hoc eſt, per electionem Eligentium, in vnum legitimè congregatorum; ità ſine conſenſu, ſaltèm maioris partis Capituli, non poteſt ſtatuta, nec leges ferre: cum hac enim limitatione, ſaltèm tacita, cenſetur poteſtatem accepiſſe, prout de cōmuni docet *Suar. lib.4.de legib. cap.5.nu.2.* quandoquidèm P. Generalis non eſt ſuprà Capitulum Generale; quamuis ſit caput, & pars principalis illius. Tùm etiam, quia P. Generalis, in omni Ordine eſt ſimilis Archiepiſcopis, ceù Prouincialis correſpondet Epiſcopis, & Priores, ſeu Guardiani Locales, & Conuentuales correſpondent Parochis; prout ex multis docent *Miranda tom.1. Manual. Prelat. quæſt.14. ar.2. Peyr. tom.2. de Pralat. q.1. cap.4. num.1. & §.4.nu.71.* & *Tambur. tom.1. de iur. Abbat. diſput.1. q.4. num.2.*

2 Verùmtamen Archiepiſcopi, & Epiſcopi non poſſunt, ſine Capituli conſenſu, ſtatuta condere, nec leges ferre; prout conſtat ex *Pontificali Romano*, & praxis docet, & expreſsè habetur in *cap.vltim.de ferijs*, & *cap.quanto, de his, quæ, &c.* vbi *Alex.3.* ait, *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in conceſſionibus, & confirmationibus, et alijs Eccleſiæ tuæ negotijs, Fratres tuos requiras, & cum eorum conſilio, vel maioris partis, eadem peragas, & pertractes, & quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuas, & erraia corrigas, & euellenda diſſipes, & euellas.*

3 Id ipſum ſtatuit in *cap.nouit tuæ diſcretionis prudentia, qualitèr tu, & Fratres tui, vnum corpus ſitis, ità quòd tu caput, & illi membra eſſe probantur: vndè non decet te, omiſſis membris, aliorum conſilio, in Eccleſiæ tuæ negotijs vti*: & infrà; *innotuit ſiquidèm auribus noſtris, quòd tu, ſine conſilio Fratrum tuorum, Abbates, & Abbatiſſas, & alias perſonas Eccleſiaſticas inſtituis, &c. ideòq; id auctoritate Apoſtolica prohibemus, ac tales inſtitutiones, & deſtitutiones, carere decernimus robore firmitatis*, & *c.non eſt, de conſuet. lib.6.*

4 Hinc inoleuit Epiſcoporum praxis, nihil ſtatuere, inconſulto Capitulo, & ità à Sacra Congregat. fuiſſe deciſum, refert *Stephan. Quaranta in ſumm. in appendice, ver. Synodus Diœceſana, Meroll. tom.2. diſp.4. de legib. cap.4. difficult.2. num.16. Panor. in cap. vltim. de off. deleg. & cap.2. de conſtit.* & poſt multos *Sayr. in Claui Reg. lib.3. cap.11. nu.6.*

5 Si hoc totum procedit in Archyepiſcopis, & Epiſcopis, quippè qui, à Capitulo iuriſdictionem, & poteſtatem non accipiunt, ſed immediatè à Domino Papa, quantò fortiùs debet procedere in Prælatis Regularium, qui quidèm, vt dixi, à Capitulis, & Electoribus, ſtatim ſequuta, & canonicè publicata electione, ſuper omnes Fratres auctoritatem habent.

6 Dixi, de iure communi, quia ſecus eſſet dicendum, ſi adeſſet priuilegium, vel conſuetudo, hæc faciendi ſine Capitulo, quod iuxtà ſui tenorem, attentè debet legi, & obſeruari.

Prælati Regulares, an ſine conſenſu Capituli, vel Patrum de conſilio, ad hoc deputatorum, poſſint tutè, & validè, mandata, & præcepta facere? Q.10.

1 PRæcepta Generalia, quæ toti Cōmunitati imponūtur, regularitèr

loquendo, fieri nequeunt, fine consensu, saltèm maioris partis Capituli; hæc enim quodammodò sapiunt statutorũ naturam.

2 Sic itèm, & specialia, quæ ad vnam diriguntur personam, si tamen sint grauia, onerosa, & extraordinaria: prout præceptum, vel sẽtẽtia, vel iudicium, de torquendo, de expellendo Nouitium ab Ordine, de priuando quem habitu Religionis, & de similibus, quæ, vel infamant, vel damnum inferunt irreparabile; quandoquidèm res graues velle agere fine prudentia, & maturo consilio, periculosum est errandi, & peccandi grauitèr, pro qualitate rei.

3 Proindè in quolibèt Conuentu nostræ Familiæ, tres idonei Fratres, prudentes, & discreti eliguntur de consilio Patrum, fine quibus, non licet Prioribus, grauiora Conuentus negotia tractare, prout habetur in *dist. 1. cap. 13. de recipiendis.*

4 Secus autem dicendum de leuibus, vel consuetis, alitèr valdè onerosum foret Prælatis gubernare, si pro singulis actibus tenerentur Capitulum congregare: & sicut extrà Capitulum sunt Prælati, & iurisdictionem habent in vtroq; foro, super Subditos: ità hac, in multis vti possunt, fine Capitulo: verùm ad cauendum errorem, vnusquisq; suam, quam profitetur Regulã, consulat, & ad illius præscriptum agat.

5 Nàm in citato loco nostræ *Regula*, ad hoc PP. Consiliarij præfiguntur, ad negotia eorundem consilio tractanda, qui quidèm PP. nedùm habent votum consultiuum, sed etiam decisiuum; & si Prior præfinita negotia, inconsultis Patribus peragat, punitur, & absoluitur ab officio, *ibid. §. nouissimè.*

6 Si modò quæras; an iste consensus sit de substantia actus, sic adeò, vt sine ipso corruat actus? dico, quòd de hoc non potest dari certa Regula, sed diligentèr attendenda sunt statuta cuiusuis Ordinis: nàm si in statutis, & constitutionibus dicatur, quòd præceptum debeat fieri cum consilio, & assensu Capituli, & alitèr, vel secus, sit irritum, & inane: fine dubio, propter tale Decretum irritans, inualidatur actus; & sic non agere, & malè agere, paria sunt.

7 Et tandèm pro Regula, si quæ sit, debet attendi Regimen Religionis, si sit purè Monarchicum, ità vt potestas præcipiendi, sit in vno solo Prælato; nàm in tali Regimine consilium non est de substantia actus, sed sæpè nunc dimittitur, nunc verò adhibetur, ad rectiùs, & meliùs agendum.

8 Si tamen Regimen Religionis sit saltèm mixtum Aristocratico, prout est in multis Religionibus, in quibus ferè omnia fiunt per Diffinitorium, vel per PP. de cõsilio; in tali casu cõsilium est omninò, & simplicitèr necessarium ad valorem præcepti: etenim, in hoc casu consilium non erit solum consilium, sed iudicium, & definitio; & vota non sunt tantùm consultiua, sed decisiua, & definitiua; & ex his arguitur, quòd potestas præcipiendi, non stat in vna singulari persona, sed in toto consilio, legitimè congregato.

9 Quod procedit, & debet intelligi de grauioribus, nàm etiam in isto Regimine mixto stat, quòd solus Prælatus possit facere præcepta particularia, & transitoria, pro fęlici gubernio suæ Religionis, vt dictum est, dr qua re vide *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 8. nu. 6. & Meroll. tom. 2. disput. 4. de legib. cap. 4. difficul. 2. nu. 36.*

Prælati Regulares, an saltèm in foro conscientia, teneantur obseruare leges, à se latas? Quæst. 11.

1 CErtum est, teneri quòad vim, & legis virtutem directiuam: dùmmodò legis materia sit communis, & quòd eiusdem rationis reperiatur esse in Legislatore, & in alijs Subditis, *D. Thom. 1. 2. q. 66. ar. 5. ad 3.* & ibi *Caiet. Medina, Conrad.* & cęteri expositores, *Victor. relect. de potest. ciuil. nu. 21. & de potestate Papa, & Concil. nu. 7. Sot. lib. 1. de iust. q. 6. ar. 7. Sylu. ver. lex, q. 14.* & omnes alij nostræ familiæ, quos sequitur *Couar. in cap. alma mater 1. p. §. 1. nu. 4. Nauar. in cap. si quando, de rescript. 1.* & *Sayr. in Claui Reg. lib. 3. nu. 3.* quod optima ratione probatur; nàm leges humanæ ordinantur ad bonum commune, & ad hoc, vt efficiant ciues bonos, & studiosos; vtrumq; horum, scilicèt, promouere bonum commune, & comparare sibi virtutem, non minus pertinet ad Legislatorem, quã ad Subditos: ergò nullus eximitur ab hac legis directiua virtute; est enim lex Regula directiua humanarum operationum, ad hoc, vt & efficiat ciues bonos, & virtuosos: quod magis declarat idem *D. Thom. 1. 2. in qu. 92. art. 1.* vbi ex *Philosopho lib. 1. Ethyc. c. 14.* ait, quòd voluntas Legislatoris hæc est, vt homines bonos faciat, ea bonitate, quæ suo proprio fini congruit, & debetur: hoc quidèm conuenit omni legi; humanæ, scilicèt, & Diuinæ, Seculari, & Ecclesiasticæ: lex nàmq; Diuina, intendit efficere homines simplicitèr bonos, quod solùm fit per gratiam, & charitatem; leges autem humanæ, secundùm quid, hoc est, per species virtutis, congruẽtes suo fini, in quibus actus humani, seù nostræ operationes constituũtur per legem: si v.g. Princeps, sua lege statuat frumenti

pretia,

pretia, proculdubio, frumenti stabilita pretia fiunt de genere iustitiæ, si Dominus Papa, alicuius Sancti Festum præcipiat, talis Dies Festus reducitur ad speciem cultus, & Religionis: sic itèm si præcipit ieiunium, huiusmodi ieiunium reducitur ad abstinentiam, vel carnis macerationem, & similia.

2 Ecce, quomodò Legislator, sua lege constituit operationes nostras in aliqua virtutis specie: constituto autem virtutis opere, tota Respublica cum suo Capite, hoc est, omnes ciues, & ipsorum Princeps, tenentur, inquam, naturali lege, illud agere, & procurare commune bonum, vtputà pacem, & tranquillitatem, & virtuosum esse, hoc est, in se habere virtutem à lege præscriptam: nàm lege naturæ vnusquisq; tenetur recedere à malo, & prosequi bonum, ergò.

3 Quibus adde, quòd si Princeps, sua lege, quam fert, suos tantùm intendat obligare Subditos, non autem se ipsum, peccat vtiq; contra illud naturale principium, quo dicitur, ius, q̄ tibi non vis, alteri nè statuas, ob cuius violationē, Christus *Matth.23.* benè, ac sanctè reprehēdit Scribas, & Phariseos, eo, quòd onera grauia alligant humeris Subditorum, quæ eorum digitis, nolebāt mouere, quo facto, rectè reprehēdūtur Prælati, qui multa iubent, & nō faciunt.

4 Itèm adde, quòd iure Naturæ, pars non debet discordare à toto, nec è contra, totum à partibus, ceù etiam Caput debet se conformare cum cęteris membris, & sic portare onera, quæ toti corpori imponit, Legislator autem, est pars Reipublicæ, & Caput eius, vt dictum est; & ideò turpitèr agit, si in legum obseruantia, à toto discordat, prout docet *Caiet. in d.q.96.ar.5. ver. ad hoc dubium, in fin.* & *ibi Medin. ver.3. dico,* & *Sot. cit. loc. de iustit. in medio, vere considerandum.*

5 Hinc, diligentèr aduerte, hanc Legislatoris obligationem, ad seruandam legem à se latā, non nasci intrinsecè, proxime, & immediatè à lege sua, quam ipse tulit, sed ex naturali iure, vt dictum est, *Miranda. tom.2. Manual. quæst.25. ar.22. Diana part.1. de leg. resolut.10. Meroll. tom.2. disp.4. de legib. cap.3. dub.46.* & *Peyr. tom.2. de Prælat. qu.1. cap.8.* Quia, etsi lex humana constituat materiam, seù actiones nostras in tali specie virtutis, ità vt præscribat medium necessarium ad honestatem talis virtutis, vt suprà dictum est; hoc tamen non facit absolutè, nec simplicitèr, respectu omnium, vt malè quidam putant; sed tantùm respectu Subditorum: ipse autem Princeps non est Subditus, & consequentèr non seruando legem, non censetur peccare contra illam virtutem, sicut Subditi peccant: nàm Legislator, respectu sui ipsius non potest dici obediens, vel inobediens, prout dicuntur Subditi transgredientes sui Superioris præceptum: omnis enim violator legis, vel præcepti positiui, dicitur verè inobediens Legislatori, prout è contra, obseruator, obediens verè dicitur, & cum proprietate appellatur obediens.

6 Proindè, inferas, omnia peccata, quæ à Legislatore committuntur ob transgressionem, & inobseruantiam propriarum legum, esse eiusdem speciei, prout notant cum *Caiet.* nostri præcit. *Doctores*, quos sequitur *Salas disp.14. sect.2.* & alij plures, quos citat *Merolla cit. loc. nu.671.*

7 Et hoc ideò, quia illud præceptum generale legis naturæ, de seruanda propria lege, non ponit actum Legislatoris in eadem specie, in qua esset actus Subditi, qui directè, & immediatè subditur legibus; nā ratio formalis, per quam dicimus, Principem peccare, non seruando legem suam, eadem est in violatione omnium legum suarum, quia scilicèt turpitèr agit, discordando à toto, ac violando ius naturæ: ergò omnia peccata censentur eiusdem speciei; quidquid alij dicant.

8 Et additur, legem humanam à Principe latam, respectu sui ipsius, propriè, & formalitèr non habere vim, nec rationem legis; quia per se non est causa immediata, & proxima, à qua Princeps obligetur in conscientia, sed est conditio requisita, qua posita, emanat, naturali iure obligatio ad seruandam suam legem; prout notant nostri præcitati *Doctores*.

9 Et huic nostræ sententiæ iura respondent: nàm in *extrau. de const. cap. cùm omnes* dicitur, quòd quisquè iuris in alterum statuit, ipse debeat vti eo, iuxtà *Catonis* dictum, *patere legem, quam ipse tuleris*, & in *C. de leg. & constit. l. digna vox est Maiestatis regnantis, legibus alligatum Principem profiteri*, hoc est, ius naturale dictat, Caput Reipublicæ debere se conformare cum ceteris membris.

10 Secus autem dicendum, quòad legis virtutem coactiuam: hæc enim duo regularitèr reperiuntur in omni lege, quod sic adeò certum est, vt probatione non indigeat: nàm coactio de sua intrinseca natura, postulat, vt proueniat ab extrinseco agente; coactum enim illud dicitur, quod fit ab extrinseco passo, & non conferente vim, *Ethycorum 3. cap.1.* Princeps autem non potest esse sibi patiens vim extrinsecus, vt ceci vident: ergò, & additur, quòd vis coactiua, secundùm omnes, pertinet ad penæ

pęnæ impositionem, pęna autem ex se, & de ratione sua, fertur inuitum; & ideò ferri non potest, nisi à Superiore, in alium sibi Subditum potestatem habente, ergò non potest imponi à Legislatore, respectu sui ipsius; quia Princeps sibi Subditus minimè est, ergò nec sibimet inuitè potest pęnas inferre.

11 Quàpropter, si Papa percutiat Clericum, non est excommunicatus, & si Rex violet suam legem, non incidit in infamiam, nec in penā periurij; quia Princeps, quòad legum pęnas, est legibus solutus.

Generales Ordinum, an saltèm in foro conscientiæ teneantur obseruare leges, à se latas in Capitulo? Qu. 12.

1 RESpondeo, quòd Generales Ordinum, ac Prouinciales, & Consimiles, profectò tenentur directè, ad obseruantiam Statutorum, & Constitutionum Capituli Generalis, vel Prouincialis, vel Localis respectiuè, & earum pęnas incurrunt, si trãsgrediantur; sicut cęteri Fratres; quia Communitas, & Cętus statuentium, qui legem tulit, est Superior ad vnum.

2 Quandoquidem P. Generalis, etsi sit caput, est tamen pars Capituli Generalis, sicut Prouincialis, respectu Capituli Prouincialis; & in tali casu, licèt P. Generalis, ad statuenda conuenerit, nihilominùs pars Capituli est; ità noster *Victoria relect. 3. de potestate Ciuil. num. 21. Medin. 1. 2. q. 96. ar. 5.* immediatè post argumenta, *ver. ad hoc dubium, Sol. lib. 1. de iustit. q. 6. ar. 7.* & *Mirand. tom. 2. Manual. q. 25. ar. 22. & q. 29. ar. 4.*

3 Proindè, Canonici, qui in suo Capitulo ferunt legem, aut statutum, Doctores alicuius Vniuersitatis in suo Collegio, Episcopus in suo Cõcilio, siuè vniuersali, siuè particulari, quòad vim directiuam, & coactiuam, suis tenentur legibus, *Medin. cit. loc.*

4 Si verò PP. Generales habeant priuilegium à Domino Papa, vel consuetudinem legitimè introductam, condendi leges independentèr à Capitulo, oportet distinguere, de virtute directiua, & coactiua, & dicere, quòd quòad vim, & legis virtutem directiuam tenentur, vt immediatè suprà dictum est.

Prælatus Regularis, an possit suis Subditis ad libitum præcipere, contrà, vel suprà Regulam? Qu. 13.

1 ET dico, quòd non, sed ea tantùm, quæ sunt in Regula formalitèr, vel virtualitèr contenta, vel necessaria ad Regulæ custodiam, & obseruantiam; prout docet *D. Thom. 1. 2. q. 10. ar. 10. & 2. 2. q. 104. ar. 5. & 2. sent. distin. 44. q. 2. ar. 3.*

2 Et hoc ideò, quia Prælatis competit potestas in Religiosos, ex voto, quo Religiosi, spontè se obligant, illis obedire, secundùm Regulam: ergò ea, quæ Regulæ non sunt consona, vel necessaria, non cadunt sub voto, prout concorditèr dicunt omnes.

3 Secus, si Prælatus aliundè habeat potestatem, sibi factam à Papa de plenitudine potestatis, prout notat *Bonac. tom. 2. de leg. disp. 1. q. 7. pun. 3. nu. 16.* Summus enim Pontifex, & per se, & per alium, potest etiam alia præcepta imponere, prout iudicauerit expedire, & ea omnia, quæ censentur vtilia, aut necessaria pro Christi lege, & animarum salute.

Prælatus, potest nè iustè præcipere Subditis, vt tempore pestis, infectis assistant, & Sacramenta administrent? Q. 14.

1 CVM distinctione respondeo, aut loquimur de Monachis, quorum finis, & institutum est, vacare vitæ cõtemplatiuæ, ceù sunt Illustriss. Benedictini, Carthusiani, & Camaldulenses, & alij plures, Monasticæ vitæ professores; & sic negatiuè resoluo quæsitum; quia huius vitæ Religiosi PP. ad prædicta nõ possunt cogi, ratione officij, ex quo non sunt curati, quibus ex officio incumbit animarum cura; nec etiam, ratione professionis; nàm eorum regula, & institutum pro obiecto non habet exercere opera misericotdiæ spiritualia, vel corporalia erga Populum, sed tantùm vitæ cõtemplatiuæ vacare: ergò nullatènus possunt cogi, nec Prælato sic præcipienti tenentur obędire, cùm huiusmodi præceptum sit prætèr Regulam, *Caiet. 2. 2. quæst. 26. art. 5. ad finem*, *Bannes 2. 2. q. 33. ar. 3. dub. 4.* antè solutionem argumenti, *Tab. ver. obedientia, q. 5. nu. 6. ibid. Armill. nu. 5. Nauar. in summ. cap. 24. nu. 11.* & *Rodr. tom. 3. q. 3. ar. 3.*

2 Quod intellige, quòad extraneos, qui peste infecti, degunt extrà Monasterium; secus autem dicendum, de Religiosis, intrà septa Conuentus degentibus: nàm si pestis, quod absit, sit in Monasterio, huiusmodi Religiosi, iussi à Prælato Religionis, tenentur seruire cęteris Religiosis domesticis, peste affectis; etiam cum periculo propriæ vitæ, & hoc ideò, quia eorum Prælatus potest præcipere omnes exteriores actus, necessarios ad conseruandum Religionis

gionis commune bonum,& Subditi tenentur obedire, non obstante vitæ periculo, per ea multa,quæ dixi in *1.par.tract.1. de legibus, quæst.35*.

3 Quandoquidèm,Superior in tali casu, se habet,vt Princeps, quippè qui potest, immò debet; imminente periculo Communitatis,pro publico,& communi bono, Subditos exponere vitæ periculo,vt docet *Caiet.tom.3.Opuscul.tract.9.de vinculo obed. q.vnic. Rodriq.*cit.*loc.* & *Sanchez in summ. lib.6. cap.2. nu.56*.

4 Aut loquimur de Religiosis Fratribus, qui particulari voto se obligauerunt inseruire Infirmis,quomodocunq; infectis, vel degētibus; & sic affirmatiuè dico,quia ex voto prædicto nascitur obligatio, proindè, PP. Religionis Ministrantium, Infirmis, & Fratres Hospitalarij, eorū sunt illi Religionis, & Ordinis B.Ioannis de Deo, & alij plures, ex instituto, & obligatione tenentur ministrare temporalia,& spiritualia Infirmis omnibus, etiam peste affectis; etsi degant extrà eorum Monasteria; quia ad id, voto se obstrinxerunt, nec habent, de quo doleant.

5 Nec dicas,quòd lex non possit huiusmodi Fratres obligare cum tanto rigore, & vitæ periculo; quia hi Fratres, etsi nequeant, externa authoritate,ad id astringi; possunt tamen, se se, propria voluntate, obligare ad id peragendum, non obstante quocunq; vitæ periculo;& talem obseruantiam iutare,est actus heroicus,maioris perfectionis,& laudis: qui enim in hoc Mundo perdit animam suam, propter Christum,in vitam eternam custodit illam.

6 Ex quo ergo,hi sciunt talem esse Religionis statum,& petunt,in illam admitti, & procurant in ea solemnitèr profiteri, & sua sponte iurant Regulam obseruare,non habent, quominùs possint exculpari, aut à promissis sine peccato recedere.

7 Si tandèm loquamur de nostra Religione,aut cęterorum, qui sicut,& nos,vitæ actiuæ incumbūt,& Coadiutores sunt Episcopis,& Parochis, in salutem animarum: paritèr respondeo, quòd deficientibus Parochis,& alijs Præsbyteris, qui fortè sūptibus Episcopi Sacramenta ministrent possumus cogi ad standum in loco pestis, & ad ministrandum Sacramenta, peste infectis; quia hoc præceptum est secundùm regulam,non autem prætèr regulam;& ex instituto astringimur obedire; quia ad hoc instituti sumus, vt subsidiū,& Coadiutores simus Episcoporum, & Parochorum, in salutem Animarum, & ob id, eleemosynis fidelium sustentamur, *D.Thom.2.2. q.187. ar.1.ad 3. & q.188.ar.4.ad 2.* & habetur in *Prolog.constit. tex.3. fol.3.col.4.* & recusantes obedire,peccant; quia agunt contra finem regulæ, *Rodr.* & *Sanchez vbi suprà*.

8 Quod limita,non procedere in Religioso,Communitati valdè vtili, aut necessario; quia in tali casu Prælatus debet alios, non ità vtiles, aut durioris complexionis,tanto periculo exponere, & vtiliorem seruare, *Rodr.* & *Sanchez lib.6. summ. cap.2. num.57*.

Prælati Regulares, an possint, suis præceptis, statutis, & sententijs obligare suos Subditos, vbicunq; existentes, illosq; citare, etiam si sint in alieno territorio, excommunicare, propria authoritate capere, & capi facere? Quæst. 15.

1 RESpondent affirmatiuè *Doctores*,eò,quòd huiusmodi Prælatis competit iurisdictio in Subditos, non ratione territorij,sed per se, ratione personalis obligationis, ex obedientiæ voto, quod sequitur personam,sicut lepra leprosum; & sic Subditi vbiq; Terrarum tenentur obedire,& possunt cogi; prout docet *Paul.Layman. lib.1. tract.4. cap.11. de legib. num.2*.

2 Proindè, hi Prælati pro eorum territorio dicuntur habere totum Mundum, vt post multos docet *Syl.ver.excomm.2. n.15. ver.4.est*, quia psona Regularis,vbiuis subiecta est;& sentētiæ,& præcepta,immediatè, & proximè tendunt in subditas personas,& ità cohęrent earum ossibus, vt sequantur illas, quòcunq; ierint, vel fuerint, *Vgolinus de cens.tab.1.c.9.§.4.Suar. tom.5.de cens.disp.5.sect.5.n.14.* & *Syl.ver.pœna,§.11.*

3 Nec his obest dicere,quòd leges territorij non obligant ciues absentes,seù peregrinantes; prout de communi docet *Couar.in cap.alma mater,p.1.§.10.nu.3. Abbas in cap.à nobis 1.nu.11.de senten.excomm. Syl. ver.excomm.* & habetur expresse in *cap.2. de constit. in 6.*

4 Nàm,vt sępè diximus, statutum, vel lex,ex quo debet habere stabilem, ac perpetuam obligationem, immediatè debet, pro subiecto respicere Legislatoris Locū, & Territorium: ità vt non extendatur extrà illud: Præceptum autem, sententia, & mandatum habent immediatè respicere personam,cui fiunt,eamq; sequuntur,vbiq; gentium; & extinguntur cum persona mādantis, vt dictum est suprà; & docet *Sylu. ver.excomm.2.nu.8. Tabien.eod.ver.4.nu.3. Nauar.in summ. cap.27. num.6. Sayr. de cens.*

cens. lib.1.cap.7. num.41. & *Suarez de legib. lib.3. cap.32. nu.8.*

5 Verùm, Prælati tenentur hoc exprimere in suis præceptis, & declarare; quia verba generalia, absentes non censentur obligare, *Meroll. tom.2. de legib. disput.4. cap.3. num.479.*

Prælatus maior, nempè Generalis, an possit compellere Subditos, eundi ad Indos, pro illorum conuersione, non obstante, quòd eis immineat periculum mortis? Quæst. 16.

1 Respondeo, quòd decisio quæstiti pendet ex Institutis, quæ Regulares profitendo, sub iuramēto promittūt obseruare: statutum enim Religionis debet attendi, ad hoc, vt Superioris præceptū possit videri, si sit Regulæ vniforme; nam, vt sæpè dixi, Prælatus nequit præcipere contra, aut præter regulam, nec ei Subditi in tali casu tenentur obedire.

2 Hinc, PP. Illustrissimæ Religionis Societatis Iesu, per eorum P. Generalem possunt ad hoc compelli, & tenentur obedire; quia ad hoc se obligant, speciali statuto, prout liquet in eorum *Constitutionibus, par.3. cap.2. lit.G. & par.6. cap.3. §.5.* & constat ex *extrauag. Ascendente Greg. XIII.* vbi clarè apparet iurata promissio, eundi in vniuersum Mundum, & vbicunq; necesse fuerit, ad seminandum Euangelium, & edocendum cunctos rudimenta fidei, Deiq; cultum, & præcepta: & secus facientes, peccarent contra Regulam; & essent punibiles; nisi aliqua rationabili causa possint excusari.

3 Quod procedit, nedùm in illis Professis, qui quartum votum admittunt: Verùm etiam, & in reliquis, qui simplicibus biennij Votis ligantur; quia hoc totum non excedit eorum Institutum, sed illi correspondet, prout, post multos docet *Sanchez lib.1. summæ, cap.2. nu.46.*

4 Fallit autem in Generalibus aliorum Mendicantium, qui quidèm ad hoc non possunt Subditos obligare; quia res est difficillima, & corporis, & animæ periculis exposita, & præscriptum Regulæ excedit; ità *Lopez par.1. instructor. cap.56. ver. & an Prælati Ordinum*, *Cordub. in exposit. Regul. D. Franc. cap.10. q.2.* & *Rodr. tom.3. q.19. ar.7. & 2. par. summ. cap.9. nu.7.*

5 Quod adeò verum est, vt nec Dominus Papa possit Regularibus imperare, ad iter habendum inter Infideles, & Indos, pro eorum conuersione ad fidem; exceptis tamen PP. Societatis prædictæ; & nisi in casu necessitatis, ob bonum commune; quia Religiosi, ratione voti obedientiæ non se obligant ad obediendum Pontifici in omnibus, sed sicut cæteris suis Regularibus Prælatis: in ijs, scilicèt, quæ Regulam eorum non excedunt; ità *Sanchez* cit. *loc. num.48. Ribadeneyra lib. de Institut. Societ. cap.20.* & *Meroll. tom.2. disp.4. de leg. cap.4. Coroll.4. num.100. in fin.*

Prælatus, an possit mutare leges, à suo prædecessore conditas, vel à se latas; saltèm in Capitulo Generali, cum consensu, & causa? Quæst. 17.

1 D. *Thom.1.2. qu.97. art.1. & 2.* & cum eo *Caiet.* & *Medin. ibid. Sot. lib.1. de iust. & iur. q.7. ar.1.* & *Sanct. Anton. in summ. par.1. tit.17. cap. vnic.* Respondent affirmatiuè; & habetur expresse in *cap. non debet, de consanguinit. & affinit.* & fuit decisū in *Concil. Lateran.* sub *Innoc. III.*

2 Et ratio est, quia cùm lex humana sit dictamen quoddam rationis, quo actus humani diriguntur; ex duplici causa potest prouenire, vt lex humana mutetur: Primò, ex parte rationis; quia cùm natura nostra naturalitèr sit discursiua, non potest omnia penetrare, vnico discursu, & vna apprehensione, omnia comprehēdere: sed gradatim, ab imperfecto ad perfectum tendit, prout est videre, tā in scientijs speculatiuis, quàm practicis. Vndè mirum non est, si Legislator non valens, omnes casus occurrentes præuidere, statuat legem, quam posteri recto consilio, & ratione ducti mutant; quia eadē recta ratio, quæ prius dictabat, legem ità statuendam fore; alio tempore dictat, mutādā esse: cū. n. res humanæ, quas leges humanę moderātur, mutationibus expositę sint, recta ratio consequentèr dictat, vt pro rerum mutatione, leges etiam de nouo statuantur; Deus enim, qui legem veterem instituit, conuenientem quidem, tunc rudi, & imperfecto Populo, rebus postea mutatis, & hominibus ad maiorem perfectionem tendere cupientibus, aliam nouam, & perfectiorem instituit.

3 Secundò, lex potest mutari ex parte hominum, quorum mores, & actus, ad temporum mutationem mutantur: ità vt nunquàm stent in eodem statu, prout eruditè dixit *D. Thom. in corp. vbi suprà*, & colligitur ex *ff. de Constit. Princ. l.2.* quibus in *locis* dicitur, quòd causæ ad mutandam legem, esse debent, vrgens necessitas, vel euidens vtilitas; & sic lex illa, quæ paulò antè fuit vtilis, si modò incipiat, esse damnosa, debet mutari.

4 Si

4 Si autem Prælatus mutet legem, sine aliqua prædictarum causa, peccat: nàm, neq; Princeps, qui sit Legislator, pro libito, & sola voluntate sua absoluta, & sine causa legem rectè antè institutam, mutare debet, sed ex causa, & causis, iàm dictis; *D.Thom.vbi suprà,ar.2.* & habetur in *cap. cùm consuet. de Consuet.* & docent omnes sine controuersia.

5 Populus tamen non tenetur ampliùs legibus, per Principem reuocatis, etiam si sine causa reuocauerit, *Sot.cit.loc.ar.2.* eodem modo Prælatus, seu Capitulum, pro communi, vel maiori bono Reipublicæ, poterit sui prædecessoris legem mutare; cùm sint æquales in iurisdictione, & potestate; quia, sicut prædecessor potuerat suum mutare statutum, ità, & successor; succedit enim in eadem iurisdictione, & potestate.

6 Nec obstat, quòd lex humana à lege naturali, vel Diuina deriuet, quæ quippè sunt immutabiles; quia lex humana, per humanum discursum, à Diuina, & naturali deriuat, ità vt regula debeat mensurare operationes nostras, quæ cùm sint mutabiles, mutabilis debet esse earundem mensura; quia mensura; & mensuratum, debent ad inuicem proportionari.

Prælatus, eo ipso, quo facit contra legem, vel præceptum à se latum, an censeatur illud statim abrogare? Qu. 18.

1 Affirmatiuè dic; etiam si Prælatus, vnica vice, publicè, & sine causa suum transgrediatur præceptum; quia in tali casu, etiam per simplicem actum, censetur illi derogare; & colligitur ex *l.1.ff.de Constit.Princ.* vbi dicitur, quod Principi placuit, legis habet vigorem: Secus autem, si secretò, vel cum causa transgrediatur, quia in tali casu intelligitur dispensare, vel si in prolatione legis, voluntatem habuit, & declarauit, se nolle sub illa lege comprehendere, vel quia illius legis materia non potest se ad Prælatum extendere, vt si v. g. Prælatus iubeat, nè Fratres cum laicis, vel mulieribus loquantur, vel nè per Ecclesiam discurrant, harum legum materia nequit Legislatorem comprehendere, quemadmodùm, & Princeps, si statuat, nè Subditi arma ferant, aut nè feriis vtantur; prout docent vnanimitèr *Gutierr. Canonic.quæst.lib.1.cap.8.num.4. Sot. lib.3.de iust.quæst.7.ar.2.* & *Peyr.tom.2.q.1. cap.8.nu.13.ver.quares 5.*

Prælatus summus in Ordine, nempè Generalis, an possit compellere Subditos ad acceptandum Episcopatum? Quæst. 19.

1 D.*Thom.2.2.q.104.ar.5.* Respondet negatiuè, quia Prælatus Regularis, ea solùm Subdito potest præcipere, quæ ad Regulam pertinēt, vel ad suæ Religionis commune bonum ordinantur: Episcopatus autem non ordinatur ad bonū alicuius particularis Religionis, sed ad bonū vniuersalis Ecclesię Romanę, in cuius cōmodum, Religiosum eximir à potestate Regularis Prælati: & ridiculum est dicere; quòd Religiosus Subditus teneatur obedire Prælato in ijs, per quæ absoluitur, & liberatur ab imperio, & potestate eiusdem, *Sot. lib.10. de iust. quæst.2.ar.2. Sanchez in summ.lib.6.cap.2. nu.49.* cum alijs multis, quos sequitur *Paul.Layman. in summ. lib.4. tract.2. cap.15. nu.11.*

2 Et hoc totum colligitur ex *cap.2.de statu Monach. & cap.cum beneficio.de preben.in 6.* vbi inhibetur Monachis sæcularia beneficia recipere, & contra ius Canonicum præcipere non licet.

3 Quod extenditur ad omne aliud beneficium sæculare, situm extrà Ordinem, *Rodr.tom.1. quæst.34. ar.8. & in 2.p. summ. cap.9.nu.6.* Vndè talis Subditus, nec potest cogi, vt Parochorum munia inter Indos exerceat; quia hoc itèm præcipere, est extrà statum, & res plena periculis.

4 Insupèr, & plus dico, quòd nec potest cogi, eadem ratione, vt alterius Ordinis beneficia acceptet, etiam cum præuia dispensatione Papæ, cùm etiam hoc sit extrà statum, nec ordinetur ad Religionis commodum, sed in bonum alterius, *Nauar. in commeut.4. de regul.num.23. Rodr.* & *Sanchez cit.loc.* & habetur expresè in *cap.cùm singula, §.prohibemus, de præben.* & Domini Papæ dispensatio nihil aliud operatur, nisi quia facit licitum, quod aliàs illicitum erat; non tamen nos cogit, nec dat ius ad cogendum, *Lopez 1.par.instruct.cap.56.ver. idem istbinc, & Suarez tom.3.de Relig.lib.10. cap.10. num.21.*

5 Quibus omnibus addo, quòd sicut solius Papæ est, Episcopos confirmare, ità & illius solùm est, cæteris præcipere, & Regulares compellere; vt Episcopatum recipiant, per ea, quæ habentur in *cap.setas 7. q.1.* & docet *Sanchez lib.4. summ.c.8.n.38.*

6 Nec his obstat, quòd multi cum *D.Thom.2.2. quæst.185.ar.2.* dicant, Religiosum teneri obedire Prælato obliganti ad acceptandum Episcopatum, *Armill.*

ver.

ver.elect.nu.37.Sylu.ver.elect.1.q.19. & *Sanctus Anton. 3.p. tit.20.cap.2.§.6.*

7 Quia isti *Doctores*, nomine Prælati, hac in parte intelligunt Romanum Pontificem, vt explicat *Sot.in d.lib.10. de iust. q.2. ar.2. Sanchez, Lopez*, & *Suarez* in cit.loc. quia solus Papa habet potestatem cogendi Regulares, & alios ad acceptādum Episcopatum, vt infrà immediatè dico.

Regulares, an possint cogi à Domino Papa ad Episcopatum acceptandum? Quæst.20.

1 D. *Thom.* communitèr receptus 2.2. *quæst.185. ar.2.* Resoluit affirmatiuè quæsitum; quandoquidèm Dominus Papa; ex quo, ratione Papatus habet commuuni Ecclesiæ prouidere: re vera, potest personam idoneam eligere, & alicui particulari Ecclesiæ præfigere, eūq; si in ea administrare recusauerit, compellere, iuris, & facti remedijs opportunis, ad hoc, vt de facto se exerceat in Prælatura sibi commissa, vel committendā; & hoc totū exigit Ecclesiæ recta gubernatio: secùs per Christum Dominum malè fuisset prouisum Ecclesiæ; nàm in vnoquoq; genere datur vnum primum, quod est Regula, & mensura cęterorum.

2 Et sicut potestas Laicalis, & Ciuilis potest cogere Ciues ad Republicæ munera acceptandum, prout habetur in *l.si Magistratum, C.de Decurion.lib.11.* & toto *tit.de excusat.muner. cod.lib.* Ità, & fortiùs D.Papa, cùm ipse sit Caput militantis Ecclesiæ; proindè, persona habilis, & idonea, in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis, iure naturali, & Diuino obligatur ad Episcopatum acceptandum, dum præ alijs fuerit idonea, & vtilis Ecclesiæ, *Layman.* cum præcitatis *vbi suprà.*

3 Quod magis procedit in Episcopo alicuius Ecclesiæ, qui profectò cogi potest à Romano Pontifice ad acceptādum Episcopatum alterius Ecclesiæ, propter publicam vtilitatem, argum. *Can.scias 7.quæst.1.* Immò huiusmodi Episcopatum vacare statim, antè translati acceptationem, docet *Abbas in cap.vltim. nu.13. de translat. Episcoporum.*

4 Verùm, diligentèr aduerte, quòd isthæc coactio, de qua agitur, non pullulat à voto obedientiæ, quam iurant Regulares semper habere, & obseruare in iussis Prælatorum omnibus, sibi faciendis secundùm Regulam: sed competit Domino Papæ, eo solo modo, quo ius habet in cęteros Clericos sæculares, quos tantùm in vno solo casu, hoc est, quando necessitas boni communis id postulat, vel alij non suppetunt, poterit obligare ad Episcopatum acceptandum; secus autem, vt notant *Sanchez lib.6. summ.cap.2.nu.49. Lessius lib.2.de iust. cap.4.dub.9.num.76.* & *Meroll. disp.4.cap.4. de legib. Coroll.5.nu.102.*

5 Quibus addere non pigeat, quòd Subditus legitimè impeditus, non tenetur obedire in acceptando Prælaturam; quia impedimentum excusat, vt constat ex decisis infrà *quæst. sequent.*

Prælati Regulares, an possint compellere Subditos ad acceptandum Prælaturas? Quæst.21.

1 R Espondeo affirmatiuè, quia id est secundùm Regulam, & Prælatus habet bono cōmuni suæ Ecclesiæ prouidere, & Subditus tenetur in ijs obedire, ex voto, & iuramento; alitèr grauitèr peccaret, quia veniret contra votum obedientiæ: secùs autem, si foret legitimè impeditus; prout docet *D.Thom.2.2. q.185. ar.2.* & *Sanctus Antonin. 3.part. summ. tit. 20. cap.2.§.6.* quia impedimentum excusat ab onere admittēdo; vt dictū est suprà.

2 Hoc autem impedimentum debet esse tale, quod per ipsum Subditum non possit auferri, nec per Prælatum remoueri; aliàs non excusaret, *Turrecremat. in cap. olim 8. quæst.1. nu.1.*

3 Quapropter, si Subditus ità sit moribus corruptus, vt timeat superari, & illis cedere; vt sunt Auari, Luxuriosi, & Ebrij habituati, non tenentur obedire; quia in moralibus, quod fit difficultèr, reputatur impossibile, *Sot. lib.10. de iust.q.2. ar.2.* & *Sanchez lib.6. summ.cap.2.nu.49.*

4 Benè verum est, quòd quando Subditus se minus idoneum existimat, quoad scientiam, & alias consimiles qualitates extrinsecas, quas prudens Prælatus benè nouit, tenetur se remittere iudicio Prælati, *Sylu.ver.Episcopus, q.3. dict.4.* si autem sit habilis, vel magis idoneus, qui præ alijs potest esse vtilis Ecclesiæ, potest compelli, & iure naturali, & Diuino tenetur obedire, vt dixi immediatè suprà de Episcopo in casu necessitatis; vel magnæ vtilitatis.

Prælatus, an possit alicui sibi Subdito præcipere, vt ea die ieiunet, qua Regula non obligat, vel ipsum astringere, vt aliquam pęnitentiam sustineat, vltrà illas, quæ continentur in Regula? Quæst.22.

1 Pos-

1 POsse quidem,& Subditus sic iussus tenetur obedire: dummodò Prælatus id præcipiat, vel iniungat, in iustam pœnam transgressionis Regulæ, aut alterius delicti commissi; quia hæc omnia, saltem implicitè,& indirectè pertinent ad Regulam; *Caiet.2.2.q.88.ar.8. Syl. ver.Religio 6. q.6.& Tab.in summ.ver.obedientia,q.5.nu.6.* quos sequuntur *Doctores* nouissimi.

2 Quod etiam procedit, ad præcauendum imminens malum Subditorum; quia Prælato incumbit,medijs opportunis præcauere omne temporale,& spirituale Subditi periculum: etenim tenentur Deo rationem reddere de animabus Subditorum.

3 Proindè,potest Prælatus id præcipere, in cautelam ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum: vndè potest luxuriosum compellere,vt ieiunet in solo pane, & aqua,& prodigum,vt nihil Ecclesiæ administret, & vagum, vt foris non exeat,& similia:hæc enim omnia ordinantur in bonum finem Religiosorum, & Regulæ; & ob eandem rationem poterit Subditorum recreationes,& libertates,& exemptiones, in Regula concessas limitare, & impedire: quod itèm erit Regulæ cõsentaneum, dùm hæc,iusta causa fiunt: *Cordub.in exposit.Regul.D.Franc.cap.10.q.2.dict.6.* & multis citatis *Sanchez lib.1. summ.cap.2.nu.45.*

4 Insupèr,& eodem modo,ob aliquam publicam necessitatem poterit Prælatus quasdam austeritates,ad aliquod determinatum tempus, omnibus Religiosis sibi subiectis imponere, prout fieri solet tempore Schysmatis, Belli, Famis, & similiũ, Psalmos,& Litanias deuotè recitare,&Dei auxilium inuocare; & paritèr Subditi tenẽtur obedire: hoc enim consentaneũ est Regulæ, *Less.lib.2. de iust.cap.41.dub.9.nu.77.*

5 Secus autem dicendum, si prædicta imponerentur ad ampliùs, & magis merendum: hoc enim esset suprà Regulam præcipere, quod Prælatus non potest imperare, & Subditus non tenetur obedire.

Prælatus Regularis, an possit sibi reseruare casus? Quæst.23.

1 AFfirmatiuè dic, tùm ex vsu Ecclesiæ,tùm ex *Concilio Trid. sess.* 14. *Can.*7. & *Can.*11. tùm ex *Decreto Clem. VIII.* infrà posito, nàm Prælati Regulares habent circa suos Subditos iurisdictionem quasi Episcopalem,vt constat ex decisis,& docet *Glos.in Clem.1. ver.proprij,de reb.Eccles.non alien.* quam *ibid.* commendat *Cardinal. q.34.* & per quam *Abbas in cap.1. eod.tit.* ait,quòd huiusmodi Prælati exẽpti possunt exercere in suos Subditos ea, quæ Episcopi,& in suos exercent, nẽpè,possunt illos excommunicare, à Diuinis suspendere,interdictis submittere,incarcerare, & similia; quia sũt ipsorum Subditorum Ordinarij, *Nauar.lib.1.de tempore ordin.cons.22.* in 1.editione, *& in summ. cap.27.nu.5.* vbi ait, hæc competere dictis Prælatis Regularibus de iure communi, ex *cap.transmissam,& cap.suffragneis, de elect. & cap.cùm Ecclesiarum, de offic.Ordin.* cui fauet *Rodr. in 2.p.summ.cap.29.num.3. Suarez tom.4. disput.3.sect.2.nu.5.& disp.55.sect.5.* vbi in prinic. ait, quòd Generales, & Prouinciales videntur habere plenariam iurisdictionem Episcopalem in suos Subditos; & *Grass.in practica casuum reseruat. cap.2. nu.2.* quod idem *Rodr.* adeò verum existimat, vt in *tom.1.q.21.ar.2.* dicat, sicut malè discurrunt dicentes, Episcopos non posse reseruare casus in foro conscientiæ, ità etiam malè dicere videntur, negantes istam auctoritatem dictis Prælatis Regularibus: quod non solùm est verum, quoàd Generales,& Prouinciales; verùm etiam,quoàd Priores, & Guardianos respectu Monasteriorũ,quibus præsunt;tùm quia hi etiã habent iurisdictionem quasi Episcopalem in suos Subditos; tùm etiam, quia ità declarauit, & decreuit *Alexander Sextus*, prout habetur in *lib.* attitulato,*Monumenta Ordinum*, in secunda impress. *fol.56.conclus.66.* & in *supplemento fol.3.*

2 Verùmtamen, huiusmodi reseruatio facienda est cum causa, & infrà limites *Decreti Clem.VIII.* quod habetur in *tom.4. Bull.Cherub.* post *Constit.Vrb.VIII.26. pag.273.col.2.* & est tenoris sequentis.

Sanctissimus D.N. qui iàm pridem accuratè perpendit,ac re ipsa comperit,quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodùm prudentèr,ac moderatè illa vtantur, nonnullos Infirmiores, qui interdùm Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum,& spiritualis remedij desperationem.

§.1. Ideò, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout Subditorum vtilitati expedire prudentèr in Domino iudicauerint.

1 *Veneficia, Incantationes, Sortilegia.*

2 *Apostasia à Religione, siuè habitu dimisso,siuè retento,quando eò peruenerit,vt extrà septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio, Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu*

Conuentu, etiam non animo Apostatandi facta.

3 *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale: iuramentum falsum in iudicio Regulari, seù legitimo.*

4 *Procuratio, Auxilium, seù Consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.*

5 *Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus: furtum de rebus Monasterij, seù Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

6 *Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.*

7 *Occisio, aut vulneratio, seù grauis percussio cuiuiq; personæ.*

8 *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, vt apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.*

9 *Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat; quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu, &c.*

De quibus videndus est *Rodr. tom.1. quæst.21.ar.2.* cum suo *Comp. resol.22. Miranda tom.2. qu.34. Suarez tom.4. de Relig. tract.1.lib.2.cap.18. Festus in summ. Constit. Prad.par.2.cap.67. Coriolanus in tract de casibus reseru.ar.2. Bordonus eod.tit.resolut.32. Molfesius in summ. tom.1. cap.30. Zacchar. Pasqualig.decis.495. Nouar.in luc Regul. ver. casus resern. Portell.in dub.ver.cas. Lez.eod. ver.Peyr.tom.2.de Prælat.quæst.3.cap.2.§.2. Frater Ludouicus Beya 3.part. respons.moral. casu 16.fol.*mihi *326.* & *Sorbus in addit. ad Comp.ver.absolutio ordinaria quoad Fratres.*

3 Ex quibus collige, quòd, vt casus sit reseruatus, Primò, debet esse peccatum mortale, nàm tanta pęna non imponitur pro peccato veniali; Secundò, debet esse peccatum graue, cuius reseruatio conducat ad bonum commune; Tertio, debet esse externus completus; quia si sit inchoatus, non sufficit, vt veneficium inchoatum, vel venenum inceptum parari alicui de Monasterio; etenim hi actus sunt incompleti in ordine ad suos fines; & in pęnalibus lex debet restringi.

Prælati Regulares, an possint aliquid præcipere suis Subditis, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, eamq; sibi reseruare? Quæst.24.

1 SApientissimus *Suar. in 3.p. tom.4. disput.29. sect.3.num.13. Coriolan. tract.de casib.reseruat.p.1.sect.1.ar.6. Villalob. in summ.tom.1.tract.9.diff.58.nu.5.Tambur.de iur. Abbat.tom.2.disput.13. Fagundez præcept.2.lib.8.cap.14. nu.5. d S.Fausto in Speculo Relig.lib.9. q.88. Beya par.3. cas.16. §.excomm.Naldus ver.Religiosus,nu.43. §.an autem, Miranda tom.2.quæst.34.ar.2.concl.2. in fin.* & alij nonnulli viri grauissimi Respondent affirmatiuè; quia *d. Decretum Clem.VIII.* expressè loquitur de reseruatione culparum, vt liquet ibi, *nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis ijs, &c.*

2 At in casu nostro non reseruatur peccati absolutio, sed censuræ, quæ longè diuersa est, & ad diuersam iurisdictionem spectat, nàm, vt clarè constat, etiam Clericus primæ tonsuræ potest excommunicare, illamq; sibi reseruare; & ab ea absoluere; *Nauar.in summ. cap.27.nu.40.*

At reseruatio, & absolutio culparum, ad solum Sacerdotem spectat: ergo.

3 Confirmatur, absolutio à censuris cōferri, & inferri potest, etiam absentibus, & nolentibus absolui; quod nequit dici de absolutione culparum: ergò.

4 Nec dices, quòd per se loquendo, non potest dari absolutio à peccato, non ablata censura: quia hoc est per accidens, nàm reseruatio in casu posito sistit in censura, solùm autem mediatè, & quasi per accidens redundat in culpam; tùm quia, ablata censura, manet peccatum non reseruatum, ità vt quilibèt Confessarius approbatus possit ab illo absoluere, vt notant communitèr *Doctores*, ergò necessariò fatendum est, iurisdictionem solùm fuisse ablatam circa censuram, alioquin ablata censura, adhùc remaneret reseruatio culpæ, teste *Caiet.in summ.ver.casus*, vbi ait, censuram, hoc est, excommunicationem esse adæquatam rationem huius reseruationis, & consequentèr illa ablata omninò reseruatio tollitur, *Nauar.in summ.cap.27. num.261.* & quod est per accidens, attendendum non est; *l.nàm ad ea, ff.de legib.* tùm etiam, quia sumus in odiosis, in quibus non fit extensio, iuxtà *Regulam odia.*

5 Hoc autem *Decretum* est odiosum respectu Superiorum; per ipsum enim restringitur vsus potestatis eorumdem; ergò eis vetita reseruatione culparum, non ob id intelligitur vetita reseruatio censurarum, tùm itèm, quia per *d.Decretum Clem. VIII.* non fuit limitata potestas Superiorum ferendi censuras, ergò Prælati Regulares valent hodiè illas ferre, sicut antè *Decretum*; tùm deniq; quia ità obseruat praxis multorum Religiosorum, secus gubernium redderetur satis onerosum, & difficile, teste *Hier.* in suo *Compend. resolut.22. num.2.*

num.2. vbi ait, d. Decretum in suo Ordine non esse vsu receptum.

6 Sanchez verò in summ. lib.6.cap.1. nu. 15. 2. difficul. Molfesius tract.7.cap.20. Peyr. tom.2. priuil.in Constit.10. Vrb.VIII. §.61. nu.10. & tom.3. in addit. ad d. Constit. cap.12. num.5. & de Prælat. tom.2. quæst.3. cap.22. nu.34. Alfons. de Leon. de potestate Confessarij 2. par. recol.11. num.5. in fin. Diana par.3. tract.2. de dub. Regul. resolut.99. Megal. lib.1. de pœnit. cap.12. nu.8. & Bordon. resolut.37. qu.31. nu.44. Dicunt negatiuè; tùm quia, causa finalis in lege expressa, est illa, quæ restringit, ampliat, & declarat legem ad sui limites, l. cùm pater, §. dulcissimis, ff. de legat.3. Panorm. in cap. quia in singulis, de Regul. nu.3. vbi multa allegat iura, & Nauar. consil.8. de fil. Presbyt.

7 Sed causa, quæ monuit Clem. VIII. ad ferendum hoc Decretum, fuit, vt consuleret conscientijs Regularium Subditorum, qui ex nimia reseruatione casuum, facta à Superioribus, timebant illis detegere maculas conscientiæ, & proindè inducebantur in periculum eternæ damnationis, vt constat ex eius proœmio; Sed hoc totum occurit in reseruatione cẽsurarum; nàm etiam in his necessum est, Superiores adire pro absolutione illarum, quod fragiles, ac timidi Subditi non sine manifesto periculo fabricandi in gehennam, recusant adimplere, vt ex multis allegatis ostendit Sanchez cit. loc. n.16. ergò d. Decretum comprehendit omnes casus, omnesq; censuras, quomodòcunq; & qualitèrcunq; reseruatas; siuè per se, siuè per accidens respiciant periculum Animę; hoc enim parum refert: at sufficit, si exindè immineat periculum Animæ, quod Papa in d. Decreto cupit euitari: tùm etiam, quia si quilibet Superior Regularis posset ad sui libitum, quemlibet casum reseruare, illiq; apponere cẽsuram, cum reseruatione, lex Superioris lata, fieret futilis, seù redderetur inutilis, & fraudaretur mens Papæ: tùm item, quia ità Sacra Congregatio Regularium sub his verbis declarauit.

Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. record. Clem. VIII. anno 1593. 16. Maij super qualitate casuum, ab eorundem Regularium Superioribus reseruandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur, ità vt ijs Superioribus, absq; Capituli Generalis, aut Prouincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto huiusmodi non contentis, excommunicationem annectere, eiusdem absolutionem sibi reseruare liceat. Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpositorum, Illustriss. Bandino referente, censuit in supradict. Decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Iulij 1617. A. Mar. Episcopus Hostiens. Cardinalis Gallus Theatin. secret. eamq; refert, vt iacet, Chokier. de exempt. p.4. q.56. in fin. & Peyr. in d. cap.12. in additamen.

8 Vndè Lezana 1. p. summ. cap.18. nu.21. in fin. ait, *iàm prior sententia non potest in praxi teneri; quidam autem dicunt, priorem sententiam esse vniformiorem verbis Bullæ; Secundam verò magis consonam menti Papæ: Verùm ad tollendum omnem scrupulum, expedit, vt in Capitulo Generali, vel Prouinciali determinetur, Superiores Religiosorum in casibus grauioribus liberè posse sibi censuras reseruare, pro feliciori gubernio ipsorum*, Longus à Coriolano cit. loc. num.3. ver. sed quia, Ludouic. à Cruce in exposit. Bull. Cruciat. disput.1. cap.3. dub.2. nu.16. & 17. in fin.

9 Nec obstat allata Declaratio Sacræ Congregationis, licèt sit authentica; nàm hæ Declarationes, etsi sint authẽticę, adhùc non faciunt rem omninò certam, sine laudo, & speciali assensu Papæ, vt constat ex decisis 1. p. tract.8. q.4. n.5. & docet Peyr. tom.3. priuil. cap.12. nu.7. in medio.

Prælati Regulares, an valeant casibus reseruatis, ad præscriptum d. Decret. Clem. VIII. excommunicationem lata sententia annectere, illamq; sibi reseruare? Quæst.25.

1 Affirmatiuè Sanchez cit. loc. nu.16. in fin. & benè, tùm quia, qui potest in principale, potest etiam in accessorium, sed Prælatus, iuxtà d. Decretum potest sibi reseruare casus, quod est principale; ergò etiam absolutionem excommunicationis, quæ est accessoria; tum etiã, quia Prælatus de iure communi potest sibi absolutionem excommunicationis, à se latæ reseruare; sed hæc potestas in d. Decreto sublata non apparet, tùm item, quia quiuis Prælatus potest aggrauare legem sui Superioris, & in ea pęnas apponere, pro maiori obseruantia illius.

Casus reseruati in Regulis, & Constitutionibus Regularium, an censeantur extincti, si non fuerint renouati iuxtà d. Decretum? Qu.26.

1 Miranda tom.2. Manual. quæst.34. ar.7. conclus.2. in fin. Portell. in dub. Regul. ver. casus reser. in addit. nu.4. vbi mutat sententiam, quam tenuit in libello casuum reseruatorum, Lezana in summ. v. r. eod. num.6. & plures alij viri grauissimi re-

ſpondent negatiuè, & mouentur ex multis, Primò, quia nullum verbum reperitur in *d. Decreto*, quo denotetur talis reuocatio; Secundò, D. Papa *ibid.* loquitur ſolùm de caſibus reſeruabilibus ab homine, propria auctoritate, non autem de caſibus reſeruatis de iure ſpeciali, ſeù ex vi Regulæ, vt conſtat ex illis verbis *d. Decreti*, ibi, *Sanctitas ſua decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus, peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis ijs, quæ ſequuntur*; Tertiò, quia alias Conſtitutiones, & Regulæ, totiès à S. Sede Apoſtolica approbatæ, ruerent, & intrinſecè læderentur: Quartò, Religioſi ſub iuramento promittunt, Conſtitutiones, & Regulas obſeruare, à quo iuramento abſoluendi forent, nec quidem, ſine graui, & rationabili cauſa, cùm iuramentum ſit de iure Diuino: Quintò, quia ità Sacra Congreg. declarauit ſub hoc tenore verborum:

Sacra Congregat. Cardinalium, negotijs Regularium præpoſita cenſuit, abſolutionem à tranſgreſſionibus votorum, etiam obedientiæ, & vitæ quadrageſimalis, vtiq; Prælatis eiuſdem Ordinis, ad præſcriptum Regulæ, eſſe reſeruatam, & Decreto Sāc. Mem. Clem. VIII. diſpoſitionem eiuſdem Regulæ, hac in parte, minimè ſublatam fuiſſe: Romæ die 22. Auguſti 1631. Frater Antonius Cardinalis S. Onuph. P. Fagnanus Secret. & refert contra ſe *Peyr. tom. 3. cap. 12. in addit. ad Conſtitut. Vrb. VIII. nu. 7.*

2 Nec his obſtat *Beya par. 3. caſu 16. §. extat tandem*, vbi aſſerit, quòd dùm ipſe eſſet Romæ, *Clem. VIII.* vnà cùm Sacra Congregatione fecit ſibi præſentari in ſchedula omnes caſus reſeruatos per Regulam, aut Conſtitutiones, vel Conſuetudines cuiuslibèt Religionis, quibus viſis, præſcripſit, reſeruandos eſſe ſolùm eos, qui numerantur in ſuo *Decreto*.

3 Tùm, quia hoc factum eſt ad videndum abuſum poteſtatis, & nimiam reſeruationem caſuum, tùm etiam, quia non benè ſequitur, S. Papa fecit ſibi omnes caſus præſentari, ergò reuocauit caſus Regulæ, mala eſt, nè dicam, torta conſequentia, quidquid dicat *Peyr. cit. loc. & tom. 2. priuil. in 10. Conſt. Vrb. VIII. n. 12. & tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 2. §. 1. nu. 34.* & *Bordonus reſolut. 37. de reſeruat. caſ. q. 5. nu. 6.*

4 Neq; nocet illa clauſula derogatoria poſita *in fine d. Decreti*, quia hæc refertur ad nimiam reſeruationem caſuum, quos antiquitùs Prælati Religioſorum ſibi ad libitum reſeruabant, in periculum animarum Subditorum, vt dicitur in *procemio d. Decreti*, ibi, *quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, &c.*

SVMMA QVAESTIONVM, Tract. XI. De Poteſt. Diſp. & Abſolu.

Diſpenſatio quid ſit, & an fieri poſſit ſine auctoritate, & iuſta cauſa, & quænàm ſit iſta? Quæſt. 1.

Prælatus, an poſſit diſpenſare in votis eſſentialibus Religionis? Quæſt. 2.

Prior Conuentualis, an poſſit diſpenſare in ſtatutis accidentalibus Regulæ? Q. 3.

P. Generalis, vel Prouincialis, an poſſit diſpenſare in ſtatutis Capituli Generalis? Qu. 4.

P. Generalis, an poſſit iuſtè diſpenſare in pœnis, à Priore Conuentuali, vel Prouinciali, illatis alicui Religioſo? Qu. 5.

Prælatus Regularis, an poſſit ſecum ipſe ea diſpenſare, quæ poteſt cum alijs ſuis Subditis? Quæſt. 6.

Si Prælatus præcipiat aliquid contra Regulam, in quo tamen poteſt diſpenſare, idq; faciat ad ſuum beneplacitum, abſq; cauſæ cognitione, an Subditus teneatur obedire? Q. 7.

Prælati Regulares, an poſſint cum ſuis Subditis diſpenſare in Irregularitate, proueniente ex mutilatione membrorum? Qu. 8.

Prælati Regulares, an ſaltèm ex priuilegio poſſint diſpenſare cum ſuis Subditis, in Irregularitate contracta ex homicidio voluntario, illicito, & iniquo; occulto tamen? Qu. 9.

Prælati Regulares, an valeant diſpenſare in Irregularitate, proueniente ex homicidio caſuali; publico tamen? Qu. 10.

Prælati Regulares, an poſſint diſpenſare in Irregularitate, proueniente ex homicidio iuſto, vel iuſta cauſa, vt ſi Subditi ſe defendentes, aliquem occidant, vel ſint hortantes reum ſuſpendendum, ad aſcendendum furcas, vel ſi alio modo, accelerent exequutionē iuſtitiæ, vendentes ſcalas, & ſimilia? Q. 11.

Prælati Regulares, an poſſint diſpenſare ſuper Irregularitate; proueniente ex abortu fœtus animati? Quæſt. 12.

Prælatus Regularis, an valeat hanc diſpenſandi

DE POTESTATE

Diſpenſ. & Abſoluen. Tract. XI.

Diſpenſatio quid ſit, & an fieri poſſit ſine auctoritote, & iuſta cauſa, & quænàm ſit iſta cauſa? Q. 1.

1 SYlu. *in ſumm. ver. diſpenſ.* poſt allegatos ait, quòd diſpenſatio eſt iuris relaxatio, vndè dicitur vulnus, quia vulnerat ius commune; & colligitur ex *Canone 5. 33 q. 2.* vbi ius commune violatur ob Adoleſcentes.

2 Ad diſpenſandum verò requiruntur duo copulatiuè; nempè; auctoritas in diſpenſante, & iuſta cauſa, *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 12. ad. 2.* & *ibi Caiet. Sot. lib. 1. de iuſtit. q. 7. ar. 3. concl. 1. & 2.* & *Lopez 1. p. Inſtructory, cap. 4. in princip.* nàm Prælatus non eſt dominus poteſtatis ſpiritualis; ſed diſpenſator in ædificationem, & non in deſtructionem, vt patet ex *2. Corinth. 10.* ergò non poteſt ea vti ad libitum, ſed prudentèr, cum cauſa rationabili, *D. Thom. cit. loc.*

3 Cauſæ autem iuſtæ diſpenſandi poſſunt eſſe ſeptem, quarum vna, eſt tempus; quando nimirùm ratio temporis poſtulat, vt rigor iuris, vel Regulæ temperetur: Secunda, eſt vtilitas, nempè publica, & communis, quæ poteſt conſequi ad talem diſpenſationem, vndè excellens in arte non debet mori, licèt ob aliquod delictum, mortem mereatur; nàm diſpenſatur cum eo, ob publicam, & communem vtilitatem: Tertia cauſa, eſt qualitas perſonæ, & meriti, & ſcientiæ; & ſic poteſt diſpenſari cum aliquo Patre, de Religione benemerito, vt ſcilicèt non teneatur ſequi Chorũ, cauſa Studiorum, vel, vt promoueatur ad Dignitates, nõ obſtãte, quòd ſit Baſtardus: Quarta cauſa, eſt neceſſitas, & ſic diſpenſantur Infirmi ad comedendum carnes, tempore ieiunij Quadrageſimalis: Quinta cauſa, eſt pietas, & ſic diſpenſatur cum debilibus, vt luant minores pęnas, quas merentur, vel, vt manducent carnes in locis prohibitis: Sexta cauſa, eſt euentus rei, ſeù factum ſequutum, vt dicitur in *cap. quicunq; diſtin. 50. & cap. tuarum, de ſortilegijs*: Septima, & vltima cauſa, eſt ſcandalum multitudinis, & ſic prudẽtèr parcit Prælatus Communitati, quæ peccauit, nè ſcandalum oriatur in Ciuitate, ſi omnes caſtigentur, & puniãtur, de his, & alijs cauſis ad diſpenſandum agit *Syl. cit. loc. quæſt. 1. n. 3. Armilla num. 14. Roſella eod. ver. nu. 4. Turrecremat. in Regula S. Benedicti, tract. 148. dub. 5. Rodr. tom. 1. quæſt. 22. art. 5.* & *Miranda tom. 2. Manual. q. 30. art. 6.* de hac re vide multa, quæ dixi in *tract. de elig. q. 26. & ſeq.*

Prælatus, an poſſit diſpenſare in votis eſſentialibus Religionis? Qu. 2.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* ibi, *quòd ſuper eſſentialibus Religionis nullam habet Abbas diſpenſandi auctoritatem*; & in *cap. 1. ſeſſ. 25. Conc. Trid. de Regul.* ibi, *Cùm compertum ſit, ab eis*, ſupple Prælatis, *non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxare.*

Prior Conuentualis; an poſſit diſpenſare in ſtatutis accidentalibus Regulæ? Quæſt. 3.

1 Reſpondeo, quòd nō ſolùm P. Generalis, & Prouincialis; verùm etiam Prior Conuentualis, & quiuis alius Præſes in Capite poteſt, iuſta cauſa diſpenſare cum ſuis Subditis, in præceptis accidentalibus Regulæ; in abſentia tamen P. Generalis, & Prouincialis, *D. Thom.* 1.2. *q.97. ar.4.* vbi habet, quòd Rectores multitudinis poſſunt in legibus diſpenſare, & in 4. *ſenten. diſtin.* 15. *q.3. ar.4. ad primum dubium* ait, quòd poteſt quis ieiunium ſoluere per diſpenſationem proprij Sacerdotis; quod lętautèr amplectitur *Caiet.* 2.2. *q.* 147. *art.4. ad 1. dub.* qui id colligit ex mente *D. Thom. ibid. ad* 3. & in proprijs terminis *Sot. lib. 1. de iuſt. q.7. ar.4.* & *Nauar. in ſumm. cap.* 21. *nu.* 21.

2 Sed aduerte, quòd quamuis Prælatus poſſit in prædictis diſpenſare, hoc tamen intellige; dummodò in Regula ei non ſic prohibitum diſpenſare; & quòd diſpenſet in aliquo puncto cum aliquo particulari, non autem in communi.

Pater Generalis, vel Prouincialis, an poſſit diſpenſare in ſtatutis Capituli Generalis? Quæſt. 4.

1 Hvius deciſio pendet ex illa, an Inferior poſſit diſpenſare in lege ſui Superioris, quā affirmatiuè decidit *D. Thom.* 1.2. *q.97. ar.4.* vbi dicit, quòd Rector multitudinis poteſt diſpenſare in legibus, iuſta cauſa; id ipſum docet in 2.2. *q.88. ar.12. ad 2.* quem ſequuntur omnes *Canoniſtæ*, cum *Gloſ. in cap. non eſt, ver. adimplere, de voto, Syl. ver. diſpenſatio, quæſt.* 3. *Nauar. in cap. final. n.4. de ſim.* & *Conar. 4. p. decretal. 2. p. cap.6.* §.7. *nu.* 11.

2 Et quamuis plures ſint cauſæ diſpenſandi, de quibus dictum eſt ſuprà, verùm illa ſola dicitur iuſta, ad effectum diſpenſandi in ſtatutis, quæ reſpicit, non priuatam, ſed publicam vtilitatem, quod planè docet *D. Thom. vbi ſuprà*, & habetur in *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 18. quod incip. *ſicuti publicè expedit, legis vinculum quandoq; relaxare, vt pleniùs euenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat; ſic frequentiùs legem ſoluere, &c.* & ſubiungitur, *quòd ſi vrgens, iuſtaq; ratio, & maior, quandoq; vtilitas poſtulauerit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe.*

3 Proindè, iuſta præexiſtente cauſa poſſunt Prælati Regulares, in ſtatutis, tàm Capituli Generalis, quàm Prouincialis, vel Conuentualis diſpenſare: etiam ſi ſint à Domino Papa confirmata, *Salas de legib. diſp.20. ſect.3. nu.22.* & *Peyr. tom.2. de Prælat. q.1. cap.8. nu.15. in fin.*

4 Et eò fortiùs poterint diſpenſare in proprijs ſtatutis, vel legibus à ſe factis, cum iuſta cauſa, vt dictum eſt: quia legis obligatio, ab ordinaria poteſtate dependet; vndè per eā auferri, & reſtringi poteſt, qui legem tulit; res enim, per quas cauſas fit, per eaſdem diſſoluitur, *Azor. p.1. inſtit. lib. 1. cap.19. q.2.*

5 Benè verum eſt, quòd ſi Capitulum Generale auferat expreſsè auctoritatem diſpenſandi; huiuſmodi Prælati Capitulo Inferiores, in ſupradictis diſpenſare non poſſunt: prout colligitur ex *cap. nupèr à nobis, de ſenten. excomm. in medio, ver. in ſecundò verò caſu*, vbi redditur ratio, quarè excommunicatus à iure poſſet ab Epiſcopo, vel à proprio Sacerdote abſolui; *quia* (ſubditur) *Conditor Canonis, eius abſolutionem ſibi ſpecialitèr non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi*: hæc ibi.

Sed talis reſeruatio an excludat caſum extremæ neceſſitatis? infrà dico.

P. Generalis, an poſſit iuſtè diſpenſare in pœnis, à Priore Conuentuali, vel Prouinciali illatis alicui Religioſo? Quæſt. 5.

1 Reſpondeo, quòd P. Generalis non poteſt ad ſui libitum, cōtra voluntatem Inferiorum Prælatorum, impoſitas pęnas relaxare; ſecus fieret illis maxima iniuria, & vileſceret eorum Miniſterium, & Subditi delinquentes audaciores fierent.

2 Proindè, P. Prouincialis nō poteſt Subditum excommunicatum abſoluere, inrequiſito, aut inuito excommunicante: prout expreſsè definitur in *cap. cùm ab Eccleſiarum Prælatis, de off. Iudic. ordin.*

3 Quod amplia, etiam ſi pęna fuiſſet impoſita, ob occultum crimen, ex quacūq; cauſa, quomodolibèt, etiam extraiudicialitèr; prout deciſum habes in *cap. 1. Conc. Trid. ſeſſ. 14. de reform.* quod incipit, *cùm honeſtius, ac tutius ſit.*

4 Hinc, illi, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato fuit interdictus, aut à ſuis ordinibus, vel gradibus, vel dignitatibus ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatē, conceſſa licentia, de ſe promoueti faciendo, aut ad Priores ordines, gradus, & dignitates, ſiuè honores reſtitutio

ſuffra-

ſuffragatur, idem *Conc. Tridentin. vbi ſuprà*, & *Concil. Tolet. cap. 6. de pęn. impoſit. Nauar. 1. p. conſil. lib. 1. de ętat. & qualit. conſ. 5. & de tempore ordinand. conſ. 42.*

5 Verùm, poſtquàm Prælatus, qui puniuit, ſuo fuerit functus officio, poterit Superior, iuſta de cauſa, abſq; licentia Iudicis ordinarij Subditum liberare, quia in tali caſu Ordinarij auctoritas non contemnitur, *Rodr. tom. 1. q. 22. ar. 8. in fin.* quod extende ad caſum appellationis, vel ſi pęna impoſita, ſit euidentèr iniuſta, aut intolerabilis, *Miranda tom. 2. Manual. quaſt. 30. ar. 11. concluſ. 1. in fin.*

6 Quod itèm extende ad pęnas illatas Nouitijs per ſuos Magiſtros, vel Studentibus per Lectores eorundem, & Officiales ſtudij, quas Superiores Locales relaxare nō debent, contra voluntatem Magiſtri Nouitiorum, vel Lectorum Studentium: niſi in caſibus ſuprà poſitis; vtputà in caſu grauaminis, vel pęnæ iniuſtæ, vel irrationabilis; alitèr Iuuenes fiunt audaciores, nè dicam inſolentiores, in contemnendo eorum Magiſtros, *Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 8. nu. 17. ver. quæres 3.*

7 Verùm, ſi P. Generalis, Religioſum, à Prouinciali excommunicatum abſoluat, inſcio, ac inrequiſito excommunicante: abſoluet nè validè? Et dico, quòd non; iuxtà *Decretum* præcitatum *Concil. Trid.* vbi expreſsè dicitur, quòd nulla reſtitutio, contra ipſius Prælati voluntatem ſuffragetur; per quod *Decret.* corriguntur antiqua iura.

8 An autem in caſibus magni præiudicij poſſit Superior conſulere conſcientiæ erroneæ, & an admittatur probatio in contrarium? vide *Paridem de Put. de Syndicatu, in §. an Index, nu. 3. fol. 177. Felin. in cap. Canonum ſtatuta, col. 24. nu. 55. de Conſtit. Bald. conſ. 434. in fin. lib. 1.* & *Nauar. de off. Ordin. conſil. 2.*

Prælatus Regularis, an poſſit ſecum ipſo, ea diſpenſare, quæ poteſt cum alijs ſuis Subditis? Qu. 6.

1 Affirmatiuè *D. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 8. in fin. corpor. Caiet. 2. 2. q. 96. art. 5. ver. ad hoc dubium præmittenda, Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 3. n. 1. & 2.* & eſt communis, quia ſecus eſſet deterioris conditionis, quā Subditus, & facit ad hoc *cap. final. de pęnitentijs, & remiſſion.* quod licèt loquatur de Confeſſione, poteſt etiam intelligi de diſpenſatione; vt dicit *Rodr. tom. 1. q. 26. ar. 6.* & *Sanchez vbi ſuprà.*

Si Prælatus præcipiat aliquid contra Regulam, in quo tamen poteſt diſpenſare, idq; faciat ad ſuum beneplacitum, abſq; cauſæ cognitione, an Subditus teneatur ei obedire? Qu. 7.

1 Caiet. *qu. 104. ar. 5. in reſponſ. ad 3. Rodr. tom. 2. quaſt. 46. ar. 10. Miranda tom. 2. Manual. q. 31. art. 8. Nauar. in ſumm. cap. 23. num. 39.* & *Sanchez*, multis citatis *lib. 6. in decal. cap. 3. num. 8.* dicunt, quòd non: Sed tenetur ſequi ſtatutum ſuum; tùm quia, diſpenſatio ſine cauſa, eſt potius diſſipatio, quàm diſpenſatio, vt dictum eſt ſuprà; tùm etiam, cùm non apparet legitima cauſa, per quam tollitur legis obligatio, lex, & præceptum ſemper clamat.

2 Benè verum, quòd ſi Subditus dubitat, an Prælatus poſſit diſpenſare, vel habeat iuſtam cauſam diſpenſandi, tenetur obedire; quia in dubio pręſumitur pro Prælato, quòd diſpenſet cum iuſta cauſa, *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 12. ad 2. in fin. Roſella ver. obed. num. 19. Tab. eod. ver. quaſt. 11.* & *Sylu. ver. diſpenſat. quaſt. 14. nu. 2. & ver. Religio 6. quaſt. 6.*

Prælati Regulares, an poſſint cum ſuis Subditis diſpenſare in Irregularitate, proueniente ex mutilatione membrorum? Quaſt. 8.

1 Et dico, quòd ſic; nedùm iure priuilegiorū; quę hic immediatè refero, ſed etiam iure *Conc. Trid.* quia Prælati Regulares, habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſunt in ſuos, quidquid valent Epiſcopi, virtute *cap. liceat Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat.* vt dictum eſt, ſed Epiſcopi in vim *d. capu.* poſſunt diſpenſare cum ſuis Subditis in quacunq; Irregularitate cōtracta, ex cuiuſuis membri mutilatione, etiam violenta; dummodò ſit occulta; nàm *Trid. vbi ſuprà* ſolùm prohibet diſpenſandi facultatem in Irregularitate orta ex homicidio, ſed mutilatio non eſt homicidium, & exceptio firmat regulam in contrarium, & in odioſis non fit extenſio: ergò *Trident. vbi ſuprà*, venit ſtrictè intelligendum, vt ſolùm loquatur de vero homicidio.

2 Nec obſtāt *Franciſcus Leo* in ſuo *Theſauro fori Eccleſiaſtici, p. 2. cap. 8.* & *Sanchez lib. 1. Moral. cap. 10. nu. 49.* dicentes, quòd *Trident. vbi ſuprà* dat facultatem Epiſcopis, diſpenſandi ſuper Irregularitate proueniente ex delicto; ſed iſta, quæ oritur ex muti-

mutilatione, non ſolùm eſt ex delicto, ſed etiam ex defectu perfectæ lenitatis, non imitando Chriſtum, qui fuit ſummè mitis, & lenis.

3 Nàm, quamuis ratio, & finis imponendi Irregularitatem homicidio, & mutilationi, ſit ſignificatio perfectæ lenitatis Chriſti: tamen iſta Irregularitas ſimplicitèr, & abſolutè eſt ex delicto, & in illius pęnam conſtituta: perindè, ratio prædictorum non concludit, prout benè notat poſt allegatos *Garzias de benef. part. 7. cap. 11. num. 30. Barboſa p. 2. allegat. 39. nu. 49. & in collect. ad d. cap. 6. Trid. nu. 41. Diana part. 4. Moral. tract. 2. de Irregul. reſolut. 71. & par. 7. tract. 2. de poteſtate Epiſcopi, reſolut. 28.* & antè eos *Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 194. Marcus Anton. Genuenſ. in praxi Neapolit. cap. 66. num. 9.* in 2. editione, *Portell. in dub. ver. diſpenſare, nu. 7. Nouar. in iur. nono Pontific. concluſ. 81. nu. 16.* & eſt communis opinio, & ità à Sac. Congregat. fuiſſe deciſum, refert *Barboſa in d. allegat.*

4 Ex quibus collige, quòd ad hoc, vt mutilatio membri inferat Irregularitatē, reqritur ipſius abſciſſio, quamobrē, ſi quis debilitet mēbrū alterius verberādo, ità vt verberatus reddatur ineptus functionibus Ordinū, & perindè ſit Irregularis, ipſe tamē verberans, & debilitans non contrahit Irregularitatem, quia ad hoc requiritur, vt membrum abſcindat, & quidèm viuum; Vndè mutilans membrum inimici mortui, non efficitur Irregularis, cùm membrum mortui non dicatur, nec ſit ſimplicitèr membrum, *Tolet. lib. 1. cap. 71. num. 11.* nec qui alium excęcat, ſi oculum foras non eruat, *Fernandez in exam. Theol. Moral. p. 2. cap. 10. §. 14. nu. 7.* & alij, quos citat, & ſequitur *Diana cit. loc.*

Prælati Regulares, an ſaltèm ex priuilegio poſſint diſpenſare cum ſuis Subditis, in Irregularitate contracta ex homicidio voluntario, illicito, & iniquo, occulto tamen? Qu. 9.

1 RESpondent affirmatiuè *Rodriq. tom. 1. q. 24. ar. 12.* cū ſuo *Comp. reſolut. 52. de diſpenſ. nu. 25.* & fuſius *par. 3. ſumm. cap. 18. num. 44. & ver. Irregularitas, nu. 72. Miranda tom. 2. Manual. qu. 8. concl. 2. Portell. in dub. ver. diſpenſare, nu. 8.* & *Bordonus reſolut. 13. quæſt. 4.* & mouentur Primò, quia *Martinus V.* conceſſit Priori Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoletani, quòd in foro conſcientiæ poſſet abſoluere ſuos Monachos ab omni excommunicationis ſententia, etiam ſi talis eſſet, quam ipſe Summus Pontifex reſeruare conſueuit, & cum eis ſuper omni Irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat (in morte videlicèt, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione) valeat diſpenſare; dùmtamen aliquod horum trium non ſit notorium; & hoc propter ſcandalum; & refert *Caſarubius in Comp. ver. abſolutio ordinaria quòad Fratres*, vbi aduertit, quòd licèt primò ſupradicta conceſſio facta fuerit ſoli Priori, ſeù Abbati Monaſterij S. Benedicti Valliſoletani, poſteà tamen extenſa, & cōmunicata fuit omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum, vt habetur *ver. communicatio priuil. §. 34.* ibiq; ſubnectit, ſe præfatam conceſſionem vidiſſe in d. Conuentu, ſub ſigillo authentico Valliſoleti, & indè etiam fidelitèr extraxiſſe.

2 Nec dices, quòd hoc fuit viuæ vocis Oraculum, prout *ibid.* teſtatur *Caſarub. in lit. O.* perindè hodiè non valere, ex quo Oracula ſunt extincta per *Vrb. VIII.*

3 Tùm quia, d. Papa abſtulit Oracula præiudicialia tantùm, vt notat *Bordon. in d. reſolut. 13. nu. 14.* hoc autem nulli præiudicat, ergò viget, tum etiam, quia Oracula Regularium, ordinariè loquendo, fuerunt expreſſa, aut per eorum PP. Generales, vel per ipſorum Conſeruatores, at Oracula ſic edita, adhuc vigent, & cenſentur lata ab Officialibus Papæ, vt conſtat ex ſuprà deciſis.

4 Neq; nocet *Rodr.* in cit. *loc.* vbi limitat, *d. priuil.* procedere, quòad Ordines, non autem quòad Dignitates, & Prælaturas; quia hoc gratis dicit, cùm priuilegia ſint beneficia Principis, perindè, non reſtringenda, ſed amplianda, quantum patitur propria verborum ſignificatio, *ibi* autem nulla eſt limitatio, & verba ad vtrumq; referri poſſunt, ergò.

5 Secundò, quia *Iul. II.* conceſſit Dominicanis facultatem diſpenſandi in omni Irregularitate, etiam in caſibus Papæ reſeruatis, hoc eſt, in homicidio voluntario, & membrorum obtruncatione: modò factum horum duorum non ſit notorium, & referunt *Miranda tom. 2. Manual. quæſt. 8. ar. 10. Sorb.* poſt ſuam annotationem in *d. loc. Compend.* & *Peregrin. in Comp. Theatin. ver. diſpenſ. §. 2.* vbi excludit homicidium voluntarium, ſed non placet; tùm quia, ſumus in beneficio Principis, tùm etiam, quia in conceſſione generali, veniunt etiam ſpecialia conceſſa, quando ex verbis conceſſionis aliter colligi non poteſt; vt occurrit in dicta conceſſione.

6 Nec officit dicere, quòd forſitàn eſt Oraculum; tùm quia, in dubio melior eſt

conditio

conditio poſſidentis, tùm etiam, quia Oracula vigent, ſi non ſint præiudicialia, vel ſi ſint lata à Miniſtris, & Officialibus Papæ, ſecundùm nouam declarationē *Vrb. VIII.* de qua vide in *tract. de Oraculis.*

7 Tertiò, quia *Paulus III.* per *Bullam* omni conditione vallatam conceſſit Congregationi S. Benedicti Valliſoletani facultatem diſpenſandi, ſingulis annis, prima die Lunæ Quadrageſimæ, ſuper quibuscunq; Irregularitatibus, quauis occaſione contractis, vt conſtat ex *d. Bulla*, quam per extenſum ponit *Rodr.* in ſuo *Bullario*, inter *Bullas* eiusdem *Pauli 3. nu. 12.* de qua latè *Portell. cit. loc.* & *Lezana in d. ver. Irregularitas, n. 72.* & Egomet dixi ſuprà.

8 Quartò, quia *Conar.* multis allegatis in *Clem. ſi furioſus, de homicidio, §. 4. n. 4. Mirand. cit. loc. eōcl. 1. Angel. in ſum. ver. homic. 2. §. 4. Lezana in d. cap. 18. nu. 44. in medio,* & alij Viri grauiſſimi, probabilitèr tenent, Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper omni Irregularitate, prouenіente ex crimine omninò occulto, & quòd nullis poteſt teſtibus probari, neq; alitèr, quàm per propriam confeſſionem ſciri; quia quoad hoc remanſit ius commune omninò intactum, neq; per *Conc. Trid.* eſt aliquid innouatum, nec prædicta Irregularitas eſt Romano Pontif. reſeruata, ſed Epiſcopo; Neq; obſtat *Nauar. cap. 27. nu. 239.* vbi refert verba *Concil.* quia in *d. loc. Trident.* intelligendum eſt, de homicidio occulto, quod quãuis actu non ſit deductum in iudicium, neq; ad forum contentioſum; eſt tamen ex ſe probabile, quamuis actu in iudicio ordinario non ſit probatum, non autem de homicidio omninò occulto, quod probari nullo modo poteſt.

Ergò dicendū probabilitèr, quòd etiã Prælati poſſint Subditos in hoc diſpenſare; & multò fortiùs, ad euitandum circuitus Religioſorum: Sed in his videnda ſunt priuilegia, quæ ſint in vſu, & non reuocata.

Prælati Regulares, an valeant diſpenſare in Irregularitate prouenіente ex homicidio caſuali, publico tamen? Quæſt. 10.

1 Affirmatiuè dic; quia in hoc Prælati Regulares differūt ab Epiſcōpis, quia Epiſcopi poſſunt in illa diſpēſare, quando homicidium caſuale eſt occultum, Prælati verò Regulares diſpēſant, ſiuè ſit occultum, ſiuè ſit publicum, *Auila de cenſ. p. 7. diſput. 6. ſect. 5. dub. 2. concluſ. 2. Vecchius in praxi Nouit. diſput. 9. dub. 18. num. 6. Sebaſtianus à Bononia de elect. par. 2. cap. 4. dub. 71. Diana p. 4. tract. 2. de Irregul. reſol. 72. in fin.* & fuſiùs *p. 7. reſol. 31. tract. 2.* vbi multos allegat, & fundamenta refert, cui fauet *Bordonus reſol. 13. quæſt. 4. nu. 15. in princ.*

2 Illud enim dicitur homicidium voluntarium, quando quis ex propoſito, ſeù ex induſtria, directè intendit, & vult ſimplicitèr, ſine alio addito, & de hoc homicidio loquitur *Trid. in d. cap. liceat, ſeſſ. 24. de reform.* ibi, *excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario; non autem de voluntario in cauſa, ſeù caſuali.*

3 Quapropter, ſi Clericus ſaltet cum muliere prægnante, quæ exindè abortum faciat, non ideò Clericus, qui cum illa ſaltabat, incidit in Irregularitatem exceptam in *d. Trid. Barboſa*, poſt multos relatos *de off. & poteſtate Epiſcopi, par. 2. allegat. 39. nn. 47.* & *Diana vbi ſuprà*; Non dico, quòd hoc genus homicidij non inducit Irregularitatem; quia totum oppoſitum colligitur ex toto *titulo de homicid. cap. 1. 2. & ſequen.* ſed dico, quòd non incidit in Irregularitatem exceptam in *d. cap. 6. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform.*

Prælati Regulares, an poſſint diſpenſare in Irregularitate prouenіente ex homicidio iuſto, vel iuſta cauſa, vt ſi Subditi, ſe defendentes, aliquem occidant, vel ſint hortãtes Reum ſuſpendendum ad aſcendendum furcas, vel ſi alio modo accelerent exequutionem iuſtitiæ, vendentes ſcalas, & ſimilia? Quæſt. 11.

1 Affirmatiuè dic; tùm quia, id faltem valent ex priuilegio, tùm quia, in tali caſu, aut Subditi nō ſunt cauſa directa, & proxima mortis, aut quia nō intendunt occidere, ſed ſe tueri, vel obedire, & non reſiſtere, *Bonac.* multis citatis *q. 4. de Irregul. p. 1. n. 13.* tùm deniq; quia ſi Prælati poſſunt in Irregularitate, ex homididio iniuſto prouenіente; quantò fortiùs ex iuſto, vel caſuali, & non directè, & per ſe volito diſpenſare?

Prælati Regulares, an poſſint diſpenſare ſuper Irregularitate prouenіente ex abortu fœtus animati? Qu. 12.

1 Affirmatiuè *Portell. par. 3. caſu 13. num. 3.* & conſtat ex priuilegijs præallegatis, nec obſtat *Rodriq.* cum ſuo *Compend. vbi ſuprà*, dicens, quòd homici-

dium abortus animati, excipitur à dictis priuilegijs, ex quo est qualificatum, cùm perdatur anima, & corpus, tùm quia priuilegia accipienda sunt, vt iacent, nec restringenda, cùm sint beneficia Principis; tùm item, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; tùm etiam, quia maius est homicidium hominis adulti, quā non nati; ergò si Prælati valent in illo, multò fortiùs, & in isto, *Portell. vbi suprà*, & *Bardonus in d. resolut. 13. q. 5.* vbi id ampliat, & ex multis ostendit, quòd Prælati Regulares, non solùm possunt dispensare in hac Irregularitate; verùm etiam, Religiosos huiusmodi habilitare ad gradus, & dignitates, etiam pro foro externo, & sine dubio ab excommunicatione absoluere, non obstante *Constit. 87. Sixti V.* quæ incipit *effrænatam, & cap. cantulisti 18. 2. q. 4. & cap. quod verò 8. cap. Moyses 9. cap. sicut fœmina 10. 32. quæst. 2. & cap. sicut ex litterarum 20. de homicidio*; quia, vt dictum est suprà, vbi lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus, *l. non distinguemus, ff. de recept. arbitr.* sed Papa in dictis priuilegijs non facit distinctionem homicidij qualificati, vel non qualificati, ergò neque nos distinguere debemus.

Prælatus Regularis, an valeat hanc dispēsandi auctoritatem, alteri committere, vt secum, vel cum alio suo Subdito dispenset? Quæst. 13.

1 SAnchez *lib. 2. de matrim. disput. 40. num. 13. & lib. 3. disput. 31. num. 2.* cui fauet *Portell. in d. casu 13. p. 3.* ad secundum quæsitum Respōdet affirmatiuè; tùm quia, iurisdictio concessa alicui per priuilegium Principis, est ordinaria, si in eo non fuit dictum, *quòd alteri non subdelegetur*, sed isthæc auctoritas dispensandi in homicidio volūtario fuit cōcessa Prelatis Regularibus in dicto priuilegio, absq; vlla limitatione, ergò est ordinaria, & consequentèr potest subdelegari; nām omnis iurisdictio ordinaria potest delegari, vt constat ex decisis; tùm etiam, quia prædicta facultas fuit concessa personis incognitis, nempè Prælatis præsentibus, & futuris; sed facultas concessa incognitis censetur ordinaria, vt docent *Iason in l. more, ff. de iurisdictione omn. Iudic. nu. 65. Suarez de pœnit. disput. 30. sect. 2. nu. 9. in fin.* & alij plures, quos allegat, & sequitur *Diana par. 7. tract. 2. de potestate Episcopi, resolut. 13. in fin.* ergò est delegabilis.

2 Confirmatur, quia hæc facultas habetur ratione officij, quod Superior exercet, nempè Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, & similis; ergò idem, quod priùs.

Prælatus Regularis, an possit absoluere Subditum suspensum, ad Ordines susceptos, antè ætatem, vel absq; licentia, vel per saltum; nec non cum illo dispensare super Irregularitate, si quam contraxit, exercendo munus suum, durante suspensione? Qu. 14.

1 SVppono, Regulares antè legitimam ætatem, ad sacros Ordines promotos, esse suspensos ab exequutione susceptorum, vt deducitur ex *cap. vel non est compos, de tempore ordin.* & præsumētes, durāte suspēsione, in Ordinibus ministrare; eo ipso in Irregularitatem incurrere, & beneficijs priuari, ex *Constit. Pij Papæ II.* incip. *cùm ex sacrarum Ordinum*, & est *septima* inter *Bullas* eiusdem Pontificis, in *1. p. Bullarij Laert. Cherub. pag. 319.* quam *Piam* Cōst. tàm Sæculares, quàm Regulares comprehendere, declarauit, & voluit *Sixtus V.* in sua *Constit. contra malè promotos*; & innouauit *Clem. VIII.* sua *Constit. incip. Pius Episcopus*, quam per extensum refert *Confestius in Collect. litt. Apostol. pag.* mihi 235. in impressione Veneta, quibus stantibus *Viualdus* in suo *Candelabro tit. 15. de Sacramento Ordinis, tit. de tempore ordinationis, n. 3. Portell. in dub. ver. ordin. nu. 14. & in resp. casu 40. nu. 3. & sequen. Peyr. tom. 1. priuil. in Constit. 1. Iul. 2. §. 16. num. 31. Peregrin. in Comp. ver. dispensatio, §. 12. Hier. Rodr. in Comp. resolut. 106. nu. 26. Barbosa*, post allegatos in *collect. ad c. 12. Conc. Trid. sess. 23. de reform. nu. 14. Diana par. 3. tract. 2. de dub. regul. resol. 85. Bordon. de dispensat. super Irregularitate, resol. 11. quæst. 5. nu. 26.* & *Lezan. 1. p. summ. cap. 14. num. 21.* dicunt, quòd sic; in foro tamen conscientiæ, & dūmodò delictum sit occultum; & mouentur ex multis, Primò, quia cēsura posita in *d. Bulla* nemini reseruatur, vt *ibi* est videre; ergò potest auferri à dictis Prælatis, etiam minoribus, argum. *cap. nuper 29. de sentent. excomm.* ibi, *quia tamen Conditor canonis, eius absolutionem sibi specialitèr non retinuit, eo ipso, concessisse facultatē videtur, alijs relaxādi.*

2 Secundò, quia estò, quòd foret de reseruatis Papæ, adhùc subijcitur Prælatis huiusmodi, iuxtà dispositionem *cap. liceat Conc. Trid. sess. 24. de reform.* per ea, quæ dicta sunt hìc suprà.

3 Tertiò, quia ad hoc habent speciale priuilegium à *Sixto IV.* Oliuetanis concessum, vt notat *Peregr. cit. loc.* quod extenditur ad omnes alios cōmunicantes cum illis;

illis: quibus accedunt alia priuilegia nobis conceſſa, per quæ licitum eſt Prælatis, abſoluere Subditos ab omnibus caſibus Papalibus,& cũ illis diſpenſare in omnibus cenſuris,& irregularitatibus,quauis occaſione contractis, de quibus dictũ eſt ſuprà.

4 Nec dices,quòd reuocata ſunt priuilegia per *Conc.Trid. ſeſſ.23. cap.12. de reform.* nàm *Concil.ibi* ſolùm reuocat priuilegia, nè ordinentur Regulares antè ætatem *ibi* aſſignatam, non autem reuocat priuilegia,quæ aliàs habent Regulares abſoluendi Subditos à cenſuris, & cum illis diſpenſandi in Irregularitatibus cõtractis, vt dictum eſt,& conſtat ex verbis *d.cap.12. Conc.Trid.* ibi,*priuilegijs,quòad hoc excluſis*; expende ly,*quòad hoc*,& dices,ideſt,quòad Ordines ſuſcipiendos antè hanc ætatem; ergò non loquitur de priuilegijs Regularium ad abſoluendum, & diſpenſandum Subditos,prout benè aduertit *Portell.* cum cæteris *vbi ſuprà*.

5 Nec replices dicendo,quòd *Sixtus V.* & alij Pontifices antecessores reuocauerũt priuilegia Regularium, ad abſoluendos Subditos ſic malè promotos; quia poſt *Sixtum V. Clem.VIII. Paul.V.* & *Vrb.VIII.* confirmauerunt priuilegia, cum illa clauſula, *dummodò Decret. Sac.Conc.Trid. non aduerſentur*, & vſi ſunt illo verbo, *innouamus motu proprio, & ex certa ſcientia*, per quas clauſulas reualidantur etiam priuilegia ab antecessoribus anteà reuocata, vt conſtat ex deciſis *1.p.tract.8.de clauſulis priuileg. clauſul.9.* vbi de his fusè dico.

Nec in *d.Sac.Conc.Trid.* vidi aliquod decretum, cui, quòad hoc, de quo agitur, Regularium priuilegia videãtur aduerſari:

6 Præterea, ad hæc eſt valdè aduertendũ, ꝙ ſublata ſuſpenſione per abſolutionẽ, Prælatus non poteſt diſpenſare cum ordinato, incompleta ætate, ſeù antè legitimã ætatem, vt exerceat actum ſuum: quia defectus ætatis eſt inſanabilis, & indiſpenſabilis; nàm non poteſt tolli per baptiſmum, neq; per profeſſionem Religioſam, cùm nullum fundamentum appareat, ad hoc dicendum; neq; per priuilegia Religioſorum, cum hæc abrogata ſint a *Sac. Conc. Trid. in d.cap.12. ſeſſ.23. de reformat.* Vndè non poteſt tolli; niſi adueniente ætate, vel ex Papæ diſpenſatione,& habetur in *d.cap. vel non eſt compos, de tempor.ordinat.* ibi, *ab exequutione officij Diaconi, vſq; ad ætatem legitimam, in iniuriam ſuſpendimus ordinantis*.

7 Ex quo *cap.Couar.in Clem.ſi furioſus 1.p.§.1.n.4. Graſſ.deciſ.Aur. lib.4.cap.27.nu. 22.*& *Lezan.ver.Irregularitas 17.* multis extatis inferunt, quòd accedente ætate, cum ceſſet impedimentum,poteſt in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, abſq; alia abſolutione, ſecus autem, antè legitimam ætatem; quãdoquidem ſicut non poteſt Prælatus diſpẽſare in principali,nempè in ætate, vt conſtat ex ſuprà dictis,neq; in acceſſorio,nimirùm in exercitio, antequàm perueniat ad ætatem, *Barboſa in d.cap.Conc.Trid.* & *Bordon.* cit.*loc. nu.27. in fin.*

8 Quamobrèm, ſi ità ordinatus,ſublata ſuſpenſione per abſolutionem,vel ſi eam non incurrit, ob bonam fidem exercet ſcientèr ſuum munus, antequàm aſſequatur ætatem;peccat mortalitèr,ex communi opinione omnium *Doctorum*, incurrit irregularitatem, & videtur malè ſentire de auctoritate Rom.Pontific. *Diana par.3. tract.4.de Sacram.Ordinis, reſol.182.*

9 Ex quibus collige,& bene menti,quòd ſuſpenſio,de qua agitur,eſt perpetua ſecundùm quoſdam, ſed non reſeruata Papæ, & quòd Prælatus non valet diſpenſare ſuper ætate, etſi forsàn diſpenſet, peccat mortalitèr;quia in re graui tranſgreditur Conſtitutiones Pontificias,& actus non tenet,ob defectum poteſtatis; & quotiès ſic diſpenſatus miniſtrat in malè ſuſceptis, totiès incidit in mala prædicta.

Si Suſpenſio, & Irregularitas ſit deducta ad forum contentioſum, an valeat Prælatus ſuper illis abſoluere, & diſpenſare? Quæſt.15.

1 Rodriq. *tom.1. q.20. art.14. in fin.* ait, quòd Prælatus poteſt Religioſum ſibi Subditum abſoluere à ſuſpenſione in foro exteriori; dummodò non ſit perpetua;& ſtatim ſubiungit; atq; etiam ſi fuerit perpetua; dummodò non ſit reſeruata; ſed ſuſpenſio,de qua agitur,licèt ſit perpetua; tamen non reſeruata Papæ,ergò eſt diſpenſabilis à dictis Prælatis, etiam in foro exteriori.

2 Quod item probat *Portell.in dub.ver, ordines,nu.14.* tum quia,*Trid.in d.cap.* licèt non prohibet Epiſcopos,diſpenſare in publicis, ſed in deductis ad forum contentioſũ,ſed pōt eſſe publica, ſed non deducta ad forum contentioſum, ergò videtur *Trident.* innuere,quòd ſi non ſit deducta ad cõtentioſum forum,etiam ſi ſit publica, poterint diſpenſare; tùm quia, Regulares habent priuilegia diſpenſandi ſuper omnibus cenſuris, pro vtroq; foro; exceptis tribus caſibus,nimirùm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, vt conſtat ex *Mari Magno* nobis conceſſo à *Sixto IV.* & notat *Miranda tom.2.Manual. quæſt.8. art.14.concluſ.5.* & exceptio firmat

regulam in contrarium, ergò.

3 Et quamuis hæc opinio poſſit eſſe vera ſpeculatiuè, nihilominùs practicè non eſt ſequenda, *Peyr.tom.1.in Conſtit.1. Iul.2. §.16.nu.36.* tùm quia,ſtylus Curiæ, in caſu poſito, obſeruat contrarium: nam omnes ordinati antè tempus, vel ſine litteris dimiſſorijs,vel extra tempora, ſiuè Regulares, ſiuè Sæculares ſint,petunt diſpenſationem à Papa,vel per Datariam,vel Summū Pœnitentiarium, idem procedit de Irregularitate; ſi ſic promotus antè legitimam ætatem celebraſſet: ſtylus enim Curiæ facit ius, & contrà ipſum facta non valent, *cap.ex litteris, de Conſt.& cap.quàm graue, de crim.falſi, D.Epiſcop.Riccius collect.1206.* vbi addit,quòd ſtylus Curiæ præualet,etiā conſuetudini,& *collect.794.* de hoc multa dicit,tùm etiam,quia *Trid.*in cit.*loc.* loquitur de irregularitatibus,& ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, & diſpenſandis in foro conſcientiæ,excluſo foro exteriori.

Prælati Regulares, an ſaltèm quoàd forum conſcientiæ, & quietem animarū Subditorum poſſint vti priuilegijs,à Tridentino reuocatis? Q.16.

1 ET quidèm poſſe, Reſpondent multi, probabilitèr tamen, per ea multa, quæ dico in *1.par.tract.9.de confirmat. priuileg. q.17.* quod intellige verum, quoad abſoluendum à cenſuris, & diſpenſandum in Irregularitatibus contractis,ſecus autem.

2 Nec exindè inferas,licitum eſſe Religioſis, ſaltèm in foro conſcientiæ promoueri ad ſacros Ordines antè legitimam ætatem, præſcriptam à *Trid.cap.12.ſeſſ.23. de reformat.* ex quo habent *priuilegium à Iul.2.* incip. *dudùm ad ſacr.Ordin.§.16.* ibi, *quòd in vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno,tūc, & pro tempore conſtituti, ad Presbyteratus ordinem, aliàs tamen ritè, ſe promoueri facere poſſent*; quod licèt in ſpecie fuerit conceſſum Minimis, conuenit tamen omnibus communicantibus cum illis.

3 Tùm quia, hoc, & ſimilia priuilegia hodiè vacant omnimodè, & fuerunt omninò in ſpecie extincta per *Trid.* in prædicto *loco*, ibi, *Regulares quoq; nec in minori ætate ordinentur, priuilegijs quòad hoc penitùs excluſis*: nec non per *Sixtum V.* in ſua *Conſtit.90.* quæ incip. *Sanctum, & ſalutare,* per *Clem.VIII.* eorumq; ſucceſſores,& cōſtat ex decìſis, tùm etiam, quia aliud eſt loqui de priuilegijs ad abſoluendum à cēſuris,& diſpenſandum in irregularitatibus, & aliud de diſpenſando in ætate pro ſuſceptione Ordinum; quandoquidèm Confeſſarius habet poteſtatem abſoluendi pœnitentem à cenſuris contractis,non autem eximendi illum à lege, nè ampliùs in cenſuras incidat; ſic,cęteris paribus,Prælatus poteſt, virtute priuilegiorum in irregularitatibus omnibus,& ſuſpenſionibus diſpēſare, non autem poteſt eximere ſuum Subditum, quin incurrat in ſuſpenſionem, ſi præſumpſerit ordinari antè ætatem,& dare in irregularitatem, ſi in ſuſceptis Ordinibus auſus fuerit adminiſtrare; quia ad hoc nullum habet priuilegium, nullamquè auctoritatem.

Prælati Regulares, an valeant, virtute priuilegiorum abſoluere ſuos Subditos à caſibus Bullæ Cęnæ? Q.17.

1 AFfirmatiuè dic, per ea multa, quæ dico *1.p.in tract.11.de reuocat.priuil. q.17.* quòad forum conſcientiæ tantùm, & dummodò ſimus in occultis: quod item declarauit *Vrb.VIII.* in ſua *Conſtitut.*incip.*In ſpecula militantis Eccleſiæ,* quæ inter *Bullas* eiuſdem eſt 105. *tom.4. Bull.pag.439.§.3.* ibi,*quòad caſus reſeruatos, etiam in Bulla Cęnæ Domini (hæreſi excepta) contentos, non niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo ſuffragatur,&c.*

2 Nec nobis obijcias *Decreta* Sacræ Congregat. iuſſu *Clem.VIII.* edita, quæ habentur in *libello* attitulato, *Bullæ, & Decreta recentiora, pag.189.& 199.* quæ ſunt tenoris ſequentis.

Sacra Congregat.S.R.E.Cardinalium, negotijs,& conſultationibus Epiſcoporum,& Regularium præpoſita, iuſſit, & grauibus cauſis id exigentibus,ac de S.D.N.Clem.VIII. ſpeciali mandato, viuæ vocis Oraculo deſupèr habito,Sacerdotibus omnibus,tā Sæcularibus,quàm Regularibus per vniuerſam Italiam,extrà Vrbem degentibus, ad Confeſſiones audiendas probatis,quorumuis Ordinum,etiam Mendicātium,Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Ieſu; & generalitèr quarumcunq; aliarum,quouis nomine nuncupentur,iubet,& præcipit, nè quis eorū, ſub prætextu priuilegiorum,indultorum, aut facultatum generalitèr, vel ſpecialitèr ſcripto,aut viuæ vocis Oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus,Congregationibus,Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus Sæcularium, aut ſingularibus perſonis, ſeù aliàs quomodocunq; ſub quibuſuis tenoribus, formis,& clauſulis,etiam derogatoriarum derogatorijs, ad inſtantiis,etiā Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum

inſtan-

instantiam concessarum, seù confirmatarum alicui, cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm Sæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla, die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel aliàs quomodocunq; Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurū per Sanctitatem suam, eiusdem successores, pro tempore, in eadem Bulla, vel alitèr reseruādis; nec etiam à casibus, quos Ordinarij Locorum hactènus reseruarunt, vel in posterùm sibi reseruabunt, nullo eusu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seù cum noua, & speciali Sanctitatis suæ, aut successorum suorum, vel Ordinariorum, quòad casus ab ipsis tantùm reseruatos respectiuè, impetratu in scriptis licentia, Ordinarijs Locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cętero impendere audeat, vel præsumat: sed (cùm opus fuerit) pęnitentes ad Superiores, legitimosq; Iudices suos, accedere consulant, sub pęna contrafacientibus, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis itèm audiendi Confessiones, & ad quæcunq; officia, Prælaturas, beneficia in posterùm obtinenda, ipso facto, absq; vlla alia declaratione incurrenda: super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatione, aut absolutio, præterquàm in mortis articulo, possit impartiri. Sanctitas enim sua (quatènus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte, vti cassas, & irritas, haberi de cętero voluit, & vult; non obstantibus quibuscunq;

Præterea nouerint pęnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt, contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusq; roboris, & momenti: & nè Locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit reseruatione, Subditis, aut Confessarijs in animarū salute procurāda cooperatoribus sint onerosi: monentur omnes, vt paucos, eosq; tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumq; sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Dięcesis statu, & qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent: in quorum fidem, &c. Dat. Romæ die 9. mensis Ianuarij anni 1601.

Moderatio præcedentis Decreti, facta per eandem Sacram Congregationem.

CVM autem dubia quædam, ac difficultates, circa eiusdem Decreti interpretationem, atq; obseruationem emersissent, eadem Congregatio, nè vllus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiuè locus relinquatur, & vt clariùs appareat, in quibus casibus, vigore eiusdem Decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio; speciali mandato eiusdem S.D.N. Clementis Papæ VIII. similitèr viuæ vocis Oraculo, super ea re habito, ipsum Decretum ità moderatur, & declarat, videlicèt, Sub eiusdem prohibitione, illos tantùm in posterùm comprehendi casus, qui in Bulla, die Cœnæ Domini legi consuetu continentur: ac prætereà: violationis immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis fęlic. recor. Gregorij Papæ XIII. incipientis ad tollendum.

Inijcientium violentas manus in Clericos, iuxtà Canonem, si quis suadente, &c. 17. q. 4. ac iuris dispositionē, simoniæ realis scientèr cōtractæ, atq; etiam confidentiæ beneficialis: itèm omnes casus, quos Ordinarij Locorum sibi reseruarunt, vel in posterùm reseruabunt: in quibus omnibus, iàm enumeratis casibus dùmtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sac. Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere: ac prætereà declarat, eos quidèm Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus, in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxtà eorū priuilegia, indulta, & facultates, vsu antè idem Decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur tātùm, & non aliàs absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis: alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi: sed nè Locorum Ordinarij, ad quos casuū reseruatio spectat, ea in re modum excedant: eadem Sac. Congregatio, illos rursus magnoperè admonendos censet, vt non passim, sed cùm id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & grauiorum criminum, absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendam cōferat in ędificationem, non autem in destructionem cedat: nè alioquin Sacramenti pęnitentiæ, Ministrorum coarctatu potestate, Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti, contrarius effectus subsequatur: prohibet etiam, nè sibi superfluè reseruent casus in Bulla, die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neq; alios Sedi Apostolicæ specialitèr reseruatos.

Facultatem verò, & licentiam absoluendi à casibus reseruatis, quam in scriptis tantùm concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cęterùm, nè quis Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium, sub prætextu, quòd per primò dictum decretum nō fuerit sufficientèr eorum specialibus priuilegijs derogatum, eidem Decreto, sic, vt præfertur declarato contrauenire audeat, Sanctitas sua Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis

licis omnibus in fauorem quorumcunq; Ordinum, ſeù Inſtitutorum, Regularium, aut Sacerdotum, tàm Sæcularium, quàm Regularium, editis: nec non eorumdem Ordinum, ſeù Inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum Sæcularium, ſeù Regularium Locorum quorumcunque, etiam iuramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis eiſdem Ordinibus, ſeù Inſtitutis, ac etiam Eccleſijs, & Monaſterijs, & Sæcularibus, ſeù Regularibus Locis, aut perſonis ſub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogotoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis: nec non irritantibus, & alijs Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibèt, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clauſulas generales, idem importantes, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quòad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dùmtaxat, ſpecialitèr, & expreſsè derogat; contrarijs quibuscunq; non obſtantibus: Romæ die 26. Nouembris 1602. Alex. Cardin. Florea. Epiſcopus Præneſtin. Hier. Agucchius Secret.

Quia prædicta *Decreta*, & conſimiles Declarationes Sac. Congregat. non derogant priuilegijs Regularium, quòad abſolutionem Religioſorum in foro animæ, ſed tantùm quòad abſolutionem Laicorum, vt plures teſtantur in *d.q.17.* tùm quia, Regulares nõ comprehenduntur ſub Decretis odioſis; niſi expreſsè nominentur; tùm etiam, quia ità, vt dictum eſt ſuprà, *Vrb. VIII. in d. Conſtit.* declarauit.

3 Neq; obſtat aliud *Decretum* eiuſdem Sacræ Congregationis, de mandato *Pauli V.* editum ſub tali tenore verborum.

Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Epiſcoporum, ac Regularium Præpoſitorum nuper accepit, quamplurès Regulares tantũ facultatis, ſeù priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, vt etiam à caſibus Locorum Ordinarijs in eorum Diœceſibus reſeruatis, abſq; alia ipſorum Ordinariorum licentia, pœnitentes abſoluere minimè dubitent, nonnulloſq; alios in decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel Locorum ordinarijs reſeruatis die 9. Ianuarij 1601. fœl. record. Clem. Papæ VIII. iuſſu edito; nec nõ in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente die 26. Nouembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reſeruatas minimè cõprehenſas aſſerere. Vndè fit, vt metus, quo homines à peccando coercentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideò Sacra eadem Congregatio de S.D.N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato viuæ vocis Oraculo deſupèr habito, decretum huiuſmodi, illiuſq; declarationem: ac non cenſuras, & pœnas, in eiſq; contenta, omnia confirmanda, atq; innouãda operæpretium duxit, prout per præſentes confirmat, atq; innouat: ob omnibuſq; Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabilitèr obſeruari: ac inſupèr, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscũq; priuilegijs, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinarijs, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tàm ad forum contentioſum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquàm in mortis articulo, abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat, ſub ijſdem cenſuris, & pœnis, eo ipſo, & abſq; alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in Decreto, & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ 7. Ianuarij anni 1617. Antonius Cardinalis Saulius. V. Theatinus Secretarius.

Quia hoc *Decretum* eſt paritèr intelligendum, ſicut alia ſuprà poſita, nempè edita iuſſu *Clem. VIII.* in ordine ad Sæculares, non autem in ordine ad Regulares, vt ex multis oſtendi in *1.p. tract. 13. de reuocat. priuil. q. 17. nu. 25.* quibus adſtipulantur *Martin. Bonac. tom. 3. de cenſur. Bull. Cœn. diſput. 1. q. 22. punct. 2. nu. 18. verſ. neq; obſtat Decretum Pauli V.* & *Peyr. tom. 3. priuil. Minim. in addit. ad Conſtit. Sixti IV. nu. 38. in fin.*

4 Illud enim *Decretum* fuit editum in declarationem, & confirmationem prædictorum *Decretorum Clem. VIII.* declaratio autem, & confirmatio facta in forma communi, vt eſt iſta, de qua agitur, non eſt noua diſpoſitio, ſed antiquorum iurium ſimplex, & clara explicatio, prout eruditè aduertit *Leonard. Duard. in lib. 3. Bull. Cœn. §. 2. q. 1. nu. 32. ver. nec obſtare videtur,* & *Lezana 2. p. ſumm. cap. 19. nu. 15. in fin. & ver. clauſura, num. 20. in fin.*

5 Etenim, in hoc *Decreto* clarè deciditur, neminè poſſe, prætextu priuilegiorum abſol-

abſoluere à caſibus,& cenſutis Sedi,& Locorum Ordinarijs reſeruatis: Cùm enim in *Decreto Clem. VIII.* nulla mentio fieret de cenſuris,quidam putarunt,non extendi ad cenſuras;ſed ſolos caſus Papæ, & Ordinarijs reſeruatos amplecti; quod dictum hodiè, ob prædictum *Decretum Pauli V.* non poteſt ſine nota temeritatis defendi.

6 Sic paritèr,ob prædicta autumant,dicendum eſſe de *Decreto* eiusdem Sac. Congregat. iuſſu *Vrb. VIII.* ſub hac forma verborum edito.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita,cenſuit per confirmationes priuilegiorũ, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sac. Conc. Trident. obtinuerunt, neququã reuixiſſe priuilegia priùs ab eodem Concilio,ac deindè,etiam ipſius Congregationis decretis ſublata,atq; extincta, ſi quæ habebãt, abſoluendi à caſibus, Ordinario Loci reſeruatis. Quemadmodùm nec indulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proindè Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis,& Inſtituti,etiam neceſſariò exprimendi, nec intrà,nec extrà Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas,vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus,in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis. Ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas,atq; irritas fuiſſe,ac fore. Ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis: ſiquidèm Regulares habẽt à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem,illam extrà Italiam minimè ſublatam fuiſſe ijſdem Sacræ Cõgregationis decretis, hac de re editis iuſſu Sãct. Memor. Clem. VIII.

Quam Sac. Congregat. ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbauit, mandauitq; ab omnibus,ad quos pertinet, inuiolabilitèr obſeruari: Romæ 17. Nouembris 1628. F.A. Cardinalis S. Honuphr. Loco ✝ ſigilli. P. Fagnanus Secretarius.

7 Verùmtamen aduerte, quòd præſens *Decretum* licèt loquatur,de non abſoluendo Sæculares in vim priuilegiorum, & cõfirmationum eorundem; nihilominùs,non vno,& eodem modo à *Doctoribus* declaratur: Sunt enim,qui dicunt,quòd hodiè per præſens *Decretum* derogatum eſt omnibus priuilegijs,ſic adeò,quòd Confeſſores,ſiuè ſint Regulares,ſiuè Sæculares, intrà Italiã non poſſunt abſoluere à caſibus *Bullæ Cœnæ*, & Epiſcopo reſeruatis: nec quidèm ab illis alijs quinq; expreſſis in *Decreto* ſecundo declaratiuo primi *Clem. VIII.* nequè ab alijs quibuſcunquè Sedi Apoſtolicæ reſeruatis;& mouentur ex illis verbis, *ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiquidèm Regulares habeant à Sede Apoſtolica,&c.* Ergò,dicunt ipſi, Confeſſores, tàm Romæ, quàm vbilibèt exiſtentes intrà Italiam, carent facultate abſoluendi pęnitentes.

8 *Bordonus* verò *reſolut. 6. q. 9. nu. 10. in fin.* dicit, quòd prædicta verba *Decreti* non ſunt contrà eum, ſed ſolùm ſignificant facultatem, ſi quam habent Confeſſarij Regulares, extrà Italiam exiſtentes, non eſſe illis ſublatam per *Decreta Clem. VIII.* qui derogauit priuilegijs Confeſſariorum exiſtentium intrà Italiam.

9 *Lezana* autèm in *1. par. ſumm. cap. 19. nu. 16.* tractãdo de dicto *Decreto Vrb. VIII.* inquit,quòd illa verba debent ità intelligi; *ab alijs verò caſibus* (ſcilicèt, præter caſus Bullæ Cęnæ, & reſeruatos Ordinarijs) *& cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, &c.* & *in fin.* ità ſubnectit, *cõprehendũtur Confeſſarij in dicto Decr. Vrbani VIII. tàm Romæ, quàm vbilibet exiſtentes, quantùm ad ea, quæ in prædicto Decreto continentur*: quod eſt dicere, Confeſſores hodiè,nec intrà,nec extrà Italiam poſſe abſoluere à caſibus *Bullæ Cęnæ*, & Loci Ordinario reſeruatis: Quò verò ad alios quinq; in *Decreto Clem. VIII.* expreſſos, Confeſſores extrà Italiam exiſtentes poſſe abſoluere,ſi habeant facultatem abſoluendi; ſecus autem Confeſſores exiſtentes intrà Italiam, etiam ſi habeant facultatem abſoluendi, quod videtur annuere *Barboſ. in cap. 19. de off. & poteſtate Parochi, in fin.* Proindè,remanere priuilegia,quòad alios caſus non comprehenſos in dicto *Decreto Clem. VIII.*

10 Tu autem nullatènus recedas à nouiſſima Declaratione ſuper id facta à Sac. Congregat.& in hac Ciuitate Neapolitana per Eminent. Cardinalem Philamarin. publicata,quam habes in *1. par. tract. 13. de reuocat. priuil. q. 17.* eſt enim authentica,& lex noua cenſetur,per ea, quæ dixi *1. part. tract. 8. de interpretat. q. 4.*

11 Illud deniq; aduertunt, ly *priuilegia Regularium ſemel ſublata, & extincta*, per ſubſequentes confirmationes nequaquam reuiuiſcere,vt dicitur in dicto *Decreto Vrb. VIII.* procedere de confirmatione facta in forma communi: Secus autem ſi fieret ex certa ſcientia,vt conſtat ex deciſis *1. p. tract. 9. de clauſ. clauſula 3. nu. 6. & tract. 11. de confirmat. quæſt. 2.*

Præ-

Prælati Regulares, an valeant in foro animæ, Subditos suos absoluere ab hæresi occulta? Quæst. 18.

1 Affirmatiuè dic, etiam si forent relapsi; vt constat ex dictis priuilegijs, & præcipuè ex illo, Iesuitis concesso à *Gregorio Papa XIII.* quo, anno Domini 1588. 18. Martij, indultum fuit Generali eorundem, vt posset absoluere suos Subditos ab hæresi, & à relapsu in hæresim, habeturq; in *Comp. priuil. d. Societ. ver. absolutio*, §. 7. & refert *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 21. nu. 2.* qui addit, idem etiam concessisse *Greg. IX.* Minoribus de Obseruantia, & alia similia priuilegia refert *Casarub. cod. ver. cit. loc. Rodriq. tom. 1. quæst. 20. ar. 12. & q. 62. ar. 6. & 13. Miranda tom. 2. Manual. quæst. 7. ar. 3. & quæst. 33. ar. 7. Festus in summ. Constit. part. 2. cap. 65.* & *Filiuccius tom. 1. tract. 8. cap. 10. nu. 265.* refert, ità fuisse in Sacra Pœnitentiaria responsum, anno Domini 1617. quibus subscribit *Peyr. tom. 1. in 4. Constitut. Sixti IV. §. 5. num. 20.*

2 Nec dices, quòd *Vrb. VIII.* in *d. Declaratione* excepit hæresim, quia cæteri Romani Pontifices non limitauerunt, & per alios concessa, quoad forum animæ, non video reuocata.

Prælati Regulares, an possint dispensare in irregularitate occulta hæresis? Quæst. 19.

1 Affirmatiuè dic; tùm quia, neq; ex *Bulla Cœnæ*, neq; ex alio Canone apparet, hanc facultatem concessam Prælatis huiusmodi fuisse reuocatam; ergò manutenendi sunt in sua possessione; tùm etiam, quia hi valent, quod, & Episcopi in suos Subditos, sed Episcopi possunt in hoc dispensare, etiam si nõ possent absoluere ab hæresi, prout autumant multi, quos allegat, & sequitur *Barbosa de potestate Episcopi, p. 2. allegat. 39. nu. 4. Diana p. 1. moral. tract. 15. resolut. 15. & p. 7. tract. 2. resolut. 25.* & colligitur ex *cap. saluberrimum 21. 1. q. 7. & cap. liceat 6. Conc. Trid. sess. 24. de reformat.* vbi habes, Episcopos posse absoluere hæreticos ab excommunicatione Papæ reseruata, ad pœnitentiam admittere, & peracta pœnitentia, ad nouos Ordines recipiendos habiles reddere.

SVMMA QVAESTIONVM.

Tract. XII. De Author. Capit. General.



DE AVTHORITATE Capituli Generalis. Tract. XII.

Capitulum Generalissimum in Ordine Prædicatorum, an distinguatur à Capitulo Generali? Qu. 1.

1 RESpondeo, quòd sic; nàm Capitulum Generalissimum nequit conuocari: nisi de expressa voluntate Romani Pontificis, aut ex petitione maioris partis Prouinciarum Ordinis nostri, aut de mandato P. Generalis, cum media parte Prouinciarum; & hoc ex causa vrgente, & necessaria, vt dicitur in *textu cap. 10. dist. 2. de Capitulo Generalissimo, fol. 155. col. 1.*

2 Secundò, quia huiusmodi Capitulum celebrare, spectat ad singulos Prouinciales cuiusuis Prouinciæ dicti Ordinis, nec non ad duos Diffinitores eiusdem, eligendos tamen in Capitulo Prouinciali à pluribus, vltrà medietatem omnium eligentium, iuxtà formam Canonicam, in quos omnes Vocales Capitularitèr Congregati, debent vota sua vnanimitèr transferre, & eisdem potestatē plenariā concedere, vt quidquid ab eis fieri cōtingerit, siuè in constituēdo, siuè in destituendo, mutando, addendo, vel minuendo, de cetero firmū, ac stabile permaneat; ità vt alicui non liceat, cuiusuis sit authoritatis, Capitulo, aliquid eorū immutare, quæ ipsi statuerunt, perpetuis temporibus permansura, vt *ibid. tex. 2.*

3 Proindè, Capitulum Generalissimum vim habet, & facultatem ferendi leges, & præcedentes abrogare, si voluerit; quæ quidèm sic latæ, erunt perpetuæ Constitutiones in Ordine nostro, quæ nec possunt auferri, nec mutari: nisi à consimili Capitulo, vel à tribus Capitulis Generalibus, successiuè, & immediatè tamen celebratis, vt in *cit. loc. tex. 4. & tex. 10. Prolog. tex. 8. in fin. pag. 8. col. 2.*

Capitulum Generale, an habeat potestatem ferendi leges, & statuta in Subditos? Quæst. 2.

1 ET dico, quòd sic; tùm quia, potestas Legislatiua nascitur à iurisdictione ordinaria, & potestate, quam habet Capitulum Generale in Subditos, vt cōstat ex decisis hic suprà *tract. 10. q. 9. & 10.* & docet *D. Thom. 1. 2. q. 90. ar. 3. & 2. 2. Tom. 2. Par. 3. quæst. 91. ar. 2.* & habetur in *l. 1. ff. de Const.* tùm etiam, quia ità concessit *Innoc. VIII. Martinus V. Eug. IV.* & *Leo X.* quorum verba refert *Rodr. tom. 1. q. 41. ar. 2.*

2 Quæ tamen leges, & statuta debent esse secundùm Regulam; aliàs non tenent, vt dictum est suprà, & sic facta, illicò obligant omnes, & censentur confirmata à Sede Apostolica, ex concessione *Iul. 2.* prout docet *Rodr. cit. loc.* & *Peyr. tom. 1. priuil. in Constit. Pyrrhi, nu. 10.* limita tamen hoc, in Familia Dominicana, in qua Capitulum Generale non potest leges ferre; ex speciali statuto expresso in *text. 7. Prolog.* vt multitudo Constitutionū euitetur in dicto Ordine, ibi, *prohibemus, nè de cetero aliquid statuatur: nisi per duo Capitula Generalia cōtinua fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo immediatè subsequenti poterit confirmari, vel deleri:* hæc *ibi.*

3 Quod extenditur ad P. Generalem, prout *ibid.* declaratur in *litt. P. pag. 8. col. 2.* etenim in Ordine prædicto, leges ferre spectat tantū ad Capitulum Generalissimum, vt dicitur in *tex. 4. cap. 10. distin. 2.* & exceptio firmat Regulam in cōtrarium: Capitulum ergò Generalissimum æquipollet tribus Capitulis Generalibus, continuè, & immediatè factis, in *cit. loc. Prol. tex. 7. lit. T.*

4 Vndè statutum, ac decisum per tria Capitula Generalia, & continua, censetur factum per Capitulum Generalissimum.

Capitulum Generale, an possit ad libitum statuere contra ius commune Canonicum? Quæst. 3.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. institutionis nostræ 7. 25. quæst. 2.* ibi, *nec à quoquam Pontificum, in totum, vel in partem, ea, qualibet occasione conuelli decernimus, vel mutari,* & in *cap. quod super his 9. de maior. & obed.* ibi, *dummodò in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obuiet institutis, &c.*

2 Et ratio esse potest, defectus potestatis; nullus enim Inferior habet potestatem destruendi Decreta sui Superioris, & docent *Panorm. in* cit. *cap.* & *Ioan. Andr. in cap. final. de appell. in 6. & cap. final. de off. Archypræsbyt. nu. 7. Nauar. lib. 3. consil. de Regul. consil. 26. nu. 4.* & *Suar. lib. 4. de leg. cap. 5.*

cap.5.nu.5. & colligitur etiam ex *cap.2. de locato*, secùs autem, esset contradicere voluntati Papæ.

3 Hinc, Capitulum Generale non potest leges ferre in rebus, quas sibi Papa specialitèr reseruauit; vt habetur in *cap.1. de translat. Episcop. cap.1. & 2. de reliq. & venerat. Sanct. & cap. vltim. de Relig. domib.*

4 Nec itèm in causis grauioribus, quales sunt, quæ ad nouam fidei declarationem, vel promulgationem pertinent, vel quæ concernunt statum vniuersalis Ecclesiæ, ceù sunt, impedimenta matrimonij, ieiunia mutare, & similia.

5 Nec itèm in ijs, per quæ derogetur priuilegijs, Ecclesiasticis Personis indultis, vel consuetudinibus vniuersalibus, iuxtà *cap. cùm dilectus, de consuet.*

6 Benè verum est, quòd prædictum Capitulum, Constitutiones iuris communis potest declarare, innouare, & vbi pęna deficit, apponere, vel veterem, pro aliqua rationabili causa augere; quia hoc non est, ius commune subuertere; sed illud adiuuare; quod licitum esse, dicitur in *cap.1. de nou. oper. nunciat.*

7 Potest itèm Generale Capitulum, ad correctionem morum, ius commune supplendo, statuta facere præceptoria, prohibitoria, & pęnalia; prout habetur in *cap. prodest 23. q.5.* & eo ipso, quòd sint facta modo prædicto, sunt, & censentur, Apostolica authoritate confirmata per priuilegiũ *Clem. VII.* Congregationi Clericorum Regularium, & *Pauli III.* Societati Iesu concessum: prout notat *Peregr. in 1. p. sui Comp. tit. Constitut.* & *Pyr. tom.1. priuil. Minim. in Constit. Pyrrhi, §.9. fol.* mihi 30.

8 Quod procedit, etiam in iure Diuino, & Naturali, prout colligitur ex *cap. à nobis, il 1. de sent. excomm.* quandoquidèm, nedùm Generale Capitulum, sed etiam solus Generalis, ac itèm Prouincialis potest adiuuare ius commune, & Diuinum, similitèr, & naturale; prout notat *Massobr. in praxi, tract. de Synodo, dub.48.*

9 Verùm, si foret aliquod priuilegium ad statuendum contra ius commune, debet attentè inspici, & practicari; priuilegium enim regulatitèr solet esse contra ius cõmune, vt sępè dico in *tract. de priuil.*

Capitulum Generale, an possit facere praeceptum de re minima, obligans ad mortale? Quæst. 4.

1 Affirmatiuè *Caiet. in summ. ver. præceptum, & 2.2. qu.104. art.4.* quia legum, & præceptorum materia dicitur grauis, vel leuis, non vt in se est considerata, sed relatiuè, & in ordine ad finem legis, cui prodest, vel nocet; multa enim ex se sunt leuia, sed ex circumstantijs redduntur grauia. Nugæ in ore Laicorum, Nugæ sunt, sed in ore Religiosorum sunt Blasphemiæ, ità fractio silentij, aut nihil, aut leue est apud Sæculares, sed in nostra Religione est magnæ considerationis, cui stat pęna taxata in specie, à qua nostri Prælati in specie absoluunt, in absolutione, quæ fieri solet in magnis festiuitatibus, & Capitulis; vbi dicitur, *vos absoluo ab omni transgressione Regulæ, & ab omni pœnitentia oblita, & neglecta, & maximè à pena, quæ debetur propter fractionem silentij*; & ideò, quia silentium in Religiosis ordinatur ad honestatem, quietem, deuotionem, & contemplationem, & meditationem vitæ spiritualis Religiosorum, & sic fractio his opponitur virtutibus, & nimis nocet profectui spirituali, ideòq; potest esse materia grauis in Religiosis.

2 Quod totum probatur exemplo Dei, qui *Genes.2.* in re leui, vti est fructus vnius arboris, sub reatu culpæ mortalis præcepit *Adæ*, nè comederet de ligno scientiæ boni, & mali; quia prædictus fructus, etiam in indiuiduo, etsi, vt in se inspectus, fuisset res leuis: tamen positus in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & ad reprimẽdam hominis elationem, & in tributum humanæ subiectionis ad Deum, erat, & fuit materia grauis, prout notat *Suar. de leg. lib.3. cap.25. num.4.*

Capitulum Generale, an possit præcipere, aut vetare, quæ nunquàm aliàs per legem Diuinam, aut Naturalem fuerunt præcepta, vel vetita? Qu.5.

1 Et dico, quòd sic; tùm quia, ità constat ex vsu, & praxi omnium gentium, & populorum; tùm etiam, quia certum est, Principes, & Supremos Prælatos habere potestatem ferendi leges, pro bono Regimine Subditorum.

2 Benè verum est, quòd hi non possunt vti hac potestate, in præcipiendo, & vetando, contra legem Diuinam, & Naturalem: etenim nullus homo, cuiuscunq; sit status, potest præcipere quidquam per se malum, vel à Deo prohibitum, nec vetare quidquã per se debitũ, vel à Deo iussum: nàm tàm lex Diuina æterna, quã Naturalis, est prorsus necessaria: volo dicere, quòd lex Diuina, aut est præceptiua; & sic pro obiecto suo habet id, quod ex natura rei debitum est, prout est id, quod per se est intrinsecè bonum,

bonum, ceù Deum colere, & honotare parentes: & ista bona sunt adeò de suo genere, & intrinsecè, ex parte rei bona, & debita; quòd non potuissent, non esse debita, & præcepta à Deo; & consequentèr non potuissent, non obligare sub lege.

3 Aut lex Diuina est vetatiua, & prohibitiua; & sic habet respicere pro suo obiecto id, quod per se, & ex natura rei non erat debitum, vt opera mala, quæ ab intrinseco, & ex se ipsis sunt mala, vt Dei odium, mendacium, auriolari, & similia; & sic ex natura rei, debitum est, talia opera non fieri, & ex ipsis petunt vetari, & prohiberi, & impediri.

4 Lex igitur Diuina, respectu prædictorum omnium est necessaria; vndequaquè, siuè sit in mente Dei, siuè in mente hominis: Deus namq; sua æterna, & immutabili cognitione, optimè nouit, quædam opera esse intrinsecè mala, & ex ipsis illicita, & quædam intrinsecè bona, & ex se ipsis debita; sic adeò, vt non potuisset ista, non præcipere, nec itèm illa, non vetare; quia mala sunt ex se; ideò prohibita; & è contra, quia bona ex se sunt, ideò præcepta; & sicut bona huius generis, ad sui exequutionem non indigent præcepto; ità intrinsecè mala, sine vetatione censentur prohibita, & debent vetari.

5 Id ipsum procedit de lege naturali; nàm in mente cuiuscunq; hominis reperitur lumen insitum à natura, quo quilibèt benè agnoscit, quænàm sint per se mala, & consequentèr fugienda; & quæ bona, & cõsequentèr debitè fieri, de qua dicit *Apost. ol. Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr, quæ legis sunt, faciunt, ad Rom. 2.* huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.

6 Proindè, si contingat, Principes quidquam statuere contra legem Dei, aut naturæ, talis iussio non obligat, nec habet rationẽ legis; sed dicitur abusus, & violẽtia.

7 Quamobrèm, satis benè, ac rationabilitèr *Apost. act.* 4. dixerunt, Iudęorum Principatibus, *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum? iudicate*, & *cap. 5. obedire oportet Deo, magisquàm hominibus, & Machab. 7. quem sustinetis? non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est Nob. per Moysen.*

8 Hinc, Martyres contempserunt iussa Principum, & vi præceptorum non potuerunt cogi; quia nullus Inferior obligare potest ad aliquid, quod est contra legem maioris Superioris; vt est Deus, & Natura.

9 Sic igitur, Principes Supremi, & huius generis Prælati, habent potestatem ferẽdi leges, quas tamen nequeunt ferre contra Dei legem, Diuinam, Æternam, & Naturalem; Aut ergò hæc potestas erit inutilis, & frustatoria, aut exercenda circa ea, quæ nunquàm fuerunt præcepta, aut vetita, ceù sunt indifferentia, vt gerere arma, quosdam libros legere, soluere tributum, recitare preces, & similia.

10 Confirmatur, quia lex humana deriuat à lege Diuina, non solùm, quia iubet ea, quæ per modum conclusionis deducũtur ex principijs naturalibus; sed etiam ea, quæ se habent per modum determinationis, prout docet *D. Thom. 1. 2. quæst. 95. ar. 2.* hoc est, ea etiam iubendo, quæ non sunt contra, sed confirmationi, & legi naturali non repugnant.

11 Et secundùm hoc dictamen, humanæ leges nõ paucę iubent eamet, quæ naturali iure anteà iussa erant, & debita, addentes pęnas contra transgressores, quod est aliquando necesse propter bonum regimen Reipublicæ, & legum obseruantiam.

Capitulum Generale, an valeat suis legibus Subditos obligare, ad se publicè accusandum in Capitulis, de eorum defectibus? Quæst. 6.

1 ET dico, quòd non; quia hoc esset se infamare; nemo autem tenetur suam propriam detegere turpitudinem, vt dicitur in *l. 2. §. Diuus, ff. de iure Fisci, cap. si peccaueris 2. quæst. 1. cap. nolo 9. 12. quæst. 1.*

2 Nec quis, ad se infamandum potest aliqua lege astringi; sicut nec, & se ipsum interimere: quandoquidèm vitam, & famam, naturali iure tenemur custodire, & vtramq; defendere ab omni obstaculo, & huiusmodi lex, si fieret, non obligaret; quia crudelis, & intolerabilis esset; non enim possumus, contra ius naturæ aliquid stabilire; etenim ius naturale præualet iuri humano, & positiuo; prout ex multis ostendit *Ioan. Sanchez in selectis, disp. 46. nu. 23.*

3 Hinc collige, Subditũ non posse cogi à suo Prælato ad manifestandum ei sua peccata secreto, extrà Confessionem Sacramẽtalem, *Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 6. ar. 3.*

4 Nec, vt publicet, se esse viris prosapiæ, vel illegitimæ genituræ; quia hoc esset, suam famam denigrare, & contemptibilis fieri, aut impediri ad consequendum honores, & Prælaturas, *Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 4. nu. 18. & Suarez de pœnit. disp. 21. sect. 2. nu. 6.* Nec teneri aliquem, se reum prodere, etiam ad liberandum innocentem, cui delictum à reo commissum imputatur, *Tolet. lib. 4. c. p. 70. nu. 18.* nam Reus, in tali casu nihil positiuè operaretur, ad

mortem innocentis; sed tantùm permissiuè; & vnicuiq; licet mortem alterius permittere, vt propriam vitet, *Sot.d.lib.4. de iustit. quæst.6.art.3. §. secundò præter damna, Auila de censur. 2.par. cap.5. dub.3. concl.9.* & *Nauar.in cap.inter verbera*. Nec tenetur reus se manifestare, etiam si imposita ei foret excommunicatio, de se prodendo, *Suarez de censur.disp.4. sect.5. nu.4. & de legib. lib.5. cap.10. nu.11.*

5 Quod extende ad votum Religiosorum, quorum si quis se obligaret, vel iuraret, se debere accusare de defectibus; non tenetur stare voto facto; quia, vt *Isydor.* docet in *cap.in malis 2. qu.4. in malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum, D.Thom.2.2.q.88.ar.2. Syl.ver.votum 1.q.4. Sot.de iustit.lib.7.q.1.ar.3. ad vlt.* & *Nauar. cap.12. nu.25.*

6 Nec his obstat praxis nostræ Dominicanæ Familiæ, & mos aliorum Religiosorum, qui, & sicut nostrates, se accusant de culpis in Capitulo quotidiano, in quo Rei Fratres humilitèr culpas suas cõfitentur, & petunt veniam; & habetur in nostris *Constit.distin.1. de graui culpa,cap.17. litt.G. col.1.* vbi dicitur, quòd Fratres, de his tenentur se accusare, & pœnitentiam sibi iniunctam facere; quia hæ accusationes fiunt de leuibus, & communibus, quæ famæ non derogant, prout est, frangere silentium, tardè surgere ad matutinum, malè legere, malè inclinare, dare malum exemplum, malè custodire res communes, & similia, quæ potiùs sunt commemorationes oblitarum culparum, quàm accusationes, vel denunciationes, prout docet *D.Thom.2.2. qu.33. art.7. ad 4.* & habetur in eadem nostra *Constit.cit.loc. fol.73.col.3. litt.L.* Secus autem dicendum, de culpis grauibus, vel grauioribus, quæ possent famæ nocere.

Capitulum Generale, an possit cum maiori parte Capituli, Regulam relaxatam ad pristinum statum restituere; sic adeò, vt cæteri tàm professi, illam teneantur obseruare? Qu.7.

1 Posse quidem, Reformãtium tamẽ supposita authoritate, edendi statuta, pro Religionis bono; affirmat *Innoc. in cap.super ea, ver.austeritatem, de Regularibus, & ibi Cardinal.nu.2.quæst.2.* & *Panorm.nu.6. Alberic.in diction.r.ver.Religio 2. §.vlt.* & *Syl.in summ. ver.* similitèr *Religio 6. quæst.6. Armilla num.10. D.Reg. Carol.Tapia in auth.ingressi, ver.ipso ingressu, cap.1. nu.61.C.de Sacrosanct.Eccl.* & multis relatis *Sanchez lib.6. summ.cap.2.nu.35.*

2 Et hoc ideò, quia tàm Capitulum Generale; quàm P.Generalis, ex quo habent authoritatem, & tenentur communi bono Religionis prouidere, possunt Subditos compellere ad id acceptãdum, & prosequendum; & in hoc, quod iubent, vtuntur iure suo; & Subditi tenentur obedire; nàm, qui sua sponte se subiecit Regulæ, & iureiurando promisit, Regulam seruare, quantum est ex se, non debet se opponere Religionis meliori bono, sed debet esse promptus, & paratus, & procurare, vt Regula collapsa reformetur, & reformatam obseruare; quia hæc omnia non sunt contra, nec prætèr Regulam; sed secundùm Regulam, omnia enim necessaria ad Regulæ conseruationem, ceù sunt illa, sine quibus, bonus status Religionis non potest diù conseruari, nec vota essentialia custodiri, pertinent ad Regulam saltèm implicitè, & indirectè, vt docet *D.Thom. quodlib.10. art.10. & in 2.sentent. distin.44. ar.8.* & *ibi Durand.q.4.* & *Caiet.2.2. qu.88. art.8. dubio vltim.* & filius, qui suæ Matris dedecus procuraret, vel eam fineret mori, crudelis esset; nè dicã inimicus: à pari, bonus Religiosus, nè suam Religionem, quam profitetur, videat vilipendi, vel dissolui, omni conatu debet restaurationem procurare, & pati, & obseruare, *Sylu.* & *Tab. ver.Religio, qu.21. nu.22.* secus, nequam, aut sceleratus diceretur, & meritò.

3 Quod tamen limitant *Doctores* in eo, qui tempore professionis non habuit intentionem, ad ampliùs se obligandum, quã ad illã Regulã, sic relaxatã; quia limitata causa, limitatũ producit effectũ, *l.in agris, ff.de acquir.rer.dom. Nauar.lib.3.consil. tit.de Regul.consil.9.* & *Tab.ver.Religio,nu.2.* & eò fortiùs, si de hac sua intentione fuerit expressè protestatus, tempore professionis, *Sanchez cit. loc. nu.39.*

4 Nihilominùs, isthæc limitatio non potest habere locum in Dominicanis; quia Prælatus nostræ Familiæ, Nouitio ad terminũ professionis peruento, expressè protestatur, quòd professio, quam intendit emittere, obligabit ipsum ad tria vota, paupertatis scilicèt, castitatis, & obedientiæ, secundùm Regulam *B.Augustini*, & Institutiones Fratrum Ordinis Prædicatorũ, & non secundùm, quod hodiè hìc, vel ibi seruatur, & quòd statim elapso termino, sibi taxato (nisi contradictum ab ipso, vel à Religione fuerit) incurreret professionẽ, etiam si alitèr non profiteatur, ità planè legitur in *distin.1. de Nouitijs, cap.4.tex.10. fol.59. col.1.*

5 Sed quid, si professus, tempore Regulæ collapsæ, sit ità delicatus, vt vires non ha-

habeat, ad novam Regulæ reformationem obseruandam? dico, quòd cum hoc Prælatus debet dispensare, ità, vt in illa collapsa Religione, quam professus est, permaneat, vel, vt à nouis austeritatibus reformatæ Religionis libetetur; quia in moralibus, vt sæpè dixi, quod est difficile, reputatur impossibile, *Nauar. cit. loc.* & ad impossibile nemo tenetur, *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 25. ar. 5.*

Capitulum Generale, an possit mutare, & variare præcepta, adeò, vt quæ, ex Regula, & primæua Institutione obligāt ad solam pœnam, obligent ad culpā venialem, vel mortalem? Q. 8.

1 NEgatiuè dic, quia nostrum Capitulum Generale, ex defectu authoritatis, nihil potest licitè statuere contra nostrum ius commune, quod est, nostra Regula, & Constitutiones, prout suprà dictum est; tùm etiam, quia hoc præcipere, esset, nedùm suprà, sed expressè cōtra Regulam; prout constat ex *Prol. constit. text. 5. & 6. fol. 6. col. 3. & 4.* vbi Prælatis nostri Ordinis hoc manifestè prohibetur, cum decreto irritante.

2 Vndè, *S. Thom. 2. 2. q. 181. ar. 9.* docet, quòd nostrarum Constitutionum trāsgressio, vel omissio, ex suo genere non obligat ad culpam venialem, nec mortalem; quod intellige, si tale statutū fieret per Capitulum in vniuersum, hoc est, quòad omnes, & omne tempus, secus autem, si fieret, quòad aliquos particulares Fratres, in exemplum aliorum, & correctionem illorum, qui fortè noluerunt obedire, & pro eorundem salute hæc adhibetur medicina: verùm, ob culpam duorum, vel trium non debet tota Religio, vel Conuentus obligari, *Sanchez lib. 6. summ. cap. 2. nu. 46.*

Capitulum Generale, si statuat aliquid illicitum, an statuentes, vel permittentes statui, sint puniendi? Qu. 9.

1 PRofectò, actus factus cōtra legem est nullus, *cap. in nomine Domini, de testibus, & cap. Index,* & *ibi Glos.* & hoc, ex defectu potestatis, & huiusmodi statuentes, non solùm expressè, sed etiam tacitè, qui scilicèt fuerunt præsentes, & omiserunt se opponere, & resistere; sunt puniēdi; quia, qui tacet, affirmat, & taciti, & expressi consensus eadem est virtus; & docet *Innoc. in cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* & *Ioan. de Anan. in cap. veniens, & in cap. dilectus filius, il 2. & ibi Glos. ver. duxerit de præben.* & sic agentes, & consentientes pari pœna puniuntur.

2 Secus autem illi, qui contradixerunt; quia pœna suos tenet auctores, *cap. quæsiuit, de his, quæ fiant à Prælat. & l. sancimus, de pœnis, & l. 1. de Magistrat. conueniend. & cap. Romana, §. Vniuersitatem, in ver. culpabiles, de senten. excomm. in 6.*

Capitulum Generale in Ordine Prædicatorum; an possit ab Officio absoluere Magistrum Ordinis, & deponere? Qu. 10.

1 REspondeo, & dico, quòd sic; seruatis tamen multis, & præcipuè Constitutionibus eiusdem Ordinis, prout constat ex *Bulla*, nobis concessa ab *Innoc. IV.* quæ incipit, *inter alia*, quam extendit *Vfusmaris* in nostro *Bull. fol. 15. lit. B.* ibi, *& tu Magister à Diffinitoribus Capituli Generalis ipsius Ordinis, secundùm Ordinis Constitutiones eiusdem, absolui, & amoueri possis*; & à *Sixto IV. in Bulla*, incip. *Regiminis vniuersalis Ecclesiæ, lit. B.* quod est *Mare Magnum* Prædicatorum, quām *Bullam* per extensum refert idem *Vsusmaris in eod. Bull. pag. 150.* ibi, *& tu Magister, à Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis ipsius, secundùm Ordinis Constitutiones eiusdem, absolui, & amoueri possis, auctoritate Apostolica indulgemus.*

2 *Constitutiones* autem Ordinis, de quibus loquuntur prædicti Rom. Pontifices in cit. *Bullis*, sunt *Decreta cap. 8. de Capitulo Generali, tex. 6. pag. 145. col. 3.* ibi, *Diffinitores itaq; prædicti, quando eis videbitur expedire, excessum Magistri Ordinis seorsum corrigant, & emendent; qui coràm ipsis humiliter se prosternens, veniam faciat, & stans de suis excessibus se accuset, & Diffinitores audiāt accusantem; audito verò accusationibus, sicedat, & eo absente, Diffinitores de eius correctione conferant, & disponant, quòd si præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, aut adeò negligens, & remissus, quòd Ordinis dissolutionem, & destructionem inducat, moneatur à Diffinitoribus, vt Magistratui cedat, & aliquem locum ad manendam sibi eligat, vt possit honestè conuersari; alioquin amouendi eum ab officio Magistratus liberā habeāt facultatē:* hæc ibi.

¶ Dixi, seruatis tamèn multis; quia cum res hæc, sit plusquàm grauissima, & magnæ importantiæ, procedendum est in ea cum magna circumspectione, maturitate, & grauitate, & non nisi, in casu magnæ necessitatis, & tunc cum modestia, & iustitia, non nisi, quin prius multa præcesserint, tā ex parte Capituli, quàm ex parte Magistri.

4 Nām

4 Nàm Primò prærequiritur, vt Capitulum Generale fit legitimè cógregatum, quod tunc euenit, quando conuocatur ab eo, qui de iure, vel consuetudine habet, vt congregare illud possit, & eo deficiente, ab eo, qui debet iuxtà Religionis statuta, vel ex eo, qui ius habet, ex speciali delegatione Domini Papæ, quæ quippè delegatio debet esse nota, & iuridicè manifesta, vel ab eo, qui in Capitulo antiquior est, prout habetur in *cap. statuimus, de maior. & obed.* & *ibi Innoc.* & *Felin.* & alij *Canonistæ in cap. cùm omnes, de Constit.*

5 Secundò, quòd in isto Generali Capitulo debeant esse præsentes Diffinitores, & Prouinciales triginta vnius Prouinciarum, cum Socijs suis, iuxtà *d. capit. text. 1. fol. 143. col. 1.*

6 Tertiò, debet præcedere culpa Magistri Ordinis, non qualiscunquè, sed talis, qualis præscribitur in *tex. 6. cap.* iam dicti, vtputà, *Si P. Generalis præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, aut adcò negligens, & remissus, quòd Ordinis dissolutionem, & destructionem inducat: tunc autem dicitur cótemptor, cùm statuta spernit, & nihil curat de Regula, & Constitutionibus, vt pro nihilo reputet trásgredi illas, & eias volantas renuat subijci Regula, & Constitutionibus; Immò, vt nulla subsistente causa, eas continuè transgrediatur, & habeat firmum propositum, in huiusmodi transgressione perseuerandi: vel si fuerit præuaricator, hoc est, si frequentèr, & quasi ex habitu Regulam, & Constitutiones transgrediatur ssiâ prauaricator dicitur ille, qui præ alijs, plusquàm debeat, legem transgreditur:* hæc ibi in *declar. lit. E. fol. 146. col. 2.*

7 Quæ quidèm culpæ, cum qualitatibus suis debent priùs dictis Diffinitoribus iuridicè constare: qualitas enim dans iurisdictionem, est priùs omninò probanda, & cóstito, pronunciandum in ea; secus autem iurisdictio nunquàm dicetur fundata, vt omnes docent.

8 Quòd autem transgressio Magistri Ordinis sit habitualis, continuata, & excessiua super omnes transgressores Ordinis, moralitèr loquendo existimo, quòd sit impossibile; nàm in vim, & praxim huius Canonis, essent ad Diffinitorum examen, reuocanda omnia delicta, & delinquêtium excessus, tàm præsentium, quàm præteritorum Religiosorum; quibus visis, & examinatis, necessum foret, declaratoria sententia definire, P. N. omnes vincere in peccádo, quod, meo videri, nequit practicari; nã quòd homo peccet, & quòd peccet ex habitu, & quòd peccet super omnes, ità, vt omnes in malitia vincat, & quòd à nemine vincatur, impossibile iudico, vel valdè nimis difficile, quod in moralibus censetur impossibile: quandoquidèm, quod difficile pensatur, pro impossibile habetur.

Quibus *ibidem* additur, *si sit adeò negligens, & remissus, vt Ordinis dissolationem, & destractionem inducat, quod, videlicèt, non hortetur Fratres, verbis, litteris, ordinationibus, & exemplis, ad honestè, Religioseq; viuendum, si defectus non corrigeret, & nullo modo puniret, si nunquàm celebraret, & neq; ad Chorum, & Refectoriam accederet: si autem nihil horam haberet, quamuis, quandoq; Constitutiones transgrederetur (non tamen ex contempta, neq; plusquàm alij) essetq; aliquantulùm negligeas circa Diuina, & ea, quæ ad Communitatem pertinent; non posset à Diffinitoribus deponi:* hæc *ibi col. 3.*

9 Diffinitores ergò non possunt se intromittere quoad alia præsumpta peccata Magistri: nisi an peccet ex contemptu, & plusquàm alij: quoniàm in ceteris carent potestate, vt *ibid.* dicitur, & declaratur.

10 Quarto, horum omnium debet præcedere infamia, vel accusatio, prout habetur in *dict. tex. 6.* per illa verba, *Diffinitores itaq; prædicti, postquàm accusati, &c.* quæ quidèm infamia debet habere originem, non ab inimicis, vel maleuolis, sed à fide dignis, vt expressè dicitur in *cap. qualitèr, & quando, il 2. §. ad corrigendos, & cap. inquisitionis, & cap. 2. de accusat. in 6. Iul. Clar. in §. final. quæst. 7. ver. sciendum, & ver. itèm quæro,* & *Sot. de secret. membr. 2. quæst. 6. conclus. 1. dub. 3.*

11 Quintò, debet præcedere correptio fraterna, vt in *d. tex. 6.*

12 Sextò, huic Diffinitorum iudicio Magister Ordinis debet esse præsens, & audiri in suis defensionibus, & excusationibus, per illa verba, *excessum Magistri Ordinis seorsum corrigant, & emendent, qui coràm ipsis humilitèr se prosternens, veniam faciat, & stans, de suis excessibus, se accuset, & Diffinitores audiant accusantem: auditis verò accusationibus secedat, & eo abiête, Diffinitores de eius correctione consultêt, & disponant, &c.* Quæ omnia referuntur ad realem, & veram præsentiã, & formam præscribunt huic actui, & actus factus contra formam, non potest sustineri: nàm sicut forma naturalis dat esse rei naturali, ità forma in moralibus dat esse contractui, & deficiente forma, deficit formatum.

13 Septimò, debentur ei defensiones de iure Naturali, Diuino, Canonico, & Ciuili, quàpropter, nec per Summum Principem possunt auferri; etiam in notorijs, quia multa iudicantur notoria, quæ non sunt, vndè etiam Diabolo debentur, per ea plura, quæ docet, & colligit *Aret. in praxi, cap. 1.*

cap. 1. de defensionibus, & *Abbas in cap. 1. cùm contingat, de foro compet. nu. 27.* & contra ius naturale nihil possumus statuere, & dictæ defensiones debentur, etiam si iudicium fiat simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura iudicij, quia in nullo iudicio, etiam summarissimo, defensiones omittuntur; quia, vt sepè dixi, computantur inter essentialia, sine quibus non potest iudicium subsistere, vt dicitur in *l. Iulianus, §. si quis rem, ff. ad exhib.* prout notat *Megal. in praxi, cap. 15. num. 9. fol. 390.*

14 Vndè fit, vt etiam in causa Hæreticorum debeantur, & iura, & leges clamant, quòd contra inauditam partem nihil rectè potest in iudicio diffiniri, & sententia lata contra partem nõ citatam, vel inauditam, est contra ius naturæ, & ita Pontificiam authoritatem excedit, vt constat ex *cap. 1. de caus. possess. in 6.* & *Clem. 2. de senten. & re iudic. §. ceterùm, ver. nec prædicta*, de qua re latè *Meroll. tom. 2. disput. 4. cap. 4. num. 94.*

15 Octauò, est omninò aduertendum, an illa pars, quæ sotis egreditur, siue sit maior, siue minor, protestata fuerit, non esse ad talé actum, vel ad aliud quid procedẽdum: vel si appellatio, ac protestatio non fuerit admissa; nam quidquid post protestationem, vel appellationem fuerit admissum, nullum erit, nullumq; producit effectum; prout expresse habetur in *cap. gratum, de postulat. Prel. & cap. cùm nobis olim, & cap. bonæ memoriæ, de elect.*

16 Quo casu, quod fit ab alijs, etiam si sit minor pars, sustinetur, & valet; quia quando maior pars Capituli delinquit; ius reuoluitur ad pauciores; quod tene menti; est enim singulare; & frequens in vsu.

17 Nec obijcies, quòd in *d. Capitulis* dicitur, quod fit ab alijs, etiam si fit minor pars, sustinetur, & valet; tùm quia *ibid.* sermo est de electione, & non de depositione; tùm etiam, quia id procedit, quando maior pars Capituli delinquit, ius reuoluitur ad pauciores, quod non facit ad casum nostrum, cùm integrum sit vnicuiq; appellare, & per appellationem ligantur manus Iudicum; ità, vt ad vlteriora non sit procedendum.

18 Nonò, aduertendũ est, quòd aut omnes, aut saltèm duæ partes omniũ Prouinciarum, quæ de iure habent vocem, debent huic actui interuenire, secus acta non valent; nam pars maior existentium in Capitulo, ad tàm vrgens, & graue negotium non sufficit: nisi absorbeat, & in se contineat duas partes Vocalium totius Ordinis, & Prouinciarum; vt suprà dictum est, & hoc ideò, quia gubernium, fama, & honor P. Reuerendissimi Generalis, aut spectant ad solam Vniuersitatem, & Communitatem totius Religionis, aut ad singulares Fratres eiusdem Ordinis; si primo modo; ergò duæ partes totius Ordinis debent interesse, iuxtà *l. 4. maior, ff. ad municipal. & l. obseruare, C. de Decurionibus, lib. 10. & l. omnes Populi, ff. de iust. & iur.* quia duæ partes, totam Vniuersitatem repræsentant, *l. nulli, & l. planè, ff. quod cuiusq; Vniuersit. l. 3. C. de decret. ab ordine faciend.* & docet *Abbas in d. cap. cùm in cunctis, n. 16. Decius in cap. cùm omnes, nu. 51. de Constit.* & alij plures, quos suprà citaui *q. 7.*

19 Aut secundo modo, & sic debent singuli cõuenire; quia quando aliquid est cõmune pluribus, non, vt collegiatis; sed, vt singulis: tunc oportet singulos consentire, *ff. de seruit. rust. præd. l. fundum, d. l. 4. maior, ad municip.* & *Glos. in dict. cap. cùm omnes*, & *Sylu. ver. Capit. nu. 1. in 1. fallentia, Bald. in authen. si omnes, ad finem, C. si minor ab hæred. abstin.* & procedit de communi, *Megal. in promptuario, ver. Capit. nu. 1. & 2.* & in praxi non est recedendum à communi sententia *Doctorum*, præsertim in re tàm graui, & scandalosa; & Iudices in iudicando debent sequi opinionem communem; eò magis, si sit iuri, & rationi congrua, prout ista, de qua agitur, quæ multiplici iure cauetur, & Doctoribus non paucis fulta censetur, *Megal. vbi suprà, in 2. requisito cap. in fin.*

20 Secus esset illis subscribere, qui dicunt, licere duobus, vel tribus vnitis, communem Patrem occidere, aut inuerecundè, temerariè, & iniustè Parentem sepelire: Mors enim, & depositio ab officio æquipollent in moralibus.

21 Neqhis obstant illa verba, posita in *text. 1. in fin. Cap. generalis, fol. 143.* vbi planè dicitur, *quòd si ad Capitulum aliquo casu præpediti non omnes venerint, illi, quos ex illis venire contigerit, cum Magistro omnia pertractabunt*; nàm non faciunt ad casum nostrum; quia aliud est, eligere Prælatum, & aliud est, electum, & confirmatum ab officio remouere; & quidèm potest Episcopus solus, Clericum facere, & hominem tonsurare, sed non sic poterit, illum exclericare, & à Clericatu deponere: hæc námq; sunt diuersa, & à diuersis non fit illatio, & aliud est, cũ Magistro omnia diffinire, & aliud, Magistrum deponere, vt patet de se.

22 Decimò, aduertendum est, quòd in Ordine nostro, Prælati, ex peculiari statuto nequeunt, quem ad penam grauioris culpæ, aut carceris condemnare, nisi in iudicio confessum, vel conuictum, & in scrip-

ris;

ris; & si secus factum fuerit, totum erit irritum, & inane, ità in *Prolog. Constit.*

23 Hoc autem iudicium, in nostro Ordine, ad minus fieri debet per P. Prouincialem cum suo Diffinitorio, vel cum quatuor Patribus Prouinciæ, aut qui fuerunt aliquando Diffinitores Prouincialis Capituli, prout habetur in *distin. 1. cap. 18. de grauiori culpa, fol. 80. col. 3. ver. item declaramus.*

24 Exindè infero, si culpa grauior leuium Religiosorum indiget consilio, ad minus quinq; grauissimorum Iudicum, & Discretorum, quid dicẽdum de culpa examinanda in casu nostro?

25 Ex quibus clarè apparet, quòd in casu posito, Primò præreqiritur, vt Capitulum Generale sit legitimè congregatum; Secundò, in dicto Capitulo debent esse præsentes, aut omnes, aut saltèm duæ partes omnium Prouinciarum; Tertiò, debet præcedere culpa Magistri, cum qualitatibus suis; Quartò, debent ad talem actum præcedere defensiones, quæ debentur de iure naturæ, & Quintò, abstinendum à iudicio, si præcesserit aliqua protestatio.

Quapropter, graue, & enorme peccatum peccaret Capitulum Generale, si secus Magistrum Ordinis deponeret, aut aliàs indicaret; & sic finit Pars Tertia Praxis, ad Gloriam Omnipotentis Dei, & honorem S. Petri Martyris, S. Antonini, S. Hyacinthi, S. Raymundi, B. Ludouici Bertrandi, B. Alberti Magni, B. Ambrosij Sansedonij, B. Iacobi Salom. B. Augustini Cazocti Episcopi Lucerini, B. Matthæi Mantuani, B. Consalui Amarant. B. Ægidij Lusitani, Beati Petri Consalui Telmi, Beati Ceslai Fratris Germani S. Hyacinthi, & aliorum Ordinis nostri; censura tamen Ecclesiæ semper salua.

Finis Tertiæ Partis.

Errata	sic	Corrigito
Fol. 67. col. 2. ver. 13.	probriorem	probiorem
Ibid. col. 2. ver. 15.	conscientiæ	conscientia.
Fol. 70. col. 2. ver. 18.	*maios*	*maior.*
Fol. 90. col. 2. ver. 51.	ico	dico.
Fol. 91. col. 2. ver. 19.	excommuninatus	excommunicatus.
Fol. 113. col. 2. ver. 53.	cormpta	corrupta.
Fol. 114. col. 2. ver. 60.	susciprendum	suscipiendum.
Fol. 120. col. 1. ver. 55.	conditine	conditione.
Fol. 122. col. 1. ver. 16.	diffiniri	diffinire.
Ibid. col. 2. ver. 3.	*Connentu*	*Conuentu.*
Fol. 146. col. 1. ver. 3.	oblatum	ablatum.
Fol. 158. col. 2. ver. 31.	*quòd sit*	*quid sit.*
Fol. 164. col. 1. ver. 13.	*Prælatus*	*Prælati.*
Ibid. col. 2. ver. 11.	præsnmptione	præsumptione.
Fol. 174. col. 1. ver. 56.	proptio	proprio.
Fol. 176. col. 2. ver. 10.	delori	deleri.
Fol. 177. col. 2. ver. 42.	ptocedete	procedere.
Fol. 185. col. 1. ver. 3.	Prælalus	Prælatus.
Fol. 187. col. 1. ver. 60.	*censuas*	*censuras.*
Fol. 188. col. 1. ver. 45.	*secum ipse*	*secum ipso.*
Fol. 189. col. 1. ver. 16.	*auctoritote*	*auctoritate.*
Fol. 190. col. 1. ver. 23.	non sic	non sit.

Cœtera verò, aut minima, aut leuiora sunt, quæ de se Lector poterit corrigere.
Index rerum in hac Tertia Patte contentarum, habetur in fine quartæ, ad Legentium maiorem commoditatem.

INDEX TRACTATVVM

Et Quæſtionum, quæ in hac quarta Parte continentur:

§ 2. Mo-

18. An,

TRACT. VI. *De Priuilegijs Nouitiorum. fol. 76.*

TRACT. VII. *De Bonis Nouitiorum.* *fol.* 95.

TRACT. VIII. *De Domibus Nouitiorum. fol.109.*

TRACT. IX. *De Nouitiatu Receptorum. fol.129.*

2. No-

TRACT. X. *De Professione solemni fol. 144.*

TRACT. XI. *De Professione nulla.fol.156.*

li-

TRACT. XII. *De Reclamatione Professionis nullæ. fol.176.*

TRA-

Index Tractatuum, & Quæstionum.

TRACT. XIII. *De Oblatis Religiosorum. fol. 188.*

TRACT. XIV. *De Conuersis fol. 206.*

11. An

Index Tractatuum, & Quæstionum.

F I N I S.

DE RECIPIENDIS AD HABITVM RELIGIOSORVM, PRAXIS RESOLVTORIA.

In qua citò, tutè, ac iucundè sub diuersis Tractatibus deciduntur omnes ferè Quæstiones.

De
- Recipiendis ad habitum.
- Bullis, & Decretis Recipiendorum.
- Qualitatibus Recipiendorum.
- Informationibus, & Examinatoribus Recipiendorum.
- Magistris Nouitiorum.
- Priuilegijs Nouitiorum.
- Bonis Nouitiorum.
- Domibus Nouitiorum.

De
- Nouitiatu Receptorum.
- Professione solemni.
- Professione nulla.
- Reclamatione Professionis nullæ.
- Oblatis Religiosorum.
- Conuersis eorundem.
- Tertiarijs intrà septa.
- Tertiarijs extrà septa.
- Sororibus in sæculo.

TOMI SECVNDI PARS QVARTA.

AVTHORE

AD.M R.DO P. F. HYACINTHO DONATO LAYNENSI

Sac. Theol. Magistro, & Vtriusq; Iuris Doctore, olim Regente in Generàli Studio S. Dominici Ciuitatis Cosentiæ, longèq; diùq; Prouinciali vtriusq; Prouinciȩ Calabriȩ, Ord.S Prædicatorum.



DE RECIPIENDIS
Ad Habitum Religiosorum. Tract.I.

Vndè dicantur Nouitij,& quomodò distinguantur à Professis? Quæst.1.

1 DEI gratia,& auxilio mei Doctoris D.Thomæ aggredior tractare de Nouitijs, quod est magnum, & arduum Religiosorū negotium: ex his nàmquè, totale Religionis bonum, aut omne malum: hi quippe sunt Religionum semina; infecto semine, quid indè, nisi scabies, & lepra?

2 Hi sunt noui Palmites,Dei vineam nouellantes; quandoquidèm ex eo dicuntur Nouitij, quia nouitèr susceperunt Religionis habitum; ad experiendum in ea, Regularium austeritates.

3 Dico, habitum Religionis, & non Professionis; quia in multis; aut saltèm quòad benedictionem, habitus Professorum,distinguitur ab habitu Nouitiorum.

4 Vndè,in meo Ordine, Nouitijs datur habitus non benedictus; secus autem Professis; in Nobis enim Nouitiorum, & Professorum est vnus, & idem habitus, sola benedictione distinctus.

5 Sed heù, heù, sępè vidi semina, diù selecta,

selecta, degenerare tamen, & nouitias vites fecisse labruscas; quia quales Palmites, tale Vinum, & quæ vetere sarmento panguntur, tardiùs conualescunt, teste *Columella lib.3.*

Quos ideò, & crebrò Romani Pontifices, ac Eminentiss. Patres dolent, & lamentantur; vt est videre in eorum tot *Decretis*, quæ hic pono, & infrà habes.

Quinàm Prælati possint Nouitios ad habitum recipere? Quæst. 2.

1 DE iure communi, recipere ad habitum Regularem pertinet ad Prælatum, & Conuentum simul, ità, quòd nec Conuentus sine Abbate, nequè Abbas sine Conuentu potest ad Religionem aliquem recipere, vt habetur expresè in *cap. nouit 4. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli*, ibi, *Innotuit siquidèm auribus nostris, quòd tu sine consilio Fratrum tuorum, Abbates, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis; ideòq; id authoritate Apostolica prohibemus, & tales institutiones, & destitutiones carere robore firmitatis decernimus, & declaramus:* hæc *ibi.*

Id ipsum habes in *cap. subsequenti* immediatè *eod. tit.* ibi, *Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs in concessionibus, & confirmationibus, & alijs Ecclesiæ tuæ negotijs, Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & euellenda dissipes, & euellas.*

Idem habes in *cap. 6. eod. tit.* ibi, *fiant de Collegiorum assensu; sine quo non obtinet firmitatem:* & magis expresè habetur in *Decretis 16. q. 7. cap. final.* ibi, *Congregatio*, quod est ex Conc. Toletano, vbi dicitur, *quod Abbas non potest Monachos creare, sine consensu suorum Fratrum.*

2 Quod procedit in omni graui negotio Ecclesiæ, quorum vnum est, receptio ad Habitum, vel ad Professionem, nè dicam omnium maximum, & importantissimum, *Nauar. lib. 3. consil. de Regul. consil. 62. num. 3. & 4. & in comment. 4. de Regul. super cap. statuimus, nu. 74.* & *Miranda* latè in *tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 15. 2. conclus.*

3 Verùm, regularitèr in hac re debent attendi consuetudines, & priuilegia cuiuscumq; Religionis, prout apertè habetur in *cap. final. de regul. in 6.* ibi, *si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto, nequibit nouus Monachus à Conuentu creari, aliàs poterit, si eorum creatio spectat ad vtrumque insimul:* hæc *ibi.*

4 Quo in loco *Glos.* examinans priora verba, dicit, quòd ad solum Abbatem potest pertinere creatio, seù receptio Monachorum: ex consuetudine præscripta, vel priuilegio: nàm de iure, vt dictum est, pertinet insimul ad vtrumquè, & docet *Panor. in cap. ad Apostolicam, de Regul.*

5 De consuetudine autem, & speciali iure, non solùm Generales Ordinum, & Prouinciales; verùm etiam, & ferè omnes alij Prælati immediatè Conuentuum designatorum, de consilio, & consensu Capituli habent facultatem recipiendi Nouitios, ad proprias eorum Religiones, *Miranda*, & *Nauar.* cit. *loc.* & noster *Turrecremata in cap. final. 16. q. 7.* & colligitur ex *cap. cùm Ecclesia Vulterana, de elect.* vbi Dominus Papa declarat, nullam iniuriam fecisse Canonicos cuidam Episcopo; eò, quòd noluerunt recipere quosdam Canonicos, ab eodem solo creatos: ea ratione, quia hoc pertinebat ad Conuentum etiam, seù Capitulum insimul; qui enim iure suo vtitur, nemini facit iniuriam.

6 In Ordine Minorum, receptio Nouitiorum de Consuetudine, Regula, & Priuilegio pertinet ad solos Ministros Generales, & Prouinciales; prout latè ostendit *Miranda* in cit. *loc. concl. 4.* & *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. q. 9. art. 1.*

7 In Ordine Minimorum, spectat ad Generalē, Vigiles, Prouinciales, & ad alios, ab eisdem deputatos, vt in *Regul. num. 2, in correct. nu. 16.* & ostendit *Laur. Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. nu. 24.*

8 In Ordine Prædicatorum, pertinet ad Supremos Prælatos ex priuilegio *Honorij III.* qui primò, Dei nutu, nostram confirmauit Regulam, ibi, *liceat quoq; vobis, Clericos, vel Laicos, liberos, & absolutos à sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & absq; contradictione retinere.*

9 *Gregorius IX.* qui successit dicto *Honorio*, sub anno Domini 1227. Magistro Ordinis, & Prioribus Ordinis supponens, posse recipere ad habitum, concessit potestatem absoluendi ab excommunicationibus, ibi, *auctoritate Apostolica vobis indulgemus, vt si contigerit, aliquos vestri Ordinis, Religionem intrare volentes; in canonem latæ sententiæ incidiße; nè pium eorum propositum possit vllatènus impediri, si eos ad Sedem Apostolicam laborare oporteat, eis absolutionis officium impendatis.*

Id ipsum idem Pontifex alia sua *Constit.* incip. *Non solùm in fauorem conuersi, &c.* ibi, *nè ad susceptionem vestri Ordinis antè professionem aliquem obligare, &c. vt in Bullar. Vjusmaris fol. 14.*

10 Quibus addo *Statutum* nostræ *Regulæ distin. 1. de recipiendis, cap. 13. tex. 3.* ibi,

nullus recipitur in Fratrem Clericum ad probationem, vel professionem, nisi à Priori Prouinciali, vel ab eo, cui super hoc dederit licentiam specialem; vel à Priori Conuentuali cum assensu totius, vel maioris partis Capituli.

Conuersum autem nō recipiat Prior Prouincialis, nec aliquis de eius licentia: nisi de cōsensu Prioris, & duarum partium Fratrum, qui sunt de Cōuentu, pro quo fuerit induendus.

. Nec Conuentus aliquis recipiat Conuersum sine licentia Prioris illius.

11 Proindè, Supprior, vel Vicarius Prioris in eius absentia non possunt recipere Fratrem ad Ordinem, nisi ex commissione speciali, & expressè sibi facta per Priorem Prouincialem, vel Magistrum Ordinis: Nec Priores possunt hoc committere eisdem Vicarijs, vel Supprioribus, sine licentia Prouincialis, & contrafacientes, in penam, ab officijs absoluuntur.

12 Mortuo tamen, vel amoto Priore, cū Supprior vices Prioris in omnibus plenariè gerat, ex nostris Cōstitutionibus; poterit Fratres ad Ordinem, vel ad Professionem recipere; prout *ibid.* declaratur, & notat *Pater Petrus Martyr Festus in summ.* nostrarum *Constit.par.2.cap.2.de his, qui possunt ad habitum recipere.*

13 Quod quidèm *Statutum* nostræ *Regulæ* valdè nimis correspondet iuri communi, vt ex allegatis patet; etenim de iure communi Patres Generales Ordinum habent authoritatem ad recipiendum, & incorporandum Fratres in Religionibus, & Prouinciales in Prouincijs sibi commissis, de consensu tamen Capituli.

14 Quorum facultas non est extincta, sed limitata per multa *Decreta* Sac.Congregationis, & Constitutiones Romanorum Pontificum.

Immò, confirmata per *Gregorium XIV.* sua *Constit.* incip. *Circumspecta Romani Pontificis prouidentia*, quā habes infrà *de qualit. recipiendorū.ibi, certum cùm acceperimus, etc.*

An Prælati Regulares potestatem, quam habent recipiendi Nouitios ad habitum, possint alteri committere? Q.3.

1 AFfirmatiuè respōdeo; nàm quod competit de iure communi, potest alteri committi, & iniungi; Generales Ordinum, ac Prouinciales in eorum Prouincijs, de iure communi habent talem authoritatem, quia hoc eis competit ratione officij, & eo durante, durat. Hinc in cit. *loc.* nostrarum *Constitutionum* expressè dicitur, *vel ab eo, cui super hoc dederit specialem licentiam, seruatis tamen alijs seruandis;* quod itèm colligitur ex multis *Bullis* Summorum Pontificum.

2 Priores autem nostri Ordinis non possunt id suis Supprioribus, vel Vicarijs committere, ex speciali statuto, prout declaratur in dicto *cap.13.de recipiendis, f.43. lit.H. Rodriq.tom.3.QQ.RR. q.10. ar.2. ver. tertiò est notandum.*

Si Prælatus recipiat ad habitum sine consilio, & consensu Capituli; an sit valida talis receptio? Quæst.4.

1 PRætermissis disputationibus, dico, quod Prælatus non debet hoc facere: quod si fecerit, potest puniri, & factum nō tenet; prout latè probat *Nauar. consil.lib.3.con.62.* in antiq. *de Regularibus, & de Constit.* in nou. *cons.9.& in comment. 4.de Regul.super cap.statuimus, num.74. Miranda tom.1. Manual.Prælat.q.15.art.2.* vbi latè, *Suarez tom.3.de Relig.lib.5. c.10.nu.19. Sorbus in Comp. verb.Nouit. de receptione Nouit.ad habitum,* & longè priùs *Cardinalis Ioan.Turrecremat.* nostræ Familię in *Decretis p.2.causa 16. qu.7. cap.final.* vbi, citatis aliorū sententijs docet negatiuam, ex *tex.* ibi, *ipse autem* (supple Abbas) *non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis, sine voluntate Fratrum.*

2 Igitur, ex defectu potestatis corruit actus, non enim valet, quod ab aliquo fit, quando id ab eo fieri non potest, sine consensu alterius, *l.Titium, in principio, ff.de admin. tut.*, etenim causa totalis dandi habitum, coalescit ex authoritate Prælati, & consensu Capituli, quorum vno deficiente, non sustinetur effectus.

Et magis apertè deciditur in *d.c.nouit, de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli,* ibi, *Nos tales institutiones, & destitutiones robore firmitatis carere decernimus; quia facta fuerant sine consensu Capituli.*

Et in sequenti *cap.quanto, & cap.cænoscitur, eod.tit.* id ipsum in consimili facto replicatur, & *Glos.* subiungit, quòd tales institutiones ipso iure sūt nullæ, ex quo factæ sunt contra ius, quod irritat, & annullat contrarium factū, *leg.non dubium, C.de legib.*

3 Et hoc ideò; quia tàm in Receptione, quàm in Professione necessariò debent duæ personæ concurrere, quarum altera se obliget Religioni, experiri velle austeritates, vel perpetuo remanere: & altera, vt Religionem obliget, Nouitium alere, iuxtà Religiosorum statum; continet enim, tàm Receptio, quàm Professio, obligationem mutuam, & reciprocam, intrantis scilicèt, vel facientis professionem, & recipientis eam,

iuxtà

iuxtà *cap. ad Apostolicam, de Regul.* vbi fit mentio huius mutuæ, & reciprocæ obligationis, quod est iuri, & rationi consonum, *Miranda*, & *Nauar. cit. loc.*

4 Quod maximè procedit in nostra Familia, in qua Prælatus tenetur consulere, expectare, & sequi Capitulum, vt ex *Constit.* & notat *Tabiena ver. Nouit. nu. 8.*

5 Proindè, Nouitius indutus sine consensu Capituli, potest à quocunq; Superiore, absque vlla iniuria, tali habitu spoliari, iuxtà *cap. cùm Ecclesia Vulterana, de elect.*

6 Nisi vel tacitè, non contradicendo, in illum consentiret Capitulum, vel eius maior pars, prout docet *Innoc. in cap. in Genesi, de elect. nu. 5.* vel nisi talis esset Religionis vsus, aut cõsuetudo legitimè præscripta, iuxtà *cap. si ad solum Abbatem*, quod est *vltimum, de Regularibus, in 6.* vbi dicitur cũ *Glos.* quòd standum est consuetudini.

7 Quod procedit etiam in Nouitio admisso ab aliquo nõ habente authoritatem; nàm iste pariter potest à quouis spoliari: nisi fortè legitimus Superior talem receptionem ratam habeat.

8 Verùm, in tali casu habitus receptio, seu Nouitiatus inciperet currere à tempore ratihabitionis habitus; secùs autem probationis annus non foret legitimus, *Rosella verb. Nouitius, nu. 25.* & latè *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 17. ar. 2. 3. & 12.* vide *Constitut. Greg. XIV.* quæ incip. *Circumspecta Romani Pontificis Prouidentia*; quam habes infrà in *tract. subsequenti, de qualit. Recipiend.* ibi, *certum cùm acceperimus*.

An Capitulum, contradicente Prælato, vel sine eius licentia, possit, quem ad habitum admittere? Quæst. 5.

1 NOn posse dico, per ea multa, quæ suprà immediatè notaui; tùm quia, facultas recipiendi ad habitum præcipuè residet apud Prælatum Ordinis, in quem quis petit admitti; tùm etiam, quia consensus Prælati, & Capituli debet esse indiuiduus.

2 Et id in meo Ordine expressè habetur in *d. tex. 3.* ibi, *nullus recipiatur sine licentia Prouincialis, vel eius, cui fuit hoc specialitèr commissum*: est enim hæc potestas delegabilis, vt dixi suprà, *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 10. ar. 2. ver. tertiò est not.* quod totum intellige, iuxtà *cap. finale, de Regul. in 6.* ibi, *si ad solum Abbatem*, & notata per *Glos. ibid.*

An sine iusta, & rationabili causa liceat, petenti habitum denegare? Q. 6.

1 REspondeo, non licere; nàm præsuppositis requisitis, tàm ex parte Religionis, quàm ex parte ipsius petentis, in Religionem admitti, nascitur naturalis obligatio, qua omnes tenemur vnicuiq; benefacere, & iusta petenti nihil denegare; est enim Religio quoddam commune bonũ, quo nullus debet sine causa priuari.

2 Iusta autem causa non recipiendi Nouitium, potest esse multiplex ex parte Conuentus; vtputà, si non habeat redditus sufficientes, vel commoditatem temporalem ad alendũ pro illo tempore, vel si multi vnà simul habitum petant, & Monasterium non posset omnes vnanimitèr recipere; tunc erit in potestate Prælati, hunc, vel illum dimittere, *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 10. nu. 28.*

Quo ætatis anno quis possit in Religionem admitti? Qu. 7.

1. REspondeo, quòd antè tempus pubertatis nullus propriè potest esse Nouitius, *Syl. in summ. verb. Religio 5. q. 1.* & *Angelus verb. Nouit. nu. 1.*

2 Et habetur expressè in *Decretis in causa 20. qu. 2. cap. si in qualibet minori ætate, & cap. puella*, quod ad illud subsequitur immediatè, & *cap. cùm simus, & cap. ad nostram 12. de Regularibus*; Pubertas autem in masculis incipit post annum decimum quartum completum, & in fœminis post duodecimum: Vndè masculus, inchoante anno decimoquinto, potest de iure ingredi, & fœmina esse Monialis, inchoante tertiodecimo: quia, ad hoc, vt quis fit verus Religiosus, vel habitum Religionis suscipiat, debet esse doli capax, & pubes, vt dicitur in præcit. *Capitulis.*

3 Perindè, etsi antè annos pubertatis quis posset offerri à Parentibus, vel aliàs suscipere habitum: non tamen propriè diceretur Nouitius; quia, vt dixi, habitus Religionis datur Nouitijs ad experiendum Religionis austeritates: Minor autem quatuordecim annis non potest experiri, quid sit castitas, aut carnis stimulus; nec in hoc malitia supplet ætatem.

4 Hinc, in nostris *Constit. text. 9. de Nouit. cap. 14.* benè dicitur: *Vltrà hæc autem, è paruuli recepti ad habitum inueniantur se potiùs natos sub iugo Religionis, quàm illud elegisse, euitentur q; inconuenientia multa, statuimus, vt ei, cui antè quintumdecimum annum,* Reli-

Religionis habitus datus est, nunquàm elabatur annus probationis (quantocunq; decurrente temporis spatio) nisi vocatus post annum sextũ decimum expletum, à Prælato, in Capitulo coràm Conuentu, terminum ad minus trium mẽsium acceperit ad deliberandum, an profiteri velit; ità, quòd annus probationis cum taxato illo termino terminetur, ac per hoc ex tunc incurratur professio tacita: hæc ibi, *fol.58.col.3.*

5 Et propter eandem rationem Mentecapti, Amentes, & Furiosi non possunt ad Nouitiatum admitti; qui nullo modo possunt profiteri, etiam si per centum annos in Religione manserint, etsi de facto profiteantur, eorum professio erit nulla, & irrita, etenim non possunt profiteri, nec matrimonium contrahere, quia ad validitatem vtriusquè, est omninò necessaria libera, & absoluta voluntas, quæ abest suprà dictis.

6 Sed pone, quòd Amens per multum temporis in Religione steterit, & quòd posteà per miraculum ad mentem venerit, & petat professionem facere; an sit admittendus, ità vt præterita tempora suffragentur ei? Negatiuè respondeo, etiam si ratam habere vellet primam receptionem; quia ille actus suscipiendi habitum, ex intrinseca ratione repugnabat ei ob dementiam, quæ Amẽtem facit incapacem; vndè ex incapacitate personæ est nulla omninò, sic adeò, vt nequaquàm possit in illo Nouitiatus fundari, ob defectum rationis; quia actus à principio nullus, per subsequens tẽpus non validatur, vt dicitur *in 6. de Regul. iur. Regula 18. Abbas in cap. sicut tenor, il 1. de Regul. nu. 1. Sylu.* cit. *loc. quæst. 2. Angel.* cit. *loc.* §.8. & longè priùs *D. Thom. 2.2. quæst. 189. art. 5. in corp.* vbi multa paritèr citat iura.

Iuuenes impuberes, si suscipiant Religionis habitum, sine Parentum, vel Tutorum licentia; an possint per Parentes à Religione extrahi, vel per Tutores reuocari? Quæst. 8.

1 ET si per *Conc. Trid. in sess. 25. cap. 15. de Regularibus*, nullus possit antè annum decimumsextum expletum ad professionem admitti.

Nihilominùs, possunt Pueri in omni ætate, saltèm pro bona educatione, & nutritione in Religione esse, prout docet *D. Thom. 2.2. q. 189. art. 5. in corp. in fin.* iuxtà *Threnor. 3. Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.*

2 Qui quidèm si suscipiant habitum in minori ætate, vt dictum est, Patre, vel Tutore præsente, & non contradicente, re-
vera non possunt extrahi, nec reuocari; prout colligit *Glos.* ex *cap. si in qualibet minori ætate, & cap. puella 20. q. 2.* quia ex quo sunt præsentes, & non contradicunt, videntur consentire, vt dicitur 54. *dist. si seruus; & cap. quicunq; 20. q. 1.*

3 Secus autem, si Pater, vel Tutor contradicat, prout expresè dicitur in *dict. cap. puella*, ibi, *possunt statim Parẽtes eius, vel Tutores id factum irritum facere, si voluerint*: verùm in fortiori ætate non est potestas Parentibus prohibendi.

4 Et hoc ideò; quia Pueri infrà annos pubertatis non sunt sui iuris, vt dicitur in *cap. ad nostram 8. de Regul. & c. significatum, eod. tit. & in cap. si seruus, dicta dist. 54.*

5 Quò fit, vt horum vota non teneant, ob defectum rationis: Immò, licèt in his anticiparetur vsus rationis, adhùc nõ possunt vouere, & si voueant, licèt ob anticipatum vsum rationis votum valeat coràm Deo, tamen Dominus, Pater, aut Tutor, poterint reuocare; quia, vt dicitur in dictis *Decretis*, Pueri, & Puellæ naturalitèr sunt in potestate Patris, quantũ ad dispositionem propriæ vitæ, ità, vt in tali statu, teste *Apostolo*, in nihilo differant à Seruis, qui nec possunt ordinari, ignorante Domino, *D. Thom.* cit. *loc.*

6 Si verò Pater, aut Tutor sit absens, cùm Puer suscipit habitum, vsquè ad annum, & diem habet potestatem reuocãdi, vt dicitur in *d. cap. puella*, ibi, *at si annum id dissimulando consenserint, vlteriùs nec ipsi mutare hoc poterunt; quia transacto anno, censetur ratum habere, quod factum est.*

7 Benè verum est, quòd tempus annale incipit currere à die scientiæ, vt docet *Glos. in d. cap. si in qualibet, & cap. puella*; & colligitur ex *causa 2. q. 6. §. biduum*, & arg. 17. *q. 2. si quis incognitus*; vel incipit currere à tempore admonitionis, vt *extr. de concess. præbend.*

8 Quod habet locum, quando habitus suscipitur in Monasterio proximo, & vicino; secus autem, si Monasterium sit ità longè distans, vt infrà hoc tempus non posset Pater inueniri: tunc enim Tutor, vel Parentes maius spatium habebunt, arg. 17. *q. 2. si quis incognitus.*

9 Verùm, ista extractio, vel Puerorum reuocatio, Parentibus, vel Tutoribus, vt suprà permissa, & debita, nõ debet fieri propria authoritate; sed de potestate, & authoritate Prælati Monasterij, coràm quo, tàm Parentes, quàm Tutores debent comparere, & sua iura dirigere, *Sylu.* post multos in *summ. ver. Religio 2. qu. 11.* quandoquidèm licèt Parentes, vel Tutores possent prædictos Pueros in sæculo stantes percu-

tere,

tere, & disciplinare, etiam si fuerint Clerici, absq; metu excommunicationis. Non tamen possunt illos corrigere, dùm sunt in posse Monasterij: quia hoc esset, Regulares contumelijs afficere, & iura Monasterij lædere; eò magis, si Puerorum prædictorum disrumperent habitum, vel eos vi educerent de Monasterio, *Mirand. tom. 1. Manual. Prал. q. 17. ar. 5. concl. 2.*

10 Quibus tandèm adde, quòd, etsi Puer de consensu Parentum possit esse in Religione infrà annos pubertatis: Verùm, tempus ad probationem necessarium nunquàm intelligitur currere, nisi incæpra pubertate, hoc est, vbi inceperit annus 15. ętatis suæ, & vsq; dùm non fuerit completus Nouitiatus annus, semper erit in prædictorum potestate, à Religione recedere, vel remanere; prout expresse in *d. cap. significatum*, & docent *Nauar. lib. 3. de Regul. consf. 20. nu. 1. Rodr. tom. 3. QQ. RR. q. 15. ar. 2. ver. & aduerte, Pyr.* multis citatis *tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 1. §. 2. nu. 41.* & *Hier. Rodriq. in Comp. resolut. 101. nu. 23.*

Religionis Ingressus; an semper sit à Spiritu Sancto? Quæst. 9.

1 NEgatiuè respondent *Caietanus in comm. 2. 2. q. 189. ar. 10. Ioan. de Tabien. in summ. verb. Religio, num. 16. 17. & 18. Nauar. consil. lib. 3. consil. 1. de Regular. in resp. ad 5.* & magis latè, & lepidè in *comment. 1. de Regul. tom. 2. in cap. cui portio, n. 7. Emanuel Rodriq. tom. 3. QQ. RR. q. 4. ar. 1.* & nuper *Laur. Pyr.* in suo *formul. litt. N. cap. 2.* vbi latè à *nu. 1* vsq; *in fin.* & alij non pauci.

Et habetur expresse in *cap. perlatum*, quod est *primum, de ijs, quæ metus causa fiunt*, ibi, *sub tali conditione pepererunt eidē, quòd in Monasterio de Colobris habitum susciperet Monachalem*, & sic quidam metus causa suscipiunt habitum.

2 Alij ingrediuntur Religionē ex causa inhonesta, vtpurà, vt fiat Abbas, vel, vt gaudeat his, vel illis bonis, vt in *cap. vt Clerici 3. de Regul.* & colligitur ex *cap. quod autèm interrogasti 27. q. 2.* vbi fœmina fit Monialis, ex quo non fuit cognita à suo Marito, cùm esset frigidus, vel maleficiatus.

3 Alij, metu, vel importunitate Parentum: alij, vt de se illis vindicent, ingerendo illis dolorem: alij, vt vitent iustas reprehēsiones, vel fugiāt curas, labores, ægritatem, opprobrium, vel cōremptum aliorum; nec desunt alia humana motiua, per quæ potest quis esse in Monasterio.

4 Et tandèm, alij intrant, instigatione Dæmonis: etenim Angelus Sathanæ sępè in lucis Angelum se transformat, & huic, vel illi Religionis suadet ingressum, ad perturbandum, & inquietandū Christi seruos in pace, & quiete viuentes, & vero Deo in Religione famulantes præstantes; inuidet enim nostræ quieti callidus hostis, & cùm non possit immediatè nobis insidiari: vtitur hoc, vel illo instrumēto; prout fuit vsus Eua ad decipiendum Adam in Paradiso voluptatis, & habetur expresse in *cap. licèt quibusdā Monachinis 18. de Regularibus*, ibi, *nè quis ex temeritate, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam sui Ordinis*, & ibi, *non fictè, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare*.

5 Proindè, Nouitijs receptis assignatur probationis annus, vt ij, ad quos spectat, cognoscant; vtrum ille, qui se offert Religioni, Spiritu Dei ducatur.

6 Nàm, si esset ità certum, & infallibile, quòd omnis Religionis ingressus fiat instinctu Dei, & ductu Spiritus Sācti; ad quid inquirere, an fictè, & simulatè venerit; an verè, & realitèr, ità, vt moriatur Mundo, & Deo in Religione viuat? superflua enim esset ista probatio, certa existente Regula de Nouitiorum ingressu.

Qui profectò anteà quàm habitum suscipiant, probantur, & interrogantur, quo spiritu venerint; quia causa ingrediendi potest esse indifferens, vtpurà, à Deo, vel à Mundo, vel Diabolo.

7 Quamobrèm, fuit in *Concilio Coloniensi* sub *Ermano V.* Archiepiscopo dictū, quòd qui ingreditur Monasterium alio affectu, quàm simplici amore ductus, nō Dei filius, & Monachus, sed planè Mercennarius est, & habetur in *cap. 4. tit. de vita, & con. Monach.*

8 Nec obijcies, quòd *D. Thom.* omnia sciens *2. 2. quæst. 189. per totam*, & præcipuè in *art. 10. & in opusc. 17. contra retrahentes ab ingressu Religionis*, & signantèr in *cap. 9. & 10.* mirificè per plura ostendat, propositum Religionis esse semper à Spiritu Sācto infallibilitèr, & indè inferat, quòd quis antè Religionis ingressum non debet diù secum, vel cum multis deliberare ad ingrediendum; supponit enim, non posse errare, nec posse facereDeo gratius, & sibi vtilius.

9 Quandoquidèm, vt *Caiet.* & *Nauar.* docent in præcit. *locis*, asserta per *Diuum Thomam* non habent locum in omni, & quocunq; intrante, sed tantùm in benè disposito, qualis est ille, qui totam suam fiduciam sustinendi onera Religionis ponit in Deo, & interiori affectu verè vult relinquere omnia; ità, vt non in eo remaneat affectus ad honorem, non ad gloriam, non ad carnem, & sanguinem, nec ad similia huius Mundi.

10 Re-

10 Religio enim est quædam virtus, per quā aliquis ad Dei seruitium, & cultū aliquod exhibet, vt *D.Thom.2.2.q.186.ar.1.*

11 Vndè, per excellentiam ille dicitur Religiosus, qui se totaliter mancipat Diuino seruitio; ità, vt per paupertatem totalitèr se abstrahat ab affectu rerum mundanarum; & per votum continentiæ se absoluat ab omnibus impedimentis, quæ possent retrahere à seruitio Diuino; & per votum obedientiæ, vt instruatur, & perueniat ad perfectionem, & perfectam charitatem, ità, vt se Deo offerat, quasi in holocaustū.

12 *Holocaustum* enim ex eodem met *D.Thom.1.2.quæst.120.ar.3.ad 8. erat sacrificium, quod totaliter comburebatur, quasi totum incensum, quod quippè afferebatur Deo specialiter ad reuerentiam Maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius, & conueniebat perfectionis statui, in impletione consiliorum eius, & præceptorum, & ideò totum comburebatur, vt totum animal resolutum in vaporem, tatum sursum ascenderet, per quod dabatur intelligi, quòd totus homo, & omnia ipsius essent subiecta ipsi Domino, & ei offerenda:* hæc ille.

13 In hac enim expropriatione, seù dispositione consistunt sumptus ædificandi turrim perfectionis in Religione; nàm fine hac interiori renunciatione; seù expropriatione, nunquàm ædificabit eam; hóc est, nunquàm ad perfectionem perueniet, sed patebit risui.

14 Nàm, sicut talitèr renuncianti, & se abdicanti iugum Religionis est suaue, quoniàm, & aufert perturbantia, & molestiam inducentia, & affert cōsolationem dilectionis internæ, teste *D.Gregorio, & D.Thom.ibid.*

Ità temerè sibi imponenti sine tali renunciatione, sine computatione sumptuum, fit laboriosum, & molestum: Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: hæc *Caietan. vbi supra.*

Et subnectit, *qui non sunt ità dispositi, debēt hanc dispositionem procurare orationibus, eleemosynis, confessione, lectione scripturæ, concionibus audiendis, & differre ingressum, donec eam acquirant.*

15 Quod procedit in eo, qui non vouit ingressum; quia qui eum vouit, non potest dilatione huiusmodi vti, nàm tenetur intrà tempus tacitè, vel expressè determinatum adimplere, prout docet *D.Thom. 2. 2. q.88. art.3.ad 3.*

16 Sic autem vouens potest Religionem ingredi, etiam si talem præfatam dispositionem non habeat, concepta tamen spe, & fiducia, quod eam dabit Dominus ingresso, *Caiet.in d.q.189.art.fin.*

17 Quibus addere non pigeat, quòd bona pars præfatæ bonæ dispositionis ad intrandum Monasterium, non solùm est sibi ingredienti præfigere pro scopo, & fine victoriam assequendam de tribus illis horrēdis Monstris, sępè Carne, Dęmone, & Mundo; prout supra dictum est: Verùm etiam habet pro fine, sibi præfigere beatitudinē, non solùm perfectam viæ, & alterius vitæ, sed etiam imperfectam viæ, & huius vitæ magis in dies perficiendam, prout vterq; *Thomas* docent in præcitatis *locis*.

18 Et quomodò ista excludat peccatum mortale, ex quo est dilectio Dei super omnia, vide *Nauar. in prælud.4. Manualis Confess. D.Thom.2.2.q.24. ar.12. & Doctores in cap.cùm renuncietur 32. q.1. & cap.charitas 2. de pœnit. dist.2.*

19 Et quomodò re vera isthæc dispositio, vt suprà qualificata, fiat instinctu, & motu Spiritus Sancti, dicaturq; lex priuata, communi legi non subdita, refert *Gratianus in Decretis 19.q.2. in cap.duæ sunt leges,* ibi, *quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à lege publica constringatur: Et quis est, qui Spiritui Sancto possit dignè resistere?*

An sit licitum, & meritorium, quempiam inducere, vel allicere ad Religionem intrandum? Quæst.10.

1 ITà est; si sit sermo de Religione formata, in qua vigeat Regularis obseruantia, & dummodò seruetur debitus, & licitus modus; secus autem, si Religio sit deformata, vitæ communis, & relaxata, plena sentibus, & vrticis; prout per plura docet *D.Thom.2. 2. q.189. art.9. & Caiet. ibid.*

2 Et Primò, ex illo *D.Iacobi, cap.vlt. qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum.*

3 Secundò, ex *Daniele cap.12.* vbi dicitur, *quòd qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.*

4 Et Tertiò, ex illo *Exod.cap.26. 35. & 36.* vbi dicitur, *quòd Moyses Dei iussu ità dispasuit tabernaculum, vt cortina cortinam traheret;* per quæ verba symbolicè datur intelligi, quòd vnus homo debet alium trahere ad Dei obsequium; prout idem *D. Thom. in arg. sed contra.*

5 Quibus adde, quòd id facere, nihil aliud est, quàm alios promouere ad bonū sibi conueniens, & ad sequendum consilia Euangelica; quod est vtiq; licitum, & meritorium; & oppositum fateri, esset, malè de fide sentire; dixi, dummodò obseruetur licitus modus; quia circa hoc sunt obseruandæ quædam circumstantiæ, tùm ex

parte

parte personæ, quæ inducitur, vtputà, quòd non illiciatur, vel inducatur coactè, vel violentèr, minis, fraudibus, aut alio illicito modo; prout habetur in *cap. praleus, in causa 2. qu. 3.* ibi *minimè debere existimauimus, sub tali violētia fieri Monachum*; quod enim quis non elegit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit, & *Deut. 16.* dicitur, *quod iustum est, iustè est exequendum*.

6 Tùm etiam, ex parte personæ inducentis; vt si quis simoniacè, & muneribus datis, seù acceptis inducit, vel trahit aliquē ad suam Religionem, quia hoc item est prohibitum in *causa 1. quæst. 2. cap. quàm pio mentis affectu*, ibi, *cauete ergò Fratres*; & confirmatur in subsequenti *cap. 3.* quod incip. *nullus Abbas, pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conuersionem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat*; quæ duo *Capitula* citat idem *Aquinas vbi suprà*.

7 Secus dixi, de Religione deformata; nàm quempiam ad hanc inducere, vel recipere, ità malū est ex suo genere, vt peccent ambo mortalitèr, inducens scilicèt, & recipiens, insupèr, & inductus; si sciat, & consentiat: Probaturq; ex illo *Matth. 23. væ vobis, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum filium Gehennæ duplo, quā vos*: quod *Hieronymus, & D. Thom. vbi suprà, ad 1.* referunt ad Iudęos, etiam pro statu, in quo legalia obseruari licebat, quatenus ad hoc, quòd ille, qui ab eis ad Iudaismum conuertebatur, dùm esset Gentilis, simplicitèr errabat; videns autem Magistrorum vitia, reuertebatur ad Vomitum suum, & Gentilis factus, quasi præuaricator, maiori pœna efficiebatur dignus, & sic Iudęi peccabant mortalitèr, illa enim dictio, væ, vbicunq; in *Sacra Scriptura* apponatur, pro talia facientibus insinuatur peccatum mortale; prout docent communitèr *Doctores*.

8 Ità inducere quem ad Religionem relaxatam, est inducere ad vitā reprehensibilem; omnis autem vita reprehensibilis mala est ex suo genere, vt patet ex continuo conatu bonorum Prælatorum, quo insudant ad illorum Reformationem.

9 Tùm quia, si tepidè Maiores viuant in Religione, & Minores multum relaxè, nō paruum imminet inducto periculum scandali, dum credendo se ad perfectionis semitam induci; ingressus inuenit intus tantam remissionem, & imperfectionem, vt deceptum fuisse sibi iustè videatur.

10 Insupèr, & addes quòd huiusmodi Receptis imminet periculum euadēdi peiores, ex quo malis sociantur; mores enim trahuntur à conuersantibus, & solent Discipuli similes esse Magistris; sic adeò, vt fint Sancti cum Sanctis, vel Peruersi cum Peruersis; prout latè ostendit *Ioan. Paul. Nazarius* nostræ Familiæ alumnus benemeritus in *2. tom. opusc. de statu Religiosorum, opusc. 1. de reformatione, & de receptione Nouitiorum, fol. 273. antè dubit. 8.* & *Nauarr. in summ. cap. 12. num. 45. in fin.*

11 Proindè, *Caietan. in d. quæst. art. 5.* satis miratur de quibusdam Parentibus, qui prædictis locis suos Pueros, vel Puellas tradunt ad educandum, & instruendum; *quia hoc agere, nihil aliud est, quàm procurare, vt eorum filij fiant illis similes, quorum consortio traduntur. Vbi autem personæ, quarum consortio dantur, reprobæ, aut infames, aut deuiæ à Regularibus sunt institutis, magna dementia est, dare illis Pueros, aut Puellas nutriēdas, & hic error hodiè in multis viget locis, dùm dantur Pueri, & Puellæ Monasterijs Religiosorū, seù Religiosarum vita communis, quò fit, vt reformandi, nunquàm reformari possint, dùm transgressores vitæ Regularis continuè nutriuntur, & augentur: Vnde sanciri deberet, vt nullus Puer, nullaq; Puella possit Religioni tradi, nisi vbi bene viuitur Regularitèr*; hæc *Caiet.* qui longè, & diù fuit zelantissimus nostri Ordinis Generalis Magister: Hæc deniquè benè nota, & cogita.

An sit laudabile inducere, quempiam ad vouendum Religionis Ingressum? Quæst. 15.

1 ET si sponte vouere Religionis ingressum, nedùm sit laudabile, verùm etiam, & bonum, & magis meritoriū; tùm quia, vouere est actus Religionis, quæ inter omnes virtutes, quandam habet excellentiam: tùm etiam, quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum; quò fit, vt sicut peccatū est grauius, ex hoc, quòd procedit ex voluntate ostinata in malum; ità à pari; bonum opus erit laudabilius, ex hoc, quòd procedit à volūtate confirmata in bonum per votum, prout eruditè *D. Thom.* docet *2. 2. q. 189. art. 2. in corpore*.

2 Nihilominùs, non est ità laudabile, alicui persuadere, vt se voto adstringat ad intrandum Religionem, etiam si sit formata, & actualis obseruantiæ, prout *Caiet. in dicto ar. 2. Nauarr. in Manual. cap. 12. nu. 46.* & *Clauis Regia, multis citatis lib. 6. cap. 9. nu. 5. Ludou. Lopez p. 1. instruct. conscient. cap. 44.* & *Rodriq. in summ. p. 2. cap. 95. concl. 1.* & idem *D. Thom. quodlib. 2. ar. 11.*

3 Quia, experientia teste promissa vota, alieno affectu, & alterius persuasione, non ità

ità alacritèr, & lætè explemus, nec onera Religionis bono animo portamus.

3 Insupèr, & non raró, huiusmodi vota solent malos exitus habere, & sicut minus lætè tota vita agitur, cùm quis recordatur, quòd non sponte, nec proprio affectu; sed aliena inductione cōtraxerit; ità, & fortiùs molestū erit ei vitam in carne prætèt carnem agere, in paupertate, & obedientia perpetua viuere ad alterius persuasionem, sine sua absoluta voluntate: quod enim alterius suasione fit, non liberè omninò fit, & preces aliquando, vim videntur habere præcepti.

4 Quibus addo, quòd antequàm quis voto inducatur ad Religionis ingressum, debet per inductorem moneri cum veritate de asperitate, victu, & vita Religiosorū; quia asperitatis Religionis celatio, & falsitatis suggestio, operantur deceptionem; deceptio autem ratione ignorantiæ multū minuit de ratione voluntarij: Hinc, *Sanctus Bernardus* in sua *Regula cap.58. de disciplina suscipiend.* mandat, vt prædicentur ei dura, aspera, per quæ itur ad Deum; proindè fit, vt aliquando deceptio hæc irritet, & annullet votum factum de Religionis ingressu, vt docet *Sot.lib.7. de iust. q.1. ar.2. Rodriq.in summ. p.2.cap.92.concl.4.*& *Clauis Regia* post multos *lib.6.cap.9.nu.4.* quia si sciuisset, non vouisset.

Cogentes quempiam illicitis modis, vel precibus importunis ad suspiendum habitum alicuius Religionis, vel ad profitendum in ea; an peccent mortalitèr, & sint excommunicati, vel excommunicandi? Quæst.12.

1 HViusmodi Viros peccare mortalitèr, certum est; eò, quòd temerè transgrediuntur Pontificum *Decreta*, etenim *Nicolaus Papa 20.q.3.cap.præsens*, præcipit, quòd nullus hominum violentia inducēdus est; prout nos latè suprà diximus, & habetur expresse in *cap.1. de Regularibus*, ibi, *Nullus tondeatur, nisi in legitima ætate, & spontaneá voluntate; & in re tàm graui preiudicare propriæ libertati, quæ est principalior pars hominis; nefas est*; non benè pro toto libertas venditur auro: Et adde, quòd sicut nemo potest ad baptismum cogi, etsi sit de necessitate salutis; ità multò minus ad Religionem, quæ solùm est de perfectione Christiana, ita *D.Thom.2.2. qu.189. ar.9. in corpore, Ledesma de statu Religionis in communi, cap.5.conclus.8. Lessius lib.2.de iustitia, cap.41.dub.4, nu.38.* & *Clauis Regia lib.6.cap.9. nu.2.*

2 Verùm, contra huiusmodi cogentes intrare, pratèr culpam iàm dictam, nullam reperi pœnam, vel censuram, qua fiant, vel sint excommunicati declarandi.

3 Nec dicas, quòd per *Concil.Trid. sess. 25.cap.18.* excommunicātur ij, qui cogunt Mulierem ad ingressum Monasterij, vel ad suscipiēdum habitum cuiusuis Religionis, aut profitendum, & ad id consilium, auxilium, aut fauorem dantes, & qui coactionem scientes, quouis modo eidem actui præsentiam, consensum, vel authoritatem interposuerint.

4 Quia, isthæc excommunicatio non comprehendit casum nostrum: lex enim respicit id, quod frequentiùs fit, vt docent *Theologi*, & habetur in *lege nam ad ea, ff.de legibus*: Vir autem, non ità facilè cogitur, quemadmodùm, & Femina; vndè etiam in adiutorium Feminarum decreuit *Tridens.* quòd si voluisset comprehendere eos, qui etiam Viros cogunt ad Religionis ingressum, vel Professionem, declarasset vtiquè; prout declarauit contra eos, qui cogunt, siuè Viros, siuè Mulieres matrimonium cōtrahere, prout in *sess.24. cap.de matrimonio. Rodriq.tom.3.QQ.RR.quæst.14.ar.3. Ledesma cit.loc.cap.5.concl.8. Suarez tom.5.de censur. disput.23. sect.7.nu.8. Sanchez tom.1. decal. lib.4.cap.4.nu.4.* post multos allegatos *Peyr. tom.1.de Subdito, q.1.cap.29.not.1.* & *Bonac. tom.1.de excomm. disp.2.q.6.p.2.nu.15.*

5 Benè verum est, quòd coactè inducti, vel violentèr professi, possunt reclamare, & de nullitate dicere, iuxtà *Decret.Conc.Trid. sess.25. cap.19.* de quo nos infrà *de nullitate Professionis*.

6 Insupèr, & Parentes coactorum possunt instare, saltèm coràm Domino Conseruatore, vel in Regularium Sacra Congregatione, vt exploretur Iuuenum voluntas, qui solent iussu prædictorum extrahi à Nouitiatu, & poni penès Tertium, ad hoc, vt in libero loco exploretur eorundem voluntas; an liberè, & scientèr velint in Religione perseuerare. Et hæc praxis in tali casu debet omninò seruari.

Remouentes quempiam à Proposito ingrediendi Religionem, vel Ingressum reuocantes; an teneantur ad restitutionem; aut saltèm peccent mortalitèr? Quæst.13.

1 REsoluo cum distinctione quæsitum: aut hi reuocant iustè, vel iniustè: si primo modo, nequaquàm peccant mortalitèr, nec tenentur restituere, prout colligitur ex vtroq; *Thoma 2.2.q.62,*

ar.3.

ar. 2. ex respons. ad 4. & docet noster *Sylnester verb. restit. 3. q. 1. dicto 2.*

2 Iustæ autem causæ id peragendi, possunt esse multæ; vt si Religio, quam intrare festinat, sit relaxata, & vitæ Conuentualis, in qua non est facilè, sine animæ periculo, diù posse permanere, in tali statu cuipiam persuadere regressum, vel mutare propositum, meritorium est: est enim hoc opus charitatis.

3 Vel si volens intrare sit Parentibus necessarius, vel vtilis Reipublicæ, aut Religioni ineptus, vel impotens ad onera, vel si hoc fiat, ob commodum spirituale, vel temporale ipsorum retrahentiũ, vel aliũdè simplici corde, & bona fide; prout latè probat *Sotus lib. 4. de iust. quæst. 6. ar. 3. in respons. ad 2. Nauar. in summ. cap. 12. num. 45. Dominicus Bannes in 2. 2. d. q. 62. ar. 2. dubio tertio, conclus. 2.* & *Ioan. Baptista Corrad. tom. 1. respons. q. 89. litt. B. & Q.*

4 Et hoc ideò; quia restitutio nil aliud est, quàm repositio rei in pristinum statũ; vt dicitur in *l. restituere, ff. de verb. significat.*

5 Hæc autẽ Repositio debetur, aut ratione illicitæ acquisitionis, quæ fit cum iniuria, & contra proximi voluntatem; vt in furto, rapina, & fraude; vndè tali modo acquirens, qualisq; sit iste, indistinctè dãnificato tenetur restituere, vt in *cap. fin. de ser. non ord. & c. quia plerique de immunitate Eccl.*

6 Aut ratione illicitæ acquisitionis; factæ tamen cum proximi voluntate, vt in eo, qui dare non potest; quia non est verus Dominus, aut quia datur ei, qui non potest recipere, sine sui Superioris licentia, vt Regularis, & similes.

7 Proindè, totalis ratio restituendi nascitur ex iniusta acceptione; quæ quidem acceptio fit iniusta ex duplici capite, vt dictum est, nempè, vel quia fit inuito Domino, vel quia est à non habente potestatem; prout præcit. *Doctores vbi suprà.*

8 In casu nostro neutrũ occurrit, quandoquidèm iste persuadens regressum, vel mutare sententiam, propriè loquendo, nihil abstulit ab ingresso; vel volente ingredi.

9 Nàm, nemo dicitur auferre, nisi ab inuito; hìc autem nulla adhibetur violentia, nec reperitur iniuria; scienti enim, & consentienti nulla fit iniuria, vt dicitur in *Regul. iur. in 6.* & facit ad idem *text. eod. tit. cap. nullus, & eod. tit. ff. l. consilij*, ex quibus colligitur, neminem ex consilio, quod fraudulentum non sit, ad restitutionem obligari, & notat *Sot. dict. loc. concl. 2.* & antè eum *Sylu. ver. restitutio 3. quæst. 12.* vbi allegat plura iura.

10 Proindè, si præscindo in fundo meo venas, per quas aqua deriuatur ad puteum alterius, bona fide, & simplici corde, nec pecco, nec teneor restituere.

11 Itèm, si precum importunitate extorqueam donũ ab Amico, nullatènus illi teneor restituere ex iustitia; nisi velim ex mea liberalitate restituere; quia nulla interuenit fraus, nullaq; violentia.

12 Quod amplia ad eum, qui etiam sine rationabili causa; imò ex odio consuluit regressum, vel mutare sententiam; qui etsi peccet contra charitatem, dando iniquum consilium, non proindè de rigore iustitiæ tenetur restituere, nec Conuentui, nec ipsi recedenti.

13 Non huic re vera; quia nulla fraus, nullaq; fuit exhibita violentia; nec itèm Monasterio, vel Religioni; quia paritèr, nulla facta est iniuria, nec iniustitia; qa iniustitia est expoliatio iuris, quod quis habet in re sua; Religio autẽ nullum patitur spolium, nec ius habet super Nouitio, nõdùm professo; quia nondùm effecta est res sua; potest enim recedere ad sui libitum; ità, vt nec durãte Nouitiatu teneatur ad præcepta Regulæ de rigore iustitiæ.

14 Nec valet dicere, quòd Religio super illo ingresso habeat ius, saltèm proximum; quia tàm ius proximum, quàm remotum semper pendet à voluntate Iuuenis introducti, qui poterat, & potest vsq; ad Professionem sponte sua recedere; quòd si sua voluntate reuertatur, nulla restat obligatio restituendi, ità *Sot. cit. loc.* & *Bannes*, quibus subscribit *D. Barthol. à Sancto Fausto in 1. par. speculi confess. de restit. fac. disput. 6. q. 6. vers. secundò dico.*

15 Versa vice, si iniustè, hoc est, si metu, aut dolo extrahant, vel reuocent Sæcularem à proposito, Nouitium à Religione, aut Professum à Monasterio, & obedientia Prælati, peccant mortalitèr, & re vera tenẽtur restituere omne damnum illatum, ad arbitrium boni viri, tàm ratione lucri cessantis, quàm damni emergentis, tàm prædictis auocatis, quàm Religioni, cui erant adscripti, vel adscribendi; quia de rigore iustitiæ tenemur, nedùm oblata, verùm etiam, & damna indè passa reficere; quia, quod est causa causæ, est causa causati, eò magis cum vi, & dolo applicata.

16 Quàpropter, huiusmodi extractores, refectis damnis, fraude detecta, & vi remota, debent procurare, vt extracti quãtociùs in Religionem reuertantur; etsi in libertate positi noluerint redire, procurent Religioni damna, & emolumẽta instaurare, si quæ fortè illorum occasione consequi potuisset; etenim fieri potest, vt resolutus intrare, vel profiteri, habeat pingue patrimonium, quod per Professionem transiret in

in posse Monasterij; sic item potest esse, vt Professus sit valdè Religioni necessarius, vel vtilis, adeò, vt occasione lecturæ, vel concionum, & similium, possit multum acquirere, & lucrari. Monachus autem, quicquid acquirit, suo Monasterio acquirit: Insupèr, & quicquid habet, efficitur illius, ex quo in sua spontanea Professione abdicauit à se omne ius, dominium, & proprietatem, quam, & quod habebat ad res temporales, & transtulit liberè in dominium, & proprietatem suæ Religionis, iuxtà *Decret. Concil. Trid. cap. 2. sess. 25.* quò fit, vt eius res, iura acquisita, & acquirenda, sint ipsius Monasterij, ad quod spectat, ità, & talitèr, vt super illis, & de illis Monasterium habeat conueniri, & respondere, & disponere, ceù de alijs suis bonis.

17 Proindè, si Monasterium, ob vim illatam suo Professo, vel fraude persuadentium, amiserit iura, & bona acquisita, industria, & opera Professi extracti; proculdubio sunt sibi per extractores restituenda, ob iniuriam sibi factam: quandoquidèm iniuria, seu iniustitia, nil aliud est, quàm expoliatio iuris; quod quis habet in re aliqua, vt constat ex dictis.

18 Nec obstat, quòd Monasterium nõ habeat ius acquisitum super Nouitio, nondùm Professo, & multò minus super Laico, qui proposuit intrare, nec itèm super rebus futuris, quæ pendent ex mera voluntate Professi; potest enim Professus desistere à concionando, & ab omni alio opere, quod à sua voluntate dependet.

19 Nàm, licèt, quòad prædicta ità sit; habet tamen ius acquisitum, nè alteri volenti sibi benefacere, fiat vis, vel fraus, in sui præiudicium.

20 Vndè, qui vi, aut dolo impedit, nè Ecclesiæ fiat legatum, aut tale beneficium, tenetur restituere; sic itèm, qui fraude, aut metu diuertit quem, nè huic Pauperi elargiatur eleemosynam, tenetur eidem restituere, prout colligitur ex *D. Thom. cit. loc.*

21 Quibus adde, quòd Ecclesia, & omnis alia Religio habet ius defendendi suæ curæ commissos, nec non, & repellendi ab illis vim, & dolum, & omne aliud damnum sibi præiudiciale, *Bannes cit. loc.*

Auocans per vim, & metum à Religione Professum; an loco extracti teneatur subrogare alium, vel ipsemet Religionem ingredi, si non habet aliundè restituere? Qu. 14.

1 TEneri quidèm existimo ex quadam æquitate, & charitatis officio alium inducere, vel ipsemet intrare, si obstaculum non adsit: Secus autem de rigore iustitiæ, *Sot. d. lib. 4. q. 6. art. 3. concl. 4.* quem ferè omnes sequuntur, *Less. lib. 2. de iust. cap. 8. dub. 3.* & *Bonac.* post multos *tom. 2. de restit. in particulari, disp. 2. q. 1. punct. vnic. nu. 7. Nauar. cap. 12. num. 46.* & probatur ex eo, quòd Religio est opus supererogationis, & consilium ad maiorem perfectionem consequendam, prout colligitur ex illis verbis *Saluatoris, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,* & ibi, *sunt hic Eunuchi, qui se spõtè castrauerũt.*

2 Verùm, nemo potest cogi, nec violentari ad amplectendum Religionis consilia; hæc enim dè intrinseca eorum natura petunt omnimodã libertatem; hinc sanctè, prudenterq; sãcitum est, vt volẽti profiteri iá recẽsita cõsilia, detur integer probationis annus; aliàs tàm ex parte Religionis, quã ex parte Professi potest dici de nullitate contractus, iuxtà *Decret. Conc. Trid. sess. 25.*

3 Nec obstat, quòd intrà Religionis septa occludantur plures adulteri, hæretici, nec non heresiarchæ non pauci, hi quidèm, & consimiles arctissimis mancipantur cellulis, non pro Professione, sed in pœnam eorundem peccatorum, qui, & ibi sæpiùs penitent sine fructu penitentiæ.

4 Nec his officit exẽplum *Sancti Raymundi de Pennaforte,* qui, etsi Illustrissimus Vtriusquè Iuris Magister, effectus tamèn est de Ordine nostro: ex quo quendam Nouitium reuocasset ab Ordine, cui perpetuò se postmodùm per Professionem adscripsit, in restitutionẽ extracti; prout cum multis docet *Petrus de Palude* nostræ Familiæ in *4. sentent. dist. 15. q. 2. ar. 2. conclus. 1.*

Quod dictum, & relatum; an sit verum, consule *P. Fratrem Thomam Maluenda in prima centuria annalium* nostri *Ordinis* de anno 1222. *fol.* mihi 407. *col. 2.*

Et estò, quòd ità fuerit, nihilominùs, non ex iustitia, sed ex officio charitatis ad Dei gloriam, & nostram vtilitatẽ: fuit enim quasi stella matutina in medio nebulæ; decus, & ornamentum, *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 14. artic. 4.*

Illicitè impedientes, vel molestantes eos, qui ex sæculo ad Religionem cõfugiunt, aut Ingressos reuocantes, vel Professos extrahentes à Religione, in qua professi sunt; an sint excommunicati, & debeant puniri? Qu. 15.

1 IAM diximus suprà, peccare mortalitèr, paritèrq; teneri ad damnum emergens, & lucrum cessans, qui iniustè

iustè impediunt eos, qui volunt Religionem intrare, vel Ingressos auocant dolosè, aut coactè, & multò magis procurantes apostatare.

2 Huiusmodi peccato supposito; quæsitum est; an possint puniri, & excommunicari in foro fori?

Et dico, quòd sic; ex *Priuilegio Iulij II.* concesso Monachis Ordinis Sācti Benedicti Cōgregationis B. Mariæ Montis Oliueti: quod incipit, *etsi ad vniuersos*, anno Domini 1507. pridiè nonas Iulij, Pontificatus sui anno 4. cuius verba substantialia refert summatim *P. Frater Gaspar Passarellus* à Monopoli Minim. Magister Generalis in *calce priuil. Iulij II. fol.* mihi 47.

Id ipsum *Papa Eugenius IV.* concessit Fratribus Congregationis Sanctæ Iustinæ Ordinis S. Benedicti, anno Domini 1434. septimo Kal. Martij, Pontif. anno 4. sua *Constit. incip. etsi debito Ministerij Pastoralis, in §. 14.* per hæc verba.

Prohibemus insupèr, nè aliqui, cuiuspiam status, gradus, vel cōditionis existāt, personas, quæ de iure cōmuni, Religionē ingredi nō prohibētur, ex sæculo fugientes ad Cōgregationē huiusmodi Cōgregationis venire cupiēses, verberibus, aut violentijs quibuscunq; impedire, vel prohibere, aut à Monasterijs, & locis ipsius Cōgregationis præsentibus, & futuris iniuriā aliquā ingredi volentibus, aut recipientibus, irrogando, seù eos molestando huiusmodi personas euellere, & extrahere audeant, vel præsumant. Contrafacientes verò ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, dùm tamen cùm hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à prædictis, à qua non possint, præterquàm in mortis articulo, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere.

Quam per extensum habes in *Bull. Rodriq.* & est *septima* inter *Bullas* præfati Pontificis, *fol.* 81. & refert idem in *tom. 3. QQ. RR. qu. 14. ar. 3. &* 4. & notat noster *Ioannes Crux in Epitome de statu Religiosorum, lib. 1. cap. 8. dub. 4. cōcl. 2. in fin.* & *Peyr. tom. 1. priuil. Minim. in Const. 10. Iulij II.* & antè eos *Casarub. in Comp. priuil. Minor. verb. Nouit. nu. 28.*

3 Quæ *Bullæ* sunt valde notandæ, nàm aliæ, meo videri, non reperiuntur, quæ excommunicent impedientes eos, qui volunt Religionem ingredi, quæ tamen antè monitionem sunt comminatoriæ, post verò sunt latæ, per illa verba, *cùm hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à prædictis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.*

4 Quæ quippè excommunicatio *Eug.* illata contra impedientes; & molestantes eos, qui à sæculo ad Religionem confugiūt, procedit de Nouitijs habilibus, secūdùm ius naturale, & Canonicum; secus autem in his, qui sunt inhabiles; quia inhabiles ipso iure repelluntur, prout aduertunt *Portell. in dub. Regul. verb. Nouit. in 2. addit. nu. 2.* & *Peyr. tom. 3. priuil. Minim. & in addit. ad Constit. Iul. II. cap. 3. nu. 40. not. 20.* de quorum habilitatione infrà in *Constit. Sixti V.* & *Clem. VIII.*

5 Nec habet locum in eo, qui impedit habilem, inhabilem putans; quia Dominus Papa has pœnas intulit contra audentes, & præsumentes: temeritas autem, & præsumptio circumcernit id, quod fit contra Superioris præceptum, cum scientia, & sine causa rationabili.

6 Quam censurā itèm extende ad Consanguineum, qui aliquem aggreditur de sua familia, positum in itinere, & euntem in aliquod Monasterium ad suscipiendum Religionis habitum, quem vi, dolo, & minis reuocando, reducit in domum Laicorum, non sine impetu, & molestia, prout fecerunt Cōsanguinei Seculares ipsimet *Sancto Thomæ* nostro Sanctiss. Præceptori, qui lacerato sibi habitu, fuit coactus reuertere, & carcerem adire.

7 Vi autem extrahentes Nouitium à Nouitiatu, vltrà censuram præfatam, incurrunt in illam *Canonis, si quis suadente Diabolo,* quo gaudent Nouitij: cū sint verè partes illius Sanctæ Cōmunitatis, degantq; intrà septa, habitu mutato, sub obedientia Prælati; nec non, & illam, quæ imponitur violantibus Ecclesiasticam immunitatem.

8 Insupèr, & rapientes Nouitium à Nouitiatu Monasterij, pœna capitis plectuntur, per ea multa, quæ docet *Farinacius tract. de hær. qu. 183. §. 6. nu. 85.* & *Campanil. in diuers. iuris, rubr. 12. cap. 16. num. 83. Peyr. cit. loc. nu. 40.* & *Aloys. Ricc. 1. par. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 214. par. 1.*

Quæ omnia, ad cauendum pœnas, debent Sæculares diligentèr aduertere, & nè quid peiùs sibi infligatur à Domino Deo, omnium Iudice, & Remuneratore.

Dare, vel recipere, aut exigere aliquid ob ingressum Religionis; an sit simoniacum? Quæst. 16.

1 RE vera Religionis ingressus, quatènus ad Professionem ordinatur, est res spiritualis, ac status Ecclesiasticus; etenim Religiosus per Professionem habet ius eligendi in Capitulo, & viuendi ex eleemosynis, & introitibus Monasterij, veluti Beneficiarius ex fructibus sui Ecclesiastici beneficij.

Et

Et consequentèr non potest emi, nec vendi, sine labe simoniæ, prout expresè declarauit *Vrb. IV. in cap. non satis, de simonia*, vbi excommunicationem posuit singularibus personis dantibus, vel recipientibus aliquid ex pacto pro Religionis ingressu: Capitulis verò, & Conuentibus, pœnam suspensionis indixit; per hæc verba: *Prohibemus igitur, nè ab ijs, qui ad Religionem trãsire volunt, aliqua pecunia requiratur; nec Prioratus, vel Capellaniæ quilibet Monachorum; aut Clericorum annua distractione vendantur: Nec ab eo, cui Regimen ipsarum committitur, pro earum commissione vllum pretiũ exigatur; vndè quisquis contra hoc Decretum attentare præsumpserit, tàm ille, qui dederit, quàm ille, qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.*

Id ipsum deciditur in *Decretis in caus. 1. quæst. 2. cap. quàm pio mentis affectu*, & in subsequenti *cap. nullus Abbas*.

2 Et sic quotièscunq; pro re spirituali datur, vel promittitur expresè, vel tacitè aliquod pretium temporale, vt est pecunia, vel pecunia æstimabile, semper committitur simonia; tùm quia, status Religionis fuit gratis institutus, gratis nobis, & datus à Christo Domino, ergò gratis dandus est vocatis à Domino, per illud *Matth. 10. gratis accepistis, gratis date*; tùm etiam, quia nullus hominum est Dominus spiritualium; quò fit, vt in vendendo, vendatur quod suum non est, & in emendo, ematur ab homine non habente potestatem; hinc tàm emptio, quàm venditio, omnisq; pactio, & promissio erit profectò illicita, & ceù contra omne ius Naturale, Diuinum, & Canonicum, valdè punibilis, & colligitur ex *cap. cùm in Ecclesia, & cap. veniens, de Regularibus, & cap. quoniam simoniaca, de simonia, & cap. eos, qui in d. caus. 1. quæst. 1. & cap. si quis prabendas 2. q. 3.* & alia multa in iure reperiũtur *Capitula*, quæ faciũt ad hoc.

3 Ex quibus Prælati poterunt benè colligere, quàm iniquum, & odiosum sit, minis, vel precibus, Nouitios inducere ad Religionis ingressum, vel Professionem, ad hoc, vt bona sua temporalia fiant Religionis, nè dicam, huius, vel alterius Fratris; est enim simoniacum, in pretium Religionis, hæc, vel illa bona recipere, vel studiosè procurare, vt dictum est.

4 Quod extende ad eos, qui pro vno bono prandio; vel lauta cena, hunc, vel illum in Religionem admittunt; & sic pro vna lente, hereditatem Cœlestem vendere non verentur.

5 Secus autem dicendum, si in ipso ingressu, vel antè, aut post, aliquid fuerit promissum, vel datum pro victu, & vestitu, cæterisq; necessarijs ad substentationem, & tegimen ipsius Profitentis, vel volentis Religioni sociari; prout latè *Sanctus Raymundus lib. 1. suæ summ. de simon. tit. 1. §. 22. vers. pone, quòd aliquis, D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* & *ibid. Caiet. Sylu. in summ. ver. simonia, §. 15. Sot. lib. 9. de iust. q. 6. art. vlt. in respons. ad 4. Ioan. Baptista Corrad. tom. 1. respons. quæst. 39. 40. & 41.* latè de simonia *Lopez in 2. p. instruct. cap. 29.* & alij non pauci eiusdem Familiæ.

6 Vndè licitum erit dicere, libentèr te suscipimus ad spiritualia; verùm ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones; quo audito, si vestiendus offerat se, & sua, non erit simonia; quia in hoc nullum spirituale venditur.

7 Quod etiam potest cadere sub pacto, & contractu, ex quo concernit, aut ius naturale, aut aliquod temporale: quod autem temporale detur pro alio temporali, vel accipiatur, nõ põt affici vitio simoniæ.

8 Quod procedit, etiam si Monasterium sit diues, & locuples, *Sot. in d. ar. in fin. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 23. art. 7. & tom. 2. de Monial. in fin. quæst. 8. art. 7. conclus. 1. Suarez de censuris, disput. 22. sect. 5. nu. 12. Caiet. in summ. eus. 71. de excomm. Nauar. in summ. cap. 27. num. 106. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 8. nu. 70.* & alij plures, quibus subscripsit *Bonac. tom. 1. de simonia, disput. 1. quæst. 7. §. 4. nu. 4.* quia sicut vir, siuè sit Diues, siuè sit Pauper, licèt pro Sacramento matrimonij non possit pecuniam recipere; nec exigere; tamèn benè potest ad sustinenda onera matrimonij, *l. pro oneribus, C. de iur. dot.* ità Monasterium, etsi non possit pecuniam exigere pro ingressu Religionis, benè tamen potest recipere, & stipulari per eo, quod debetur pro sustentatione ingredientium, præcipuè si sint inhabiles, debiles, & malè affecti, ità, vt multis indigeant; & hoc procedit, tàm si sit Diues, vel Inops; quia nemo tenetur consumere sua bona in sustentationem huius, vel illius, nec se pro alijs incommodare, nec simonia, quæ recipit speciẽ ex obiecto spirituali, põt mutari per qualitatem paupertatis.

9 Quod multò securius extenditur ad ea, quæ spontè, & liberè dantur, ceù sunt eleemosynæ, & res aliæ, quæ solent dari, vt augeatur Dei cultus, & numerus Fratrum ad inseruiendum Ecclesiæ; quia à spontè dante licet accipere, & quod datur ad Dei gloriam, & honorem, non potest præsumi, quòd detur fraudulentèr, & mendosè.

10 Sed pone, quòd quis simoniacè sit acceptus, quid agendum? dico, quòd in primis debet absolui ab excõmunicatione, in quam incidit per *extrau. Martini, &*

Vrbani

Vrbani præfati, & aliorum; nec non debet expelli ab illo Monasterio, cui sic malè fuit sociatus, & detrudi in locum arctioris Regulæ, qui si non reperiatur, debet ad minus transmitti in alium Conuentum Regularis Obseruantiæ, prout colligitur ex præcit. *Iuribus*, & notat *Corrad.* in cit. q. 41. *ver. qui verò*, & *Bonac. cit. loc. nu. 13.*

Si Nouitij, intuitu suscipiendi Religionis Habitum, in vim priuilegiorum absoluantur à censuris, Episcopo, vel Domino Papæ reseruatis; si mox non ingrediātur, vel post ingressum, spontè recesserint, an reincidant in eas? Quæst. 17.

1 Aliorum non paucorum sententia prætermissa; Resoluo affirmatiuè quæsitum; quia, etsi Prælati Mendicantes, eos possent Sæculares absoluere, qui, omisso sæculo, examinati, & approbati sunt in Nouitiatum admissi, ab omni excommunicatione, & censura, etiam ab homine generaliter lata; prout *D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 77. §. 1. in fin. Cordub. lib. 1. q. 30.* & *Rodriq. tom. 1. QQ. RR. q. 20. art. 21.*

2 Hoc tamen fint Recipiendis concessum in ordine ad Religionem, qua relicta, sua culpa, vel sua spōte, priuilegijs amplius vti non possunt.

3 Quod totum patet ex illo *Priuilegio Clem. IV.* quod habetur in *lib. Monumenta Ordinum, f. 56.* in 1. impress. & in 2. impress. *fol. 140. concess. 320.* & *fol. 236. concess. 550.* ibi, *voluit tamen, quòd nisi præfati mox Ordinem intrauerint, etiam si super hoc eis induciæ à Prælatis eiusdem Ordinis concedantur; eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos absolui contigerit, relabantur.*

4 Sub hac eadem reincidentia, *Iul. II.* concessit Prælatis Ordinis Minimorum, sua *Constit.* incip. *Virtute conspicuas*, ibi, *nisi mox postquàm fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiam si super hoc, &c.* vt supra.

5 Id ipsum sub eadem conditione *Pius V.* concessit Patribus Cassinensibus, vt possint absoluere omnes suos Fratres, tàm Professos, quàm Nouitios, in Religione taméh perseuerantes: quod procedit, etiam respectu votorum, prout declarauit *Paul. III.* anno Domini 1546. in quadam *Bulla* concessa Societati Iesu; Vnde Nouitius quomodocunq; egrediens à Religione, relabitur in censuras, & vota à quibus, intuitu ingressus fuerat liberatus, & refert *Vinaldus in Candel. lib. aur. 1. par. de absolut. n. 23. fol.* mihi 149. & *Peyr.* in prædictis *Constit. Iul. II. tom. 1. priuil. f. 9. num. 33.* & dico infrà in *tract. de priuil. Nouit. q. 17.* & 18. quæ sunt omninò videnda.

6 Nec obijcies, quòd hi saltem, vt Laici possunt absolui, ob multa priuilegia Mendicantibus concessa, à casibus tam Episcopis, quàm Domino Papæ reseruatis, etiam in *Bulla Cœna*, prout videtur annuere *Rodriq. in d. art. 21. in fin.*

Quia, huiusmodi priuilegia respectu Laicorum, censentur extincta; & vix viuūt respectu Religiosorum, & quòad peccata secreta, & censuras occultas in foro conscientiæ tantùm, per ea multa, quæ latè tradidi *de reuocat. priuil. tract. 11. q. 17. p. 1.*

7 Sed pone, quòd Nouitius egreditur, ob morbum, vel Parētum inopiam, vel quòd sit inuitus expulsus, & quòd ex parte sua sit paratus reuerti, causa tamen impedimenti cessante?

Dico, quòd si ità expellitur, vel accedit, vt Superior decernat, illum ampliùs nō admittere, nec recipere; profectò relabitur; quia, vt dixi, tale priuilegium fuit cōcessum ijs, qui sunt in via ad perseuerandum in Religione, vt constat ex lectura *Bullarum*, quas semper diligentèr debemus aduertere.

Nouitij nondùm induti, de breui tamen induendi, si dùm sic sunt in Monasterio, infirmentur, & decedant; an possint à Nobis Sacramenta recipere, & in Ecclesijs nostris tumulari, inconsulto Parocho, & quarta funeris non soluta? Quæst. 18.

1 Sicut iure priuilegiorum; & maximè illius *Greg. XI.* nobis concessi, & aliorū licitè possumus omnibus Hospitibus, qui intra septa Monasteriorum infirmantur, Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis porrigere, eosquè in casu mortis in nostris Ecclesijs sepelire, sine Parochi, & Episcopi licentia, prout latè ostēdit *Rodriq. tom. 2. QQ. RR. quæst. 67. art. 1.* & *in Bull.* eiusdem in *Sixto IV. Bulla 42. nu. 4.* & *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 3. nu. 12.* & nos latè *alibi de sepulturis*, & *Barbosa tom. 3. de offic. & potestate Episcopi, allegat. 50. nu. 97. in fin.*

2 Ità, hæc, & fortiùs possumus ergà Nouitios, qui, etsi habitum Religionis nōdùm susceperint, quàm primū tamen recipient, & ad talem finem sunt in Monasterio approbati, & examinati, & amicti veste Laicali, sub obedientia Prælati, ad hoc, vt per aliquos dies incipiant experiri Religiosorum austeritates; quas si amant effugere; poterint recedere, antequàm tondeantur, prout

prout ex praxi Dominicanæ Familiæ.

3 Nihilominùs, sic stantes gaudet omnibus Fratrum, & Nouitiorum priuilegijs, tùm quia, de breui accingendus, in fauorabilibus, habetur per acceincto; *l.penult. ff.de milit.testam.* tùm etiam, quia partus conceptus in his, quæ concernunt præfetuationem, vt producatur ad esse, gaudet priuilegio Natorum, prout apertè colligitur ex *l.præegnantis, ff.de pænis, & l.qua in vtero, ff.de stat. hom.*

4 Nouitius, in nostro casu, se habet, vt proles concepta, stans in vtero Religionis.

Proindè, gaudet priuilegio *Canonis si quis suad. 17.q.4.* vbi *Archid. nu.8.* non obstante; quòd non habeat Ordinem, & potest confiteri Confessarijs, à solo Prælato Regulari approbatis, tùm tempore infirmitatis, quam sanitatis; quod Hospites nõ possunt per *Conc.Trid. sess.23.cap.15. Vech. de Nouitijs, disp.9.dub.1.* & *Peyr.tom.3. priuil.Minim.c.3 in addit.ad 1.Cõst.Iul.II. n.49.*

5 Et in casu Mortis, debet in nostris Ecclesijs tumulari, inrequisito Parocho, & nullã funeris quarta soluta, tùm quia, hæc debetur propter administrationem Sacramentorum, quæ nullatenus per Parochum fuerunt administrata: tùm itèm, quia Monasteria sunt excepta à iurisdictione Episcopi, & æquiparantur locis positis extrà Diœcesim, respectu quorum nulla fit iniuria Parochis.

6 Sed aduertendũ est, quòd, vt audio; hic Neapoli, cõtrarium fortè seruatur: vel quia dicta priuilegia non sunt in vsu, vel per conniuentiam Religiosorum, quod alijs remitto disquirendum.

SVMMA BVLLARVM, ET Quæstionum. Tract. II. De Recipiendis.

Constitutio Sixti Papæ V. contra illegitimos, criminosos, aut ære alieno grauatos, &c.

Moderatio, & Declaratio eiusdem Sixti super dubijs factis in sua Constitutione.

Moderatio Constitutionum Sixti V. facta à Gregorio Papa XIV.

Moderatoria Clem. VIII. Quà Constitutiones Sixti V. & Greg. XIV. modificantur, quoad nullitatem Professionum.

Instructiones super receptione, & educatione Nouitiorum editæ à Clem. VIII.

Pœnæ appositæ in d. Bull. Sixti V. & similibus, ad hoc, vt incurrantur in foro conscientiæ; an indigeant declaratoria Iudicis? Qu.1.

Pœna inhabilitatis ad Officia; an obliget statim admissa culpa, antè Iudicis sententiam? Q.2.

Pœna priuationis Dignitatum, Officiorum, & Administrationum, expressa in d. Bullis, & similibus quos comprehendat? Qu.3.

Prædicta Bulla Sixti V. de criminosis, in Religionem non admittendis; an comprehendat Clericos? Qu.4.

Decreta Clem. VIII. suprà posita; vbi obseruanda, & quos afficiant? Q.5.

Nouitij Religiosorum Ordinum Militarium; an subijciantur prædictis Decr. Clem. VIII. de Nouit. non recipiendis: nisi in certis Monasterijs, & Locis designatis? Qu.6.

Religiosi Collegialiter viuentes; an comprehendantur sub præfatis Decretis? Q.7.

Clerici Regulares; & signanter Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum; an comprehendantur in d. Decr. Clem. VIII.? Qu.8.

Bulla præfata Clem. VIII. quæ incipit, in Suprema Ecclesiæ; an in omnibus deroget prædictis Constit. Sixti V.? Qu.9.

An in casibus à Sixto V. præscriptis; sit necessaria declaratoria Episcopi, ad hoc, vt Iudices, ad quos spectat, possint in Nouitios sæuire, & vti facultate sibi facta in dicta Bulla? Quæst.10.

Quarelatus, vel Inquisitus, ingrediendo Religionem; an debeat de iure communi puniri à Iudice inquirente? Qu.11.

Quis dicitur criminosus, ad hoc, vt Inquirenti restituatur, si post accusationem, vel informationem captam, ingrediatur Religionem? Quæst.12.

Clerici Sæculares, si sint in sæculo inquisiti, & Religionem ingrediantur, fiantq; Professi, contra d. Constit. Sixti V. an possint ab Episcopo Loci Ordinario puniri? Q.13.

Reformati Sancti Dominici, excepti in d. Bulla Clem. VIII. quinam sint? Qu.14.

BVLLAE, ET DECRETA
De Recipiendis. Tract. II.

NE in re tàm graui, contingat errare; cogimur hìc per extensum ponere Romanorum Pontificum Constitutiones, Sacræ Congregationis Decreta, & Ius commune expendere, ad hoc, vt Recipiendorum Qualitates exprimantur omninò.

CONSTITVTIO I.

Contrà illegitimos, etiam legitimatos, criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vel reddēdis rationibus obnoxios, ad aliquam Religionem transire volentes, & contrà Regulares, absquè Superiorum licentia, de Prouincia in Prouinciam euntes, vel transmigrantes.

SIxtus Papa V. Cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus in ea, qua conuenit puritate, & dignitate conseruandis præcipuam geramus sollicitudinem, tùm verò illud pratèr cætera nobis Cordi est, vt à Regularium personarum Congregationibus, quas tanquàm Deo dicatas maximè candor, sanctitasq; decet, cuiuscunq; criminis, aut turpitudinis labes, & scandali occasio, quàm longissimè arceantur.

Siquidèm res ipsa nos admonet, quàm indecorum sit, & ab ea, qua diuinæ Maiestati, eiq; consecratis personis debetur reuerentia, alienum, si eiusmodi homines, qui proptèr sua scelera pœnas graues sibi, in sæculo propositas, timent, quiuè proptèr immunditiam, & peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repelluntur, ijdem Omnipotenti Deo, tanquàm hostia offerantur; atquè ad habitandum in domo, quam decet honor, & Sanctitudo, intèr Ministros Domini, cui seruire, regnare est, ad Sacras functiones, quacunquè profana præeminentia multò nobiliores, sine vllo delectu admittantur. Cùm etiam secundùm legem Moysi immundi ab ingressu Sāctuarij excluderentur, ac Sacerdos habens maculam panes Deo suo offèrre non posset, nec accedere ad ministerium eius, & quod in holocaustū Domini, aut victimā pacificorū offerebatur, id immaculatum esse deberet, vt acceptabile foret, nec vlla macula esset in eo; quod si maculā habuisset, neq; offerendū, neq; acceptabile futurū esset.

Nè igitur contingat, illegitimè genitos, qui, vt plurimùm Parentū vitia, & incontinētiā imitari solent, nec pietatis studio, nec tēporalium commodorū intuitu (quia hæreditates maiorum, aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt, vitā, quam animo à Religione alieno susceperunt, ac institutis Religiosis alienā, plerumq; cum dedecore, & propria salutis dispendio ducere, suisq; corruptis moribus, & malis exemplis, quietem, & statum cæterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi fæce, & colluuie, ipsarum Religionum honorem, & existimationem lædi, vt deniq; homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignēdos essent propensiores, eo magis abstineāt ab huiusmodi carnis flagitijs, quò suæ proli hoc quoq; refugiū præclusū viderint.

Hac nostra in perpetuū valitura Constitutione districtè interdicimus, & prohibemus, nè illegitimi procreati ex incestu, aut ex Sacrilegio (quorum scilicet Parentes consanguinitate, vel affinitate intrà tertium gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorū alteruter Parens, castitatem Deo vouerit, etiam Apostolica, Imperiali, vel Regia, aut quauis alia auctoritate legitimati, aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcunq; Ordinum, etiam Mendicantium, & non Mendicantium, Fratrum, Monachorū, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorū Regularium, Congregationum, aut Hospitalium Religionem, nequè ad habitum, nequè professionem Regulares recipi, vel admitti quoquo modo possint. Quòd si eorum quispiam habitum post publicationem præsentis Constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus, habitus susceptionem, & professionem, ex nunc, proùt ex tūc, irritam, nullam, & inualidā, nulliusq; roboris, vel momenti fore, ac nullum exindè, aut ex huiusmodi voto penitùs annullato, obligationis vinculum oriri posse, quinimò illos habitu Regulari, ad quem reassumendum perpetuò inhabiles sint, quamprimùm exui, & ab ipsa Religione eijci, exterminariq; debere. Et nihilominùs quicūq; Superiores, tā Monasteriorum, Prioratuū, Præpositurarū, Domorū, Collegiorū, & Locorū Regularium, quā etiā præfatorū Ordinū, Cōgregationū, Hospitalium & quarūcūq; Religionū Prouinciales, vel Generales, quouis nomine nūcupati, qui ex prædictis incestu, vel sacrilegio genitos, post dictā publicationem, ad habitū receperint, vel ad professionē admiserint, excōmunicationis sententiā eo ipso incurrāt, à qua eorū nemo, nisi in mortis articulo cōstitutus, ab alio, quā Romano Pōtifice absolutionis beneficium valeat obtinere; sed nè ijs, qui in humilitatis spiritu Deo, & Religioni seruire, & pœnitētiā agere intrà Monasteria, vel Domos Regulares cupiunt, ad Sanctum huiusmodi propositū via pœni-

penitùs remeliatur, permittimus, vt præfati illegitimi, ex illicitis incestuoso, & sacrilegio geniti, ad habitum Conuersorum, seu Famulorum in Monasterijs, vel Domibus Regularibus sexui eorum conuenientium recipiatur, & in ipsis Monasterijs, seu Domibus Regularibus, ad seruilia Ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abiecta seruitia admitti possint, ea tamen conditione, vt ad habitum Religiosorum, vel ad professionem, quam Religiosi emittere solent emittendam, nec non ad omnes, non modò Sacros, sed etiam Minores Ordines, vel ad Clericalem Characterem, denique ad cuncta Ecclesiastica Officia, & Functiones, & ad ascendendum altiores gradus, sint eis porta perpetuò clausa, & obserata.

Quoad reliquos verò non ex incestu præfato, nec sacrilegio, sed ex quouis alio minus legitimo toro natos, spurios, vel naturales, etiam, vt præfertur, vel aliàs legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus, & ordinamus, eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligentèr cognitis, & circumstantijs vniuersis, quæ circa huiusmodi tem personæ attendendæ erant, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimonijs, adeò commendati fuerint, adeò bonam indolem, & specimen virtutis præseferant, ac tot meritis eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorumque receptio vniuersæ Religioni commodo, & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in Generali, vel Prouinciali Capitulo, matura deliberatione habita, Generalis, vel Prouincialis Superioris, ac Diffinitorum, vnanimi consensu approbati, & ad habitum Regularem admissi extiterint, & tamen hi sic recepti, ad gradus, honores, & dignitates sui Ordinis obtinen. perpetuò inhabiles, & illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit, auctoritate Apostolica specialitèr dispensatum. Si quis autem eorum, aliàs quàm, vt præfertur recipietur, professio similitèr nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à Religione eijci debeant, eorum receptores, excõmunicatione, vt suprà, innodati ipso facto existant.

Cæterùm, quoniam sæpè se vitia ingerũt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & cõtractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant; Alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliaue facinora patrata, etiam banniti aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem, quia tutò in sæculo viuere non possunt, tunc demùm quærunt à Religione auxilium quando aliunde illud non sperãt; vndè sub habitu, & nomine Religiosorum animum Religioni inimicum, & inueterata vitia retinent, neque alios, qui Sancta vocatione vocati sunt, permittunt tranquillè Diuinis obsequijs insistere, in grauem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum; vt his quoque subterfugij, & impunitatis spes omninò tollatur, auctoritate Apostolica, & tenore præsentium, etiam perpetuò statuimus, & ordinamus, iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non alitèr in aliqua Religione recipi posse, nec debere, nisi priùs de eorum parentibus, patria, ac anteacta vita, & moribus diligentèr inquiratur, & ex accurata informatione, & fide dignas relatione compertum, & exploratum sit, eos, nequaliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt proptereà damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, nè inferatur: Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosã spontè, ex animo elegisse, Deque his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta, tàm Superioris Generalis, vel Prouincialis, quàm Diffinitorũ consensu approbati, & ad habitum Regularem admissi fuerint. Omnes autem, & quoscunque, vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus. Et si qui eorum cõtra præsentem nostram Constitutionem temerè admittentur, tàm susceptionem habitus, quàm professionem, & indè secuta, ex nunc, prout ex tunc pari modo irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu carere decernimus: ac iubemus, eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & à Religione expelli, & nihilominus, si expulsi non fuerint, volumus, & paritèr declaramus, habitus susceptionẽ, & professionẽ, penitùs nullã esse, & censeri, ac proptereà, attẽta nullitate habitus, & professionis, licere quibuscũque Iudicibus, & Curijs, etiam sæcularibus, ad quos, seu quas spectat, contrà eos, vt priùs iuris, & facti remedijs opportunis ex officio, vel ad cuiusc\ũq; instantiã vel querelã, ciuilitèr, criminalitèr, aut mixtim procedere. Quarè volumus, vt cuiusq; Iuuenis aut Viri maioris XVI. à sæculo ad Religionẽ trãseũtis, approbatio, admissio, & receptio in Generali, vel Prouinciali Capitulo, vt suprà ordinatũ est pro tẽpore fiat; Nec nõ Religiosi sic recepti, nomẽ, & cognomẽ, quibus in sæculo vtebatur, et Patria in actis ipsius Capituli describãtur, et notẽtur. Et insupèr quoscunque Religiosos, eorumque Superiores,

qui

qui aliquas Personas, vt dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce actiua, & passiua, nec non officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus, quibuscumq; per eos obtentis, eò ipso in perpetuum priuamus, & tàm illis priuatos, quàm ad illa, & alia, quæcumq; in posterùm obtinenda perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.

Sed, & quia interdùm Sathanas in Angelum lucis se callidè transfigurat, ac perditi quidam, & facinorosi homines, quod sæpè vidimus, & experti sumus, instigante antiquo Pacis, & Religionis hoste, non veriti sunt temerario ausu, habitum Religiosorum assumere, ea mente, vt veluti sub ouina pelle, lupi rapaces per dolum, & insidias Christifideles incautos, & nihil mali à Religiosis suspicantes, opprimerent, siuè, vt post scelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent; siuè, vt banniti Curiæ Sæcularis, quæ eos propemodùm interceptos persequebatur, manus effugeret, & contigit aliquando, ipsos Sicarios, Religiosis vestibus indutos, à veris Religiosis hac fraude deceptis, intrà Domos Regulares hospitio receptos fuisse. Prohibemus eodem modo, atq; interdicimus, nè quis Regularis, ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere, intrà aliquod Monasterium, Domum, vel Locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquàm hospes recipi, aut ad modicum tempus diuertere possit, nisi à Superiore eius Loci, vbi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seù litteras obedientiæ, vel commendatitias secùm deferat atq; exhibeat, vel nisi ità cognitus sit ijs, ad quos diuertit, vt de eius persona, nullus omninò dubitationi, aut suspitioni locus relinquatur. Ideòq; præcipimus vniuersis, & singulis Locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs in spiritualibus Generalibus, vt per suos Officiales, Ministros, vel Executores curēt, ab omnibus personis Regulari habitu indutis, quas per suas Ciuitates, vel Diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcumq; Hospitia, vel Diuersoria se recipere contigerit, diligentèr perquiri, nùm huiusmodi litteras obedientiæ, seù commēdatitias secum deferant. Quòd si eos dictas litteras non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contrà ipsos, etiam tanquàm dictorum criminum suspectos procedere; & tandiù illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur. Et tamen volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, Regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut sine licentia, vel litteris, vt suprà receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentorum atq; inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes, sic in præmissis omnibus per quoscumq; iudicari debere. Nec non irritum, & inane, si secùs à quoquam quauis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari.

Quòcirca Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, dictorum Ordinum, Cōgregationum, Hospitalium & Locorum Regularium apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus, nunc, & pro tempore existentibus, ac Locorum Ordinarijs præfatis per Apostolica scripta mandamus, vt eorum vnusquisque per se, vel alium seù alios Cardinales quidèm in suæ protectionis, Ordinarij verò in suarum Ciuitatum, Diœcesum, & Districtuum Regularibus Locis, curent præsentes litteras publicari, easq; perpetuò firmitèr, & inuiolatè obseruari. Inobedientes, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasq; etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus, &c. prout in *Bullario Cherubini fol. 601. Constit. 71.* intèr *Bull.* eiusd. & *f. 603.*

CONSTITVTIO II.

Moderatoria, & Declaratoria eiusdem Sixti super Dubijs nonnullis factis in prima sua Constitutione.

Sixtus Papa Quintus. Ad Romanū spectat Pontificem Sacrorum Canonum conditorem, quæ per eum sancita sunt, ità suæ declarationis arbitrio dilucida reddere, vt indè nemini possit dubitationis scrupulus exoriri, præsertim verò salubritèr consulere, vt cùm de Regularibus agitur, qui se omninò Dei Omnipotentis obsequio manciparunt, tollantur ea omnia, quæ eorum Sanctum Christo piè inseruiendi institutum quoquo modo valeant perturbare.

Sanè post editam nostram Constitutionem, quæ incipit, cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, &c. Super modo, & forma recipiendi, & admittendi eos, qui sub Religionis *iugo, Altissimo famulari desiderant, cùm variæ sint exortæ dubitationes, & quæstiones, eæquè posteà ad audientiam nostram perlatæ; Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occasionem, habita cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis super Regularium negotijs, & consultationibus per nos institutæ matura deliberatione de illorū consilio, & assensu, præsentem nostram perpetuò valituram declarationis Constitutionem duximus promulgandam. Cùm itàque inter alia dubitetur, nùm primò dicta nostra Constitutio, vbi de illegitimè genitis loquitur, comprehendat etiam eos, qui posteà per subsequens matrimonium facti sunt legitimati. Nos inhærentes Sacrorum Canonum*

dispositioni, authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, illegitimè natos ex ijs parentibus, inter quos tempore, quo ipsi geniti sunt, matrimonium ritè consistere poterat, secuto posteà matrimonio, legitimos effectos sub dicta Constitutione minimè comprehendi, sed eos tàm quoad emittendam professionem, quàm quoad consequendos gradus, honores, & dignitates sui Ordinis æquo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo, & constanti nati sunt, censendos esse.

Illegitimos verò etiam ex soluto, & soluta, qui antequàm nostra Constitutio emanaret professi, vigore, seù prætextu priuilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuius Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumuè Superioribus in genere, vel in specie concessorum, eo ipso per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores, sinè alios quoslibet, etiam Sedis Apostolicæ de latere Legatos, aut alios Officiales, vel Ministros, quauis præeminentia, vel authoritate, etiam Apostolica fungentes, aut facultate suffultos legitimari, aut ad gradus, honores, & dignitates habilitari, seù reintegrari, & illis aliàs perfuncti sunt, volumus post hanc, non obstantibus quibuscunq; tàm antiquis priuilegijs, aut litteris Apostolicis quàm alijs indultis, seù declarationibus, etiam si illa per nos, post dictam Constitutionem nouissimè edita fuisse asserantur, honores, gradus, aut dignitates huiusmodi obtinere non posse, ac dispensationes, & legitimationes quascunq; eis nullatenùs suffragari, nisi specialitèr, & nominatim, cum eorum singulis fuerit super natalium defectu ad honores, gradus, & dignitates obtinendas antè, vel post ingressum Religionis per Romanum Pontificem immediatè, vel de eius speciali mandato dispensatum, deque dispensatione, seù mandato per litteras Apostolicas, seù in forma Breuis, vel saltem per patentes litteras. Cardinalis Protectoris, de ipsius Romani Pontificis voluntate fidem facientes legitimè constiterit.

Eos paritèr, qui tempore publicationis nostræ Constitutionis in suis Religionibus sine huiusmodi speciali Romani Pontificis dispensatione, officia, honores, & dignitates habebant ad vitam eo ipso ab illis amotos, & absolutos harum serie declaramus.

Ad tempus autèm illa obtinentes, permittimus, in sua administratione vsquè ad finem sui temporis conseruari: ità tamen, vt in posterùm nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, nequè ipsi ad alias, non modò similes, verùm etiam nequè ad inferiores, aut altiores, & maiores dignitates, honores, gradus, ascendere possint, perindè, ac si id ipsum in præfata nostra Constitutione ab initio expressum fuisset.

Nè tamen huiusmodi Religiosi in liberalium artium, ac præsertim Sacræ Theologiæ studijs, & Religiosis profectibus seguiores fiant; atquè eorundem pia studia refrigescant, eos nosse volumus, quòd si ipsorum quispiam eximia doctrina, vitaquè, & morum sanctitate excellere reperietur, dequè eorum probitate, & præclaris meritis, Ordinum Protectores eam apud nos fidem fecerint, vt non immeritò sperari queat, eorum doctrinam, & operam ipsi Ordini, & Sanctæ Dei Ecclesiæ vsui, & commodo futuram, tunc demùm indulgentiam, & benignitatem nostram facilè experientur.

Quoniàm verò à multis quæsitum est, sub nomine honorum, graduum, & dignitatū, à quibus illegitimi penitùs excluduntur, quid potissimùm sit intelligendum; Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi, Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his similia cū honore, & superioritate coniuncta.

Ab Officijs autèm oneris, velùti Lectoris, Confessarij, Studiorum, ac Sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & cæteris huiusmodi, imò etiam à voce actiua, à sacris Ordinibus suscipiendis, ipsorumquè ministerio ipsos illegitimos, dummodò ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquàm arcemus.

Cùm verò in quibusdam Religionibus Capitula Prouincialia, aut nunquàm, aut non quotannis, sed rariùs celebrentur, quædam etiā Monasteria, aut Domus huiusmodi in remotissimis Regionibus Hæreticorū, aut Infidelium tyrānidi finitimis sita sint, nè ij, quos extrà Capitula ad habitum, vel professionem Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrādis Capitulis præfixum nimis diù expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus, & indulgemus.

Vt in qualibet Prouincia saltèm duo, vel, si commodè fieri poterit, tria, aut plura Monasteria, seù Domus Regulares deputentur, quarum, seù quorum Superiores infrà annum saltèm ad inquisitionem super Nouitijs faciendam, & ad ipsos Religiosos, iuxtà formam præfatæ Constitutionis recipiendos, & ad alia, quæ in ipsa Constitutione continentur peragenda insimul congregentur.

Quòd si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum, nè id quidèm patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut Domus eius Prouinciæ huiusmodi facultas, & authoritas per Capitulum Generale, scilicet Monachorum vel Prouinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium eius Ordinis demandetur.

Verùm in ijs Monasterijs, Domibus, &

Locis

Locis Regularibus, quæ aut nondum in Cógregationes redacta, aut aliàs nulli Prouinciæ subiecta sunt, statuimus, vt terna Capitula Cóuentualia tribus distinctis cum internallo saltèm decem dierum vicibus celebrata, eandem in recipiendis Nouitijs per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis, habeant authoritatem, quæ per nostram Constitutionem Capitulis Prouincialibus est attributa.

Neque verò si in Generalibus, vel Prouincialibus Capitulis aliqui Vocales desint, nec si à Diffinitorum consensu aliquis discrepauerit, idcircò receptio Religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit; sed satis esse volumus, si Vocalium, & Suffragiorum numerus legitimus à iure, vel per cuiuscunquè Ordinis statuta præfinitus interuenerit.

Et quod de Capitulo Prouinciali, aut Generali dictum est, idem iuris statuimus, si quæ Religionis, non Capitulorum, sed Congregationũ, aut Dietarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur.

Quod autèm pertinet ad Professionem, tàm illegitimorum, quàm eorum, qui post XVI. ætatis annum expletum Regularem habitum susceperunt, quia tunc demùm verè & propriè Religiosi effici dicuntur, cùm professionē emittunt; Declaramus, eos, qui antè prædictam nostram Constitutionem habitum susceperint, & post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non aliàs ad professionem admittendos esse, quàm facta inquisitione & seruata forma in ipsa Constitutione præscripta, & eorum, qui post dictam promulgationem, etiam ignorantèr, non habita dicta inquisitione, & non seruata forma ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris & momēti. In Oblatis autem, & Conuersis professionem emittentibus, satis erit si quoad mores, & statum personarum ipsa inquisitio fiat.

Sed cùm eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quæ militat in expressa; statuimus, quòd in quibusuis Ordinibus, & Religionibus nequè etiam tacita professio quorumcunq; Religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione, Constitutionis forma seruata fuerit.

Si quis verò antè editam nostram Constitutionem iàm tacitè professus, expressè cupiat profiteri, vel si quis Apostata ad suam Religionem redire voluerit, inquisitio, & forma præscripta non erit necessaria, nisi vel de moribus, statu, & qualitate personæ, vel de validitate ipsius tacitæ professionis dubitatio aliqua oritur.

Ii autèm, qui in Locis à sua Patria longissimè remotis degentes, vel quorum Patria ab Hæreticis, vel Infidelibus miserè oppressa detinetur, voluerint se diuinis obsequijs sub Regulari habitu dicare, vt in hoc quoq; Sedis Apostolica benignitas elucescat, quæ cunctos mortales, præsertim verò exteros ex lõginquis Regionibus ad eam assiduè confluentes materno sinu libentèr amplectitur; sancimus, exteros huiusmodi, & aduenas, quamuis non liquidò constet de ijs omnibus, quæ in Constitutione nostra requiruntur; tamen si diligentia adhibita nihil appareat, quod eos impediat, habiles reputandos esse.

Quòd si quis antè, vel post Constitutionem ipsam professus ad sacros Ordines, vel ad honores, gradus, & dignitates promotus existat, & postmodùm in eo naturalium defectum, aut criminum in dicta Constitutione nostra expressorum notam, quæ priùs ignorabatur detegi contigerit, decernimus, eum, statim post huiusmodi defectus notitiam habitam, non aliàs, quàm iuxtà formam ipsius Constitutionis, ad honores, gradus, & dignitates, aut ad executionem sacrorum Ordinum admitti debere.

Contrà Criminosos verò, quorum professio eadem Constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, & Curijs Sæcularibus procedendi facultas conceditur, tunc demùm id locum habere volumus, & non alitèr cum actis publicis constiterit, ipsos Iudices, & Curiam sæcularem antè susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse vel inquisitionem instituisse.

Cæterùm, quæ à nobis circa Religiosos viros in præfata Constitutione sancita sunt, ea nequaquàm volumus ad Moniales nunc extendi.

Postremò dùm interdicimus, nè quis Regularis alterius Prouinciæ intrà aliquod Monasterium, Domum, vel Locum alienæ Prouinciæ, etiam tanquàm hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore Loci, vbi residebat, & à quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id obseruari volumus, non solùm in Religiosis itinerantibus de vna in aliam Prouinciam, sed in ijs quoquè, qui proficiscuntur de vno in aliud eiusdem Prouinciæ Monasterium tàm sui, quàm alterius Ordinis. Quòd si dicerent, se ad Apostolicum Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata, & ideò ab ipsis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse; non propterea vllo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit.

In Alma verò Vrbe nostra Religiosi Aduenæ, & Peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi sine huiusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotijs Regularium à nobis deputatorum,

vel

vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum, & personarum qualitate, quid agendum sit, statuetur.

Reliqua autem in priori nostra Constitutione contenta quæ in præsentibus litteris non declarantur, volumus perpetuò firma, & valida, & in suo robore permanere, ac ab omnibus, ad quos spectat inuiolabiliter obseruari.

Et si quid à nobis alicui Ordini, aut Religioni præter, aut contrà præfatæ Constitutionis formam post illius editionem circà recipien. extrà Capitula Nouitios, aut aliàs indultum, aut concessum fuit, id omne, ac desuper confectas litteras, prorsùs reuocamus, & annullamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis reducimus, & aliàs nemini volumus suffragari.

Decernentes sic in præmissis vniuersis, & singulis per quoscunque Iudices ordinarios etiam, & Delegatos, etiam causarum Sacri Palatij Apostolici Auditores; ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis causa, & instãtia vbiq; iudicari, & diffiniri debere. Nec non irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præfatis, & alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcunque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Religionum Monasteriorum etiã eorũ, quæ Ordinum Capita dicuntur; Prioratuum, Domorum, & quorumuis Regularium Locorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis quantocunque tẽpore obseruatis, nec non fundationibus eorundem, alijs quoque priuilegijs, indultis, exemptionibus, & litteris Apostolicis illis omnibus, ipsorumq; Superioribus, Generalibus, vel Prouincialibus, Conuentibus, Capitulis, Fratribus, & Personis per quoscunque Rom. Pontif. Prædecessores nostros, ac nosmetipsos, etiam post primam dictæ nostræ Constitutionis publicationem, & præfatam Sedem etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, seù quasi, nec non motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac de eorum consilio, & assensu, etiam consistorialiter habito quomodocunq; ac sub quibusuis tenoribus, & formis, nec non cum quibusuis restrictiuis, præseruatiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis quomodocunque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus extensis, & moderatis, etiam si in eis, ac statutis, stabilimentis, & fundationibus præfatis caueatur expressè, quòd nunquàm eorum priuilegia, & indulta reuocata, vel moderata, aut immutata intelligantur, nec illis in toto, vel in parte derogatum censeatur per quascunquè litteras, etiam derogatoriarum derogatorias, & alias fortiores, & efficaciores clausulas in se continentes, nisi illorum, ac etiam certarum specialium litterarum Apostolicarum inde cõfectarum verè, non autèm per clausulas generales, vel speciales idem importantes inserto tenore, ac de simili Cardinalium consilio, quòdque semper in huiusmodi derogationibus, & alijs dispositionibus censeatur apposita clausula, quòd tunc demùm, nec aliter, nec alio modo effectum sortiantur, cùm Superiorum, Capitulorum, & Conuentuum præfatorum ad id accedat assensus, quodq; derogationes, & aliæ dispositiones huiusmodi aliter effectum non habeant, nisi consistorialiter factæ, & per trinas distinctas litteras earundem tenorem continentes tribus distinctis vicibus Superioribus, Capitulis, & Cõuentibus præfatis fuerint intimata, eorumq; pariter ad id expressus accedat assensus, aliter verò factæ, viribus, & effectu omninò careant, ac Superiores, Capitula, Conuentus, & aliæ Personæ præfatæ ad parendum illis, & decretis desuper processibus, eorũq; Executoribus, & Subexecutoribus, ac ipsorum mandatis, & monitionibus minimè teneantur, sed litterarum huiusmodi executionem omninò impedire, nec ratione resistentiæ censuris Ecclesiasticis, etiam per ipsos Executores, vel Subexecutores latis inquietari possint. Quibus omnibus, &c sub anno Domini 1588. 12. Kalend. Nouembris. Proût in *Bullar. Cherub. fol. 603. & Quaranta in summ. Bullar. ver. Monasterium, & Rodr. tom. 3. qq. regul. q. 54.* post *art. 6.*

CONSTITVTIO III.

Moderatio Constitutionum Sixti V. facta à Gregorio Papa XIV.

Circumspecta Romani Pontificis prouidentia, ea, quæ rationabilibus causis authoritate Apostolica sancita fuerunt, ipsa rerum experientia suadente, & alijs interdùm non minùs iustis causis moderatur, & immutatur, proût in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè licèt aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V. Prædecessor noster nonnulla circà qualitates, modum, & formam admittendi Religiosos ad quoscunque Ordines salubriter statuerit, proût in duabus desupèr, prima videlicèt sub Datum VI. Kal. Decemb. anno 2. & altera sub datum 12. Nouembris anno 4. sui Pontificatus, editis constitutionibus latiùs contine-

tinetur, quia tamen vsu comprobatum est, multa nimia fuisse impedimenta, propter quæ, ea, quæ in præmissis statuta fuerant, executioni minimè mandari poterunt. Vndè quamplures litteris, & pietate insignes Viri à Sancto proposito Regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alij diù cum magna eorū laude in Religione versati, ab illius dignitatibus, honoribus, prælaturis, cum nō modico Religionis & Ordinum huiusmodi detrimento repulsi, & inhabiles penitùs redditi fuerint. Nos igitur, ea, quæ docuit experientia salubritèr fuisse constituta confirmare, quæ verò moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum Constitutionum, & indè sequutorum quorumcunq; tenores, etiam veriores præsentibus pro expressis habentes, habita cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotijs, & Constitutionibus Regularium deputatis, matura deliberatione de eorundem consilio prædictas Constitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato toro, vel complexu ad quamcunq; Religionem, neque ad habitum, vel professionem Regulares, sed tantum ad habitum Conuersorum, aut Famulorum, in Monasterijs, alijsq; Locis Regularibus seruientiū admittantur, & si post dictā Constitutionē, professionem emitterent, voluit, eam nullius esse momenti. Et in altera parte, in qua illegitimè genitos, etiam antè ipsas Constitutiones professos, vigore priuilegiorum, aut indultorū Apostolicorū, cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Cōgregationi, eorumq; Superioribus, in genere, vel in specie concessorum etiam ipsi per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimatos, ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, seu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus, quibuscunq; tàm antiquis, quàm alijs priuilegijs, litteris Apostolicis, indultis, aut declarationibus non obstantibus excludi, atque dispensationes quascunq, aut legitimationes non suffragari, nec in futurum cum his, nisi à Sede Apostolica, priuilegijs quibuscunquè non obstantibus dispensari posse voluit, authoritate Apostolica tenore præsentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur, ac omnes dispensationes, & habilitationes, vigore priuilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumuè Superioribus in genere, vel in specie, vt præfertur, concessorum, quæ tempore Constitutionum huiusmodi vsu recepta, & non sub illis, & alijs reuocationibus comprehensa erant, per quoscunquè eorum Superiores factas, in pristinum statum, & validitatem, in quibus antè ipsas Constitutiones existebant, restituimus, & reintegramus, volentes, iisdem Constitutionibus non obstantibus eos, qui quouis modo illegitimè procreati fuerint, ad habitum, & professionem Regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ Constitutiones editæ non fuissent; ità tamen, vt cùm de recipiendis quomodocunquè illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunq; agetur, ij, ad quos huiusmodi receptio spectat præter alia, ex quibus ex dictarum Constitutionum præcepto circà quoscunq; etiam legitimos disquirere debent, diligentèr vitam eorum, & mores inquirant, & ità demùm recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis speciem præferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumquè receptiò Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et supèr hoc ipso ij, ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita ità censuerint, & iudicauerint, dummodò tamen filius illegitimus in Religione, in qua Pater, siuè antè, siuè post natiuitatem dicti filij, professus fuerit, ipso Patre viuente non admittatur, quod expressè prohibemus, volumus quoquè, ac statuimus, licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxtà tenorem Priuilegiorum & Indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodò vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte renouamus, cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio Capitulo; & non aliàs, suffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensari, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ità factas, & indè sequuta quæcunq; vt anteà valere, & tenere, perindè ac si supradictæ Cōstitutiones nō emanassent. Cæterùm cùm acceperimus, nonnullarū Religionum, & Ordinum, præsertim Monachalia Monasteria ità instituta esse, vt in eis perpetua quidem filiatio constituatur, ideòquè receptio Nouitiorum in vnoquoq; Monasterio ad Superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem Monasterij tantùm pertineat, quæ etiam Monasteria, vt plurimùm intèr se longè distāt, nec Generalia, Prouincialia, aut intermedia Capitula, nisi per rarò celebrare solent; ideò statuimus, vt Superiores illorum Monasteriorū, de consensu sui Capituli, præhabita simul cum his, à quibus in vnaquaq; Religione, aut Monasterio, iuxtà eius Constitutiones, recipiendus interrogari solet, aliqua informatione supèr his, quæ in dictis Cōstitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dummodò tamen antequàm ad professionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, & po-

stea

fleâ ab eis, à quibus examinari solent, diligentèr examinentur, & approbentur, & demùm in dicto Capitulo coràm Superiore referantur, volentes, quòd Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut vbi mot non fuerit celebrandi Capitula cum tribus, aut quatuor ad id Congregatione per vota secreta deputatis, seruatis eorum Regularibus Institutis, ac supradictis omnibus eandem in recipiendis Nouitijs habeant authoritatem, quæ per dictas Constitutiones Prouincialibus Capitulis est attributa, decernentes sic, & non aliàs per quoscunquè Iudices, & Commissarios, quauis authoritate fungentes, etiam Romanæ Curiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbiquè iudicari, & diffiniri debere, irritum quoq; & inane, quicquid secùs supèr his à quoquam, quauis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisquè contrarijs quibuscunq; &c. Anno Incarnationis Dominicæ 1590. Idibus Martij, proût in *Bull. Cherub. fol. 687.*

CONSTITVTIO IV.

Moderatoria Clementis Octaui, qua prædictæ Constitutiones Sixti V. & Gregor. XIV. modificantur quòad nullitatem Professionum, edita die 2. Aprilis 1602.

IN suprema Catholicæ Ecclesiæ specula, & infrà; Constit. Præd Sixti Prædec. & Greg. IV. &c. quòad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisd Constit. præscriptam de cætero non seruauerint, & quòad alios, etiam casus ibidem expressos in quib. receptorum in quibuscunquè etiam Mendic. Ordinib. professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, perindè ac si prædicta Const. in illa parte edita non fuissent, authoritate Apostolica tenore præsentium reducimus. Cæterùm, pœnas contrà Superiores quorumcunq; Ordinum, & Mendic. huiusmod. qui in admittendis Regularibus ad habitum, & profess. earumd. Constitut. formam non seruauerint, aut alitèr quouis modo contrafecerint, in ipsis Cōstit. inflictas saluas esse volumus, & statuimus, sicquè, & non alitèr, &c. proût in *Bullar. Cherub. fol. 129. tom 3. & Nald. in summ. ver. professio Regul. num. 12. & Flauius Cherub. in Compend. Bullar. tom. 2. fol. 26.*

CONSTITVTIO V.

De Institutionibus supèr Receptione, & Educatione Nouitiorum Religiosorum, eiusdem Clementis iussu editis.

CVm ad Regularem Disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandam Nouitiorum Institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem suprà numerum, quem capere, atquè alere Monasteria ipsa possent; vel negligentiam in probando, & examinandò eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atquè ex præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel deniquè incuriam in eis educandis, atquè instituendis. Idcircò, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum institutione, atquè educatione, nec non in Magistri, & aliorum Ministrorum electione, prætèr alia, quæ in Sacris Canonibus, ac Decretis, præsertim Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuscunquè Ordinis, aut Instituti Constitutionibus continetur, tàm in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterùm ad hoc designandis Monasterijs, & Conuentibus, hæc, quæ sequuntur inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent.

Primùm, quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltrà diligentem perquisitionem, quæ habenda erit, de vniuscuiusquè natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita antè acta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxtà formam Constitutionis felic. recordat. Sixti Quinti, & moderationum subsecutarum: illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt quibus in Monasterijs, & Conuentibus, ex Apostolica facultate Nouitiatus fuerint instituti, in ijs ad Religionem nullus in posterùm admittatur, qui, & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones Sacris Canonibus, Summorumquè Pontificum Constitutionibus præscriptas non habeant, iuxtà Decretum supèr forma recipiendi Nouitios die 19 Maij 1602. editum.

Quis-

Quisquè recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in eu sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur Regularia instituta, & Ordinationes requirunt; eam verò litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus, maiores Ordines, iuxtà Decreta Sac. Concil. Trident. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens, ad habitum Regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantùm, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerũ referatur: ipsi aũt Conuersi non recipiantur antè vigesimũ ætatis suæ annũ, & nisi saltè præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

Demùm, Superiores diligentèr exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eorum Parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Prouideant quoque, vt omnes, etiam Cõuersi recipiendi, priusquàm ad habitum Regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuq; Regulari, & alijs cuiuscunq; Ordinis peculiaribus Institutis; & Constitutionibus diligentèr instruantur. Et quia quarundam Religionum mores est, nedùm Conuersos ad professionem admittendos, verùm, & Oblatos, vt vocant, recipere; circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæq; Religio, suas peculiares Constitutiones, speciales q; Instituta obseruare teneatur.

Statim atq; Nouitij ad habitum recepti, & in Locũ Nouitiatus introducti fuerint, per Generalem omnium peccatorum Confessionem totius antè actæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quod verò ad Loci qualitatem vniuscuiusq; Nouitiatus spectat, Locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt Professi, segregatus sit; atq; distinctus, habeatq; tot ad dormiendũ Cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel Dormitorium, itá capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam Cellula, vel certus, ac determinatus Locus pro Magistro, eiusq; Socio reperiatur.

In eo etiam præter alias communes commoditates, aptus Locus adsit ad spirituales collationes, seù conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesq; Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seù Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in ceremonijs, Ecclesiasticisq; functionibus exercendos.

Hortus quoquè peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atquè munitus adsit, sin minus hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Nouitijs ibi commorantibus curabit Magister cum Loci Superioris authoritate (si opus fuerit) nè in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi Locum Nouitiatus, nemini eiusdem, vel alterius Ordinis, Regulari, etiã Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquã tẽpore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquàm Magistro, eiusq; Socio, ac etiã Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quandocunq; ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex Senioribus Cõuentus, & Monasterij Patribus Sociũ assumat.

Huius Loci clausuræ clauis apud Magistrũ semper asseruetur, illiq; soli liceat ex graui tantùm causa, ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non alitèr, alloquatur.

Nouitiorum Magistro, Socius, si propter Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quòad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat, eliganturq; tàm Magister, quàm Socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quòd si aliquo casu extrà tempus Capitulare noua Loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & Socij huiusmodi in his nouis Locis per Generalem, vel Prouincialem, seù Ministrum, aut eorũ Visitatores, seù Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittantur: idemq; seruetur, si intrà triennium alterum, vel vtrumq; vrgenti aliqua dè causa ex illis Locis amoueri, vel mori contigerit, in eius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tàm Nouitiorum Magister, quàm Socius ab ijs omnibus officijs, oneribusquè vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeãt. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltèm suprà trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione perstiterit. Socius verò trigesimum annum excedat; sintq; ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vita etiam antè acta exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateq; referti, nõ sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine

præferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quàm longissimè alieni, & tales demùm, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tàm metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquàm detrahere quicquam possint.

Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, vt in illis, nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam Localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in Regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscantq; præcipuè Diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atq; perfecta votorum solemnium, & quàm necessaria cuiusq; Ordinis Constitutionum obseruantia, modum in oratione, tùm vocali, tùm mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata, omni tempore prona est, atq; procliuis) per sensuũ custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumquè silentium.

Quilibet Nouitius bis quotidiè orationi mentali, & vocali incumbat, vnusquisq; secũdùm propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluriès in die propriam conscientiam vnusquisq; examinare contendat: Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi cura committatur; liceat tamen Superiori, etiam Locali, si ità expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno, eorundem Nouitiorum Confessiones audire.

Quotidiè Missæ Sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisq; Diuinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extrà Nouitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltẽ hebdomadibus longior statuatur, fiatq; semper Magistro præsente, vel Socio, qui multùm inuigilent, nè duo ab alijs commorentur disiuncti, atq; eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur propensionem, scrutentur.

Non liceat eis durante Nouitiatus, & Probationis tempore, vnà cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in Processionibus, aut in Cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & proprijs cuiusquè necessitatibus, quæ accidere possunt, vnus ex Nouitijs ipsis ætate, moribusq; prouectior deputetur, qui absente Socio, Magistro permittẽte, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam sacra custodia, & rerum leuiorũ momẽti prouisio intrà Nouitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum benè instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potiùs æquanimitèr amplectenda: quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cùm Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tùm Religioni decorem, & ornamentum, tùm alijs Christifidelibus ædificationem, exemplum, atquè vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatos ad dormiendum locos (quoadtùm commodè fieri poterit) assignari præcipitur: Illi tamèn hac separatione non obstante, Magistro Nouitiorum, seù Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum, iuxtà cuiusq; Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verùm etiam, pro eorum capacitate, & commoditate de spiritualibus, præsertim de modo mentalitèr orandi, diligentèr instruendi erunt, quod, vt commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesijs statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officijs actualitèr occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solùm Religiosæ perfectionis capaces: sed ad laborem corporalem apti, idonei, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis suæ annum, quòad Clericos decimumsextum, quò verò ad Conuersos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem admittantur; Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, nõ possint.

Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit cõstitutus, particularem librum habeat, in quo Nouitij professio registretur, illãq; Nouitius Professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

Conuersus verò litterarum ignarus, Professos, in eorũdem testium, qui se subscripserint, præsentia, propria manu, signum Crucis apponat, asseruetur q; liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seù Cõuentum pertinentes, reponi consueuerunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus, declaratur, quòd licet decretum sit, vt Nouitijs educandis certa Monasteria, aut Cōuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum Locorum filios, iuxtà cuiusq; Ordinis Constitutiones adscribere; sicquè adscriptos, cùm iuxtà præsentes Institutiones, & aliàs seruatis seruādis, ad Ordinem recepti fuerint, ad Loca Nouitiatuum cum testimonialibus litteris transmittere; vbi tanquàm dictorum Conuentuum, seù Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deindè antequàm ad eadem Monasteria, seù Conuentus filiationis huiusmodi remittantur in Professorio, ad perfectionem, vt permissum est, exerceri debebunt.

Porrò, nè Loca vnius Monasterij, seù Cōuentus ab alio praeoccupentur; Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similitèr rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) iniri, ac singulis Conuentibus, & Monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti, meliùs in bono spiritu, Regularisq; disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur; Mandatur, vt statim post Professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasterijs pro Nouitiatibus assignatis Locus adsit secundi Nouitiatus, siuè Professorij, ab ea, quæ Nouitiorum est, atquè antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minus in alium commodiorem Conuētum, aut Monasterium transferantur; in quo is Locus cum requisitis ad Nouitiatū suprà narratis reperiatur, vel accomodetur, aut de nouo construatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum Constitutionum, seù Institutorum vigore maioris temporis cursu nouos Professos intrà Nouitiatum detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt prædictis earum Constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id ratione, ac Religioni magis expedire iudicauerint quibus in Locis degant sub Regulis, & modo viuendi, adhùc arctiori, quàm seruent antiquiores Professi, ità, quòd in negotijs Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, nequè alicuius exterioris obedientiæ officiū exercere debeant, ibiquè permaneant, quousq; ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltèm per triennium post Professionē, quo etiam tempore poterunt, quinimmò, & debebūt litterarum studijs operam nauare, sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum præditum esse oportere, dictum est.

Declaratur tamēn, quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in Locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterùm designādis, & pro numero, dūmtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Deniq; si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seù quouis modo contrà fecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresq; pro modo admissæ culpæ pęnas, se subituros certè scient. Datum Romæ die 19. Martij 1603. & sub anno Domini 1624. Die verò 26. mēsis Octobris fuerunt prædicta omnia iterùm ratificata, & publicata iussu *Vrb. VIII.* vt in *tom. 4. Cherub.* infrà *Constitut.* eiusdem 26. *fol.* mihi 275.

Pęna apposita in dictis Bullis Sixti V. & similibus, ad hoc, vt incurrantur in foro conscientiæ; an indigeant declaratoria Iudicis? Quæst. 1.

1 Sixtus V. in transgressores supradictæ suæ *Constitut.* pęnas indixit, *ibi, insuper quoscunq; Religiosos, eorumq; Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles, post hanc Constit. publicatam, receperint; voce actiua, & passiua, nec non officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunq; per eos obtentis, eo ipso in perpetuū priuamus; & tàm illis priuatos, quàm ad illa, & alia quæcunq; in posterùm obtinenda, perpetuò inhabiles, eorumq; incapaces decernimus, & declaramus:* hæc *ibi.*

2 *Clem. VIII.* anno Domini 1602. prædictam *Constitut. de Recipiendis* reduxit ad terminos iuris communis, quòad Professionē Receptorum; saluis tamēn remanentibus pęnis contrà transgressores inflictis, vt supra vides in *Const.* eiusdem.

3 Nihilominùs, supradictæ pęnæ, qualesq; sint, etiā si Cēsuræ, vel Criminis Læsæ Maiestatis, quòad forum Cęsaris, & contētiosum, indigent processu, & sententia Iudicis; adeò, vt respectu Reorum prouerbium sit, *quod non est in actis, nec est in Mundo.*

4 Quis enim dicet, quòd Reus Criminis Læsæ Maiestatis, spontè, & de se debeat se in carceres conijcere, se suis bonis spoliare, & se sua vita priuare?

Et est decisio *cap. cùm secundùm leges,* de

de Hæreticis, in 6. ibi, *confiscationis executio non fiat, donec sententia fuerit promulgata super crimine:* hæc *ibi.*

5 Quò vero ad forum conscientiæ, distinctioni subduntur, quandoquidem, aut hæ pœnæ sunt merè, & purè priuatiuæ, latæ sententiæ, vt excommunicatio, irregularitas, suspensio, & interdictum; & sic admissa culpa, mox obligant in foro interiori, secundùm omnes *Doctores*, qui de hac re loquuntur.

6 Tùm quia; pœnæ purè priuatiuæ, nullo indigent ministerio externo; tùm etiam, & meliùs, quia talis semper fuit Vsus, & Praxis Ecclesiæ Romanæ, talisq; est mens, & voluntas Superiorum Prælatorum, & ità videtur supponi à *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 6. in quo Episcopis datur facultas absoluendi in foro conscientiæ.

7 Aut, hæ pœnæ sunt positiuæ, vel mixtæ, vt confiscatio bonorum, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, vel consimiles; & sic in nihilo nocent conscientiæ, antè Iudicis sententiam, saltèm declaratoriam admissæ culpæ, vel patrati criminis; vt dixi iuxtà Praxim, & communem Vsum Ecclesiæ.

8 Et est de mente *D. Thomæ*, communitèr recepti in 1. 2. *qu.* 96: *ar.* 4. & 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. vbi docet, quòd de ratione legis humanæ, ad hoc, vt obliget in conscientia, requiritur, vt sit facilis, practicabilis, & accommodata vsui humano; *Bannes* cit. *loc.* 2. 2. *Sot. lib.* 1. *de iust. q.* 6. *ar.* 6. *Ioan. de la Crux lib.* 1. *de stat. Relig. cap.* 3. *not.* 3. *Syl. ver. assassinus, q. vlt.* & *eod. ver. Tab. q. vlt. nu.* 2.

9 Verùm, dicere, quòd Reus legis sub alia, & noua obligatione peccati mortalis, teneatur spontè violatæ legis pœnas luere, & sese prodere, durum est, & contrà ius naturæ; vt infrà dico.

10 Etenim sępè lex præcipit, vt eius violatores, sint ipso facto, inhabiles ad omne officium, infames, incapaces honorum, bonis, & vita priuati.

11 Ergo, culpa admissa, consules, vt culpabilis sese prodat, accuset, reddat incapacem, faciat infamem, vituperet, & se bonis spoliet, & vita priuet? hoc durum dixi, & dicam, & contrà ius naturæ, quo tenemur, famam, & vitam custodire.

12 Hinc, vsq; modò non est visus Legislator, qui hæc præcipiat, aut mādet; etsi faceret, non valeret; quia dura lex, & impossibilis, & in cōscientia nullatènus obligaret, *Conar.* 4. *decretal.* 2. *par. cap.* 6. §. 8. *nu.* 18. *ver.* 2. *Bossius* in sua *pract. tit. de Hæret. nu.* 26. *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. *n.* 18. & *in decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *nu.* 14. vsq; in *finem*, vbi latè de incursu pœnæ criminis læsæ Maiestatis, & *tom.* 2. *in eod. decal. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 65. vbi latè de pœnis violatæ clausuræ; *Tambur. de iur. Abbatiss. disp.* 19. *quæsit.* 1. *in fin. num.* 6. vbi de largitione munerum, & eius pœnis, *Bonac. de legib. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 10. *Lezana tom.* 1. *cap.* 8. *nu.* 33. & *cap.* 10. *num.* 29. & latè *tom.* 4. *ver. pœna Ecclesiastica, num.* 8. *Nald. in summ. ver. Monasterium, nu.* 1. & *ver. Relig. n.* 37. *Peyr. tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 6. *Iulij* 11. *nu.* 19. *Diana* 3. *p. moral. tract.* 2. *de dub. Regul. resolut.* 66. & *par.* 7. *tract.* 5. *de Abortu, resol.* 18. & alij plures, quos citant prædicti *Doctores*, & Egomet latè *de violat. clauf. q.* 28. & *de largit. mun. q.* 27.

13 Nec dices, quòd in lege reperiuntur illa verba, *absq; vlla declaratione, absq; vlla sententia, vel antè sententiam*, & *declarationem*; & quòd ista verba debeant aliquid operari, nè cogamur dicere, quòd aliquid superfluum, aut otiosū reperiatur in lege.

14 Quia hæc, & similia referuntur ad pœnam; secus autèm ad culpam; adeò, vt sensus sit, *absq; vlla alia* (subintellige) *pœnæ declaratione*, quoniàm pœna à lege taxata, non est iterùm taxanda: cum hoc tamèn stat; quòd debeat præcedere, & prærequiratur sententia declaratiua delicti, vt constat ex practica illius *Canonis*, *si quis suadente Diabolo*, in quo Clerici percussor, subijcitur excommunicationi.

15 Attamèn, ab Episcopo Loci Ordinario, ad hoc, vt euitetur, debet declarari, N. percussisse Clericum, & proindè incidisse in pœnam supradicti *Canon.*

Id pariter constat ex *d. cap. cùm secundùm leges, de Hæret. in* 6. ibi, *donec sententia fuerit promulgata super crimine.*

16 Ergò, aliud est, declarare pœnam legis, & aliud, delictum fuisse commissum, ad cuius factum esse, mox sequitur pœna præscripta; prout communitèr *Doctores.*

Et magis clarè ex *Constitut.* Prædicatorum, *text.* 4. *in Prolog.* ibi, *pœnis tamèn, absolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ, vel passiuæ, grauioris culpæ, & alijs maioribus* (*quantumcunquè tàm in Constitutionibus, quàm extrà, ipso facto sint incurrenda*) *nisi sit pœna excommunicationis lata sententia; nullus sit subiectus; nisi superueniat declaratio Prælati in particulari, respectu huius quantumcunq; etiam notorium facti, vel iuris, aut vtriusq; interueniat*; hæc ibi.

Pœna inhabilitatis ad officia; an obliget statim, admissa culpa, antè Iudicis sententiam? Qu. 2.

1 Certum est, quòd inhabilitas consurgens ex violata censura, vel ab

ab Irregularitate, obligat in conscientia antè Iudicis sententiam, quia effectus sapit naturam suæ causæ, *Sotus lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6.* post 4. *coclus. ver. ex hac autem*; *Cordub.* in suo *quæst. lib. 1. q. 36.*

2 Secus autèm, si aliundè proueniat, aut apponatur in *Constit.* cum alijs pœnis, quæ absq; sententia Iudicis non incurruntur, *Nauar. de datis pro iustit. & grat. nu. 44. Molina tom. 1. de iust. disp. 96. Sotus lib. 4. de iust. q. 6. ar. 3. ad finem, Ledesma 2. p. 4. q. 18. art. 2. dub. vlt. Sanchez* latè *ad decal. tom. 1. cap. 39. nu. 32. in fin. P. Carol. Thes. in prax. de pœnis Eccles. p. 1. cap. 28. q. 4.* & nupèr multis citatis *P. Diana p. 7. moral. tract. 5. de abortu, resolut. 18.*

3 Quod maximè procedit in Dominicanis, ex verbis *text. 4. Prolog. Constit.* vbi pœna excommunicationis latæ sententiæ tantùm excipitur, & exceptio firmat Regulam in non exceptis.

4 Amplia, quòad alios, tùm quia, odia, iuxtà iuris Regulam sunt restringenda, & præcipuè in fauorem animarum; tùm etiā, quia inoleuit communis praxis, qua Prælati suffulti in collatione Dignitatum, Ordinum, aut Officiorum, promouendos absoluunt priùs à pœnis censurarum, non autèm ab alijs pœnis negatiuis; sub hac forma verborum.

Absoluentes te priùs ab omni vinculo excommunicationis, si quoquo modo sis innodatus, ad effectum præsentium, dùmtaxat consequendum.

5 Non dispensant, nec absoluunt ab alijs incapacitatibus, & inhabilitatibus; ex quo supponūt, has pœnas nō posse incurrere, nec obligare, antè Iudicis declaratoriā.

6 Nec obijcies, quòd inhabilitas sit pœna priuatiua, nullo iure quæsito priuās; sed solùm ius quærendum impediens; & quòd instar censurarum, externi Iudicis ministerio non indigeat. Quia incurrere, & obligare antè Iudicis sententiam, habet locum dùmtaxat in pœnis priuatiuis censurarum latæ sententiæ; vt dixi, & docet *Sanchez* cit. *loc.*

7 Secus autèm in alijs; prout constat ex Praxi; proindè proprium pœnarum censurarum non debet extendi ad alias pœnas, quæ à censuris non veniunt.

8 Nec replices, quòd Irregularitas sit, inhabilitate rigidior, & quòd nihilominùs incurratur statim, commissa culpa, & quòd obliget in conscientia, nulla expectata Iudicis sententia.

Quia sic praxi, & vsu receptum est; q; in pœna inhabilitatis non reperitur, *Nauar. Sot. & Ledesm.* cit. *loc.* vide quæ dixi in *tract. de violat. clauſ. q. 27. & de largit. mun. q. 29.*

Pœna priuationis Dignitatum, Officiorum, & Administrationum expressa in dictis Bullis, & similibus; quos comprehendat? Quæst. 3.

1 Respondeo, quòd nomine Dignitatum, & Officiorum, ad quæ inhabilitantur transgressores prædictarum *Bullarum*, venit Munus, seu Officium, habēs administrationem rerū Monasterij, & personarum eiusdem, cum Superioritate, & Iurisdictione Ordinaria, aut Delegata; prout *Sixt. V. in secūda Bulla* declaratoria *prima*, supraposita declarauit, ibi, *declaramus hac in re* (de qua nunc agitur) *appellatione dignitatum, bonorum, &c.* vide *ibi.*

2 Proindè, comprehenduntur sub pœna prædicta Generalis, Prouinciàlis, Superiores Locales, ceu sūt Priores, Guardiani, & similes, habentes iurisdictionem ordinariam in vtroquè foro, *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 2. ar. 8. Sanchez ad decal. tom. 2. lib. 6. capit. 5. nu. 66.* & *Bonac. de largit. muner. disp. 3. pun. 5. nu. 2.*

3 Nec non, & Visitatores, seu Vicarij Prouinciales, habentes iurisdictionem delegatam, ratione certi officij; & alij omnes Officiales, qui præsunt Officialibus ordinarijs; prout constat ex prædicta declaratione, & docent, post allegatos *Thes.* in sua *Praxi, par. 1. cap. 28. q. 1.* & *Diana p. 7. Moral. tract. 5. de abortu, resol. 27.*

4 Secus autem Definitores, Socij, Discreti, & Procuratores Prouinciarū euntes ad Capitulum Generale, aut Prouinciale, Prædicatores, Lectores, Admonitores, Sacristani, Sindici, & consimiles, qui nullam habent iurisdictionem in vtroquè foro, cum Superioritate coniuncta, quæ consurgat ex officio, quod exercetur.

5 Quod extende ad omnes alias pœnas huius generis, in omnibus alijs Motibus Summorum Pontificum expressas, quia odia, iuxtà Regulam sunt restringenda, & consimilia eadem decisione regulantur; quicquid alij dicant, vide *de violat. clauſ. q. 28. & de largit. muner. q. 26.*

Prædicta Bulla Sixti V. de criminosis, aut de crimine suspectis, in Religionem non admittendis; an comprehendat Clericos? Quæst. 4.

1 Negat *Bartholomæus de Vecchis* in sua *Praxi pro Nouitijs, disput. 9. dub. 9. nu. 6. Laiman. moral. lib. 1. tract. 5. cap. vlt. num. 4.* & *Alphons. de Leone de censuris, recoll. 2. nu. 796. pag.* mihi 180. quia per vulgatam

gatam Regulam, in odiosis nō fit extensio, sed in *d. Bull. Sixti V.* nullum verbum reperitur; quod loquatur de Clericis, ergò; & hi non veniunt nomine Laicorū in odiosis.

2 Secus autem in fauorabilibus; exindè Clericus, si solùm coràm Iudice Ecclesiastico fit inquisitus, & aliud impedimentum non habeat, quod eum de iure posset impedire; vtiq; potest, alijs seruatis, in Religionem admitti:

3 Nihilominùs, ad euitandam euitanda in casu, de quo agitur, vtilius erit, eum remittere ad Iudices competentes, nè inter nos, & illos sit quærela, & cesset occasio scandali.

Decreta Clem. VIII. suprapositа, vbi obseruanda, & quos afficiant? Qu. 5.

1 Respondeo, quòd præfata *Decreta Clem. VIII.* edità super receptione, educatione, & professione Nouitiorum, extrà Italiam, & Insulas adiacentes non habent locum; prout expressè habetur in suprapositо *Decreto*, edito sub anno Domini 1596. incip. *Regularis disciplina, &c.* ibi, *statuimus, districtéq; præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, cęterisq; Superioribus Conuentuum, intrà Italiæ, & Insularum adiacentium fines existentium, &c.*

Quod idèm repetit in subsequenti *Decreto*, edito sub anno 1599. & fuit ità nupèr confirmatum ab *Vrbano VIII.*

2 Nec infrà Italiam in vniuersum extenduntur; etenim ab eis excipiuntur Regulares non pauci, qui exprimuntur *in d. 2. Decreto.*

Ibi, *exceptis tamèn Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia; nec non Capuccinorum S. Francisci, Reformatorū S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, nec non Fratrum Congreg. Tobiensis, Cistercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sācti Pauli decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum respectiuè, Ordinibus, Societatibus, Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antè exceperat, & nunc iterùm excipiendæ, voluit, prohibitionem hanc ad illas nullo modo extendi:* hæc *ibi.*

3 Reliqui autèm Regulares nō excepti, comprehenduntur in supradictis *Decret.* quia exceptio firmat Regulam in contrarium; adeò, vt non excepti, censeantur inclusi, & ad obseruantiam illorum obligati, aliàs incidunt in pœnas.

4 Verùm, in dictis Congregationibus, & Ordinibus, vt suprà exceptis, standum est proprijs Statutis, à Sanctа Sede approbatis, *Decr. Sac. Conc. Trid.* Constitutionibus Apostolicis, & præcipuè suprapositis, & demùm communi iuri Canonico, iuxtà praxim, & Loci consuetudinem.

Nouitij Religiosorum Ordinum Militarium; an subsistantur prædictis Decretis Clem. VIII. de Nouitijs nō recipiendis: nisi in certis Monasterijs, & Locis designatis? Qu. 6.

1 Gonzal. *ad Regulam 8. Cancell. Glos. 8. nu. 61. D. Corrad. Canon.* in sua *praxi dispensat. Apostolic. lib. 5. cap. 4. nu. 12. & Canon. Nouar. 2. p. sum. Bull. tit. de Nouit. recip. n. 8.* affirmāt; ex quo sunt Religiosi, & referunt, ità fuisse à Sac. Congr. decisum.

2 Proindè, Æquites Hierosolomitani, siuè Diui Ioannis, qui vulgò dicuntur *Caualieri di Malta*, comprehenduntur sub dictis *Decretis*; & ità pluriès fuisse à Sacra Congr. decisum, post multos refert *Aloys. Ricc. p. 8. posthuma collect. pag.* mihi *100. collect. 3995. super d. Bulla Clem. VIII.*

3 Itèm, Æquites Sancti Lazari, vt decisum refert *Maccratcn. resolut. 112. cas. 63.* Itèm, Æquites Militiæ Aicantaræ, *Sayr. in decis. de Regul. 23. Caualcan. decis. 28. p. 1. & Rot. Roman. p. 2. decis. 256.* Itèm, Æquites Sancti Iacobi de Spada, propter eandem rationem; nempè; quia sunt Religiosi, prout decisum refert *Mastrill. in decis. 290. & Ricc. cit. loc.*

Religiosi Collegialitèr viuentes; an comprehendantur sub præfatis Decretis? Quæst. 7.

1 Negatiuè; quia prædicta *Decreta* loquuntur de Religiosis, qui sunt verè Professi in Religione, approbata à Sancta Sede; ergò non comprehendunt eos, qui nunquàm solemnitèr sunt Professi; nec iurauerūt, vsq; ad mortem obedire, nec promiserunt alia essentialia obseruare.

2 Nec nocet, quòd eorum modus viuēdi, sit approbatus à Domino Papa, quia aliud est, reperiri in modo viuēdi, & aliud, in vera Religione; prout decisum refert *Illustriss. Maranta 1. p. resp. 25.*

Clerici Regulares, & signantèr Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, an comprehendantur in Decretis Clem. VIII.? Q. 8.

1 Respondeo, non comprehendi ex par-

particulari priuilegio, ab *Vrbano VIII.* sibi cóceſſo, ſub Annulo Piſcatoris die 17. Nouembris 1634. quod incipit, *Romanum decet Pontificem*, & per extenſum refert *d. Nouar. cit. loc.*

2 Quod ampliæ, ad Clericos Regulares Minores, ex peculiari *Conſtitut.* ſibi cóceſſa ab eodem *Vrb. VIII.* ſub die 21. Aprilis 1647. incip. *Alias poſtquàm*, & per extẽſum refert prædict. *Canon. Nouar. in dict. loc.*

Dicta Bulla Clem. VIII. quæ incipit, In Supremæ Eccleſiæ, &c. an in omnibus derogetur prædictis Conſtit. Sixti V.? Qu. 9.

1 ET dico, quòd non; ſed tantùm quòad inualiditatem Profeſſionum, quæ per Criminoſos continget fieri, etſi alitèr videatur primâ facie. Proindè, Criminoſi, etiam hodiè poſt prædictam *Bullam Clem.* non poſſunt in Religionem admitti, nec itèm, qui sũt ingẽnti ære alieno grauati, absq; eo, quòd nulla ſit eorum receptio, *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 19. Nald. ver. Profeſſio*, & *Nouar. Canon. in ſumm. Bull. tom. 2. de delict. Nouit. nu. 4.* Quæ receptio nulla nihil operatur, & ideò Nouitij irritè recepti, non gaudent priuilegijs Profeſſorum, & multò minus Fori, & Canonis; exindè taliter recepti, non à Prælatis Religioſorum, ſed à primo eorum Iudice puniuntur, *Sylu. ver. Iudex, nu. 6. Conan. pract. quaſt. cap. 32.* & *Farin. poſt multos in ſua praxi crim. q. 8. de Inquiſit.* Quæ autèm conditiones ſint neceſſariæ, vt quis ſit inhabilis, vel criminoſus, docet *Sanchez cit. loc. nu. 21.* & *lib. 5. ad decal. cap. 19. & 21.* vbi latè de hac *Bull. Clem.* & *Sixt. V.* & *lib. 5. cap. 4. nu. 21. §. vlt. defectus ex parte puniendi*, pag. mihi 29.

An in dictis caſibus, à Sixto V. præſcriptis, ſit neceſſaria declaratoria Epiſcopi, ad hoc, vt Iudices, ad quos ſpectat, poſſint in Nouitios ſæuire, & vti facultate ſibi facta in dicta Bulla? Quæſt. 10.

1 AFfirmatiuè, quia qualitas dans iuriſdictionem eſt probanda coràm Iudice competente, qui in cauſa Profeſſionis nullæ, vel Ingreſſus nullitèr facti, eſt Epiſcopus Loci, quippè qui de hac cauſa debet iudicare, iuxtà diſpoſitionem *Decr. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.* ad hoc, vt nullitèr admiſſus, poſſit à Religione auocari, vel eijci, & conſequenter priuari fori priuilegio, & exemptione, qua etiam gaudent Religioſorum Nouitij.

2 Benè verum, quòd aliud eſt, Nouitium, ob tranſgreſſionem *Conſtitut. Sixt. V.* è Religione expellere dùmtaxat; & aliud eſt, illum eijcere inſimul, & eiectum conſignare Iudicibus Sæcularibus, ad hoc, vt puniatur, iuxtà qualitatem criminis.

3 Et quidèm, primum poteſt facere ſolus Religioſus Prælatus, de conſenſu tamèn ſui Capituli; & iudicando ſecundùm Statuta ſuæ Religionis; ſecus autèm, ſecũdum, nè in re Eccleſiaſtica, tàm graui, aut in alieno territorio contingat fieri iudicium, vel iuſtitiam adminiſtrari, ſine debita authoritate.

Querelatus, vel Inquiſitus ingrediendo Religionem; an debeat de iure communi puniri à Iudice inquirente? Qu. 11.

1 AFfirmatiuè *Sylu. in ſumm. ver. Iudex, n. 6. Conar. pract. qq. cap. 32. nu. 4.* & alij plures, quibus fauet *Farinac. in prax. crim. q. 8. de inquiſit.* & *Ioan. Ant. Nouar. 2. p. ſumm. Bull. tit. de Nouit. nu. 5.* Et colligitur ex *l. hos accuſare, §. hoc autem beneficio, ff. de accuſat. l. ſi quis decurio, C. ad leg. Corneliam de falſ. l. fin. ff. de re Milit.*

2 Nec dicres, quòd Nouitius, ex quo ingreditur Religionem, mutat ſtatum, & ſic efficitur de gremio Religioſorum; quia hoc fallit, quando ingreſſus eſt illicitus, aut nullus; adeò, quòd ſicut Laicus nullitèr ordinatus, caret priuilegio fori; ità à pari, & Nouitius nullitèr ingreſſus, nequit gaudere priuilegio fori Regularis.

Quis dicitur criminoſus, ad hoc, vt Inquirenti reſtituatur; ſi poſt accuſationem, vel informationem captam, ingrediatur Religionem? Qu. 12.

1 ET quidèm hoc totum colligitur ex text. *l. final. ff. de bon. eor. qui ſibi mortem, l. fin. de re milit.* & docet *Bartol. in l. ſi quis poſtea, ff. de re iudic.* & *Iul. Clar. in pract. crim. q. 36. §. ſed hoc propoſito*; qui dicunt, vt criminoſus ſit ille, qui eſt accuſatus, aut inquiſitus.

2 Dixi, poſt accuſationem, quia nullus poterit procedere contra Nouitium criminoſum; niſi antè ingreſſum fuerit quærelatus, vel inquiſitus; ſumus enim in Conſtitutione pœnali, quæ loquitur de criminoſis inquiſitis, & quærelatis, non autem de criminoſis tantùm; & iſta qualitas delicti in caſu, de quo agitur, debet præcedere,

re, & esse in probatis inde hæc, vt iurisdictionem tribuat, secus autem, *Nauar. cons. 5. & 6. de foro cōpet. & Nouar. cit. loc. n. 6. & 7.*

Clerici Sæculares, si sint in sæculo inquisiti, & Religionem ingrediantur, fiantq; Professi, contra dictam Constitutionem Sixti V. An possint ab Episcopo Loci Ordinario puniri? Q. 13.

Socinus in cap. propositisti, nu. 52. de foro compet. Farinac. in prax. crimin. q. 8. de inquisit. nu. 106. & Vecchius disput. 11. dub. 12. negatiue respondent, saltem quoad eorum personas; quia Professus, vtcumque criminosus, per Professionem emissam, vt decet, incorporatur Religioni irreuocabiliter; fitque eius pars, & membrum propriè; adeò, vt omnino gaudere debeat priuilegijs suæ Religionis; quorum vnum est, vt Professi sint exempti, & ab omni iurisdictione absoluti, tam Laicali, quàm Episcopali, vt sæpè diximus.

2. Nec his obstat *Constit. Sixti V.* qua annullantur Professiones Criminosorum; quia quoad hoc fuit reformata per *Constitut. Clem. VIII.* quæ incip. *In Suprema Ecclesiæ;* prout habes hic supra.

3. Secus autem, quoad illorum bona in sæculo remansa, *Abb. in cap. veniens, n. 3. de eo, qui furt. ordin. cui plures inhærent, &* sequitur *Bellet. p. 1. de. fauore Clericorum personali, &c. & nouissimè P. Franciscus Caspedes in tract. de exempt. Regul. c. 16. q. 263.*

4. Sed tu aduerte, quòd bona Professorum verè, & realiter fiunt bona Religionis, in qua Professionem emiserunt; quandoquidèm sequuntur eorūdem personam, vti accessorium sequitur suum principale.

5. Hi enim priùs donant Religioni ad-se suas personas, & secundariò eorum iura, actiones, & bona.

6. Accessorium autèm sapit naturam sui principalis, vt Omnes docent, & *Nouar. in cit. loc. nu. 9.* aduertit, quòd aliud est, loqui de Professo, & aliud de Nouitio criminoso, & aliud est, loqui de Exemptis, & aliud, de Subiectis Illustris Episcopo.

7. Nec valet dicere, quòd si Laicus inquisitus fiat Clericus, debet puniri secundù aliquos à primo suo Iudice inquirente; quia potiùs debet puniri à suo Iudice Ecclesiastico, *Franch. decis. 299. & 389. De Marinis tom. 1. resol. quotid. cap. 48. nu. 6.*

8. Et eò magis quia *Sixt. V. in d. Const.* incip. *cùm de omnibus,* irritando Receptiones, & Professiones criminosorum, debitorum, & obnoxiorum publicis ratiociniis, facultatem impartitur omnibus, & quibuscumq; Iudicibus, etiā Sæcularibus, ad quos spectat, contra eos, sic nulliter Professos, procedendi, prout priùs poterant ciuiliter, criminaliter, iuris, & facti remedijs opportunis; nam illa dictio, *etiam,* includit casum magis dubitabilem, vt est præsens, de quo agitur; nempè vt etiam Laicus possit auocare à Religione; Nec Sixt. per aliam suam subsequentem *Bullam,* incip. *ad Romanum,* mutauit voluntatem, sed tantùm declarauit, Iudices supradictos tunc posse procedere, & vti mentionata facultate, cōtra Nouitios nulliter receptos; vel Professos, quando, ex actis constiterit, ipsos Iudices informationem suscepisse de criminibus, aduersus eos, antè susceptionem habitus, prout notat *Nouar. 2. p. Bull. tit. de delictis Nouitiorum, super Bull. d. Sixti V. & Clem. VIII.*

Reformati Sancti Dominici, excepti in dicta Bulla Clem. VIII. quinam sint? Quæst. 14.

Religio Dominicana, ex speciali Dei beneficio, fuit semper vna, & nusquàm modò diuisionem non passa; adeò, vt in ea propriètate sermonis possit ingenuè, & publicè in Ecclesia dicere, quoniam ex præcepto Regulæ iubemur habere cor vnum, & animam vnam in Domino, iustum est, vt qui sub vna Regula, & vnius Professionis Voto viuimus, vniformes in obseruantijs canonicæ Religionis inueniamur.

Nihilominùs in obseruantijs prædictis latitudinem habet, ità, vt Fratres obseruantes Regulam ad vnguem, cum omni rigore in gradu summo, & heroico, dicantur Reformati Sancti Dominici, prout expressè habetur in nostris *Constit. distin. 2. de domibus concedendis, cap. 1. tex. 7. fol. 104. col. 3.* ibi, *cæterùm, quia magis bona spiritualia, quàm temporalia in nostris Conuentibus conseruari debent; declaramus pro reformatione obseruantiæ Regularis, istud à Bonifacio Papa IX. & à B. Raymundo Capuano, tūc Generali Magistro, statutum, & mandatum fuisse omnibus Admod. RR. PP. Prouincialibus, vt vnusquisq; in sua Prouincia, vnum, vel plures Conuentus deputet, in quibus Regula, & Constitutiones Ordinis nostri, cum omni rigore, ab omnibus illic degentibus ad vnguem obseruentur, nec cum aliquo ibi commorante, in carnibus, vel in alijs Regularibus repugnantibus, quoquo modo, aut quouis prætextu, vel colore; nisi propter aliquam infirmitatem dumtaxat dispensari possit, hæc ibi.*

2. Leges autèm in his Conuentibus obseruan-

seruandæ *ibidem* præscribuntur, iuxtà quas Prouinciales pro tempore, tenentur gubernare.

3 Nec ideò dices, quòd hi Conuentus non indigent, nec debent à Sancta Sede destinari pro domo Nouitiorum, ex quo ibidèm benè viuitur; immò valdè rigorosè, & quòd consequentèr à *Clem. VIII.* censentur excepti. Quia qualitas tribuens iurisdictionem, est probanda, saltèm summariè, *Abbas, Butrius*, & *Felinus in cap. si Clericus, de foro compet. in 6.* & *Ricc.* post alios in *1. p. prax. for. Eccles. resol. 650. nu. 2.*

4 Vndè, ad occurrendum motibus Regularium, & ad omnem alium bonũ finem, melius, ac tutius est, vt huiusmodi Monasteria designentur à Sancta Sede pro Domibus Nouitiorum, ad præscriptum *Clem. VIII.* qua destinatione peracta, lis cessat, & fraus.

SVMMA QVAESTIONVM,

Tract. III. De Qualitatib. Recipiendorum.

DE QVALITATIBVS Recipiendorum. Tract. III.

An Infames de iure communi possint in Religionem admitti? Quæst. 1.

1 INfamia componitur ab in, & fama, hoc est, sine fama, vt notat noster *Syl. ver. infamia,* & definitur, q sit læsæ dignitatis qualitas, vita, & moribus reprobata.

2 Proindè, Infamis dicitur ille, cuius status, vita, & moribus reprobatur. Quot autem modis contrahatur Infamia, vide *Syluest.* cit. *loc.*

3 Infames de iure Canonico, & Ciuili repelluntur ab omni honore, & dignitate; prout docet *Bartol. in l.1. C. ex quibus causis infamia irrogetur,* & *Panorm. in cap. ex diligenti, de Simonia.*

4 Infames de iure Canonico sunt Irregulares, prout colligitur ex *cap. omnee, cap. nulli, & cap. infames 6. q.1.* in qua *causa,* latè habes crimina, & delicta, per quæ homo fit infamis.

Id ipsum habes in *cap. infamibus, de Regul. iur. in 6. & in cap. tantis Daniel, distin. 81. & in cap. Deus Omnipotens, & in cap. qualitèr, & quando, de accusat.*

5 Et consequentèr, repelluntur ab Ordine, vt in præcitatis *Capitulis:* ità, & fortiùs repellendi sunt ab habitu Religiosorũ; quia status Regularium est strictior statu Clericorum Sæcularium, vt dicitur in *caus. 19. q.1. cap.1.* quod incipit *Clerici.*

6 Quod procedit in omnibus illis, qui suis culpis censentur Infames, & ad Ordines prohibentur promoueri: quia sicut Sæcularis per susceptionem Ordinis fit de sorte Christi; sic etiam per susceptionem habitus Religiosorum Regularium eximitur ab omni Laica potestate, prout deciditur *in Decreto 19. q.1. cap. duo sunt genera.*

7 Vt ergò saltèm par, & æqua sit vtriusq; status conditio, qui ab vno repellitur, in alterum non debet admitti.

Buffones, Goliardi, Histriones, Scurræ, Parasiti, Lenones, Circulatores, Lictores, Carnifices, & consimiles Personæ viles; an possint Religionem ingredi, & in ea validè profiteri? Quæst. 2.

1 ET dico, quòd non debent recipi, nec in Religionẽ admitti, ex quo sunt personæ infames, prout apertè colligitur ex *l.2. §. ait prætor, ff. de his, qui notantur infamia,* & ex *l. mater 101 §. final. ad l. Iul. de adult.* & docent *Ioan. Andr. Butr.* & *Panorm. in cap. cum decorem 12. de vita, & honestate Clericorum,* latè *Ricciull. in tract. de personis, quæ in statu reprobo versantur, lib. 5. cap. 7. & 8. Carol. de Grassis de effect. Cleric. effect. 1. nu. 1235.* & *Gratian. discept. forens. cap. 185. n. 43.*

2 Etenim, ille censetur Infamis, cuius status, vita, & moribus reprobatur, *l. sed si hac lege, §. Prætor, ff. de in ius voc.* & notat *Sylu. ver. infam. in prin.*

3 Præfatorum autem status multifariè contemnitur, & reprobatur; prout lepidè *Ricciull.* in toto prædicto *tractatu,* & præsupponitur in *d. cap. cum decorem,* & magis expressè in *cap. Clerici officia, eod. tit.* ibi, *Mimis, Ioculatoribus, & Histrionibus non intendant.*

4 Personæ autem. Infames repelluntur ab Ordine, vt clarè legitur in *cap. Infames 6. q.1.* vbi recẽsentur viginti species Infamium personarum, ibi, *nec ad sacros gradus debent proueh:,* & dixi suprà per multa iura.

5 Sic itèm repelluntur ab habitu Religiosorum; quia Regulariũ status est strictior, quàm sit status Clericorum, ac cęterorum Præsbyterorum Sæcularium, prout latè docet *D. Thom.* communitèr receptus in *2.2. q.184. ar.8. in corp.* hi quidèm dicuntur sæculares, secus autèm Religiosi.

6 Proindè, licet transire de Clericatu ad Monachatum, non è contra, vt est videre in *cap. duæ sunt 19. q.2.* quia status Monachalis est strictior Clericatu sæculari.

7 Ve-

7 Verùm, præcitati, de quibus agitur, si in Religionem admittantur, & in ea profiteantur, erit valida eorum Professio; quia nullo communi iure inualidatur, eò fortiùs, si aliàs sint idonei, & benemeriti, ita, vt virtutum præstantia, malam famam vincat.

An Furiosi, & Mente capti, de iure possint in Religionem admitti? Qu. 3.

1 NEgatiuè respondent communiter *Doctores*, & hoc ex defectu mentis, & voluntatis, quæ est omninò necessaria; ad faciendum quempiam Religiosum verè, & propriè in aliqua Religione approbata: etenim consensus est de substantia Professiones, & Receptionis ad habitũ; prout clarè habetur in *cap. sicut tenor 15. de Regularibus*, ibi, *cùm alienatus non sentiat, & per hoc non valeat cõsentire*, & docet *Sylvest. verb. Religio. q. 2.*

2 Quod amplia esse verum, etiam si per centum annos in Religione fuerint, & si de facto profiteantur, Professio erit nulla, quia, vt dixi, ex defectu liberi cõsensus, & iudicij; sicut non possunt matrimonium validè contrahere, ita nec possunt validè profiteri, prout colligitur ex *l. furor. ff. de sponsal.* quia matrimonium corporale, & spirituale, quodammodò parificantur quoad consensum, & iudicium.

3 Et sicut matrimonium non ratificatur per ratihabitionem, postquàm fuerint sanæ mentis, nisi de nouo contrahant; ita nec Professio facta antè annos pubertatis valet, nec põt ratificari, nisi postquàm fuerint sanæ mẽtis, & doli capaces de nouo per Professionem nouam tacitam, vel expressam ad Religionem se obligauerint; vt expresè dicitur in eod. *cap. sicut tenor*, ibi, *nisi postquàm mentis suæ factus compos spontanea voluntate Professionem fecerit Monachalem*; & *ibid. Glos.* subnectit, quod ab initio non valet, ex post facto conualescit.

Illegitimi de iure communi, an possint in Religionem admitti, ita, vt fiant Clerici, & Sacerdotes Regulares? Qu. 4.

1 ET dico, quòd siue sint Manseres, hoc est, de scortis nati, vt in Historia *Deuteron. cap. 23.* siue Spurij, hoc est de concubinis, aut Nothi, hoc est de adulterio, & alij qualitercumque, intrare possunt Ecclesiã Regularem, & in ea esse Clerici, & ministrare Altari, prout expresè dicitur in *cap. 1. dist. 56.* ibi, *Presbyterorum filios à sacris Altaris Ministerijs remouemus, nisi aut in Cœnobijs, aut in Canonicis Religiosè probati fuerint*; & in *cap. 1. de filijs Presbyterorum*, ibi, *vt filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoueantur; nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica Regulariter viuentes*, & in *cap. ad abolendam, eod. tit.* & docet *glos. ibid. ver. in sæcularibus Eccles.* & sic possũt promoueri ad omnes Ordines, si aliàs sint idonei, prout latè *Sanctus Raymundus* Decus nostri Ordinis in *summ. lib. 3. de filijs Presbyt.* adiuncta *Glos.* & *Syluest. in summ. verb. illegit. nu. 8. q. 6.*

2 Et hoc ideò; quia Religionis ingressus tollit Irregularitatem, sicut & Ingratitudinem, vt expresè dicitur in *caus. 19. q. 6. cap. licet*, quod est *vltim.* & *ibi Glos.* citat multa iura.

3 Et Monachatus omnem maculam abstergit *authent. de Monach. in princ.* & docent præcit. *Doctores.*

4 Nec his obstat *Constitut. Sixti V.* incip. *cùm de omnibus*, quam suprà posui: quia, vt sæpè dixi, & per *Greg. XIV.* & *Clem. VIII.* fuit redacta ad terminos sacrorũ Canonũ, & hodiè debent attendi prædicta iura, quæ faciunt ius commune, vt notat *Glos. in dict. cap. 1. d. dist. 56.*

5 Exindè infertur, quòd huiusmodi Illegitimi, si aliàs sint habiles, de iure communi, absque alia requisita dispensatione possunt promoueri ad omnes Ordines, & ministrare Altari, vt dictum est; *Sot. in 4. sent. dist. 25. qu. 1. ar. 3. Bonel. 3. Graff. decis. aur. lib. 4. cap. 27. nu. 52. & 53. Sylu. ver. illegit. q. 6.* & *Rodr. tom. 3. QQ. RR. q. 20. ar. 5.*

6 Nec obijcies, quòd Infames repellantur à Sacerdotio, prout sancitur in *caus. 6. q. 1. cap. 2. & cap. 17.* quod incip. *Infames.*

7 Et quòd illegitimi sint Infames infamia facti, vt dicitur in *l. fratres, C. de inoffic. testament.* vbi spurium definitur esse personam turpem.

8 Quia, quicquid sit de iure ciuili, quoad ingressum Religionis debet attendi ius Canonicum, in quo Illegitimi, nedùm non repelluntur à Religionis ingressu, verùm, & hortantur, Religionem intrare; nec quisquã est à Religione repellẽdus, intuitu iuris Canonici, nisi expresè in eodem iure declaretur, quod non fit in præcit. *cap. 17.* quod si foret, censeretur abrogatum per iura *Decretalium*, & per *Constit. Greg. XIV.* & *Clem. VIII.* suprà positas, vt in illis est videre.

9 Perindè, si qua Religio sit, quæ prohibeat, Infames personas recipere ad habitũ sui statuti, poterit sine scrupulo Illegitimos recipere, quia Illegitimi, vt dixi, non sunt Infames de iure Canonico.

An Illegitimus Monachi filius, de iure communi possit in Religionem admitti, in qua Pater adhùc viuit, & in ea validè profiteri? Quæst. 5.

1 GRegorius XIV. suprà posita sua *Constit. incip. circumspecta, &c.* voluit, Illegitimos cuiuscũq; speciei posse in Religionem admitti, duabus tamen præsuppositis conditionibus.

2 Quarum prima est, vt bona indoles, boniq; mores, Illegitimorum vincant eorũdem defectum natalium. Secunda verò, nè filius Monachi recipiatur in Ordine, in quo adhùc Pater eius viuit; secus autèm, prout *ibid.* est videre, & habetur in *cap.* 2. *de filijs Presbyterorum*, ibi, *& Pater in eodem Ecclesia ministrauit, ipsum amoueas ab eodem*; & in *cap.* 3. *eod. tit.* ibi, *vt filios Sacerdotum in Ecclesijs paternis ministrare nullatènus patiaris.*

3 Sed pone, quòd is Illegitimus Monachi filius, prædicta conditione non obstante recipitur, & pfitetur in ea Religione, in qua Pater viuit, & est Professus; an valeat eius Professio? & dico, valere; quia multa iure fieri prohibentur, quæ facta tenent; & eò magis, quòd illa prohibitio per *Greg.* facta, est simplex, non includens *Decretum* irritans; prout colligitur ex illis verbis, *ipso Patre viuente non admittatur; quod expressè prohibemus, Rodriq. tom.* 3. *QQ. RR. quæst.* 10. *ar.* 9. *verb. at in tàm graui, &c.*

4 Et addo, quòd *Clemens VIII.* ita declarauit sua dicta *Constit. incip. In Suprema Ecclesia*, ibi, *quòad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem præscriptam, de cætero non seruauerint*, & quòad alios etiam casus *ibid.* expressos: in quibus Receptorum Professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & sacrorum Canonum reducimus, ac si prædictæ *Constit.* in illa parte editæ nõ fuissent.

5 Quàpropter, si tàm forma præscripta à *Gregor.* in suprà posita Reuocatoria, quòad Illegitimos, quàm alia à *Sixto V.* stabilita, quòad receptionem aliorum fuerit omissa; non ob id Regularium Professiones validitate carebunt, dummodò adsint, & alia substantialia, de iure communi requisita.

6 Bene verum est, quòd saluæ remanent pœnæ, in illis appositæ contra Superiores quoruncunq; Ordinum, qui in admittendis Regularibus ad Habitum, & Professionem, eãrũdem *Constitutionum* formam non seruauerint, aut alitèr quouis modo contrafecerint; prout exp̃sè dicitur in eadẽ *Clementina.*

7 Hinc, Regularium Prælati, si quem ad habitum, vel professionem recipiant, contra formam *Constitutionum Sixti*, vel *Gregorij* suprà nominatorum, incidunt in excommunicationem, Domino Papæ reseruatam; nec non, & ipso facto remanent priuati voce actiua, & passiua, & omni alio iure, officio, & beneficio Ordinis, & Religionis.

8 Quod dico etiam respectu illorum Superiorum, qui recipiunt Illegitimos, non seruata forma *Gregorij*, cui *Gregorianæ* superaddũtur per *Clem. VIII.* pœnæ *Constitutionis Sixti*; *Clemens* enim loquitur generalitèr, & sua verba, vt patet legenti, referuntur ad *Constitut.* vtriusq; Pontificis, & vbi lex vniuersalitèr loquitur, vniuersalitèr debet intelligi, & vbi lex non limitat, nec nos limitare debemus, & superaddidit pœnas pro maiori custodia.

An Illegitimi, de iure communi sint irregulares in ordine ad Dignitates, Beneficia, & Prælaturas; sic adeò, vt indigeant dispensatione? Qu. 6.

1 REspondeo affirmatiuè, siuè sint Sæculares, siuè Clerici in sæculo, vel Religiosi in Monasterio; prout habetur expressè in *cap.* 1. *de filijs Presbyterorum*, ibi, *Prælationem verò nullatènus habeant*, & magis clarè in *cap. final. eod. tit.* vbi Dominus Papa conquaeritur de honestate Ecclesiæ, ex eo, quòd filij Sacerdotum, & alij non legitimè nati, ad Dignitatem, & Personatus, & alia Beneficia, curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promouentur; & in *cap. innotuit* 20. *de elect.* vbi citatur *Canon Concilij Lateranensis*, ab *Alexandro* editis.

2 In nostro autem Ordine hæc de Illegitimis sunt decisa in *distinct.* 1. *de recipiend. cap.* 13. *tex.* 4. *fol.* 43. *col.* 3. ibi, *nullus illegitimè natus recipiatur, nisi de Prioris Prouincialis licentia speciali: Si autem talis illegitimè natus ad Ordinem receptus fuerit, & dispensatum fuerit cum eodem, quòd possit fieri Prior, non propter hoc Diffinitor fiat Capituli Generalis, aut Prouincialis, nec Prædicator Generalis, nec Elector Magistri Ordinis, absq; Magistri Ordinis licentia speciali*, & *ibi declar. litt. N.*

3 Bene verum est, quòd Prælati Regulares multa habent priuilegia dispẽsandi cum Illegitimis ad quæcunq; officia in Religione, & signantèr *Sixtus IV.* sua *Constit. incip. Apostolicæ seruitutis officium*, in nostro *Bull.* posita *fol.* 143. *lit. A.* concessit Supremis Prælatis nostri Ordinis vid. quòd suprà dicebamus, ibi, *insuper prædictis, & alijs, qui pro tempore fuerint dictarum partium Vicarijs, super Natalium, & ætatis infrà vigesimumtertium annũ defectibus cum personis, & fratribus, Ordinem prædictum profiteri volentibus, & Professis, vt ad omnes sacros Ordines, vsq; ad Pra-*

sby-

sbyteratus ordinem inclusiuè, & singulus Ordinis Prælaturas, & Officia in dictis partibus promoueri, & in illis ministrare, valeant dispensare.

4 Itèm, *Martinus V.* ità habet, *Quòd tu, & successores tui Magistri huiusmodi, cum quibuscunq; Fratribus dicti Ordinis, cuiuscunq; status existant, ex quocunq; illicito coitu progenitis, vel procreandis, vt ad quoscunq; gradus, dignitates, honores, & officia quæcunq; in Ordine, & Locis prædictis, duntaxat promoueri liberè, & licitè possint (Generali prædicti Ordinis Magistratu excepto) auctoritate Apostolica dispensare valeant, concedimus*, & alia refert *Festus in summ.* nostrarũ *Constit. p. 2. cap. 7. de Illegitimis.*

5 Quod itèm concessit *Gregor. XIV.* in dicta sua *Constit.* incip. *circumspecta, &c.* ibi, *Volumus quoquè, ac statuimus, licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxtà tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis cõcessorũ, quæ dummodò vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur in hac parte validamus cum illegitimis, quos aliàs dictis Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, Prouinciali, seù intermedio Capitulo, & nõ aliàs suffragantibus meritis, dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispẽsare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore, ità factas, & exindè sequuta quæcunq; valere, & tenere, perindè, ac si supradictæ Constitutiones non emanassent*: hæc ibi, per quæ annullantur *Sixtianæ Constitutiones*, quòad ea, quæ disponebant de Illegitimis, & abrogabant Regularium Priuilegia.

6 An autem per hanc *Gregorianam Constitutionem* nouum ius commune detur Prælatis, an verò vetus cõfirmetur, & alia multa huius generis, vide in *tract. de Prælatorũ potestate dispẽsãdi*, vbi multa habes huius generis.

7 In Episcopatu autem solus Papa dispensat, vt dicitur in *d. cap. innotuit, de elect.* & quonàm modo Episcopus multa possit, quòad Clericos, vide *Barbos. de offic. & potestate Episcopi, p. 2. alleg. 45. nu. 19. fol. 363.*

8 Quid autem veniat nomine Officiorum, & Dignitatum, quibus sępè in pœnam culparum Regulares priuantur, declaratum habes, atq; decisum per *Sixtum V.* in sua suprà posita *Constit.* edita super dubijs enatis, quæ incip. *ad Romanum Pontificem, vers. quoniàm verò*, & *Sylu. in summ. ver. Dignitas*, & *Portell. verb. officium, in addit. nu. 1.* vide ergò suprà, vel præcit. *Doctores.*

Quæ de causa Sixtus V. tàm rigorosè statuit contrà Illegitimos? Qu. 7.

1 Ratio dubitandi est; quia multi Illegitimi extiterunt Viri Illustrissimi, & omni virtutum genere ornatissimi, quiq; præcipuam ingenij, & morum, & sanctitatis laudem, ità promeruerunt, vt inter sanctos sanctiores, & infrà doctos doctiores reputentur.

2 *Gratianus* enim, quamuis illegitimus, vita, & doctrina illustris, fuit Ecclesiæ lumen, & *Decretorum* cõpilator. *Iephte* inter Sanctos refertur; sic itèm, & *Albanus* inter Martyres, & alij plures, quos refert *Paleotus de Nothis, & Spurijs, cap. 55. nu. 10. Ioannes Andreas* licèt illegitimus, tamèn inter Canonistas pstantior; & alij non pauci, quos refert *Ioannes Iacobus de Martinis* V. I. D. Cosentinus *in consil. 2. nu. 52.* vbi quærit; an Clericus, vel Sacerdos possit alere filios, & tutà conscientia Bastardas dotare?

3 Verùm, lex respicit id, quod frequentiùs fit, & non ea, quæ de raro contingũt, vt in *l. nàm ad ea, ff. de legib.* cum simil.

4 Cùm autèm frequentiùs huiusmodi Illegitimi malis moribus imbuantur, & sint attincti varijs criminibus, & ea sępiùs habeant, quæ *Sixtus* enumerat suis iàm recensitis *Constitutionibus*, ad euitandum tot mala, prudentèr tot leges fuerunt adhibitæ, vel in detestationem criminis paterni, *cap. vergẽtis, de hæret.* & ob alia multa, quæ assignat *Sylu. verb. Illeg. in fin. Sot. in 4. sent. dist. 259. q. 1. ar. 3.* & *Graff. decis. aur. lib. 4. cap. 27. nu. 55.* vbi multa dicit de prædicta *Constit. Sixti.*

Quinàm de iure dicantur Criminosi, ad hoc, vt repellantur ab ingressu Religionis, iuxtà Decreta Romanorum Pontificum? Qu. 8.

1 Sixtus V. in præcit. suis *Constit.* absolutè iussit, ad Religiosum habitum non debere recipi Criminosos, quod item voluit *Clem. VIII.* in suis *Institut.* editis super receptione, & educatione Nouitiorum, in *vers. primum, quod attinet*, ibi, *an criminosi, an ære alieno grauati*; Si enim dicas, quòd Criminosi denominantur à crimine, ergò inferam, & ego, nullus debet in Religionem admitti; quia nemo sine crimine viuit, nemo sine peccato est, & qui dicit, se peccatũ non habere, mendax est: septiès enim in die cadit iustus: oportet ergò alitèr ad quæsitum respondere, & à iure, vel à *Doctoribus* addiscere, quinàm sint hi Criminosi, à limine Religiosorum repellendi.

2 *Gratianus* super hoc multa dicit in suis *Decretis distin. 25. cap. vnum horarium*, & *Glos. ibid. in vers. alios*, docent, illos homines dici criminosos in iure, maximè respectu beneficiorum non recipiendorum, qui peccatum committũt, quod satis est ad damnationem,

&

& depositionem, *Innoc. & Panorm. in cap. ex tenore, de tempore ordinandorum*, dicunt, quod illi dicuntur criminosi, qui committunt magna peccata, quæ repellunt ab Ordine, argumento 46. *dist. c. Clericus, & dist. 85. c. Apostolus, & 5. q. 4. cap. in loco.*

3 *Sanctus Raymundus* de nostra Familia benemeritus, *lib. 3. suæ summ. tit. de relaxis, & dispensationibus, §. 2.* docet, Criminosos dici per ea peccata, quæ sunt enormia, & publica, quæ eijciunt ab administratione susceptorum, & repellunt à suscipiendis, prout est Hæresis, Simonia, Homicidium voluntarium, & his similia, vt in *dist. 50. cum iror. 1. q. 1. cap. ergo*, quem sequitur *Glos.* in dicto *cap. ex tenore, & Hostiens. in summ. eod. tit. rubr. de qualit. num. 8. §. prima regula*, vbi de hac re luculenter agit.

4. Dixi, enormia, & publica: quia peccata occulta vindictam non habent, vt docet *Glos. in d. cap. ex tenore.*

5 Vndè, etsi Episcopus peccatum occultum nouerit per Confessionem, non potest prohibere Pœnitentem ab Ordinibus.

Et colligitur ex text. dicti *cap.* ibi, *veruntamen si quia peccatum est occultum, si promoueri voluerit, eũ nõ debes aliqua ratione prohibere; quia etiam si in crimine teneantur, prohibendi non sunt, sed monendi, Glos. ibid.*

6 Quid autem sit publicum, consule *S. Raymund. in cit. loc. & Hostiens. vbi supra.*

7 Tandem, si pressiùs loqui volueris: ea crimina dicas facere hominem criminosum, & inhabilem ad Religionem, ob quæ lex ciuilis punit pœna mortis, vel triremium, vel perpetui exilij, aut fustigationis, vel membri mutilationis, ceu sunt Homicidium publicũ, Furtum famosum, Adulterium, Sodomia, Heresis, Simonia, Falsificatio Litterarum Apostolicarum, vel Regalium, aut monetarum, Adulteratio, vel Tonsio, & his similia, quæ exigunt pœnam mortis, & infamant.

An Iudices Laici, vel Ecclesiastici possint quempiam à Religione reuocare, ex quo in sæculo enormia commiserit? Quæst. 9.

1 Quæstio hæc est frequens in vsu; nàm solent Iuuenes non pauci, vbi in sæculo delicta commiserint, ad Religionem euolare: virtutis amore, an formidine pœnæ? Deus tantùm nouit. Hinc instant Iudices, vt extrà septa monasterij sibi criminosos remitti, & restitui, non obstante, quòd sint in Religionem admissi seruata forma *Constit. Sixti, quæ incip. Cùm de omnibus.*

2 Verùm, idem *Sixt.* quid faciendum sua *Constitut.* declarauit; ibi, *contra criminosos verò, quorum professio, ead. Constit. nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, & ipsius secularibus procedendi facultas conceditur, tunc demùm id locum habere volumus, & non aliter, cùm actis publicis constiterit, ipsos Iudices, & Curiam secularem, antè susceptionem habitus, de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse hæc ille.*

3 Quod item procedit in Iudice Ecclesiastico, si contra quem sibi Subditum inquisitum suscepisset, qui inquisitione non obstante, ad eludendum sui Iudicis competentis iudicium, Religionem intrasset; quia vtrobiq; eadem militat ratio, & per ea alia, quæ adducit *Rodr. tom. 3. QQ. RR. q. 56. ar. 3. & 2. p. summ. cap. 3. de Nouitijs, num. 6. circa quintam interrogationem.*

4 Sed sicut *Greg.* 14. sua præfata *Constit. Circumspecta*, annullauit *Sixti V. Constitutiones*, quoad Illegitimos, cuiuscũq; fuissent speciei, easq; reduxit ad terminos iuris, quas adeò est moderatus, vt Illegitimorum susceptiones, & professiones in Ordine subijcerentur iuri cõmuni tantùm; ac si quoad hæc præfatæ *Sixtianæ* editæ non fuissent.

5 Ità, & *Clemens VIII.* sua præcit. *Constit. In Suprema Ecclesiæ*, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam, in eisdem *Constit.* præscriptam non seruauerint, & quoad alios casus, *ibid.* expressos, in quibus Receptorum in quibuscunquè, etiam Mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum reduxit; ac si præfatæ *Constitutiones* in illa parte editæ non fuissent.

6 Vndè, abrogatis *Sixti, & Gregorij Constitutionibus*, & de medio sublatis; casus posstus debet expendi, & examinari iuxtà ius commune, & Sacros Canones; pendetq; decisio ab ea quæstione, scilicet, quibus in casibus Clerici, aliiq; exempti possint licitè à laica potestate examinari, iudicari, & puniri.

De quibus, latè, ac lepidè grauissimus Doctor Hispanus *Didac. Couar. practic. quæst. cap. 32. & Iulius Clar. lib. 5. sent. §. fin. q. 36.* vbi multa huius generis, & nuper post multos *Bonac. tom. 2. circa octauũ decalogi præceptum, disp. 10. q. 2. §. 1. per totum*, & nouissimè *D. Marcellus Vulpes in sua Praxi fori Eccl. c. 38. n. 1.*

7 Nũc verò cũ distinctione resoluo quæsitum: aut iste Criminosus fit Religiosus fraude, & dolo, ea scilicet intentione, se subtrahendi è Laica potestate, & sic potest per Iudicem Laicum reuocari, & à Nouitiatu debet expelli; prout accidit tempore Prouincialatus Ad. R. P. Magistri Fratris Pauli de Callio, vtriusq; nostræ Calabriæ Prouincialis meritissimi, sub anno 1610. cùm quidam criminosus Clericus Ciuitatis Catanzarensis informationibus fuisset admissus ad peragendum

dum Nouitiatus annum, in Conuentu Sancti Dominici Terræ Altimontis; reclamãte Episcopo Cathacensi, fuit habitu priuatus, & ab eodem Patre Prouinciali de consilio sui Capituli, è Nouitiatu licentiatus, qui illinc ad paululum fuit, seruatis seruandis, ad triremes condemnatus: voluit enim miser ille in Patriam reuerti, vbi homicidium commiserat; quia dolus, & fraus nulli debet patrocinari, vt omnes docent.

8 Vel talis Delinquens suscepit Religionis habitum, absq; fraude, & sic liberatur, & eximitur prorsus à iurisdictione Iudicis Laici, & relinqui debet Iudici suo Ecclesiastico puniendus, *Clarus* cit. *loc. n. 43. & 44.* vbi plures refert decisos casus; & signantèr de quodam Criminoso, qui patrato delicto fuit factus Clericus, & beneficium obtinuit, sed status mutatio non tuuit, cùm dolosè egerit, *Couar. cit. loc. concl. 2. nu. 4.* vbi multos allegat *Doctores*; & iura citat, & *Bonac. nu. 16. vbi suprà*; & hãc distinctionem, infinitis citatis Authoribus, probat *D. Cõs. Carlenal, tom. 1. de Iudic. disp. 2. q. 6. sect. 3. nu. 447. 448. & 449.*

9 Sed dices; quando præsumitur, Delinquentem suscipere Religionis habitum dolo, & fraude?

Respondent *Doctores*, quòd tunc fraus præsumitur, cùm quis efficitur Religiosus statim patrato delicto, vel vbi fuit de ipso delicto delatus, vel diffamatus, vel vbi audiuit, quod Iudex per viam inquisitionis, vel accusationis incepisset inquirere, vel si fuisset super delicto citatus, vel condemnatus; in his, & similibus casibus, te vera præsumitur accepisse habitum in fraudem, vrpura ad euadendum reatus penam, & sui Iudicis disciplinam; quod non potest fieri, prout colligitur ex *l. hos accusare, §. hoc beneficio, vers. dum non retractandi causa, l. maritus, §. legis, ff. de adulter. l. vlt. ff. de re militari*, & argum. *cap. proposuisti, de foro compet.* vbi decidirur, quòd nõ licet iudicium declinare, & quòd datur locus præuentioni; omnis enim Laicus, ad hoc vt fiat Clericus, vel Religiosus, de iure Canonico debet esse liber, & absolutus ab omni seruitute, vinculo, & obligatione; vt in *cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia, & cap. tantis Daniel 81. distin.*

10 Sed pone, quòd criminosus fiat dolosè Professus; quid agendum, Iudice reclamãte?

Respondent quidam, quòd vltra penas, in quas Superiores incurrunt, ob informationes faciendas; non factas ad præscriptum recẽsitarum *Constitutionum*, tenetur Monasterium pro delicto ipsius Criminosi professi, prout hæres tenetur de delicto sui instituentis: hoc est, ad tantum, quantum ad ipsum peruenit, *Clarus* cit. *loc. nu. 45.*

11 Sed ego dico, quòd in tali casu Iudices Ecclesiastici debent examinare delicta huius criminosi Professi, & super illis iudicare, & seruatis seruandis, ad triremes illum condemnare, vel degradare, & sæculari Curiæ tradere; si talia sint Criminosi delicta; fraus enim, vt dixi, nulli debet patrocinari.

12 Si verò delicta mulctam exigant pecuniariam, debent bona huiusmodi Professi Laicali potestati relinquere, secundùm aliquos *Doctores*.

13 Sic adeò, vt is subijciatur Laicis, quoad penam pecuniariam, & Ecclesiasticis, quoad corporalem: Persona enim, ex quo effecta est de sorte, & hæreditate Christi, nõ potest prorsus esse subiecta Potestati laicali; vt dicam de Oblatis, *Duard. lib. 2. can. 15. q. 15. nu. 4. Carol. de Graff. cõs. 1. nu. 1080. Bonac.* latè cit. *loc. nu. 16. Ant. Diana p. 4. tract. 1. resol. 95. part. 3. tract. 1. resol. 33. & p. 1. tract. 2. resol. 26.* Egomet infrà in *tract. de Priuil. Nouit. Carlenal. vbi suprà*, & *Bossius in tract. crim. titul. de penis, nu. 37.*

14 Et debẽt hoc Prælati Regulares procurare: Ecclesia enim est cultrix iustitiæ, nec Criminosis nouit dare adiutorium; Nec possumus, instante parte, facinora impunita relinquere; nec penam culpis debitam relaxare, si hoc exigat iustitiæ ratio, partis petitio, & Reipublicæ bonum, *D. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 4.* & *Couar. variar. resolut. lib. 1. cap. 20. num. 8. in fin.*

15 Sed quid, si iste Criminosus, antè delictum, vouerit Religionem intrare; & statim post delictum commissum ingrediatur; censetur nè in fraudem intrasse? an potiùs ob votum, & causa seruiendi Deo?

Affirmant quidam, huic intranti tale Votum adeò suffragari, vt sit absolutus realitèr, & personalitèr ab omni iurisdictione Laicali, etiam si de delicto esset inquisitus, vel coràm Iudice diffamatus.

16 Et addunt, quòd ad probandum, tale Votum fuisse emissum antè crimina, satis esse iuramentum intrantis, & illi standum; quia ea, quæ in animo consistunt, ipsius tantùm asserentis iuramento probantur. Votum enim stat in animo, & mente Vouentis, *Glos. in cap. significasti, il 1. de homicidio*, & *Glos. in cap. si verò, il 2. de sent. excomm.*

17 Verùm, hæc opinio dubia est, quandoquidem agitur de graui, & maximo præiudicio tertij, nempè, de graui, & enormi læsione Reipublicæ, & sæcularis iurisdictionis: quò fit, vt non stetur iuramento asserẽtis, sed requiratur maior probatio, vt in praxi seruatur, & dico infrà in *tract. de priuil. Nouit.*

18 Secus autem, si de re leui, & modico præiudicio ageretur, irà probant *Couar. practicarum quæst. cap. 32. nu. 4. vers. cæterùm, Prosper Farinacius de Inquisit. q. 8. num. 114. Portel.*

tell. verb. Nouit. num. 17. *Rodriquez tom.* 3. *QQ.RR. quæst.* 10. *ar.* 7. & antè eos *Sylu. ver. Iudex* 2. *quæst. num.* 6.

19 Quæ autèm sunt dicta circa Criminosos, limita, non procedere in iis, qui per sententiam diffinitiuam fuerũt à delictis totalitèr liberati; dummodò non remanserint infamia notati; sic enim absoluti non possunt dici inquisiti; quominùs nequeant Religionem ingredi, si aliàs sint idonei, *Rodriquez* cit. *loc.*

20 Onus autem probandi, quem mutasse statum in fraudem; hoc est, ad hoc, vt effugiat forum Iudicis sæcularis, eiusq; punitionẽ; spectat ad eum, qui contendit, & fatetur, ità esse, ac fuisse factũ; fraus enim nõ psumitur, quin probetur *l.* 1. *ff. pro Socio, & l. quotiès. §. qui dolo, ff. de probat. Bonac.* multis allegatis cit. *loc. nu.* 18. *Addentes ad Iul. Clar. in d. q.* 36. *nu.* 4. & extat decisum per *Franch. decis.* 209. *& decis.* 384. vbi latè, & ad partes de hac eadem re disputatur, & *Paul. Layman. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *de immunit. Eccl. nu.* 12. *&* 13.

An Homicidæ, ac Latrones, de iure communi possint Religionem ingredi, & in ea validè profiteri? Qu. 10.

1 Affirmatiuè respondeo; & habetur in *cau.* 33. *q.* 2. *cap. Admonere*, vbi Papa *Stephanus V.* consuluit cuidam Hastulpho, qui vxorem occiderat, vt relinqueret sæculum, & fieret Monachus: ibi, *placeat tibi consilium nostrum, & hoc fac, quod meliùs tibi, miserere animæ tuæ, vt non sis tu tibimet ipsi homicida*, quæ verba sunt consultiua, non autèm dispensatiua: & hoc ideò; quia de iure homicida dispensatione non indiget, ad hoc, vt fiat Regularis, vndè tanquàm vnus de Conuersis potest validè profiteri.

2 Immò, si sit occultus, potest, & Altari ministrare; præuia tamen dispensatione Prælati, si aliàs sit idoneus; quonàm modo Prælatus Regularis potest in homicidio dispensare, vide quæ dico in *tract. de potestate dispensandi.*

3 Hinc dicitur, S. Romualdum Fundatorem Camaldulensium fuisse priùs homicidã: & ità patitèr S. Gulielmum Ducẽ, etiam Reformatorem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in quorum vita nulla fit mẽtio, quòd fuisset cum illis dispensatũ ad ingrediendũ, vel profitendum in Religione, vt notat *Portell. ver. Nouitius, n.* 12. *& n.* 15. & *Peyr. tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 1. *§.* 2. *nu.* 87.

4 Idipsum dico de Latronibus; quia ex eo, quòd Latrones sunt, de iure communi nõ redduntur inhabiles ad profitendum: secus autem, si essent inquisiti, vel si habeant debita, & recusant restituere, cùm possent; sic enim censentur, quemadmodùm, & alij ære alieno grauati.

5 Verùm, etsi horum omnium valida sit Professio; saluæ tamen remanent pœnæ, contrà Superiores apposita; vt sępè dictum est, & *Clem. VIII.* declarauit.

6 In nostra autem *Constitut. distin.* 1. *cap.* 13. *tex.* 2. *litt. F. fol.* 42. *col.* 2. *ver. de criminosis*, dicitur, quòd facinorosi, & homicidæ non recipiantur ad habitum, nisi maximam suorum errorum pœnitentiam ostenderint, aut feruentissimo spiritu ducti, ad Religionem venerint, idq; non sine licentia Magistri Ordinis speciali, vide *ibi.*

An Curiales, de iure possint in Religionem admitti, & in ea profiteri? Qu. 11.

1 Decisio pendet ex illa; an Curiales possint de iure ad Ordines promoueri? quoniàm idem est iudicium de Professione, & Religionis ingressu, & de suscipiendo primam tonsuram, & de promouendo ad sacros Ordines: qui enim non potest de iure prima tonsura initiari, vel promoueri ad sacros Ordines, multò minus nequibit Religionem intrare, & in ea profiteri; sicut enim Laicus, ex quo fit Clericus, dicitur mutare statum, ità si fiat Religiosus, quia vtroq; modo fit de sorte, & hæreditate Christi.

2 Curiales ergò (vt à nomine incipiam) dicuntur à curia, vel à cruore, prout latè docet *S. Raym. lib.* 3. *summ. tit. de Curialibus.*

3 Nàm, sunt in duplici differentia: quidam enim procurant honesta Curiæ officia, vt Decuriones, Iudices, Aduocati, Procuratores, Milites, & similes, quidam verò sunt Curiales in causa sanguinis, & hi dicuntur à cruore.

4 Omnes Curiales indistinctè prohibentur ordinari, nisi primò sint absoluti à Curia, *dist.* 51. *cap.* 1. 2. *&* 3. ibi, *fuerint absoluti à Curia, admittuntur.*

Sed cũ distinctione; nã hi, vel exercuerunt sæua, turpia, vel inhonesta, aut honesta.

5 Curiales primo modo, vt qui dùm Potestatibus deseruirent, sanguinem humanum fuderunt, vt Milites, & Officiales, nõ possunt promoueri sine præuia dispensatione, vt dicitur in *dist.* 51. *cap.* 1. *&* 3.

6 Sic item hi, qui exercuerunt turpia, & inhonesta, vt Histriones, Buffones, & cõsimiles viles Personæ, vt in *dist.* 46. *cap.* 3. *dist.* 2. *de consecratione, cap. pro dilectione.*

7 Qui autẽ exercuerũt honesta extrà causam sanguinis, admittuntur; absoluti tamẽ à Curia, vt dictũ est, & habetur 61. *dist. c. Ossius.*

8 Multæ autèm sunt causæ, ob quas huiusmodi Viri sic indistinctè prohibentur ordinari;

dinari; quarum Prima; quia Curialium plures sunt viles personæ, & frequentèr irregularitatem contrahunt ex officio suo.

9 Secunda, multum molestatur Ecclesia, & incommoda patitur, propter tales, quando repetuntur.

10 Tertia; quia præsumitur contra eos, quòd non transeant ad Clericatum, vel Monachatum voto Religionis, sed, vt fugiant ratiocinia dominorum suorum, *d. distin. 51. cap. 1. 2. & 3. & dist. 53. Syl. ver. Ordo 4.* & *Bonac. de cens. disp. 7. q. 2. pun. 4. nu. 3.*

11 Hæc omnia procedunt in Monachatu, vt suprà dixi; sic adeò, vt si de facto promoueantur ad Ordines, sint verè ordinati, & in Religionem admissi, validè profitentur; quia in iure non reperitur decretum irritans factum contrarium; sed Superiores (vt sępiùs dixi) possunt, vt suprà puniri, & castigari, vti violatores Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum.

An ratiocinijs obligati, possint de iure esse Religiosi, & validè profiteri? Qu. 12.

1 RAtiociníum (vt exordiar à nomine) est redditio rationis, consurgēs ex administratione rei publicæ, vel priuatæ: Sunt enim quædam ratiocinia publica, quibus obligātur Officiales Curiæ ex administratione rerum, ad Rempublicam pertinentium, vt dicitur in *l. Officiales, C. de Episcopis, & Clericis*, prout sunt Thesaurarij, Perceptores, Depositarij æris publici, Aduocati, Iudices, & consimiles.

2 Quædam verò priuata, quibus homines obligantur ex administratione rerum priuatarum; vt sunt Tutores, Procuratores, Actores, Executores vltimarū voluntatū, & consimiles, de quibus in *cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia*, & docet *Sylu. verb. ratiocinium.*

3 Quo præsupposito, dico, quòd obligati ad ratiocinia Reipublicæ, de iure cōmuni prohibentur, Religionem intrare, & in illa profiteri; prout habetur in *cap. legem, dist. 53.* ibi, *qui militiæ, vel ratiocinijs sunt publicis obligati*, & ibidem, *quòd si etiam tales quoquè Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt; nisi priùs à ratiocinijs absoluti fuerint*, & docet latè *S. Raymund. in summ. lib. 3. tit. de Curial. & oblig. ad ratiocin. §. 4. ver. sequitur, vt videamus*, & *Syl. verb. Religio 2. q. 6.*

4 Quia, de iure obligati Reipublicæ ex administratione, arcentur ab honoribus, prout expresśè dicitur in *l. Officiales, C. de Episcopis, & Clericis.*

5 Et multò minus possunt ad ordinem promoueri, vt manifestè deciditur in *cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia*, ibi, *si enim antè libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* Perindè, censentur irregulares, respectu Ordinum, & inhabiles ad Religiones, ex defectu libertatis; saltèm ad tempus: hoc est, vsquè dùm non fuerint reddita ratiocinia: qui enim nequeunt esse Clerici, multò fortiùs, nec possunt in Religione profiteri.

6 Quod itèm amplia ad eos, qui sunt obnoxij ratiocinijs, etiam ob priuatarum rerum administrationem: & hoc ex nouo iure *Sixtiana Constit.* incip. *Cùm de omnibus*, ibi, *authoritate Apostolicâ perpetuò statuimus, & ordinamus, vt huiusmodi ingēti ære alieno suprà vires facultatum suarum grauati, vel reddendis ratiocinijs obnoxij, & obligati, nullatènus recipiantur, &c.* qui: *text.* cùm indistinctè loquatur, generalitèr debet intelligi, iuxtà *l. de pretio, ff. de publ. in rem act.*

7 Tùm etiam; quia ratio finalis præfatæ *Constitut.* etiam militat in ratiocinijs rerum priuatarum; ibi, *in Religionis opprobrium, in Dei offensam, & scandalum plurimorum*; & ibi, *vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis idm illata, vel timendum sit, quòd inferatur*: hæc omnia concurrunt in casu, de quo agitur, ergò ex nouo iure, quod ratificauit *Clem. VIII. in Instit. Nouit.* lite pendente, vel mouenda infrà pauca tempora super huiusmodi ratiocinijs; non potest quis his obligatus, licitè Religionem ingredi, nec profiteri; prout *Sāctus Raym. cit. loc.* vbi loquens de administratione priuata, ibi, *aut mouetur quæstio de perfidia, aut dolo, aut culpa*, allegat *81. distin. tantis 23. dist. Illud, extr. de oblig. ad ratiocin. cap. 1.* quem sequitur *Portellus verb. Nouit. num. 20. Peyr.* multis citatis *tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 2. nu. 74. à Sancto Fausto tom. 1. lib. 5. Thesauri, q. 127. Bonac. de cens. tom. 1. disput. 7. de Irregular. quæst. 2. pun. 4. nu. 4. 5. & 6. Nauar. consil. lib. 3. de regul. cons. 1. nu. 7. ver. 3. Ledesma de stat. Relig. in comm. cap. 6. concl. 3. dub. 4. fol. 254. Sorb. in comp. ver. Nouit. tit. de Nouit. profess. Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 10. ar. 11. & in summ. 2. p. cap. 3. de Nouit. in octaua interrogat.* & *Mirand. tom. 1. Manual. q. 17. ar. 6.*

8 Secus autèm dicendum, si aliàs sint debitores ex causa mutui, vel simili, vtputà ex instrumento, obligatione, & contractu, vel iuramento, ceù sunt feudatarij, conductores prædiorum, rerumq; venalium, vt dicitur in *ff. de muner. & honor. l. rescripto, §. debitores, & C. de Episcopis, & Cleric. l. quisquis censitus*, & docet *S. Raym. vbi suprà.*

9 Sed pone, quòd contra prædicta aliquis in Religione profiteatur; an sit eius ꝓfessio valida? Et dico, quòd sic; quia in iure communi non reperitur decretum irritans.

10 Et addo, quòd *Clem. VIII.* ità declarauit in sua sępè dicta *Constit.* incip. *In Suprema*

prema Ecclesia, qua omnes casus *Sixti* ad terminos iuris reduxit.

11 Verùm, Monasterium tenetur ad interesse, & damna reficere; & Superiores inciderent in pœnas, vt sępè dixi, & notant præcitati *Doctores*.

Sed quid, si quis finita administratione, & redditis ratiocinijs remaneat debitor; an possit Religionem intrare? Ex infrascriptis resolue.

An ære alieno grauati, & debitis onusti, possint de iure Religionem adire, & in ea licitè profiteri? Qu. 13.

1 VT certa ab incertis separentur; oportet aduertere, quòd hic non loquimur de eo, qui Religionem ingreditur de consensu, & voluntate sui creditoris; quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria.

Nec de debitis incertis, vt cùm verus Dominus ignoratur, vel si sint incerta ex parte ipsius debitoris, vt cùm dubitat, an verè debeat, vel restituere teneatur: hæc .n. non impediunt Religionis ingressum, vt colligitur ex *prima Constitutione Sixti*, ibi, *quorum Dominus facta diligenti inquisitione potest sciri*, & docent antiqua iura: secundùm quæ, bona incerta, & indeterminata possunt conuerti in pios vsus.

2 Imò, & applicari Monasterio, quod quis ingreditur, etiam sine consensu Episcopi, iuxtà priuilegium Minoribus cõcessum à *Clem. IV.* quod extẽditur ad omnes, ob mutuam priuilegiorum communicationem, vt docet *Miranda tom. 1. Manual. q. 17. ar. 7. concl. 1.* & habetur *in comp. priuil.* eiusdẽ *Ordinis, verb. Nouitius, §. 1.* ibi, *quòd bona incerta aliquorum, quæ debentur ab assumentibus nostrum habitum, quorum proprij Domini sciri, & inueniri non possant, à Ministris, & Prælatis Ordinis possint in aliquos pios vsus commutari*, de quo priuilegio *Nauar. in Manual. cap. 17. nu. 22.*

3 Nec itèm de debitis parui momenti, tùm quia, *Sixt.* loquitur de ingenti ære; tùm etiam; quia leuia, & minima, in consideratione non veniunt.

4 Sed de debito certo, ac determinato, quod sit alicuius considerationis, & de creditoribus inuitis; sic adeò, vt his reclamantibus, & debito certo non obstante, an liceat debitori, sæculum relinquere, & Religionem intrare?

Quod cum distinctione resoluo; aut iste debitor ingrediens habet, vndè soluat; aut non: si primo modo, vendat sua, & creditoribus satisfaciat, quibus satisfactis, vel datis pignoribus, vel præstita priùs cautione, vel facta obligatione suprà sua immobilia de soluendo; potest licitè recipi, & ad professionem admitti. Si autèm non sit persona soluenda, tenetur facere, quod potest, vtputà, in creditorũ beneficiũ cedere bonis omnibus, & suis iuribus, & actionibus; quo facto, põt ingredi, & in Religione p̃fiteri; quia vltrà posse nõ astringitur, & ad impossibile nemo tenetur, & inanis est actio creditoris, q̃ inopiæ debitoris excludit exceptio *14. q. 6. c. si res. ff. de dolo, l. nã is*; ità *D. Thom. 2. 2. q. 189. ar. 6. in respons. ad 3.* vbi ait, *quòd ille, qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licitè prætermittere, facultate existente: & ideò, si aliquis sit obligatus, vt alicui rationẽ ponat, vel, vt certum debitum reddat; non potest hoc licitè prætermittere, vt Religionem ingrediatur, si tamen debeat aliquam pecuniã, & non habet, vndè reddat, tenetur facere quod potest, vt scilicet cedat bonis suis creditori, propter pecuniam autem persona liberi hominis, secundũ iura ciuilia, non obligatur; sed solùm res; quia persona liberi hominis superat omnẽ æstimationem pecuniæ*: hæc ille; quem *ibid.* amplectitur *Caiet.* & *Nauar. in com. 1. de Regularibus, n. 7. ver. septimò facit*, vbi latè ad partes disputat, & soluit cõtraria.

5 Perindè, debita certa debet antè ingressum debitor soluere: secus peccat mortalitèr, & agit cõtra iustitiam: tùm quia, debita soluẽda sunt de iure Naturæ, & Diuino, iuxtà *septimum præceptum Decalogi*. Ingressus autèm Religionis est consilium, sed priùs satisfaciendum est præceptis, quàm consilijs: tùm etiam; quia id expressè vetuit *Sixt.* in iàm dicta sua *Constitut. de omnibus*, quam *Clem. VIII.* quòad hoc, nedùm non reuocauit, sed ratificauit in *Institut. Nouit.* quas suprà habes.

6 Nec omnis cessio bonorum excusat cedentem à soluendo, & culpæ reatu, prout mirificè docet *Dominicus Soto* de nostra Familia benemeritus *de iustitia, lib. 4. quæst. 7. artic. final. in fin.*

7 Non enim excusat illa, quæ vafrè, & dolosè fit, ex *l. vlt. §. vlt. ff. quæ in fraudẽ credit.*, & docet *Iason in §. item, si quis in fraudem. Instit. de action.*

8 Quàpropter, qui pollet arte, viribus, & ingenio, vt aliquo munere sit potens, ea, quæ debet honestè lucrari, tenetur laborare, & facere totum illud, quod moralitèr est factibile, ad hoc, vt creditoribus satisfaciat; secus non satisfacit animæ suæ, prout colligitur ex illis verbis iàm recensitis *D. Thom. tenetur facere, quod potest, Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 10. ar. 9. & 2. part. summ. cap. 3. de Nouit. in 5. interrogat. à S. Fausto tom. 1. lib. 5. Thes. q. 129. & 130.* & *Portell. ver. Nouit. n. 19.*

9 Vndè, qui iurauit, ducere aliquam in vxorem, qua promissione, & illam cognouit; tenetur illam priùs ducere, quàm Religionem

nem intrare, vt dicitur in *cap. commissum, de sponsalibus.*

10 Quod procedit, etiam si ad id lege priuata ducatur; docet *Nauar. citat. loc. ver. quartò*, & hoc, non alia ratione, quàm quia debitor priùs debet soluere debita, quam intrare, *Sanch. lib. 8. de matr. disp. 36. n. 8. & 55.*

11 Quod amplia, propter identitatem eiusdem rationis, ad omnia debita, siuè sint realia, vt qui debet vinum, aut oleum, vel aurum, vel argentum, resq; alias, cuiuscumque sint generis. Vel personalia, ceù, qui debet pœnam, ad quam fuit damnatus, vel si locasset operas suas; quia omnia debita impediunt Monachatum, etiam in eo, qui iurasset intrare infrà tale tempus; quia iuramentum non est vinculum iniquitatis.

12 Sed quid, si contrà iam dicta, quis in Religione Professionem emittat?

Respondeo, quòd licèt Professio sit valida, iuxtà *Decreta Clementis*, & secundùm antiqua iura, *cap. 2. de obligat. ad ratiocin. Nauar. lib. 3. consil. de regul. cõs. 26.* nihilominùs, Superiores in pœnas incurrunt, quas *Sixt.* præscripsit, & Monasterium tenetur satisfacere de his, quæ Professus contulit Monasterio *19. quæst. 3. cap. si qua mulier, & C. de Episcopis, & Cleric. l. Deo nobis, §. 1.*

13 Secus, si nihil contulit; quia nihil habebat; nàm Monasterium, se habet vt hæres Professi; hæres autèm non tenetur vltrà vires hæreditarias; *Iulius Clar. in §. final. quæst. 36. num. 45.*

14 Benè verum est, quòd si post ingressum, occasione eius Monasterium acquireret aliqua, putà per successionem hæreditariam, vel alio modo, vtputà, ex donatione inter viuos, vel ex testamẽto, aut quouis alio modo, teneretur Monasterium, in quantum est illud, argum. *19. q. vlt. d. cap. si qua mulier.*

15 Poteritq; his debitis onustus, si aliàs non habeat satisfacere, etiam in Monasterio existens, scribere librum, vel aliud honestum opus facere, ad liberandum se; dummodò propter hoc non negligatur diuinum obsequium, *dist. 91. cap. Clericus.* Deductis tamèn expensis, nè sit onerosus Monasterio *16. q. 6. cap. de lapsis*, & docet *S. Raym. lib. 3. summ. in tit. de Curialibus, & obligatis ad ratiocinia, §. 5. vers. pone, aliquem*; vbi de hac re multa docet.

An Seruus perpetuus, possit de iure Religionem ingredi? Quæst. 14.

1 Certum est, non posse sine consensu Domini sui, prout expressè deciditur in *caus. 16. q. 1. cap. qui verò, ibi, neminem seruorum suscipi in Monasterium, vt sit cum eis Monachus, nisi cum Domini sui licentia.*

2 Et Prælati secus facientes, debent excommunicari, ibid. *prætereuntem verò hac, decreuimus, extrà communionem esse, nè nomen Dei blasphemetur.*

3 Et hoc ideò; quia Seruus huiusmodi, quicquid est, sui Domini est, vndè caret omni dominio, & potestate ad constituendum sibi aliũ hominem in dominum, & patronũ: nec ob id potest à suo Domino recedere, & alteri inhærere, vt exigit Monachorũ Regula: quandoquidèm, Regulares (vt praxis ipsa docet) abrenunciantes propriæ voluntati, promittunt, vsquè ad mortem obedire Superioribus Ordinis, quem sunt amplexi, & profitẽtur, prout latè *S. Raymund. lib. 1. summ. cap. de Voti transgressione, §. 6. tit. 8.* & *Cardinalis Turrecremata super Decreto, caus. 17. q. 2. cap. si quis, nu. 3.* vbi de hac re luculentèr, ac lepidè, adiuncta *distin. 54. cap. nullus*, & *Sylu. verb. Religio 2. q. 3.*

4 Proindè, non potest in Religione profiteri, sine crimine furti, quod hinc inde cõmitteretur; mutuus enim contractus, qui debet mediare inter Religionem acceptantem, & profitentem, fieret de re aliena, inuito domino, & consequentèr, etiam, si professionẽ fecisset, esset Domino repetenti, cum omnibus bonis, quæ ad Monasterium attulit, restituendus, & reconsignandus; iuxtà dispositionem *cap. si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit 17. q. 2.* hoc est, dummodò repetatur infrà triennium, & habita priùs fide de eius impunitate; elapso autem triennio, ampliùs quæri non potest, nisi sit tàm longè, quòd inueniri non possit.

5 Hoc autem triennium incipiet currere à die scientiæ Domini; prout colligitur ex *text.* ibi, *Nisi sit tàm longè, quòd inueniri non possit*; per quæ verba datur intelligi, quòd debeat priùs Dominus reperiri, eiq; huiusmodi ingressus intimari, qui si per triẽnium tacuerit, & fuerit negligens in repetendo, censetur manumittere, & consentire, *Glos. in d. cap. si quis, & in 54. dist. cap. si seruus, S. Raym.* cit. *loc. S. Anton. 3. p. tit. 16. c. 3. §. 4.* & *Syl. vbi sup.*

6 Sed pone, quòd ille Seruus antè triennium profiteatur, an sit valida talis professio?

Respondeo negatiuè: est enim nulla, ex duplici capite; & Primò, ex defectu temporis præscripti: etenim probatio Seruorum perpetuorum debet omninò esse triennalis, vt habetur expressè in dicto *c. si seruus sciente, & d. cap. si quis incognitus 17. q. 2.*

7 Et sicut Profitens, non peracto decimo sexto anno, vel non facto integro probationis anno, à *Sacr. Conc. Trid.* præfixo, nullitèr profitetur; ità à pari.

8 Secundo, redditur nulla ex defectu potestatis, & libertatis, quæ est necessaria omninò ad validè profitendum: Seruus enim non potest de se disponere, in præiudicium

Domini sui, nec se tradere Religioni, quod est vnum de substantialibus, & sic traditio est nulla: ità paritèr erit nulla professio: eo modo, quo irrita est professio coniugis, facta, inuito marito, vt dicitur expresse in *c. quidam 3. de conuersione coniugatorum*, ex defectu potestatis disponendi de se, ità, & illa, de qua agitur. Nec Deus, nec sua Ecclesia quicquã vult cum præiudicio tertij; est enim cultrix iustitiæ.

9 Proindè, Domino repetenti recõsignãdus est ille Professus, vt suprà: Nec huiusmodi professio est obligatoria; quia professio nulla, nullã inducit obligationẽ, adeò, vt ille Seruus reuocatus à Domino, professione peracta; si deindè manumittatur, hatq; liber, non tenebitur, in Religionem redire, nec interim castitatem seruare, nec alia vota essentialia custodire; prout, post multos docet *Sanchez lib. 5. cap. 4. nu. 46.* Et habetur expresse in dicto *cap. quidam, de conuers. coniugat.* ibi, *vndè ad Monasterium ratione voti non tenetur redire*: quò fit; vt talis Seruus possit licitè, & validè contrahere, nisi fortè fuerit promotus ad sacros ordines, *vt in cap. ex antiquis regulis, dist. 54.* vel nisi aliundè promisisset, seruare castitatem, vt in *d. c. quidam, & cap. placet, eod. tit. de conuers. coniug.* vbi *Glos.* docet, quòd illo votum pro parte teneat: Seruus enim potest disponere de non petendo debitum; & velle castè viuere; quia hæc pendent ex eius anima, & penès hoc nullum præiudicium infert Domino suo: Verùm, tale votũ castitatis, per Seruũ factum, erit simplex, non autèm solemne, ex *Glos. praec. cap. de conuers. coniugat.* vbi ferè omnia habes, quæ sub hac dubitatione possunt cadere.

10 Quod principalitèr decisum extende ad eum, qui per falsos testes probauit, se liberum esse; si enim Dominus noluerit, eum ex gratia dimittere, debet tãquàm indignus, & vilis spoliari, & priuari habitu, quem furtiuè suscepit, & restitui suo Domino, argum. *extran. de seru. non ordin. & in d. cap. nulli, dist. 54. & cap. de seruor. tit. de seruis non ordin.* ibi, *quadam calliditate, vel fraude.*

11 Verùm, in tali casu, & signantèr Professione sequuta, Dominus, ob amorem Dei, deberet dimittere, vel petere, sibi per Monasterium, ex quo fuit in culpa, damna refici, & compensari, ad hoc, vt ille non canonicè receptus, possit in Monasterio remanere: & hæc via pro vtraq; parte est magis expediẽs, & rationi consona, *S. Raym. cit. loc. & Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. q. 17. ar. 2.*

An qui sponsalia contraxit possit de iure Religionem ingredi? Quæst. 15.

1 Posse equidèm, docent communitèr DD. eò, quòd per sponsalia non fit matrimonium perfectum, *Sylu. verb. Religio 2. q. 4.* & *Sot. 4. sent. dist. 27. q. 2. ar. 5.*

2 Quod amplia, etiam si fuissent iurata, prout expresse habetur in *cap. peruenit 3. de iureiurando*, ibi, *non enim propositum, aut promissum infringit, qui in meliùs illud commutat*, prout est in casu, de quo agitur.

3 Imò, per ingressum Religionis sic adeò dirimuntur sponsalia, vt nõn sit expectanda professio personæ ingressæ, sed cùm primùm vnus sponsorum, Religionem ingreditur, alter, qui erit in seculo, possit statim ad alia vota transire; vt colligitur ex *cap. veniens 5. qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possunt*, quo in loco refertur, quèdam ob simplex Votum castitatis cuiusdam fœminæ, cũ qua promiserat contrahere, recessisse à sponsalibus, & cum alia statim contraxisse; quia eùm res est integra, vnicuiquè licet, à promissis recedere.

4 Quamobrèm, suscepto Religionis habitu, & professione non sequuta; si quis iterùm reuertatur in sæculum, ex sponsalibus non astringitur ad contrahendum cum illa, cui promiserat; dummodò, bona fide Religionem intrasset; secus si fraudulentèr, ad deludendum promissionem factam; nã fraus, & dolus nemini debet suffragari, *cap. ex tenore, de rescriptis*: Vndè, etsi in sæculo relictus sit sponsalibus solutus; iste tamen, qui subdolè Religionẽ intrauit, statim egressurus: si mulier, cui promisit nubere, sponsalibus stare voluerit, stare tenetur, & matrimonium contrahere, *Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 455. nu. 10.* & *Suarez tom. 3. de Religione, lib. 5. c. 11. nu. 10.*

5 Quæ omnia, vnico verbo reconfirmantur, si aduertas, quòd Religio dirimit matrimonium ratum, licèt non consummatum; quãtò ergò faciliùs, poterit, & sponsalia dirimere?

6 Nec per talem sponsaliorum dissolutionem incurritur pena amittendi arrhas, ex *l. Deo nobis, C. de Episcopis, & Cleric.* & docet *Sot. cit. loc. sent.*

7 Nec itèm his obstat *cap. commissum, de sponsalib.* vbi dicitur, quòd si quis sponsalia iurauit, & postea ad frugem melioris status suspirat, tutiùs ei est, iuramento seruato contrahere, & tunc demùm ad Religionem migrare: quia id in *d. cap.* Dominus Papa non improbat factum, sed consulit, quid esset securiùs faciendum: vel dicas, non quidèm re vera tutiùs, sed secundùm Vulgi opinionem, nè ille censeatur, de facto contra iuramentum venire, vide *Solum vbi suprà.*

8 Sed pone, quòd quis contraxit sponsalia, & sub eo prætextu virginem deflorauit, an possit Religionem ingredi? Et dico, quòd non, vt dixi suprà de debitis onustis; tenetur enim eam ducere de rigore iustitiæ; quia tra-

tractatur de damno irreparabili, quod non potest alitèr compensari, *Nauar. com. 1. de Regul. num. 8.*

9 Quod amplia, etiam si fictè, ducere promiserit, vel, etsi mulier non sit deflorata, tamē propter familiaritatem habitam cum sponso, grauem passura sit famæ iacturam; etenim ex secreta, & nimia practica cum futuro suo viro, præsumitur violata, vel deosculata, & consequentèr corrupta: nam mulier deosculata dicitur semicorrupta; ità post multos à *S. Fausto lib. 5. Thesaur. qu. 127. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 2. nu. 54.* secus autem, si post deflorationem promisisset, ipsi nubere, & hoc in foro conscientiæ; nam in foro externo alitèr iudicatur.

An, Vxoratus, de iure possit Religionem ingredi? Quæst. 16.

1 CVM distinctione resoluo quæsitum: aut matrimonium est ratum, sed non consumatum; & sic liberum est, cuilibet coniugum, altero etiam inuito, ad Religionem euolare, prout habetur expressè in *cap. ex publico 7. de conuersione coniugatorum*, ibi, *licèt à præfato viro desposata fuerit, adhùc tamē ab ipso est incognita*, & magis expressè in *cap. verùm, eodem titulo*, ibi, *post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium; prout multi Sācti fecerunt, Macarius, Alexius*, & alij non pauci: & hæc cōclusio hodiè est de fide, per *Concil. Trid.* definita in *sess. 24. Canone 6. de sacramento matrimonij*, ibi, *si quis dixerit, matrimonium ratum, non consumatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum, non dirimi, anathema sit.*

2 Quibus ex verbis nota, quòd alter remanens in sæculo, non potest ad secunda vota transire, nisi alterius Religionē ingressi, soléni professione sequuta; & hoc ideo; quia professio est quædam mors ciuilis, per quam professus moritur Mundo; tùm etiam, quia per talem ingressum, & professionem, alteri coniugum non fit iniuria, nec damnum irrogatur: est enim facultas hæc reciproca.

3 Quæ quidèm solemnis professio, debet fieri ad præscriptum *Apostolicarum Cōstitutionum, & Decretorū* Sacræ Congregationis, & iuxtà *Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regularib.* hoc est, vbi præcesserit annus probationis, & seruatis alijs de iure seruandis.

4 Nec obstat, quòd in *d. cap. ex publico*, detur tempus duorum mensium; quia hoc bimestre datur coniugibus ad deliberādum, an velint Religionem ingredi, vel matrimonium consumare; intrà quod bimestre neuter coniugum tenetur alteri debitum reddere, prout patet attentè legenti verba prædicti *cap.* & docet *Tolet. lib. 7. cap. 34. nu. 3. ver. quartus casus*; & post multos *Sanchez de matrim. disp. 24. nu. 25.* licèt *Gloss. in cap. desponsatam puellam 27. q. 2.* dicat, quòd si iste transeat sine licentia vxoris, non habebit tempus probationis, nisi duos menses: si verò trāseat de eius voluntate, tenetur mulier continere, vsquè quò sit elapsum tempus probationis, & facta fuerit professio sui viri.

5 Sed pone, quòd iste egrediatur, cùm instat tempus professionis, & aliā amplectatur Religionem in fraudem, vel incommodum dictæ suæ coniugis; an ista teneatur semper continere, & professionem expectare?

Respondeo, quòd in tali casu debet vir iste compelli, eiq; dari præfinitum tempus à Iudice, vt peracto Nouitiatu, professionem emittat, vel ad suam vxorem redeat; quia ex officio Iudicis occurrendum est fraudibus, & prouidendum periculo incontinentiæ mulieris, quod fortè posset imminere, ob tēpus totiès procrastinatum: Et hoc totum inhæret dispositioni *d. cap. ex publico*, vbi sicut datur bimestre ad deliberandum, an coniugati velint Religionem ingredi, vel matrimonium consumare, ità est ei assignandum certū tempus, ad hoc, vt in Religione profiteatur, vel ad suam reuertatur vxorem: de qua re latè *S. Raym. lib. 1. summ. tit. 8. de transgress. voti, & Mirand. tom. 1. Manual. Prœl. q. 17. ar. 2.*

6 Aut matrimonium est ratum, & consumatum, & in tali casu neutèr coniugum potest Religionē ingredi, inuito altero: & si ingrediatur, vel in ea professionem faciat: professio ipso iure erit nulla, & potest reuocari, & debet de facto restitui, cum omnibus bonis, si quæ fortè attulit Monasterio; ità cōmunitèr *DD.* & habetur expressè in *cap. cùm sis prædites 4. de conuersione coniugat. & cap. quidam, eod. tit.* ibi, *inuita vxore, quæ ipsum repetente, coactus est, ad eam redire.*

7 Et hoc ideò; quia neutèr coniugum habet dominium sui corporis, teste *Apost. 1. Cor. cap. 7. vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier; nec mulier corporis sui potestatem habet, sed vir*: ergò, nullus præfatorum poterit transferre illud, in dominium Religionis: Vndè, votum tali modo factum, hoc est, emissum inuito, vel contradicente, aut nesciente altero coniugatorum, adeò erit nullum, & frustatorium, vt nullam inducat obligationem, de communi sententia *DD.*

8 Perindè, sic Professus, & ad sæculum ab altero coniuge reuocatus, sequuta morte reuocantis non tenetur in Religionem redire, prout expressè deciditur in *d. c. quidam*, ibi, *votum non tenuit: vndè, ratione voti, ad Monasterium non tenetur redire*, & clariùs in *cap. placet, eod. tit.* ibi, *si verò ad hoc induci non poterit, ipsam inuitam credimus, non cogendam*

dam: agitur enim *ibi* de quadam muliere, quę credens, suum maritum esse mortuum, habitum Religionis assumpsit, & in ea Professionē fecit; sed Viro reuerso, educta est de Monasterio, & vti priùs fuit suo Viro coniuncta.

9 Immò, sine licentia alterius, propria auctoritate potest Religionem deserere, etiā altero coniuge non repetente; eò, quòd votū non tenuit ex defectu potestatis: mutuam enim seruitutem sibi debent vir, & mulier, ex quo effecti sunt vna carò.

10 An autem iste reuocatus, mortua eius vxore reuocante, teneatur castitatem seruare, adeò, vt nequeat validè cum alia contrahere? teneri vtiquè ad castitatem deciditur in *d. cap. quidam*, ibi, *vlteriùs verò non potest vxorem accipere; promisit enim, se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideò, quò ad hoc votum tenuit; quia votū meū obligat me ad id, quod in me est, Glos. ibid.* quod item repetitur in *cap. placet., eod. tit. de conuers. coniugat.*

11 Sed pone, quòd iste reuocatus, & taliter egressus contrahat, priori mortua; an teneat matrimonium?

Tenere quidèm docet *Glos.* in dictis *Capitulis*; quia hìc non fuit votum solemne, sed simplex; peccat ergò, sic contrahens, quia non perficit, quod promisit: sed contractum non dirimitur matrimonium, argumento *cap. nos nouimus* 17. q. 2. ibi, *& si tu post illa* (supplè vota simplicia) *ducere non debebas, illa tamen nihil eorum sciens innocentèr tibi, & simpliciter nupsit*: etenim si votum in casu posito fuisset solemne, non fuisset sancitum, quòd ratione voti non potest cogi, nec tenetur redire, sed secus. Votum enim solemne redire astringit, & obligat, quo paritèr sic profitens potest cogi, ad Monasterium reuerti.

12 Professio ergò in casu posito, adeò est nulla, & inualida, ob defectum, & carentiam licentiæ maritalis, vt nullatènus possit postmodùm reualidari, etiam accedente cōsensu, & licentia mariti, vel vxoris: quia contractus nullus ex defectu formæ, tractu temporis non potest conualidari; prout docent indifferentèr *Iurista*.

13 An autem coniux, licentiam, quam dedit viro, Religionem intrandi, possit reuocare? Et dico; quòd sic, si res sit integra, hoc est, si reuocet, anteaquā solemnitèr profiteatur; secus autèm, professione peracta; nam fauore Religionis, professione sequuta, clauditur ianua repetendi, adeò, vt ampliùs vxor non sit audienda, cui dici potest, tardè venisti ad nuptias, vade in pace, quia quem quæris, mortuus est Mundo, & viuit Deo: sunt enim transacti dies fatales, quos vltrà non licet ampliùs appellare.

14 Durante autèm Nouitiatu, sicut ingressus potest ad sæculum redire, ad suam vxorem, ità paritèr, & vxor poterit eum repetere, vt sint in libertate pares, & æqualis vtriusq; conditio.

15 Nec obstat dicere, quod semel placuit, ampliùs displicere non potest, iuxtà *Iuris Regul.* 21. *de Regul. Iuris, in 6.* quia Regula procedit, quando res incipit esse non integra, & post actum omninò consumatum; secus autem.

16 Et adde, quòd in casu nostro præsumitur, quòd mulier, cùm sit fragilis naturæ, hoc fecerit, inconsultò, vel ob reuerentiam maritalem, nè displiceret viro suo, vel vi, metu, aut dolo: ideòq; debet præcedere tempus, quod est viri nouitiatus, ad maturè deliberandum. Eò magis, cùm agatur de re graui: quod potest colligi ex *cap. super hoc, de renunc.* & tandèm, ceù iuris regula fallit in ipso ingrediente, qui, vt dixi, non obstante, quod sibi placuit, à muliere recedere, potest ad mulierem reuerti, quæ, & illum redeuntem tenetur recipere.

17 Ità, & mulier, quæ in talem ab ea viri recessum consentijt; potest illum repetere, professione non facta, & vir tenetur redire.

18 Sed pone, quòd vxor consumato matrimonio, det suo viro licentiam, Religionem intrandi; Professione sequuta; an possit ad secunda vota transire?

Respondeo negatiuè, & habetur expressè in *Decretis, in cap. Agathosa* 27. *quæst.* 2. quia, vt *ibid.* dicitur postquàm copulatione coniugij, viri, atquè mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.

19 Quapropter, vterquè debet, vel generaliter, ad Religionem migrare; ideò, vt vxor nullatènus possit, viro conuerso, in sæculo remanere; nisi fortè sit valdè senex, & sterilis, & quòd sine periculo incontinentiæ possit ibidem commorari: præstito tamen voto castitatis, in manu Episcopi loci, & assumpto habitu alicuius approbatæ Religionis, ad præscriptum *cap. cùm sis præditus scientia* 4. *de conuers. coniugat.*

20 Immò, ob eandem rationem, amborum solemni Professione sequuta, in ea Religione, quam de communi consensu elegerūt, adhùc non desinunt esse coniuges, & vxorati: etenim sunt vna caro, sicut, & anteà; matrimonium enim semel ratum, & consumatū, nec simplici, nec solemni castitatis voto, nec susceptione sacrorum Ordinum potest dissolui, aut dirimi; prout *D. Thom. in 4. sent. dist.* 35. *quæst. vnic.* & *Sot.* latè, ac lepidè *cit. loc. dist.* 36. *q. vnic. ar.* 3. 4. *&* 5. *in corpore, ad* 3. quem sequuntur communitèr *Doctores*, *Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 17. *concl.* 3.

21 Quandoquidèm, Sacer Ordo, & Votum

tum continentiæ, carnalem tantùm copulam, hoc est, redditionem, & petitionem debiti abrogat, & simultaneam cohabitationem, illæso semper remanente vnitatis vinculo.

An, in aliquo casu possit Coniux, altero inuito, in Religionem transire? Q 17.

1 RE vera, plures sunt casus, in quibus vni, coniugum licet, altero inuito, ad Religionem euolare, & se à coniuge diuidere, & diuortium petere: Et signantèr, in casu publici, notorij, & manifesti adulterij; vt in *cap. Agatho sa 27. q. 2. & cap. constitutus 15. de conuers. coniugat.* ibi, *prædictā mulierem, vt à dicto N. recedat, cui per adulterium est coniuncta, ne prædictū Monachum impetat, quominùs regulare votum valeat adimplere; per censuram Ecclesiasticam cogere non omittas*, & docet *Glos. ibid.* ...

2 Et hoc ideò; quia vxor, ex quo publicè adulteratur, amittit ius, quod habet in virū suum, vt dicitur in *cap. significasti, de diuort.* ibi, *quòd si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus cogi non debet, & hoc in pœnam patrati criminis adulterij, & fornicationis.*

3 Sed quia, multa censentur notoria, quæ in facto, & in iure notoria non sunt, ad præcauendum errorem; maritus, non proprio iudicio, sed lata sententia debet, quoad thorum, & cohabitationem vxorem dimittere, prout latè *D. Thom. 4. sent. dist. 35. q. vnic. per totam*, & *Sot. cit. loc. dist. 36. q. vnic. ar. 3. concl. 2.* & hoc ideò; quia in causa propria nemo debet esse actor, & Iudex, & habetur in *cap. porrò, de diuortijs*, ibi, *quòd si etiam parentela esset publica, & notoria, absq; indicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit, quandoquidèm, etiam in notorijs ordo iuris seruandus est, Glos. ibid.*

4 Proindè, nemini licet, auctoritate propria vxorem dimittere, ità *Summista, ver. diuortium*, & multò minus, ea dimissa, ad Religionem transire.

5 Secus autem dicendum, de ipso adultero, & fornicatore, hic enim non potest Religiosus fieri, inuita vxore innocente; quia coniux innocens non potest amittere ius, quod habet in alterum, aliàs innocens puniretur sine culpa, quod iura abhorrent, ex *Regul. 23. sine culpa, de Regul. iur. in 6.*

6 Si autèm, innocens sciat, & toleret, præsumitur consentire, & licentiam concedere, *S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 21. §. 6. ver. effectus accusat.*

7 Sed vnum in tali casu est valdè notādum, & est, quòd innocens in sæculo remanens, in casu, quòd nocēs Religiosus fiat, non tenetur, votum castitatis facere, nec Religionem profiteri, etiā si sit iuuenis, cùm hoc nullo iure caueatur, vt aduertit *Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 15. Nauar. cons. lib. 5. consil. 8.* & *Rodriq. in summ. p. 2. cap. 6. concl. 2.*

An, ob sæuitiam viri possit vxor Religionem ingredi? tradit *Sanchez ibid. nu. 2.*

An, etiam in casu hæresis? *Ledesma de stat. Relig. in comm. cap. 6.*

An, Episcopi, relicto Episcopatu possint Religionem ingredi, sine expressa licentia Domini Papæ, & in ea validè profiteri? Quæst. 18.

1 NEgat *D. Thom.* communitèr receptus in *2. 2. q. 189. ar. 7. in corpore, & in opusculo 18. de perfectione vitæ spiritualis, cap. 25.* & habetur expressè in *cap. licèt quibusdam 18. de Regularibus, & transeuntibus Religionem*, ibi, *illa semper Regula inuiolabilitèr obseruata, vt nullus, absq; licentia Romani Pontificis præsumat, occasione quacunq; deserere Præsulatum; quia sicut maius bonū, minori bono præponitur: ità communis vtilitas, speciali vtilitati præfertur; & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti; & in cap. inter corporalia, & spirit. de translat. Episcop. tit. 7.*

2 Exindè colligitur, quòd transitus ordinatus semper fit de bono in melius, & de minori ad maius. Status autèm Episcopatus est maioris perfectionis, quā sit status Religiosorum, prout idem *S. Præceptor in 2. 2. q. 184. ar. 6. & 7. in argum. sed contra*, in cuius signum, in Ecclesia, cura Episcopalis cum solemnitate consecrationis cōmittitur, quod non fit cęteris Curatis, aut Parochis.

3 In qua solemni consecratione Episcopus se obligat, vouet, & iurat, ponere animam pro ouibus suis, & insistere proximorum saluti; prout idem *Sanct. Thom. in 2. 2. quæst. 185. ar. 4.*

4 Quò fit, vt ipsi Episcopi non possint transire ad Religionem, sine licentia Papæ, nedùm ex constitutione Ecclesiæ, vt quidam putarunt; sed ex ipsa obligatione, qua se Episcopi obligant, ad perpetuam curam Plebis habendam; prout elegantèr idem *Sanctus* docet in cit. *Opusc. cap. 25. in resp. ad 8.*

5 Vndè, *Apostolus 1. Cor. 9. necessitas mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non euangelizauero*; & causā necessitatis subdit, dicēs, *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci*, scilicèt, per perpetuam obligationem: Vndè, & in *d. Decretal.* non inducitur quasi statutū, sed quasi ratione probatum; Episcopum scilicèt haud posse Præsulatum deserere, sine licentia Papæ, & iusta causa.

6 Quàpropter, in *cap. nisi cùm pridèm, de renunciatione*, dicitur, *Episcopum habere alas*

stri-

strictas, nè voles ad Religionem, nexibus praeceptorum, ibiq; subiungitur, *quod facilius indulgetur, vt ascendat Monachus ad Praesulatū, quàm Praesul ad Monachatum.*

7 Quod totum etiam extende ad Episcopū confirmatum, licèt non consecratum: quia Episcopus solùm confirmatus, ex quo est verè sponsus suae talis Ecclesiae, absq; cōiugis voluntate, quam sibi Papa reseruauit, non potest Religionem intrare, *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 14. nu. 4.* & *Sanchez lib. 4. decal. cap. 25. nu. 36.*

8 Limita tamen in Episcopo electo, & nondùm confirmato; quia iste potest liberè renunciare, & Religionem ingredi; vt dicitur in *d. cap. inter corporalia*, ibi, *sicut enim Episcopus consecratus, sine licentia Romani Pontificis, suam non debet Ecclesiam derelinquere; sic, & electus, & confirmatus.*

9 Itèm limita, non procedere in Episcopo consecrato, qui renunciauit; nàm stante sua renuncia; & acceptatione Papae, censetur absolutus à vinculis Episcopalibus, & sic liber factus, potest ad Religionem euolare; vide *Sylu. verb. Relig. 2. q. 8. Tab. §. 12.* & *Mirand. tom. 1. Manual. Praelat. q. 17. ar. 3.*

10 Exindè collige, Professionem huiusmodi ingredientium, sine licentia Papae, esse inualidam, & nullam; ex defectu libertatis, vt constat ex praeallegatis.

11 Sed praedictorum Episcoporum votum; an sit propriè, & formalitèr votum, an verò, quòad effectum, vel naturalis obligatio, docet *Caiet. in d. q. 184. ar. 5.* an autèm sit solemne, *Idem in ar. 7.* in praecit. *quaest. 189.* & *D. Thom.* in praecit. *Opusc.* vbi multa huius generis digna notatu.

An, Curati, & Parochi possint licitè Religionem ingredi, & in ea validè profiteri, etiam contradicente Episcopo? Quaest. 19.

1 D*iuus Thomas 2. 2. quaest. 189. art. 7.* in proprijs terminis resoluit affirmatiuè quaesitum; ex quo Curati non obligantur voto perpetuo, & solemni, ad curam animarum retinendam, sicut, ad hoc obligantur Episcopi.

2 Possunt liberè abrenunciare Episcopo curam eis commissam, absq; speciali licētia Papae; quod procedit in omni alio Praelato, Episcopo inferiore, etiam si Dignitatem habeat quasi Episcopalem, ceù sunt Archidiaconi, & consimiles, dummodò alias sint idonei. Et habetur expresśè in *cap. duae sunt 19. q. 2.* ibi, *si quis horum in Ecclesia sua sub Episcopo Populum retinet, & saecularitèr viuit; afflatus Spiritu Sancto, in aliquo Monasterio; vel Regulari Canonia saluare se voluerit; quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à lege publica constringatur: dignior enim est lex priuata, quàm publica: spiritus quidèm Dei, lex est, & qui spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur: & quis est, qui Spiritui Sancto possit dignè resistere? quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber, nostra authoritate:* haec ibi.

3 Exindè colligitur, quòd status Religiosorum sit perfectior statu Parochorum: secus non liceret transire à cura animarum ad quietem Religionis, prout elegantèr de solito more docet *D. Thom. 2. 2. quaest. 184. art. 8.* & *ibid. Caiet.* & *in Opusc. 18. cap. 24.* & *25.* & habetur expresśè in *d. caus. 19. q. 1. cap. 1.* ibi, *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopis in Monasterijs largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad cōtemplationis desiderium transire nituntur.* Et *ibi Glos.* subiungit in *verb. meliorem*; quòd de minori ad maius transeundum est *93. distin. legimus.*

4 Nec his obstant verba *Capituli Admonet 4. de renunciat.* ibi, *Vniuersis personis tui Episcopatus, sub districtione prohibeas, nè Ecclesias tuae Dioecesis, ad ordinationem tuam pertinentes, absq; assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere, inconsulto: quòd si quis contra prohibitionem tuam venire praesumpserit, in eum canonicam exerceas vltionem.*

Quia aliud est, dimittere curam, Episcopo inconsulto; & aliud, Religionem intrare; prout *D. Thom.* ad haec, & consimilia respondet in *d. cap. 25.* praecitati *Opusculi*: arguere enim ab vno generali, & communi, ad aliquod particulare signatum, fit fallacia consequentis. Dimittere curam, & per Orbem vagari, vel hanc curam dimittere, & aliam intrare, inscio Episcopo, non licet; sed dimittere curam, & Religionem intrare, fieri potest, etiam contradicente Episcopo, vt in praecit. *cap.* satis ergò erit denunciare, & petere licentiam ingrediendi.

5 Qua licentia petita, licèt non obtenta; fit, vt beneficia talium, Religionem ingredientium infrà annum probationis non possint alicui conferri; sed interim est illis inseruiendum per alios deputatos, assignata eisdem tamèn congrua portione, vt dicitur in *cap. beneficium, de Regularib. in 6.*

6 Nec nocet illa clausula, quae *ibi* apponitur, *nisi constet, quòd vitam voluerit mutare*; quia hodiè ob *Decretum Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15.* non habet locum; nàm Nouitiatus anno non expleto, locum non habet professio expressa, nec tacita: facta autē professione, censetur beneficiū vacare: quandoquidèm, Religiosus per professionem moritur

ritur

ritur Mundo, & inreuocabilitèr incorporatur Religioni: est enim Professio, mors ciuilis.

7 Secus autèm, antè professionem, etiam si expresse cōstaret, quòd Ingressus voluit, & vult, vitam mutare. Nec in casu renunciationis valeret beneficij renunciatio, nisi seruata forma præfati *Conc. Trid. cap. 16.* hoc est, de licentia Episcopi, & intra duos menses proximos antè professionem.

An filij, quorum Parentes egestate præmuntur, possint Religionem ingredi? Quæst. 20.

1 Si parua, aut modica sit Parentum necessitas, nequaquàm poterit filios impedire, aut retinere, quòminus, si spiritu Dei agantur, possint ad Religionem euolare; quia, vt elegantèr *D. Thom.* docet 2.2. *q. 101. ar. 4. in corpore, & in responsione ad 3.* ibi, *si absque nostro obsequio possunt sustentari, licitum est, eorum obsequia prætermittère, ad hoc, quòd ampliùs Religioni vacemus*; & *ibid. in responsione ad 4.* rationem assignat; *quia filij non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis.*

2 Id ipsum docet in *q. 189. art. 6. in corpore*, ibi, *Si verò non sint in tali necessitate, vt filiorum obsequio multum indigeat, possunt, prætermisso Parentum obsequio, filij Religionem intrare, etiam contra præceptum Parētum; quia post annos pubertatis, quilibet ingenuus, liberatem habet, quantum ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in ijs, quæ sunt Diuini obsequij.* Id etiam docet in *quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9.*

3 Secus autem dicendum, si Parentum esset magna necessitas, vel extrema; adeò, vt illi sine filiorū ope, cogantur mori, aut mendicare ostiatim, aut alijs deseruire, contra decentiam proprij status; & probatur ex illo *Matth. 15.* vbi Dominus redarguit Pharisæos, qui intuitu Religionis, honorem parentibus debitum subtrahere docebant: Et habetur expresse in *primo cap. 30. dist. si qui filij, parētes maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc iustum esse iudicantes, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipsum in eis venerentur, quòd fideles sunt, anathemata sint.*

4 Confirmatur; quia non debent prætermitti præcepta ob consilia: honorare parentes, quod nedùm externam reuerentiam, sed exhibitionem necessariorum ad vitæ substētationem includit, est Dei mādatum, & Naturæ; ergò nō potest licitè violari ob ingressum Religionis, quod est opus supererogationis, & de consilio. Nec sunt facienda mala, vt indè veniant bona, teste *Apostolo ad Romanos 3. Sylu. ver. Relig. 2. q. 7. Ludou. Lopez p. 1. instruct. cap. 54. Barth. Med. lib. 1. Instruct. Confess. cap. 14. §. 14. Corrad. p. 1. respons. q. 60. Tab. verb. pietas, S. Ant. p. 3. tit. 16. cap. 2. in princ.* & omnes alij nostræ Familiæ.

5 Quod procedit, etiam si filius vouisset Religionem intrare; quia Votum debet esse de meliori bono, & contra præcepta emissum, non ligat.

6 Nam: aut fit votum tempore indigentiæ Parētum; & sic non est obligatorium; est enim illicitum; quia res alicui obligata, non potest alteri licitè obligari, Persona autem filij, in casu nostro, est priùs obligata Parentibus ad eis subueniendum, ergò.

7 Aut Votum fit antè Patris inopiam, & tunc ex superueniente necessitate, mutatur conditio Vouentis; adeò, vt ad illud non teneatur; ceù vouēs ieiunare in pane, & aqua; si infirmetur, non tenetur ieiunare; quia ex superaddita infirmitate, Votum inualidatur, ob defectum virium, vel mortis periculum, quod immineret: Etenim iuramentū, & votum non debent esse vinculum iniquitatis, vt dicitur in *cap. inter cætera 22. q. 4.*

8 Quamobrèm, stante parentum inopia, qui vouit Religionem intrare, differat ingredi, quousq; cesset Patris egestas; quæ si nunquàm cessauerit; desistat ex toto: prout latè *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 17. art. 8.* & *Clauis Regia lib. 7. cap. 6. per totum*, vbi disputat ad partes, & soluit contraria, *Rodriquez tom. 3. QQ. RR. quæst. 13. ar. 5. & p. 2. summ. c. 6. concl. 4. de Nouit. D. Bartbol. à S. Faustto Thesau. Relig. lib. 5. q. 132. Layman. lib. 4. tract. 5. c. 6. de stat. Relig. quæst. 2. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 2. nu. 69.*

9 Dixi, egestate existente, vel de facto superueniente, antè Religionis ingressum; quia futura possibilis, si quæ fortè timeatur, non impedit filios, quin possint Religionem intrare; quia non incumbit filijs parentum necessitatibus futuris prouidere; prout docet *D. Thom.* cit. *loc. 2. 2. q. 101. ar. 2. ad 2.* vbi expendit verba *Apost. 2. ad. Cor. 3.* ibi, *filij nō debent thesaurizare parentibus, sed è contra.*

10 Et rationem reddit, quarè Pater teneatur thesaurizare filijs, hoc est, studere, & prouidere statui filiorum, omni futuro tēpore, & per totam Vitam eorundem, ex eo scilicèt; quia Pater habet rationem principij; de cuius ratione est, effectum suum conseruare omni tempore.

11 Secus antè filius; quia sapit ratione existentis ab illo, non habet per se conseruare suo principio, sed p accidēs: hoc est, ratione alicuius necessitatis instantis, in qua tenetur ei subuenire, non autem thesaurizare, quasi in longinquū; quia naturalitèr, non parentes filiorum, sed filij parentum sunt successore.

12 Sed pone, quòd hac parentum graui, vel extrema necessitate non obstante, filius Religionem ingrediatur, & in ea solemnitèr profiteatur, quid iuris; & an eius Professio sit valida?

Respondeo, quòd sic ingrediens mortalitèr peccat: etenim legē violat in re graui: sed professio tenet, quia nullo iure irritatur; multa .n. iure fieri prohibētur, quæ facta, tenent; tùm quia, Professio ab excōmunicato facta, valet, licèt profitendo, peccet. Itèm debitor magnæ quantitatis, vel ad ratiocinia obligatus, de iure in Religionem non debet admitti: nihilominùs, si intrauerit, & professus fuerit, valet Ingressus, paritèr, & Professio, vt colligitur ex *cap.2. de oblig. ad ratiocinia*, & docet *Nauar. lib.3. consil.16. de Regul. pag.* mihi *636.* & *Rodr. cit. loc. QQ. RR.* & præcit. *Doctores.*

13 Quibus adde, quòd loco Professi, Monasterium tenetur subuenire, in quantum suppetunt bona Professi, quæ Monasterium, vti hæres, ob solemnem professionē, est consequutum, nisi secùs per ipsummet Professum possit subuentionis remedium adimpleri, vt immediatè dicam.

14 Benè verum est, quòd in duobus casibus possunt filij ad Religionem euolare, nō obstante graui, aut extrema parentum egestate: & Primò, cùm Parentes prouocant ad peccandum, vel inducunt ad malum; quid autem intersit inter prouocationem, & inductionem, docet *Caiet. in d. loc. 2.2. q.101. art.4.* Secundò, quando filius non potest remanere in sæculo, absq; graui dispendio animæ suæ; etenim qui amat periculum, peribit in illo, & ordo Charitatis exigit, vt filius salutem propriam spiritualem præferat parentum temporali bono.

15 Et hoc modo sunt intelligenda illa verba *Iesu Christi*, nostri Redēptoris, *Luc.14.* *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhùc autem, & animam suam; non potest meus esse Discipulus*: prout docet idem *D. Thom. in d. ar.4. ad 1. & quodlib.3. art.16. & quodlib.10.* quem sequuntur præcit. *Doctores*, & signantèr *Clauis Regia* cit. *loc. num.7.* vbi ostendit, casus esse possibiles, & respondet ad obiecta.

16 Quibus casibus adduntur, & alij plures; nempè, vt filius remanendo in sæculo, nō posset patris, vel matris occurrere necessitati; & intrando Religionem, non possit: nàm si non potest, ad nihil obligatur: quia ad impossibilia nemo tenetur, *Ioannes de Neap.* & *Sanct. Anton. vbi suprà.*

17 Immò, in tali casu, meliùs est, à parentibus recedere, & Religionem ingredi; quia filius inutilitèr manēs in sæculo, aggrauat Parentes in procurando sibi necessaria, quo exonerantur onere, si in Religionē trāseat; in qua sępè contingit, meliùs, quàm in sæculo posse parentibus subuenire: quandòquidèm solet Religio his præstare subsidiū, & eleemosynas facere, & paupetes suorum magis Religiosorum, quàm aliorum exterorum adiunare, & alere; solet itèm, his dare licentiam, vt intuitu Religionis quæstus faciant, & illis applicent.

18 Itèm, si adsint, & alij, qui possint, & velint parentum egestati succurrere, & colligitur ex illo *Luc.9.* vbi quidam Iuuenis à *Christo* vocatus, petijt sibi permitti, vt priùs abiret, & sepeliret Patrem, cui *Christus* respondit, *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*, hoc est, sunt, & alij, qui hoc facient: prout Sancti exponunt, & docet *D. Thom. in d.4. ar. in respons. ad 2.*

19 Exindè collige, quòd multò fortiùs nequibit pater in Religionem trāsire, si eius filij graui, aut extrema paupertate præmantur; quia (vt dictum est) Pater magis tenetur filijs, quàm filij Patri, prout idem *D. Thom. in d. quæst.101. ar.2.* & vno ore præcit. *Doctores.*

Filij Professi, propter extremam Parentum necessitatem; an teneātur egredi à Religione ad subueniendū Parentibus, de, vel sine licentia Prælati? Qu.21.

1 HÆC quæstio vetus est, & pendet ex ea; an potestas Prælati in Regularem, & huius ad eum subiectio sit tanta, vt non liceat ei causa subueniendi necessitati parētum egredi è Monasterio, sine illius licentia? Circa quam discordant non pauci *DD.* quos tamen ego concordo, distinctione premissa de extrema, vel magna necessitate.

2 Tunc autèm censeo, quem extremè indigere, si ob carentiam vitæ subsidij, animam agat, vel debeat de breui probabilitèr mori, nisi quantociùs adiuuetur, & quòd ex alia parte non sit, qui adiuuet, nec alius probabilitèr expectatur, qui se offerat indigenti, *D. Thom. 4. sent. dist.15. q.2. ar.4. quæst.4.* & *Nauar. in Manual. cap.24. nu.4. in fin.*

3 Igitur, in casu extremæ necessitatis, Regularis, omni dubio procul, nedùm potest, verùm etiam & tenetur, Monasterium exire ad subueniendum, non solùm Patri, sed cuiuis extraneo, & omni extremè indigēti: quia præceptum de subueniendo Proximo, in extrema necessitate constituto, afficit omnes, dummodò possint in omni statu, loco, & foro; prout communitèr *Doctores*, & *Caiet. 2.2. q.26. ar.5. & q.33. ar.7.* & habetur in *Decretis in cap. sicut ij 47. dist.* ibi, *proprium nemo dicat, quod est communicandum alteri, tempore necessitatis;*

tatis, Glos. ibid. & in cap. 21. dist. 36. pasce fame morientem, ibi, *quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti*: occidit quis alium per subtractionẽ panis corporalis, & in *ff. ad leg. Rhod. de iact.* vbi lex dicit, quòd cibaria, tempore necessitatis sunt omnibus communicãda; quia de facto Deus mandauit vnicuiq; de proximo suo, adeò, vt nullus possit excusari ob Votum, vel legem humanam, aut Superioris præceptum: prout *Nauar. cit. loc. nu. 11.*

4 Et dixi sine licentia: quia, etsi Regularis non possit eleemosynam facere sine licẽtia Prælati, ex *cap. non liceat, de præbend.* nihilominùs benè potest extremè egenti, argum. *d. cap. pasce, & l. necare, ff. de lib. agnosc.* & docet *Glos. in cap. non dicatis 12. q. 1.*

5 Quandoquidèm; extrema necessitas omnia facit communia, adeò, vt ea pressus, possit propria manu, & auctoritate, iustè, & licitè superfluam alterius rem sibi accipere, & ea vti, ad liberandum se ab ea, de qua loquimur, necessitate.

6 Immò, & alteri extraneo consignare; ad subtrahendum illum ab extremo mortis periculo; quia extrema necessitas dat facultatem, & priuilegium, & pro se, & pro alijs extremè indigentibus, & furari, & aliorum bona subripere.

7 Exindè, benè colligit *Caiet. 2. 2. q. 101. ar. 4. in respons. ad 4.* quòd sicut in extrema necessitate, Religioso licet furari bona Ecclesiæ, & taliter indigenti consignare; ita est licitum, actualem obedientiam Prælato subtrahere ad succurrẽdum cuiuis extremè indigenti. Si videam, puerum debere infallibiliter moraliter equo supprimi, eiusque calcaribus infringi, nisi eum tollam de via: cur non debeam (prætermissa licentia) statim occurrere, eumq; subtrahere à tanto extremo vitæ periculo? cùm ei aliundè non sit adiutorium.

8 Ità, à pari, & fortiùs, filius tenetur extremæ egestati paternæ subuenire: nam præceptum Iuris Naturæ; & Diuini in extrema necessitate, præeminet omni voto, & vinculo; *Nauar. tom. 2. comm. 3. de Regul. in Glos. 2. nu. 28. & comment. 3. nu. 48. & in Manuali cap. 17. à nu. 66. & cap. 14. nu. 14. Corrad. tom. 1. resp. q. 61. Clauis Regia lib. 7. cap. 6. nu. 18. vers. quarta est, Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. q. 26. ar. 11. Ledesma de stat. Relig. in commun. cap. 4. concl. 8. dub. 6.* & alij plures, quibus subscribit *Peyr. tom. 1. de Subdito, q. 1. cap. 9.*

9 Et horum fundamentũ est: tùm quia, Vota non debent esse impeditiua operum iustitiæ; tùm etiam, quia quando concurrunt duo præcepta, quæ insimul nequeunt obseruari; standum est potiori; ergò præcipienti Prælato contra Patrem naturalem, vt putà quia recusat Religioso filio dare licentiam, ad subueniendum Patri extremè egenti; & præcipienti Patri pro sui adiutorio; magis obediendum est Patri carnali; quàm spirituali, in casu de quo agitur; cùm vtriusq; præceptum, ex quo sunt contradictoria, obseruari non possit: quia illius; antiquius, & fortius extat: Deus enim, qui nostris oblationibus non indiget, hoc facilè patitur, suoq; facilitèr cedit iuri, quoad obseruantiam Voti, dũmodò parentum subueniatur inopiæ; quandocunq; cõtractæ, siue antè, siuè post filij Professionem: hoc enim parum refert: satis est, quòd sit extrema necessitas, quæ præeminet omnibus in omni statu; cũ præ ceteris omni tẽpore sit magis priuilegiata, & iure suffulta.

10 Nec his obstat, quòd Religiosus per professionem sit mortuus Mundo, & consequentèr, quòd sit liberatus ab illa obligatione subueniendi parentibus; quia professio est mors ciuilis, & non naturalis, & sic dicta fictione iuris, quæ naturales obligationes non abrogat: vndè per eam Professus liberatur à quibusdam, sed non ab omnibus, & præsertim respectu præceptorum naturaliũ; deòq; tenetur naturali præcepto sui famam, & vitã tueri, & cuiuis extremè indigenti subuenire, siuè sit in sæculo, siuè intrà septa; ius n. naturale vincit omne aliud ius, nec potest extingui per Religionis ingressum, nec per professionem illius, nec potest aliquid statui contra iura naturæ, vt sepiùs dixi in *tract. de lege, & authoritate Capitul.*

11 Nec dicas, quòd præceptum honorandi parentes est affirmatiuum, & quòd cõsequentèr non obliget semper; sed tantùm, eo modo, loco, & statu, quo potest, salua conditione personæ; quia licèt non obliget semper, hoc est, continuè, vt præcepta negatiua; tamen benè obligat in omni casu necessitatis, respectu cuius semper obligat; & eo modo, quo potest; ergò supposito, quòd filius Professus, suum Patrem extremè indigentem non possit aliundè adiquare, nisi Religionem egrediendo; tenebitur exire.

12 Nec obstat exemplum filij vxorati, qui in casu, de quo agitur, non debet, nec tenetur suam vxorem relinquere, ad hoc, vt Patri extremè indigenti, immediatè deseruiat; quia inter æquè priuilegiatos conquassantur priuilegia, & melior est conditio possidentis. Volo dicere, quòd vir, etiam Naturali, & Diuino præcepto, suæ tenetur vxori inhærere; quo item, & arctiùs ligatur; & ob id non debet ab illo recedere, sed õi alio modo, quo poterit, tenebitur Patri succurrere.

13 Secus verò dicendum, si Parentum inopia sit grauis, vel magna; cui Religiosus Professus, in Religione stando, non possit succurrere; etenim egredi non potest ad subue-

niendum sine licentia Prælati; prout docet *D.Thom.in quodlib.3. artic.16. & quodlib.10. art.9.& 2.2.q.101.art.4.* & *ibid.Caiet.Rodriq. tom.3.QQ.RR.quæst.13.ar.5.& 2.p.summ.c.6. concl.4. Laym.* multis citatis *lib.4.tract.5.c.6. qu.2. à S.Fausto lib.5. Thesauri,quæst.126. & 132.Clauis Regia vbi suprà, Aloys.Ricc.in Praxi fori Eccles. p.3.resolut.324.* & *Nauar.consil. lib.3.de Regul.consil.26.* in 1.edit.

14 Et hoc ideò; quia Religiosus, casu extremæ necessitatis excepto, semper tenetur tueri statum suæ personæ: status autèm Religiosus exigit, vt sine Prælati licētia Religionem exire non liceat. Cùm exindè magnum spirituale detrimentum immineat, aut ipsi egredienti, aut temporale ipsi Communitati: etenim potest esse, vt per talem egressum infametur Religio, vel quòd ipse egrediens sit Communitati, nedùm vtilis, verùm etiam, & necessarius; & ob id ipsa Communitas voluerit, saltèm loco filij, huiusmodi indigenti alimenta præstare, & sic Religiosorum statum custodire, vt colligitur ex *Diu. Thom.d.ar.4.ad 4.in fin.*

15 Et in hoc extrema necessitas à non extrema distinguitur: quia illa reddit votum nullum, seù suspendit, illa durāte, at si sit grauis, non absoluit à Voto; quia priuilegium extremæ necessitatis exorbitat à iure, & cōsequentèr alias necessitates non comprehendit; sed, vt odiosa, debet restringi, & limitari.

16 Benè verum est, quòd, neutro casu licitum erit exire, si vel aliundè possit haberi succursus, vel si egrediendo immineat periculum animæ: tunc enim filius magis tenetur suæ spirituali saluti consulere, quàm parentum inopiæ.

Quonàm modo liceat Religioso Professo, Monasterium exire, ad subueniendum Parentibus, in graui necessitate constitutis, cum, vel sine Religionis habitu, & quis possit hanc facultatem concedere? Quæst. 22.

1 Recogitet Professus, obseruare promissa, & recordetur, se Monachū esse: voto enim se adstrinxit ad perpetuam clausuram, quam sine causa relinquere, vel ad sæculum confugere, mortale est; vt perbellè deciditur in *cap.placuit 1.& 2. caus.16. qu.1.* ibi, *neque alijs qualibuscunq; negotijs sese implicare, sit Claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita; ità sine Monasterio Monachus*: sunt enim hæc verba *Eugenij Papæ*: Væ Religiosis à vagatione, & discursu.

2 Parentum ergò necessitate graui supposita, procuret Religiosus Professus, modis omnibus suæ personæ statum tueri, & stādo in Monasterio, Patri egenti iustè succurrere; procuret ei per Monasterium, cui ipse deseruit, administrari cibaria; etenim solet Religio miseris elargiri eleemosynas, vel hæc cōsequi à Religionis Deuotis, aut concionando, legendo, confessiones audiendo, aut aliquam honestam artem in Cella exercendo, scribendo, docendo, & similia peragendo.

3 Si hæc non suppetant, à suis Prælatis licentiam petat; quippè, qui debent, necessitate cognita, hanc subditis facultatem concedere, vt salua Regulari disciplina, possint Parentibus præstare subsidia, retēto Religionis habitu, *Diana 3.p.tract.2.resolut.90.*

4 Insupèr, & hi tenentur examinare, ac veridicè inquirere, an talis Parentum necessitas sit magna, & grauis? an leuis, & parua? & an huiusmodi præcesserit Professionem, an verò sit subsequuta? quia vrgens præcedens necessitas obligat ad non intrandum, & ingressum ad non profitendum; quia in primo casu præcessit debitū, & debitor antè, & post ingressū tenetur soluere debita præcedentia; quæ si Monasterium inquirere non curauit, tenetur soluere, vt dixi suprà de non recipiendis onustis ære alieno.

5 Si post Professionem sit habita; Religionis Prælati faciant cum eo misericordiā, vel ei facultatem faciendo, vel eiusdem Parentes adiuuando; nè ob eius egressum, eorum contemnatur Religio, *Nauar. lib.3. de Regul.consil.26.* in 1.edit.

6 Igitur, Religiosus Professus, iusta de causa poterit petere licentiam egrediendi è Monasterio ad subueniendum Patri oppresso, siuè antè, siuè post suam professionē, hoc illi acciderit, *Graff. 1.p.decis.lib.3.cap.5.nu.35.*

7 Quam facultatem potest Ordinis Prælatus, præsertim Prouincialis, vel P.Generalis, his Subditis concedere, retento tamen Religionis habitu, & salua Regulari disciplina; vt dixi, & benè colligitur ex *cap.Monachi 16.q.1.* ibi, *nisi eis testimonium Abbas suus dederit*, & docet mirificè *Nauar.tom.2.in comment.2.n.40. & comm.3.n.48.de Regularibus*; & fuit decisum in *Conc.Trid.sess.25. de Regul. cap.19.* ibi, *nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitū suæ Religionis*. Proindè, etiam si fiat Episcopus, tenetur suæ Religionis habitum deferre; vt in *cap.Clerici 2. de vita, & honestate Clericorum*, ibi, *nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalē*, & magis expressè habetur in *cap.2.nè Clerici, vel Monachi, in 6.* vbi excommunicantur, qui suæ habitum Religionis dimittunt, & in *dist.23.in cap.Sanctimonialis*, ibi, *in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, Professioni, & Sanctimoniæ aptis.*

8 Solus ergò Papa potest Regularibus concedere, habitum Religionis dimittere, &

hoc,

hoc, non nisi, iusta, & rationabili causa, *Nauar.* cit. *loc.* & magis latè in *lib.3. consil.54.* vbi in praxi, id ipsum refert decisum, occasione cuiusdam Prouincialis, qui suo Subdito hanc licentiam concesserat, & cit. *loc. de Regul. cons.26.* in 1. edit. *Rodriq. tom.3. QQ. RR. q.13. ar.5. & p.2. summ. cap.6. concl.4.* & *Peyr. tom.2. de Prælat. q.3. cap. num.69.*

9 Et tandèm, iste Egressus, etiā si exeat cum licentia Papæ, tenetur ad essentialia Regulæ, & ad ea omnia, quæ Parentum sustentationem non impediunt, qua completa, vel cessante studeat, statim, nulla postposita mora, in Monasterium redire: quia per huiusmodi licētiam, qualisquè sit illa, non desinit esse Monachus, qui suam vbiq; gentium tenetur obseruare Regulam.

Hermaphroditus, an possit in Religionem admitti, & in ea validè profiteri? Quæst. 23.

1 HErmaphroditus, is scilicèt, qui habet sexum maris, & feminæ, non debet in Religionem admitti, argumento *cap. diffiniuimus 1. q.2. ibi, quia scandalum id, & offendiculum multis efficitur.*

2 Quod procedit in Hermaphrodito, qualisquè sexus in eò præualeat; ex quo enim vtrumq; sexum habet, virilem scilicèt, & femininum, non debet admitti in Monasteriū Virorum, nè fortè succumbat, vt femina; nec Feminarum, nè incalescat, vt masculus; nec his, aut illis deesset desiderium, muliebria, & virilia videndi, quibus visis, timerem, illos à commixtione, & coitu: qui enim amat pericula, peribit in illis.

3 Nec in illis profiteri, cùm sit hic, & hæc; quandoquidèm Más nequit profiteri in Cōuentu Feminarum, nec è contra Femina, in Conuentu Virorum.

4 Et sicut, non potest promoueri ad Ordines, argum. *36. distin. illiteratos*, & docent *Sylu. ver. Herm. Suarez tom.5. de censur. disp.51. sect.2. nu.1.* & *Auila de cens. p.7. disp. , dub.5.* Ità nec ad professionem Religiosorum, cùm horum status sit strictior.

5 Sed pone, quòd profiteatur, an sit valida talis professio?

Cū distinctione respondent *DD.* si Hermaphroditus præualeat in sexu virili, & profiteatur in Monasterio Feminarum; profectò inualidè profitetur: Ità versa vice, si præcellat in sexu femineo, & profiteatur in cœtu Virorum; quia in Professione essentialitèr requiritur voluntas Profitentis, & illam admittentis, & recipientis; sed in casu, de quo agitur, aut vtraquè, aut saltèm vna deficit: quia Viri non intendunt recipere, & in Religionē sibi associari, nisi Viros; & Feminæ Feminas, ad præscriptum *Concil. Trid. de Regul. sess. 25. cap.15.* ergò ex defectu voluntatis fit inualida Professio; secus autem dicendum; si magis valeat in sexu virili, & in Virorū Monasterio profiteatur; vel si sit præpotens in feminino, & in Feminarum Monasterio professionem faceret; sic enim validè; quia Hermaphroditus est iudicādus Vir, vel Femina, iuxtà magnitudinem potētiæ virilis, vel muliebris, *l. quæritur, ff. de stat. hom. Nauar. lib.1. cons.8. de ætate, & qualitate Ordin.* & *à S. Fausto lib.5. Thes. q.210. & 211.*

6 Si vero sit paris potentiæ, nullitèr, & inualidè profitetur, vbilibèt profiteatur, *Rodriq. in summ. par.2. cap.6. concl. vltim.* & *Sylu. verb. Religio 3. q.9.*

7 Si roges, quonàm modo potest cognosci isthæc præcellentia sexus; sunt, qui dicant, quòd standum sit eius dicto; hæc tamen Regula non placet; quia, etsi his, quòad contrahendum matrimonium sit data facultas eligendi sexum, quem voluerint; secus autem, respectu Ordinum, beneficiorum, ingressus in Religionem, & professionis Religiosæ: etenim in his non standum est dictis eorundem; si namq; quòad hæc haberent liberam facultatem, non quòd verius; sed quòd eis melius, aut delectabilius foret, eligerent.

8 Ad cauendum ergò omne periculum, aut is in ipsomet Religionis ingressu fatetur, se esse Hermaphroditum; & sic non debet vllatènus admitti: hi enim de iure Canonico, & Ciuili censentur infames, prout expresè in *caus.4. q.2. cap. si testes*, & vti monstra naturæ, debent repelli, & procul esse.

9 Aut clandestinè se in Religionem recipit, & in ea subdolè, publicè, ac solemnitèr profitetur; morbo tamen cognito, ac fraude detecta, de licentia Papæ debet eijci, *Nauar. cit. loc.* immò inconsulto Papa potest è Religione repelli à Patre Prouinciali, vel Generali, ex *Priuilegio Leonis X. Rodriquez*, & *à S. Fausto cit. loc.*

10 Ego autèm credo, quòd non sit nobis opus licentia, & priuilegio, ad expellendum huiusmodi: etenim tenentur Viri Religiosi à suis Dormitorijs, Choro, & Cellis proijcere Feminas: & è cōtra Religiosæ Feminæ expellere Masculos; secus autèm, horum societas, nedùm erit inductoria, & prouocatoria ad libidinem; sed scortis plena, & sacrilegijs, *Sanch. lib.5. in Decal. cap.4. nu.40. Sylu. verb. Relig.3. quæst.9. Ledesma de stat. Relig. in comm. cap.6. concl.1.* & alij plures, quos citat *Peyr. tom.2. de Prælat. q.3. cap.1. §.2. nu.59.*

Tra-

Trahentes originem à Iudæis, Mahumetanis, Saracenis, vel Hæreticis; si aliàs sint idonei, an de iure possint in Religionem admitti, & in ea validè profiteri? *Quæst. 24.*

1 AFfirmat *Caietan. in 1. tom. Opusculorum, tract. 31. ad Leon. X. de septemdecim responsionibus ad diuersa, respons. 6. ad P. Fr. Matthiam de Pace, Sacræ Theologiæ Salmanticensem Regentem*, ex quo salus nostra ex Iudæis est, ex quibus natus est Christus, secundùm carnem, & Apostoli, & plurimi Patres fidei, & ingrati inueniremur, sui generis filios repellendo; tùm quia, occasio daretur Iudæis, nè ad fidem conuertantur; dùm intelligunt conuersorum filios in generatione, & generationem repulsos à Religione: tùm quia, Religionis status est talis, vbi ipsi potiùs, si in aliquo dubitant, solidari in fide, quàm aliàs inficere possunt.

2 Quod amplia procedere de iure Canonico, & habetur expressè in *cap. eam te 7. de rescriptis*, vbi *Alexand. III.* declarauit, non debuisse quendam à Canonicatu repelli, eò, quòd antè fuisset Iudæus: Immò, vt *ibi Glos. & Doctores* addunt, commendari debuit potiùs, & laudari, quòd ad fidem venisset, & communionem Sanctorum.

3 Et hoc ideò; quia descensio, & generatio, qua quis descendit ex Infidelibus, non est impedimentum Canonicum ad intrandã, & profitendam Religionem: nullo enim iure id cauetur; vt perdoctè de solito more docet, & per plura ostendit *Nauar. lib. 3. consil. 5. de Regul.* in antiquis editionibus.

4 Insuper, est de iure Diuino, per ea, quæ dixit *Caiet.* quandoquidem Apostoli, cùm essent Iudæi; facti sunt Christiani, *cap. in nomine 23. dist. & Paul. Apostolus*, ex Iudaysmo solos Neophytos prohibet ab ordinibus, ad *Timot. 5.* hoc est, eos tantùm, qui nouitèr venerunt ad fidem, & de recenti sunt Christi, *cap. quoniam, & cap. sicut Neophytus 48. dist.* Cęteri autem indifferentèr apti sunt ad dignitates, & honores: etenim exceptio firmat regulam in contrarium, adeò, vt omnia nõ exceptuata; inclusa censeantur; & publicato Euangelio, teste *Apostolo ad Romanos 3. & 10. Græci, & Iudæi non est distinctio; nàm idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum*, vide *Felin. in dict. cap. eam te 7. de rescriptis*, facit Regulam; quòd infidelitas; etiam propria, non nocet Conuerso; quantò minus, parentum *56. distin. cap. vndecumque homines, & cap. nunquàm de vitijs, ead. distin.*

5 Quod itèm de iure Canonico extenditur ad filios Hæreticorum; quia non videtur inconueniens, eos posse in Religionem intrare, ex *cap. recuprat 32. q. 4. Nauar. cit. loc.* Nisi exciperentur, & essent inhabiles, per *Constit. Papæ Innoc. & Alexand.* vt in *cap. statutum felic. record. de hær. in 6.* ibi, *ipsorumque filij, vsque ad secũdam generationem, ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, seù publicum non admittantur, dummodò eorum Parentes tales fuerint, & decesserint*, ibid. *Secus autèm si se emendauerint, & post hæresim reuersi fuerint ad vnitatem Cathol. fidei, vbi suprà.*

6 Proindè, credo; quòd *Innoc. IV.* nobis in specie concessit, sub hac forma verborũ, posse hæreticos ad professionem assumere, qui nostræ Religionis habitum ceperint; ibi, *Vt pressi quondam tenebrosa catena hæreticæ prauitatis, post reuelutam ipsis veritatem fidei orthodoxæ, diruptis mortiferis vinculis, pedem iniciant in compedes salutares. Nos vestris precibus inclinati, quòd hæreticos conuersos, & etiã conuertendos, qui vestræ Religionis habitum assumpserunt, vel quos in posterùm continget assumere, ad professionem vestri Ordinis possitis recipere infrà annum, per nos Ordini vestrõ facto mandato contrario non obstante, auctoritate præsentium, vobis concedimus facultatem*: hæc ibi in *Bull.* nostræ *Relig. fol. 25. litt. P.*

7 Id ipsum *Pius V.* sub anno Dñi 1571. sua *Constit.* incip. *Pastoralis officij*, qua voluit, & statuit, tales descendẽtes à Saracenis, Mahumectanis, Iudæis, & consimiles, posse Religionem intrare, ordines suscipere, & ad dignitates promoueri, *Sonb. in Comp. verb. Nouit. fol. 431. & Passarell. in priuil. Minim.* inter *Bullas* eiusdem Pontif. *pag. 128.*

8 Idem fecit *Greg. XIII.* sua *Constit.* incip. *muneris nostri*, quam per extensum refert *Peyr. tom. 2. privileg. Minim. Constitut. 2.* eiusdem Pontif.

9 Secus autèm dicẽdum de iure speciali: prout est in multis Religionibus, & signantèr in Ordine Minorum, vbi ex peculiari statuto. Nullus descendens ex conuersis Iudæis, Mahumectanis, & Gentibus modernis potest ad Habitum recipi, & ad Professionem admitti, ex multiplicibus *Bullis*, quas circa degladiantur in declarando *Emanuel Rodriq. tom. 1. QQ. RR. quæst. 14. ar. 1. 2. & 3. & tom. 3. quæst. 11. ar. 1. 2. 3. & 4. & in 2. p. summ. cap. 5. de Nouit. & Miranda tom. 1. Manual. Prælat. qu. 19. art. 7.* qui per extensum *Bull.* transferunt, *Rodriquez* Nepos in *Comp. resolut. 101. num. 19. & Portell. in dub. verb. Nouit. num. 30. & in addit. nu. 30.* vbi huius generis multa dicit, noster *Zanardus 2. tom. cap. 17. & Peyr. tom. 1. de Subdito, quæst. 1. cap. 25. ver. circa secundam interrogationem, §. 3.*

10 Quonàm modo hæc statuta sint valida, vel possint licitè fieri, docent *Caiet. & Nauar. cit. loc.* quos sequitur *Rodriq. vbi suprà;* cum

cùm nullus inferior Papa habeat auctoritatem statuendi contra ius commune; & nos latè diximus *in tract. de lege, & auctoritate Generalis Capituli.*

Lepra infecti, Morbo Gallico laborantes, Malè affecti, cęteriq; impotentes; an possint Religionem ingredi, & in eam validè profiteri? Qu. 25.

1 Nullus in Ordine nostro ad Professionem recipitur, nisi requisitus circa multa, & præsertim; an aliquam occultam habeat infirmitatem, prout expresse habetur in *dist. 1. de recip. c. 13. tex. 2. f. 41. col. 3.*

2 Et hoc ideò; nè ad habitum recipiantur ignari, aut inepti, vel debiles, & impotētes ad onera Religionis; vt *ibid.* declaratur *col. 1. verb. debent autem.*

3 Et quidèm, Recipiendum peccare mortalitèr, si falsum dicat, aut veritatem taceat; decipit enim in re graui recipientes, & mentitur, prout communitèr *Doctores.*

4 Et multò magis, peccare recipientes huiusmodi, si hoc scirent, & admitterēt; etenim in hoc grauitèr propria læderent statuta, & maximum Religioni afferrent detrimētum, indebitè, & contra sanum iudicium, *D. Thom. 2. 2. quæst. 189. ar. 10. in calce corporis,* ibi, *si tamen aliquod sit speciale impedimentum, putà infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi.*

5 Verùm; quia multa iure fieri prohibētur, quæ facta, tenent: esto, quòd is contagioso morbo affectus, ad professionem assumatur; an sit vera Professio? quæsitum est.

Et re vera, valere de iure communi, docet *Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 25.* & *Iacob. Graff. eod. tit. & lib. de Regul. tom. 1. cons. 4.* vbi in facti contingentia examinat professionē cuiusdam Iuuenis nostræ Familiæ, qui autē professionem plurièś interrogatus, vt moris, noluit fateri infirmitātem ethiciæ, qua occultè laborabat.

6 Secus autèm, si Religio habeat statutum peculiare a Domino Papa cōfirmatum, quo inualidetur talis professio, negato morbo, quo quis profitens afficitur; quia de iure communi, ægritudo, etiam morbifera non annihilat professionem, vt colligitur ex *cap. sicut tenor, de Regul. & cap. postulasti, de rescriptis, Abbas, & Imol. in c. ex transmissa, de renūc.* & ità decisum per *Rot. Rom. decis. 346.* refert *Farinac.* & *Hier. Rodriq. in Compend. Q.Q. R.R. resolut. 101. num. 61.*

7 Et hoc ideò; quia ad obseruandum vota essentialia, vtputà Paupertatis, Obedietiæ, & Castitatis, satis est voluntatis affectus: impotentia autem, seu deceptio ad accidentalia, vtputà ad ieiunia, & similia, non inualidat, *Rodriq. tom. 3. Q.Q. R.R. quæst. 17. ar. 9. & in 2. p. summ. cap. 6. concl. 13. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 19. ar. 2.* & *Paul. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 5. nu. 4.*

8 Nec his obstat, quòd professio facta sine consensu Conuentus, non valeat, ex *cap. final.* iunctà *Glos. de Regul. in 6. & cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prælatis,* & *Abbas in cap. ad Apostolicam, eod. tit. num. 12.* & quòd si Capitulum sciuisset, Profitentem illo laborare morbo, non consensisset professioni prædictæ.

9 Quia, sicut matrimonium carnale per nullum errorem qualitatis, etiam accedente dolo, infirmatur; nisi impedimentum dirimens, Papali iure statutum sit; ità, & matrimonium spirituale cōtractum inter Religiosum, & Profitētem, non potest dirimi, dēceptione circa accidentalia non obstante; eò magis, quòd Religio debuisset inquirere; ad hoc enim datur annus probationis; quod si neglexerit, sibi imputandum; ità *Nauar.* & *Rodriq.* cit. loc. & *D. Barthol. à S. Fausto lib. 5. Thes. de stat. Relig. q. 226.*

10 Nihilominùs, *Ledesma de stat. Relig. in communi, cap. 6. concl. 1. ver. quarta conditio,* tenet, prædictam professionem esse nullam, de iure Naturæ; quia infirmitas intellectus est, quærere *text.* vbi ratio naturalis apparet.

11 Quandoquidèm, de iure naturali nemo potest ab alio adstringi; nec sese obligare ad impossibile; & si fiat, non valet obligatio; quia ad impossibile nemo tenetur.

12 Confirmatur; quia Votum pro suo obiecto adæquato habet recipere materiā possibilem de meliori bono: quò fit, vt si quis voueat, Religionem intrare, & in ea profiteri, si postmodùm ob aliquem morbum reddatur impotens, ad illud obseruandum, non teneri: quia ob impotentiam Vouentis votum illud simplex euanescit, ratione materiæ impossibilis.

13 Ità à pari, nullum erit Votum solemne, quod à simplici, nec ex natura rei, nec ex iure Diuino; sed sola Ecclesiæ institutione differt; prout expressè colligitur ex *cap. rursus, qui Cler. vel Vou. & ex cap. quod votum, de voto, & vot. redempt.* quod multis probat *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 6. q. 1.* & *Peyr. tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 1. §. 2. nu. 65.*

14 Nec his satisfit, si per aduersam partem dicatur, quòd Profitentis potentia, respectu votorum essentialium semper adest; præsertim tempore Professionis, ex adiutorio Diuinæ gratiæ; & quòd sufficiat affectus, quem Profitens habet, obseruandi essentialia; etsi deficiant vires, vel adsit deceptio, quòad accidentalia.

15 Quoniàm, *DD.* ex aduerso existimant,

hoc

hoc fundamentum falsum esse; quia iuramentum est indiuisibile, quo Profitens se obligat obseruare essentialia, & accidentalia Regulæ; ergò æquo modo, ratione professionis tenetur ad hæc, & ad illa suæ Religionis, & secundùm Regulam promissam viuere.

16 Quod magis apparet, & declaratur, si aduertatur, quòd omnes *Constitutiones* Regulares eò tendunt, vt in ea Professi obseruent essentialia, & accidentalia; & acceptantes professionem, ad hoc intendunt obligare, sub culpæ, vel pœnæ reatu; eo modo, quo in Regula sancitum est, & sub ista conditione admittunt.

17 Et Profitens promittit viuere secundùm Regulam, & illam obseruare; quod est se obligare ad vtrumquè, hoc est, essentiales, & accidentale simul: sunt enim quædam accidentalia Regulæ, veluti propriæ passiones, à rei forma pullulantes, sine quibus rei essentia non potest salua consistere; nisi methaphysicè velimus, Religiosorum statum stabilire.

18 Quibus addo ea, quæ dixi suprà in *tract. 1. q. 4.* & verba *Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 5.* in 1. edit. *nu. 1.* immediatè antè 1. *quæst.* vbi docet, quòd sub ista conditione admittitur Profitens, vt sit potens ad essentialia & accidentalia simul, nō aliter, nec alio modo.

19 Hodiè tamen, in Dominicana Religione, huiusmodi professio est nulla, & inualida, ex peculiari *Statuto*, Apostolica authoritate indicto, & confirmato in nuperrimo Generalissimo Capitulo, Romæ celebrato, nutu, & imperio Papæ *Vrb. VIII.* sub anno Domini 1644. *ordinatione septima*, quæ extat tenoris sequentis.

Ordinamus, vt in posterùm, Priores Conuentuum, alijq; Superiores, quotiescunquè Fratrem aliquem ad Professionem solemniter emittendam suscipiunt, inter alias interrogationes, ac protestationes præmitti solitas, eidem quoquè apertè, clarè, ac distinctè protestentur, Professionem ipsius nullam fore, si forsitan ipse grauem aliquem defectum, ob quem meritò reijciendus fuisset, subdolè antè Votorum emissionem subticuisse, aut occultasse, postmodùm deprehendatur.

20 Proindè, sic Profitentes, inualidam professionem faciunt.

21 Qua autèm praxi, & possunt expelli, & ad quem spectat, has professiones nullas declarare; dicam infrà *de Professione nulla, tract. 12.* & docent præcit. *Doctores*, & alij, quos allegat *Diana part. 4. Moral. tractat. 4. Miscell. resolut. 188.*

22 An autèm Conuentus possit consentire, vt sic male affectus, possit validè in Religione profiteri? Negatiuè respondeo: tùm quia, Capitulum nihil potest contra Regulam, & propria statuta; tùm etiam; quia in re tàm graui non potest Religioni præiudicare; vt patet in cessione iuriū Ecclesiæ, prout colligitur ex *cap. si diligenti, de foro competenti*, & docet *Glos. in cap. ad Apostolicam, de Regularib. verb. Monasterij.*

23 Et addo, quòd Profitens, in casu nostro est incapax Religiosi status, naturali iure; vt dictum est; quo fit, vt huiusmodi professio sit nulla ex duplici capite, nempè, ex huius incapacitate, & illorum potestate: Proindè, taliter Profitentes possunt sine dubio è Religione eijci, & expelli.

24 Nec dicas, quòd vnusquisq; potest suo iuri renunciare: quia hoc procedit de iure proprio, & absq; præiudicio alicuius tertij: hoc autèm ius non est proprium, & eius cessio cederet in damnum totius Religionis, & permanentium in ea.

Corpore vitiati, ceù sūt Cæci, Surdi, Muti, Claudi, Gibbosi, Erniosi, & consimiles deformes; an possint de iure communi Religionem intrare, & in ea validè profiteri? Quæst. 26.

1 Sicut corpore vitiati, ob corporis defectum ab ordine repelluntur, vt in tòto *tit. de corpore vitiatis*, & in *cap. 2. de Cler. ægr.* & in *dist. 55. cap. priscis igitur*, ibi, *vel corpore vitiatus*, & *cap. si quis de Religioso proposito 77. dist.* ibi; *vel vlla corporis parte vitiatus.*

2 Ità à pari, sunt repellendi à Religionis ingressu; nàm qui Religionem ingreditur, alterum de duobus sibi pro fine præfigit: aut Ordines suscipere, & Choro assistere: aut vti Laicus Conuersus laborare pro ministerio Clericorum; qui enim inhabilis reperitur ad vtrumque; quo iure, & qua conscientia præsumit, Religionem intrare? contra præceptum Domini *Leuit. 21.* ibi, *qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo; nec accedat ad ministerium eius*; vbi, & repentè subiungitur.

Si Cæcus fuerit, si Claudus, si, vel paruo, vel grandi, & torto naso, si fracto pede, vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem, scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus; & similia, vide *ibi*.

3 Quæ autèm vitia per has deformitates exprimantur, & significentur, docet *Decret. Gratiani dist. 49. in cap. hinc etenim*: Et in subsequenti *cap. cit. loc.* dicitur, *quòd cæcum animal offert, qui ordinat indoctum, loco docti, magistrumquè facit, qui vix discipulus esse poterat*; & *ibid.* huius generis multa dicuntur, digna sciri pro conscientia admittentium ad Ordines, vel ad Religiosorum statum; viderint ipsi.

4 *Diuus* autèm *Raymund.* nostri Ordinis *lib. 3.*

lib.3. summ. tit.18. de corpore vitiatis, ad cauendum errorem prædictorum omnium, facit Regulam.

Quicunq; culpa sua est vitiatus in corpore, repellitur; qui verò sine culpa, non repellitur; nisi scandalum timeatur ex nimia deformitate; vel periculum ex nimis debilitate, & colligitur ex *Capitulis* præcit. *titulo de corpore vitiatis, in Decretalibus lib.1.*

5 Sed pone, quòd hi professionem faciant; an sit valida de iure communi? Et dico, quòd sic; quia nullo iure pro inualida declaratur; Cęcus enim potest suo ore professionis verba proferre, & sua voce, sicut, & cęteri ad vota coràm omnibus, in manu Prælati se obligare.

6 Quod amplia, ad Mutum; qui per signa, & nutus potest professionem facere, & solemnitèr profiteri: sicut enim validè potest per signa cōtrahere, prout expressè habetur in *cap.cùm apud 23. de sponsal.& matrim. ibi: & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumcunquè coniunctionibus agitur.*

7 Ità, sufficientèr poterit validè per signa in Religione profiteri: est enim professio quoddam spirituale matrimonium, quod coalescit ex mutuo consensu Profitentis, & professionem Admittentium; vt sępè dixi, & docent communitèr *Doctores*.

8 Quod itèm procedit in Surdo, & Muto simul; quia hi solent esse bona indole, & optimo pollere ingenio; adeò, vt vna oculorum visione, multa apprehendant, notent, & intelligant; & sicut hi possunt cōtrahere corporalitèr, vt docent *Doctores in dict. cap.cùm apud Sedem Apost.* ità, & spiritualitèr, ob identitatem præcitat. rationis, *Sanchez lib. 7. Decal. cap.12. num.22.*

9 Quod iterùm extenditur ad eum, qui insimul erit Cęcus, Mutus, & Surdus; per ca multa, quæ docet *Sanchez lib.1. de matrimonio, disput.8. nu.13.* & alij plures, quibus subscribit *Peyr. tom.2. de Prælat. quæst.3. cap.1. §.2. & 3. num.82.*

10 Et quonàm modo Surdus possit Præsbyterio insigniri, & missam celebrare, vide *Nauar. lib.1. de tempore ordin. cons.37.* in 1. edit. & quonàm horis Canonicis satisfacere, in *tom.4. comm. de orat.& hor.Canon. cap. 19.nu.89.concl.8.* & *Sylu.in summ.verb.corpore vitiat.* vbi latè huius generis multa.

Vouens ingredi Religionē simplicitèr; an satisfaciat Voto, si ingrediatur Religionē S. Iacobi, vel Alcantaræ? Q.27.

1 SAnchez *lib.1. de sponsal. disp.44.nu.4.* & *Portell.par.3.cas.9.n.2.* Negatiuè respondent; & hoc ideò; quia, vt Logici dicunt, nomen æquiuocum, siuè analogum stat pro principaliori significato; vt patet ex hoc nomine (*Sanitas*) quod dicitur de pulsu, vrina, & animali; sed primò principalitèr dicitur de animali.

2 Nomen autē Religionis est quoddam æquiuocum; potest enim referri ad Religionem strictam, vel largam; vel propriè dictam, vel largè dictam.

3 Ergò, de suo principali significato, præsupponit pro Religione, propriè, & strictè sumpta; ceù sunt Religiones Monachorum, vel Mendicantium, à Sācta Sede approbatæ, in quibus maximè iurantur illa tria Vota; nempè, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quæ non potest dici de Religione S. Iacobi, vel Alcantaræ, scilicèt Congregationis S. Ioan. in Portugallia, vel similium.

4 Quod magis patet ex matrimonio carnali, quod dicitur de matrimonio rato, & nō consummato, & de vtroquè simul, quod absolutè sumptum, vel nudè prolatum, stat pro matrimonio consumato; quia pro illo, primò, & principalitèr supponit, ergò Votum prædictum factum, absolutè debet intelligi de Religione propriè dicta.

Deflorans Virginem, sub promissione, & pacto futuri matrimonij, si cum hac deflorata contrahat in facie Ecclesiæ; an possit tutè, & licitè Religionem ingredi; & in ea validè profiteri, non obstante prædicto matrimonio, licèt rato, sed non consumato? Qu.28.

1 POrtell.3.par.cas.9.num.2. Respondet negatiuè, quoad forum consciētiæ; quia in casu posito ingrediens Religionem per matrimonium dumtaxat ratum non ampliùs consumatum, non satisfacit promissioni, iàm dictæ, ex qua nascitur naturalis obligatio contra Virum, vt supponitur.

2 Nec dices, quòd Promissor steterit promissis; dùm promisit contrahere, & quòd de facto contraxit in facie Ecclesiæ, licèt matrimonium contractum non cōsumauerit; quia in contractibus verba sunt accipienda propriè, cum effectu, & in propria significatione verborum, & in communi loquela; prout omnes docent, & praxis obseruat.

3 At in communi vsu loquendi; quando alicui fœminæ promittitur mātrimoniū, non promittitur matrimonium tantùm ratum; sed consummatum, per quod Vir remanet obligatus ad conuiuendum huic Mulieri, & ad eam alendum, & in alijs adiuuandum; sic, vt cęteri Coniuges faciunt.

4 Et additur, quòd nomen æquiuocum stat

stat pro principaliori significato, vt patet ex Logica, & dictum est suprà.

Sed matrimonij nomen est ità; etenim dicitur de vtroquè, ergò absolutè prolatum, stat pro principaliori, quod est esse cõsumatum.

5 Nec per tale matrimonium ratum fuit benè prouisum honori, & famæ Mulieris; dùm ipsa statim dimittitur, & tale matrimonium remanet inutile, & otiosum; immò per hoc fuit ei illata maior infamia; *Sanchez lib. 1. de sponsal. disput. 44. nu. 7.*

6 Secus autèm dicendum, quòad forum externum; proindè, si iste Ingressus, in Religione adita profiteatur, erit eius professio valida, licèt illicita, seruatis tamèn alijs de iure seruandis, quia isthæc obligatio non est maioris vinculi, quàm esse ære alieno grauatus, vel debitis onustus, vel ratiocinijs obligatus.

Hæc autèm omnia, professionem non irritant; vt dictum est de iure communi.

7 Nec obstat, quòd *Sixt. V.* sua *d. Constit. De omnibus*, annullauerit Professionem illorum, qui habent debita ciuilia, quia *Clem. VIII.* sua dicta *Constit. incip. in specula*, quòad professiones criminosorum reuocauit prædictam *Constitut. Sixti*, eamq; reduxit ad terminos iuris communis, vt sępè dixi.

8 Sed de iure communi Canonico, hæ Professiones sunt validæ, per ea, quæ dixi suprà, & docet *Sanch. lib. 4. decal. cap. 19. nu. 2.* & *Portell. in dub. Reg. verb. Noaitij qualitas, n. 19.*

9 Nec his nocet matrimonium ratum ex *Trid. sess. 24. Can. 6.* quòd est de fide; prout *ibid.* definitur, nec valet dicere, quòd matrimonium in casu posito debeat dici consumatum; quia illa prima copula fuit illicita, peccaminosa, & clandestina.

10 Sacramentum autèm matrimonij est res sancta, & sacra, & nequit perfici, aut consumari per actum peccaminosum; vt benè aduertit *Portell. in d. cas. 9. nu. 1.*

Si iste Coniux post matrimonium ratum ingrediatur Religionem approbatam, ex qua, post vota solemnia Religiosi possunt licitè exire; vt dicitur de Congregatione S. Ioan. Euangel. in Portugallia, vulgaritèr dicta de S. Eloe, & quòd post Votum solemne egrediatur ex illa; an teneatur reuerti ad illam priorem Coniugem à se dimissam? Quæst. 29.

1 NEgatiuè deciditur in *cap. vnica, de voto, in 6.* vbi ad matrimonium ratum dirimendum duæ conditiones petuntur, nempè, vt fiat votum in aliqua Religione approbata, & quòd Professio sit valida, constituens hominem verè Religiosum; Obligatio autèm semel benè extincta, non ampliùs conualescit, vt dicitur in *L. qui, §. aream, ff. de solut.* & docet *Nauar. de Regal. conf. 51.* & *Portell. cit. loc. nu. 4.*

2 Hinc, Professus, siuè è Religione liberè exeat, siuè cogatur exire, non ampliùs tenetur ad prætetitum ratum matrimonium redire; quia vinculũ matrimonij fuit à solẽni Professione extinctum, & ampliùs non viuit.

3 Quod fallit in Religiosis Illustrissimæ Religionis Societatis Iesu, qui finito Nouitiatus biennio, licèt sint verè Religiosi, iuxtà *Bullam Greg. XIII.*

4 Nihilominùs, eùm illorum vota non sint solemnia, sed tantùm simplicia, non habent vim ad dissoluendum matrimonium ratũ præcedens, ità post *Vasquez, Henriquez, Ribadeneyra,* & alios tenet *Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 18. nu. 6. & in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 1. nu. 29.* sed tamèn non desunt alij contrarium tenentes, quos citat *Vazquez in 1. 2. disput. 165. cap. 10.*

SVMMA QVAESTIONVM

Tract. IV. De Informationibus, & Examinatoribus Recipiendorum.

An

DE INFORMATIONIBUS, ET Examinatoribus Recipiendorum. Tract. IV.

Examinatores quid teneantur ad uertere pro Informationibus Recipiendorum? Qu. 1.

1 PRO Informatione Recipiendorum duæ solent diligentiæ adhiberi altera ad inuestigandum ea, ob quæ Iuuenes, iuxtà *Statuta* propriæ Regulæ prohibentur habitum suscipere.

2 Altera quidèm, quæ respicit *Decreta* vniuersalia Rom. Pontificum, edita post Regulæ confirmationem.

3 In Ordine nostro Prædicatorum is, qui intendit habitū suscipere, debet ab Examinatoribus interrogari; an sit Seruus, vel Coniugatus; an ratiocinijs obligatus, vel alterius Professionis, vel occultam habeat infirmitatem, prout habetur in *cap. 15. text. 2. distin. 1. fol. 41.*

4 Qui satis est, vt in ipsomet actu receptionis, siuè ad Habitum, siuè ad Professionē, illis, & oretènus Prælato respondeat, nec alia accurata inueltigatio exigitur, nisi fortè adesset de his aliqua suspitio, put notat P. Magister *Frater Petrus Martyr Festus in part. 2. Summ.* nostrarum *Constitut. de qualit. informat. cap. 9.* & colligitur ex præcit. nostris *Const.* vbi nulla fit mentio de Informationibus alitèr habendis.

5 In cæteris autèm Ordinibus debet Regula omninò obseruari; prout vnusquisquè promisit, & ad eam se obligauit.

6 Quò verò ad *Decreta* Romanorum Pontificum Examinatores debēt aduertere, quòd ex *prima Sixti V. Constit.* edita sub anno Domini 1587. quæ incip. *Cùm de omnibus, &c.* Iuuenes maiores sexdecim annis non poterant, nec possint ad habitum Religionis recipi; nisi in Capitulo Generali, vel Prouinciali; habita tamen priùs informatione plenaria, quòd non essent illegitimi, non criminosi, non debitis onusti, non ratiocinijs obligati, & consimiles.

7 Quæ quippè informatio sic accuratè capta, debebat in eodem Generali, vel Prouinciali Capitulo per quatuor Deputatos examinari, & approbari: secus autèm, nulla foret Receptio, vel Professio, prout pleniùs in ead. suprapositā *Constit. Cùm de omnibus.*

8 Ex *secunda* verò *Constit.* eiusdem qua *prima* moderatur; poterant, ac possint Iuuenes recipi extrà Capitula Generalia, & Prouincialia; sed constito plenè priùs de prædictis qualitatibus, per quatuor Superiores diuersorum Monasteriorum, & vbi fuissent prædictæ informationes per eosdē quatuor Superiores in vnum collectos, visæ, examinatæ, & approbatæ.

9 Quòd si paucitas, aut nimia distantia Domorum, nec id quidèm facilè pateretur, tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij illius Prouinciæ in Religionibus Monachalibus per Capitulum Generale, & in reliquis Regularibus per Capitulum Prouinciale, huiusmodi facultas concederetur; prout meliùs in *d. Constit. 2.* incip. *Ad Romanum spectat Pontificem.*

10 Pro cuius obseruantia, in Capitulo Romano 1589. in qualibet Prouincia nostri Ordinis fuerunt designati Conuentus, quorum Superiores debuissent conuenire, quandò volentibus Religionem intrare, hac ap-

probatione opus erat.

11 Vltrà autem prædicta communia iura, sunt attendenda particularia Priuilegia Religiosorum, p quæ Religiones nō paucæ, in specie eximuntur à lege, & iure cōmuni.

12 Patres enim Minores ex speciali *Concessione* ab eodem *Sixt.* sibi facta, quæ incip. *Nupèr quidèm*, extrà Capitula Prouincialia, & Generalia possunt Iuuenes ad habitum recipere, & eorundem informationes facere per quatuor Fratres eiusdem Conuentus, in quo habitus suscipitur.

13 Quàpropter, Fratres debent à Diffinitoribus Prouinciæ assignati, & sic assignati, possunt paritèr ad talem effectum, etiam testes sæculares examinare, & ab eisdem iuramentum exigere.

14 Et informationes sic captas attendere, & approbare: quibus visis, & approbatis, Nouitios ad habitum recipere; quam facultatem participant omnes Regulares, qui cum illis in priuilegijs communicant, *Miranda tom. 1. Manual. Prel. q. 19. ar. 3. & q. 21. ar. 1.*

15 Prouinciales Ordinis Patriarchæ Sācti Francisci de Paula cum tribus suis Socijs extrà Capitulum Generale, & Prouinciale possunt Nouitios ad Religionem admittere per *Constit. Sixti V.* incip. *Etsi nos anteà*; quam per extensum refert *Peyr. in tom. 3. priuil. Minim. cap. 8. ad Constit. Sixti*: facta tamèn priùs per saltèm vnum ex dictis diligenti informatione super impedimentis; & modò tales receptiones referantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali.

16 Religiones Monachales, & aliæ nonnullæ (quarum vna est Dominicana) ex quo in ea reperiuntur perpetuæ filiationes illorū Conuentuum, pro quibus Professiones emittuntur; prout in *dist. 2. cap. 14. tex. 6. fol. 180.* ex *Constit. Greg. XIV.* incip. *Circumspecta Rom. Pont.* possunt Nouitios recipere in vnoquoq; Monasterio designato per Superiorem Prælatum de consensu sui Capituli; præhabita tamen, tamen aliquali informatione super rebus contentis in *Constit. Sixti.*

17 Dummodò, antequàm ad Professionem admittantur, plenariè, & eo modo, quo in *d. Constit.* habetur, inquisitiones fiant, examinentur, & approbentur; & pleniùs in ipsamet *Gregoriana* à §. *cęterùm cùm accepimus*, vsq; ad illa verba *Contrarijs, quibuscunq; &c.*

18 In Religione Clericorum Ministrantium Infirmis, particulari iure sibi facto à *Clem. VIII.* sub anno Domini 1594. quod incip. *Assidua*, possunt eligi tres Patres de Capitulo Conuentuali antiquiores, qui eandem habent facultatem, & potestatem in admittendis Nouitijs, quæ commissa fuit Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, alijsq; deputandis, iuxtà *Constit.* super receptione Nouitiorum, editam à *Sixto V.* prout pleniùs in ead. *Bulla*, quam habes in *tom. 3. Bull. Cherub. in append. ad Clem. VIII. Constit.* eius tertia *fol. 44.* quam participant omnes illæ Religiones, quæ habent communicationis priuilegium, ceù sunt omnes Mendicantes.

19 Id ipsum in specie fuit concessum à *Paulo V.* Fratribus Seruitis Domus Montis Sinarij: vt in *Bull. Cherub. tom. 3.* & est 76. infrà *Bull.* eiusdem Pontif.

20 Itèm, Nouitij in Societate Iesu recipiuntur etiā, non seruata forma *Bull. Sixti V.* ex speciali priuilegio sibi dato à *Greg. XIV.* vt in eius *Bull.* incip. *Exponi*, edita sub anno 1591. sub die 30. Augusti, & notat *Nouarum Lucerna Regul. ver. Nouit. nu. 8.*

21 Quæ quippè priuilegia communicātur cęteris, ob priuilegium communicationis, de concessis, & concedendis; vt dixi in *tract. de communic. priuil. q. 3.* & dicam infrà in *Priuil.* nobis facto per eundem *Clem. VIII.*

22 Debent deniquè Examinatores diligentèr aduertere; tùm ea, quæ *Clem. VIII.* statuit sub anno Domini 1602. sua illa *Const.* incip. *In Suprema Ecclesia*, quā suprà habes.

23 Tùm itèm, & ea, quæ idem *Clem.* decreuit pro *Institut. Nouitiorum*, & inter alia, ibi, *quod attinet ad recipiendorum Nouitiorum formam, vltrà diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de Natalibus vniuscuiusquè, corporis valitudine, moribus, & antè acta vita, & præcipuè eorum, qui annum sextumdecimum excesserint, an criminosi, aut ære alieno grauati, vel reddendæ rationi obnoxij sint, iuxtà formam Constit. Sixti V. &c. illud, etiam Superiores perquirāt, vt nullus admittatur, qui ex honestis parentibus natus non sit, & ut eorum parētes, ope, & subsidio ipsorum indigentes, deserant, &c.*

24 Et alia, quæ in consimilibus *Decret.* habentur, nè contingat errare; ex quibus omnibus colligant, quòd informationes super iàm dictis requisitis, siuè fuerint aliquales; vtputà non plenæ, siuè perfectæ, & plenariæ; debent præcedere, nedùm professionem; verùm etiam, & receptionem illorum, qui cupiunt habitum Religionis assumere.

Informatio aliqualis, & plenaria, quæ sint, & quomodò distinguantur? Q. 2.

1 Gregorius XIV. sua præcit. *Constit.* statuit, vt Nouitij recipiantur per Superiores Conuentuum de consensu sui Capituli.

2 Habita tamèn priùs aliquali informatione super requisitis à *Sixto V.* præscriptis, dummodò antè professionem fiat de illis plena probatio, qua plenè constet, nullum impedimentum adesse, quominùs possent ad professionem admitti, vt suprà dixi.

3 Cle-

3 *Clemens* autèm *VIII.* immediatâ *Constitut.* cauit; vt Priores Conuentuum pro tempore existentes, possint quoscunq; Iuuenes petentes ad habitum admittere, recepto tamèn ab eis iuramento, quòd aliquo de impedimentis prædictis non sint detenti.

Dummodò, hoc totum antè eorundem professionem per inuestigationem alicuius Religiosi, sine strepitu, & figura iudicij sit benè probatum.

4 Aliqualis autèm Informatio, in hoc à plenaria, seù plena distinguitur; quia ad faciendam summariam, seù aliqualem informationem, sufficit dictum vnius testis: dummodò deponat plenè de facto: prout docent *Iurista*, & signantèr *Bartol. in l.2. §.si verò, C. vbi in rem actio*, & *Iason in l.admonendi, de iureiurando, nu.*187.

5 Ad plenariam verò requiruntur ad minus duo testes, qui plenè de facto deponant, iuxtà verbum Domini, in ore duorum, vel trium stat omne verbum.

6 Tunc autèm informatio dicitur fieri cum strepitu, & figura iudicij, cùm fit cum citatione partium, & dato termino, vel adhibitis Apicibus, & Rimulis iuris.

7 Secus autèm dicitur secreta, simplex, & de plano, solà facti veritate inspecta.

8 Quæ licèt fiat, & fit sine iuris solemnitate, subtilitate; & nō tamèn propter hoc desinit esse plena, si constet ex vniformi, & pleno testimonio duorum testium, qui sint fide digni, & omni exceptione maiores; prout docent *Iurisconsulti*.

9 Qui quidèm testes debent deponere cum iuramento; secus autèm eorum claudicaret testimonium; prout colligitur ex *cap. Nupèr nobis, de testibus, ibi, nullius testimonio debet credi, quantumcunq; Religiosus existat; nisi iuratus deposuerit*, & docet *Glossa in cap. cùm olim essemus, ver. Fratrum, de priuil.* & *Felin. in cap. non constitutus, n.*17. *de rescriptis*.

10 Exindè, poteris benè colligere, quæ sint obseruanda pro debita receptione Iuuenum, ac mente Romanorum Pontificum.

Quonàm modo faciendæ sint huiusmodi informationes, per quos, & coràm quo Notario? Quæst.3.

1 INformatio, de qua agitur, nil aliud est, quàm quædam inquisitio, quæ fit per Indicem in aliquo particulari, & nominatim, ad hoc, vt quod quæritur, & inuestigatur; sit clarè cognitum, & notorium.

2 Iudices autèm, per quos sunt faciendæ Nouitiorum informationes, poterunt esse Superiores illorum trium, vel quatuor Conuentuum, quos Capitulum Generale deputauit; vt suprà dixi.

3 Hi quidèm tres, aut quatuor Priores; saltèm semel infrà annum, se debent vnire, informationes capere, & si opus sit, ob talem effectum Sæculares testes examinare, medio iuramēto; & illorū Depositiones super Qualitatibus Recipiendorum recipere; & illas captas, examinare, approbare, vel reijcere; sic adeò, vt hi Priores sint Iudices examinatores, & Nouitiorum receptores; prout ex *secunda Bulla Sixti V.* & ex alia *Clement.VIII.* & notat *Rodriq.in 2.p.summ.cap.*4. & *Portell. ver. Nouit. inform. nu.*2.

4 Dixi, poterunt; quia si sit difficile, & onerosum, tot Patres Priores in vnum congregare. Præses Conuentus, in quo fit Nouitiorū receptio, iuxtà commune priuilegiū, quod infrà habes, ab eod. *Clem.VIII.* Conuentui Sancti Stephani Salmanticensi concessum, poterit aliquem Religiosum transmittere ad pdictas informationes faciendū.

5 Quæ vbi factæ, modo à *Clem.VIII.* præscripto, debent examinari à Priore Conuentuali, seù Præside eiusdem, cum Magistro Nouitiorum, & Studiorum, si adsit; secus cum Lectore Conuentus, ac alijs Deputatis, iuxtà Loci consuetudinem.

6 Si autèm in Loco, & Patria Recipiendorum reperiantur Domus nostri Ordinis; poterit prædictus Pater Prior, hoc totū illius Loci nostræ Domus Patribus cōmittere, & transmissas sibi informationes, vt suprà examinare, admittere, vel reprobare, prout fuerit sibi benè visum.

7 Notarius autèm, coràm quo, & per quem debent fieri tales informationes, non oportet, quòd sit Regius, vel Apostolicus; sed sufficit, quòd sit vnus Religiosus Frater Professus, ad tale munus assumptus, & constitutus per Superiores Regulares eiusdem Ordinis, quem Iuuenes ingredi desiderant.

8 Tùm quia, *Sixt. V. in d.Constit.* non limitat; sed loquitur absolutè, vt patet ex illis: verba autèm absolutè pronunciata, debent explicari secundùm statum, & conditionem eorum, ad quos committitur depositio negotij, vt dicitur in *l.plenum, §.equitij, ff.de vsu, & habitatione*, & notant *Nauar.de Orat. Miscell.*54. & *Rodriquez in 2.par.summ.in cap.* 4. *de exam. num.*5.

9 Tùm itèm; quia non solùm Magister Generalis nostri Ordinis potest instituere Fratres in Notarios pro rebus fidei, ad Sanctam Inquisitionem spectantibus, ex speciali *Diplomate Iulij III.* vt in nostro *Bull. fol.* 257. *litt.D.*

10 Verùm etiam, & alij omnes Superiores Regulares, in vnaquaq; Prouincia possunt instituere vnum, vel plures sui Ordinis Fratres

tres, ab eis approbatos in Notarios publicos, non solum pro communibus Religionis negotijs; sed etiam pro particularibus, ex concessione, & priuilegio *Pij V.* vt in 2.*tom. Bull. Cherub.* inter *Const.* eius 124. *fol.* 336. quod itèm per extensum refert *Peyr. in tom.* 2. *priuil. Minimorum*, vbi multa notat huius generis, & maximè de modo instituendi tales Notarios.

11 Sed pone, quòd ad instantiā Nouitij hæ informationes fiant coràm Iudice Laico antè Religionis ingressum; an valeāt; ex quo acta vnius Curiæ non probant in alia?

Respondeo, valere, & quidèm illis standum esse, si per eas planè constet, volentem Religionem ingredi, à prædictis impedimentis esse alienum, & absolutum omni vinculo, quo clauditur Religionis Porta.

12 Et hoc ideò; quia *Sixtus* pro causa finali in statuendo, id sibi constituit, vt Recipiēdi ad habitum, essent habiles, hoc est, sine impedimentis suprà expressis, & quòd ista habilitas, seù impedimentorum carentia certò constaret.

13 Hoc, vel illo modo, partìm refert; nec *Sixt.* expressit, nec coràm quo Iudice sit facienda, declarauit; satis est, quòd fiat; habeamus intentum, & non curemus de modo, *Miranda* in proprio *tractatu* de hac re, *q.* 7. *concl.* 1. *& q.* 8. & *Portell. cit. loc. nu.* 3. quia inter Regulares, Apices iuris non seruantur.

14 Proindè, Iuuenes maiores sexdecim annis, in Prouincia Calabriæ, satis est, vt admittantur, quòd de Natalibus habeant à Parocho fidele testimonium, pro vita, & moribus à Patria, in qua sunt nati: pro alijs requisitis à Magistro Actorum Curiæ, vel à Custode Archiuij, in quo asseruantur processus Reorum criminum.

15 Et nihil aliud, tàm pro Ingressu, quàm pro Professione desideratur; nisi fortè litteræ testimoniales essent de fide suspectæ; nàm in tali casu maior adhibetur diligentia pro inuestigatiòne veritatis.

Iuuenes maiores sexdecim annis in Ordine Prædicatorum; an possint in Religionem admitti, extrà Capitula Prouincialia; & prætermissis informationibus, à Sixto V. præscriptis. Et quid ex priuilegio Clem. VIII. Conuentui S. Stephani Salmāticensi, Ordinis Prædicatorum fuerit concessum? Qu. 4.

1 IN Dominicana Religione, vltrà præcensita, ex speciali *Indulto Clem. VIII.* quod infrà pono, Priores Conuentuum ad id Deputatorum, recipiūt Nouitios, absq; præuijs informationibus, de consensu sui Capituli, & seruatis his conditionibus.

2 Nempè, vt primò sumant iuramentū à Recipiendis, quòd sint liberi, & immunes ab omnibus alijs impedimentis, quæ *Sixtus V.* prohibuit.

3 Quod iuramentum succedit loco præuiæ informationis: Vndè, si Priores illud omittant, in non exhibendo incidunt, in pœnas *Sixti V.* peccantq; mortalitèr: est enim, omittere clausulam in re graui, contra mentem *Sixti V.* & *Clem. VIII.* nàm ambæ *Bull. Sixt.* exprimunt, vt fiat præuia informatio, cui etiam arridet *Constit. Gregorij*; prout est videre in præcitatis, & suprà positis *Bullis*, & *Clem. VIII.* pro loco præuiæ informationis, vt dixi, supplet, & requirit exhibitionem iuramenti.

4 Hoc autèm iuramentum à Vestiendis suscipere non spectat ad Prouincialem; sed ad Priorem Conuentus, in quo Iuuenes suscipiunt Religionis habitum, vel ad similem loci Prælatum; prout ex *Bulla* colligitur.

5 Dato habitu, & indutto Nouitio; intrà annum probationis, debet Prouincialis, vel Prior iàm dictus Conuentualis, aliquem Religiosum deputare, qui secretò, sine strepitu, & figura iudicij, possit prædictas informationes facere; & si opus sit, iuramētum etiam sumere à testibus sæcularibus: hi quidèm benè possunt testificari de his omnibus requisitis: prout *Rodriq. tom.* 3. *QQ. RR. q.* 10. *ar.* 2. *& in* 2. *p. summ. cap.* 4. *num.* 7. & *Portell. verb. Nouit. informatio, nu.* 3.

6 Et tandèm, informationes sic factæ, debent examinari à præcitato Priore Conuentuali, cum tribus, aut duobus alijs Deputatis, qui sint apti; prout meliùs constat in propria *Bulla*, quæ est tenoris sequentis.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam; in his, quæ ad Religionum propagationem spectant, auctoritatis nostræ partes libēter interponimus, prout in Domino salubritèr cōspicimus expedire. Aliàs siquidèm fel. record. Sixtus Papa V. Prædecessor noster, iustis tunc suadentibus rationibus ductus, sua perpetuò valitura Constitutione, quæ incipit, Cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, sub dat. 6. *Kalend. Decembr. Pontificatus sui anno* 3. *emanata, inter alia, statuit, & ordinauit, vt Iuuenes* 16. *ætatis suæ annum excedentes, aliquam Religionem ingredi volentes; non priùs ad habitum recipi, & ad professionem admitti possent, quàm de eorum antè actæ vita, ac morum honestate, ac de legitimis natalibus, alijsq; eorum qualitatibus, tunc expressis, constaret iuridicè, ità, vt instrumenta desupèr formanda coràm testibus, & Notario ad Capitulu Generalē, vel Prouincialia, in quibus per Diffinitores Capituli approbarentur, deferri deberent, constituisset; prout in eadem Constitutione latiùs continetur, quæ cùm difficilè adimpleri posse,*

posse, experientia postmodùm compertum extitisset, eandem Constitutionem Sixti Prædecessoris fęlicis recordationis Gregor. Papæ XIV. & Prædecessor noster moderatus fuit, vt huiusmodi receptiones, & approbationes, per Priores quatuor Domorum fierent; ità, vt qui ad Religionem admitti vellent, ad quatuor eiusdem Religionis, quam elegissent, Domos accederent, & ab earundem Prioribus approbationem deferrent, vt in aliqua ipsarum Domorum recipi possent. Idemq; Sixt. V. Ordini Fratrum Minorum concessit, vt huiusmodi Recipiendorum approbationes, per quatuor Fratres ex antiquioribus eiusdem Domus, in qua habitum peterẽt, à Definitoribus nominatos fieri possent, ipsiq; quatuor antiquiores nominati, ad inquisitionem faciendam procedere, & ad hunc effectum testes vocare, & ab eis iuramentum recipere coràm Tabellione, & alia requisita facere valerent, prout in diuersis Prædecessorum litteris plenius continetur. Cùm autèm sicut pro parte dilectorum Prioris, & Conuentus Domus S. Stephani Salmanticensis Ordinis Prædicatorum nobis expositum fuit, eisdem Priori, & Conuentui per dictum Sixtum Prædecessorem ad petitionem, & supplicationem bonæ memoriæ Antonij Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Præsbyteri Cardinalis Carafæ nuncupati, viuæ vocis Oraculo indultum fuerit, vt instrumenta, per Tabellionem coràm testibus facta super qualitatibus Iuuenum, in dictum Cõuentum ad habitum recipi petentium, per Priorem, seù Præsidentem, ac Suppriorem, Magistrum Nouitiorum, & Magistrum Studentium eiusdem Domus, iuridicè approbari, vel reprobari deberent; cùmq; huiusmodi receptionis forma, facilior, & commodior existat, quàm aliæ supradictæ; nihilominùs hanc etiam multa incommoda pati compertum est, multosq; à Religionis ingressu diuersis rationibus propterea arceri, atq; à proposito abduci, & ea de causa, Religiosorum numerum in dies minui. Quòd si eisdem Priori, & Conuentui licitum esset, iuuenes huiusmodi, Religionis habitum ibi suscipere volentes, præuio tantũ iuramento, se nõ esse criminosos, rationibus obligatos, à quibus non possint faciliter expediri, nec furto, latrocinio, aut homicidio notatos, nec alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis, detineri, ad habitũ admittere, posteà intrà tempus probationis de eisdem qualitatibus inquisitionem, & indagationem, iuxtà Indultum Sixti V. prædictum, viuæ vocis Oraculo concessum, facere; ex hoc profectò Domus prædicta, quæ valdè insignis extitit, pristino splendori, cum Religiosorum propagatione, & Diuini cultus augmento restitueretur. Ideò nobis dictorum Prioris, & Conuentus nomine fuit humilitèr supplicatum, vt in præmissis opportunè prouidère de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Religiosorum propagationem, & Diuini cultus augmentum, quantum cum Domino possumus, libentèr procuramus, singularum litterarum prædictarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, ac Priorem, & Conuentum prædictum, & singulares personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibèt innodati existunt, ad effectum præsentium dùmtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos forè censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilis Fratris nostri Michaelis Episcopi Albanẽ Cardinalis Alexandrini nuncupati Ordinis Prædicatorum Protectoris consilio, eisdem Priori, & Conuentui nunc, & pro tempore existentibus, vt quoscunq; Iuuenes, etiam 16. ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admittere petentes, recepto ab eis iuramento, quòd criminosi, rationibus (vt præfertur) obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis, in d. Bull. Sixti V. contentis, detenti non sint, recipere, ac posteà per aliquẽ eiusdẽ Conuentus Religiosum, ad hoc deputatum, ad inuestigationem antè acta illorum vitæ, ac morum, ac reliquorum præmissorum, absq; strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere; qui ad hoc deputatus, processum, & informationem captam dictis Priori, seù Præsidenti, ac Suppriori, & Magistro Nouitiorũ, & Studentium, à quibus approbari, & reprobari possit, referre fidelitèr debeat, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, præsentes litteras, &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris 10. Septembris 1597. Pontificatus nostri anno sexto.

An prædicto Priuilegio Conuentui nostro Sancti Stephani Salmanticensi concesso, possint vti, ac frui omnes alij Conuentus, tàm nostri, quàm cęterorum Ordinũ, pro vestiendis deputati? Q. 5.

1 RESpondeo affirmatiuè; tùm quia, *Iulius II.* vni Loco concessa, extẽdit ad omnia alia eiusdem Religionis, ea maximè, quæ concernunt iuge, & commune beneficium; prout habetur in nostro *Bull. fol. 225. litt. B.*

2 Itèm, & *Pius IV.* Priuilégia concessa vni, aut quibusdã Monasterijs Ordinis Diui Hieronymi, extendit ad omnia, & singula Monasteria eiusdem Ordinis, tàm Virorum, quàm Mulierum, quibus in specie concessa non sunt.

3 Quod Priuilegium Ordinis Diui Hieronymi comprehendit omnes Mendicantes, ob priuilegium communicationis; prout Egomet ostendi suprà *in tract. de communi-*

ta-

catione priuil. q.3.& 4. & latè *quæst.*14.

4 Et *Leo X.* sub anno Domini 1519.ob mutuã communicationem priuilegiorũ vni loco concessa,extendit ad omnia,& singula omniũ Ordinum,ac si in specie, & in indiuiduo concessa forent, sua *Constit.* quæ incip. *dudùm per nos accepto*, quam refert *Miranda tom.1.Manual.Prælat.q.21.in fin.art.1.* & alia huiusmodi habetur in nostro *Bullar.* quæ est *prima* inter alias supradicti Pontificis.

5 Ex qua collige,quòd omnia,& singula priuilegia, hactènus cõcessa,vel in posterùm concedenda vni Ordini, vel Domui cuiuslibet Ordinis Mendicantium, censeri debent concessa omnibus prædictis Ordinibus Mendicantium, ac si in specie concessa fuissent.

6 Tùm etiam; quia prædictum Priuilegium non est exorbitans, nec præiudiciale iuri communi: immò censetur concessum Ordini in communi, vel Patribus in cõmuni Religione viuentibus; quò fit,vt sit reale, perpetuum, & extensibile ad omnes, absq; præiudicio alicuius tertij; & additur, quòd vbi militat eadem causa finalis, ibidem debet,& reperiri, & eadem legis dispositio.

7 *Clem.*autèm *VIII.*se mouit ad concedendum prædicta;quia si antè receptionem habitus sumi debeant informationes iuridicè, publicaretur Recipiendorum voluntas ingrediendi Religionẽ;& sic adessent multa offendicula, quæ eos retraherent à Sancto proposito;quæ ratio,cùm vbiq;vigeat,vbiq; debet habere locum eadem dispositio; & ex his impugnatur opinio *Merollæ tomo 3.* suæ *Theol.moral. disp.6.de priuil.cap.4.de communicat. dub.7. nu.68.*

8 Benè verum est, quòd tàm in nostris, quàm in alienis Conuentibus,in quibus habitus Religionis suscipitur, si non adsit Magister Studentium, loco eius potest assumi principalis Lector Conuentus, vel consimilis; dummodò sit idoneus secundùm loci consuetudinem.

Forma recipiendi ad habitum, & interrogãdi super requisitis,& dandi iuramentum,ad præscriptum præfatæ Clementinæ? Quæst. 6.

1 Forma recipiendi Iuuenes ad habitum nostræ Religionis habetur in nostris *Constit.distin.1.cap.13.de Recipiendis.*

2 Quo in *loco* definitur,vt hi Recipiendi in primis, & antè omnia examinentur in moribus, & scientia per tres Fratres idoneos, ad hoc electos de communi consensu Capituli.

3 Hi autèm Examinatores, prout dicitur in *lib.de instruct.Officialium Ordinis, in 3.p.* seù *tract.cap.14.fol.78.in fi.:.Constit.* vrbanè, ac lenitèr debent Recipiendos examinare cum tanta dexteritate,& charitate, diuisim, vel coniunctim,eundo per Hortum,vel alibi latinè loquentes eos interrogent; modò de rumoribus mundi,modò de rebus pertinentibus ad scientias, inquirendo de proposito veniendi ad Religionem; modò de Studio, vbi,& quando,& sub quibus Magistris peracto; ità, vt quasi insensibilitèr reperiantur examinati; quod si compertum sit,& visum fuerit Examinatoribus,quòd sic examinatus indubitantèr debeat recipi,referant Prælato.

4 Qui, congregato Capitulo,vt moris, & relatione facta de vestiendo, habito priùs consensu etiam per vota secreta illorum omnium,ad quos spectat. Accito per Magistrum Nouitiorum Vestiendo, & adducto in Capitulum,se prosternat in medio Capituli, toto corpore, & manibus extensis, ad modũ crucis,Prælato dicenti, *quid petis?* respondeat, *Misericordiam Dei,& vestram.*

5 Prior autèm iubeat, eum surgere, & genuflectere,quem paritèr antè eum statuat, & illi exponat sensum petitionis factæ,dicẽdo,quòd si ex corde Dei misericordiam petit, illam ab eo facilitèr obtinebit.

6 Misericordiam autèm nostram, quæ est admissio ad Collegium nostrum, etiam consequetur, si non habet impedimenta obstantia,scilicèt, si matrimonium non contraxerit,vel consummauerit cum vxore; quia ex quo corpus suum alteri tradiderit, non poterit illud Religioni tradere.

7 Itèm, si in alia Religione professionẽ emisisset,aut si esset Seruus emptitius: Itèm, si haberet aliquam infirmitatem, ob quam non posset subire onera Religionis, vel si esset ingenti ære alieno grauatus, vel si esset obnoxius ratiocinijs,de aliqua administratione debitis,vel si esset criminosus, inquisitus, & de similibus,vt suprà.

8 Quo respõdente negatiuè, subinferat adhùc Prælatus, quantum graues sint austeritates Religionis; & quòd si cupit obtinere misericordiam nostram,oportet, eum tria vota Religionis emittere,scilicèt, Obedientiæ,Paupertatis,& Castitatis,& similia declarando; prout *Festus in summario, p.2.de modo præbendi habitum Nouitijs,cap.12.*

9 Quibus habitis, & declaratis, Prior vestiendo exhibeat iuramentum, quòd de prædictis nullum habeat impedimẽtum, qui tactis Dei Euangelijs,iuret,nullatènus se esse irretitum suprà positis.

9 Hìc autèm actus iuratus debet annotari in Regestro,seù Libro,ad hoc deputato, vt dicitur in nostris *Constit. distin.1.de Nouit. cap.14.text.11.fol.59. in fin.* sub tali forma verborum.

Die,

Die, & anno tali, &c.

Ego N.Prior Conuentus N. tàm nomine meo, quàm nomine omnium Fratrum, in eodem Conuentu commorantium iuramentum desumpsi à N. suscipere volente nostræ Religionis habitum, quo veritatem diceret, an esset de legitimo matrimonio natus? an aliquo crimine notatus? au debitis onustus, an ratiociniis obligatus? an parentes indigerent eius auxilio, qui quidem, iuramento suscepto, respondit, se prædictorum omnium nullum habere impedimentum; in quorum fidem se subscripsit manu propria coràm infrascriptis, die, & anno, quo suprà.

Ego N. affirmo, & iuraui, vt suprà.

Ego N. de N. fui præsens.

Ego N. de N. fui præsens.

Ità esse fateor Egomet, qui suprà Frater N. Prior Conuentus.

Si Priores, vel Prælati Locales, ad quos spectat, omittant huiusmodi iuramentū suscipere, aut informationes facere, an Professio sic facta sit valida? Q.7.

1 ET quidèm, esse inualidam docet *Rodriq.in 2.p.summ. cap.4.nu.6.* & hoc ex *Sisti V.* & *Greg.XIV. Constit.*

2 Sed hodiè secus dicendum est, ex *Constit.Clem.VIII.* incip. *in suprema*, suprà posita, qua prædictorum Pontificum *Constitut.* reducuntur ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, si aliàs Nouitius receptus de iure communi sit habilis.

3 Verùm, Prælati Locales omittentes culpabilitèr iuramentum suscipere, vel informationes facere, peccarent, vt dixi, mortalitèr, argum. *cap. nam, & concupiscentiam, de constit.* nec non incurrerent in pœnas à *Sixto V.* præscriptas, prout ex eadem *Clementina* colligitur, ibi, *Cæterū pœnas contra Superiores.*

4 Dixi, Prælati Locales, secus autèm Prouinciales; quia prout ex præcit. *Bullis* colligitur, Informationes procurare, & iuramentum assumere, committitur Prælatis Loci, in quo fit receptio, non autèm Prouincialibus.

5 Et additur, quòd Prouincialis, si Prioribus Locorum recipiendi facultatem faciat, hoc re vera committit, seruatis seruandis, & sic virtualitèr mandat, vt receptiones fiant, iuxtà Summorum Pontificum *Constit.* & præsertim *Clem. VIII.* prout item notat *Portell. in verb. Nouit. Informat. nu.5.*

6 Pœnæ autèm, in quas incurritur, sunt priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, priuatio Officij, Honorum, & Dignitatum, & inhabilitas ad oīa officia in futurū, vt in ead. *Bull. Sixt. V.*

7 Nec his obstat dicere, quòd *Clemens VIII.* in sua *Constit.* incip. *Altissima Paupertatis*, quam per extensum refert *Rodriq.tom.3. QQ.RR.qu.54. post ar.6.* sit vsus hoc verbo, *(debeant informationes facere)* quod verbum de sui natura non habet vim præcepti, & consequentèr non obligat ad mortale.

8 Quia, etsi regularitèr hoc verbum, *debeat*, non inducat præceptum: nihilominùs ex pœna, quæ imponitur Patribus transgressoribus, inducit præceptum; nàm pœnæ tàm graues cum excommunicatione latæ sententiæ, prout *ibid.* supponunt peccatum mortale, nec consueuerunt imponi, nisi ob transgressionem alicuius præcepti, quod obliget ad mortale, prout dixi in *tract. de legib.* & docet de communi sententia *Doctorum Rodriq. cit. loc. n.2.* & *Ioan. Anton. Nouar. in summ. Bull. de Nouitijs, super Bulla Sixti V. Greg. XIII.* & *Clem. VIII. nu.3. fol.416.*

Iuuenes notoriè habiles, & omninò Nobiles; an possint Prælati, prætermissis informationibus, & absq; metu pœnarum, ad habitum admittere? Qu.8.

1 EManuel *Rodriq.tom.3. QQ.RR. q.54. art.4.* affirmat, ex *Bulla* præfati *Sixti*, ibi, *insupèr, quoscunq; Religiosos, eorumq; Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint*, expendit enim ly, *dictum est.*

2 Illi autèm solùm censentur inhabiles ad Religionem, qui sunt criminosi, debitis onusti, vel aliquo alio de prædictis impedimentis notati, vt *Sixtus* voluit.

3 Ergò, prædictæ pœnæ non habent locum in Recipientibus habiles, & à prædictis impedimentis alienos: quia constitutio pœnalis non debet extendi ad casus non expressos, & vti odiosa debet restringi, ac limitari; iuxtà *Regul. iur. odia, &c.*

4 Et confirmatur: nàm illi profectò dicuntur temerè recipere criminosos, & inhabiles, qui scientèr sine dictis informationibus, re vera criminosos, & supracitatis impeditos, recipiunt.

5 Temerè enim recipere, idem est, quod fraudulentèr, vel idem, quod scientèr, vel cōsultò, *Suar. tom.5. disp.4. sect.10.* vel idem est, quod facere cum contemptu legis, vt optimè *D.Thom. 2.2. quæst.53. ar.3.* & *ibi Caiet.* & *Sayr. decis. final. de rebus Eccles. non alien.*

6 Proindè, si Prælatus faciat bona fide, & modo ordinario prærequisitas informationes de Vestiendo, quas captas, & vitam iuridicè cum Patribus deputatis approbauit; nihilominùs ex parte rei, facta professione Professus apparuit inhabilis, & prædictis impedimentis obnoxius, ex vi *Bull. Sixt.* nec huiusmodi Prælatus, nec alij Deputati in pœnas incurrunt.

Quia *Bulla* solùm punit Recipiētes criminosos temerè, hoc est, sine debita, & præscripta diligentia, vel cū cōtemptu scientiæ.

7 Qui autèm fecit diligentias modo ordinario; etsi Recepti sint criminosi, nō potest dici, quòd temerè recepit, & consequentèr non incurrit, *Rodriq. ibid.*

8 Dixi, bona fide, & modo ordinario; quia si Prælatus, vel Deputatus subdolè, & vafrè omittat interrogare, qui possent Recipiendorum crimina, & inhabilitatem detegere, culpabilitèr ageret, & sine dubio incurreret, *Porsell. in dub. Regul. ver. Nouitij informat, nu. 5.* & *Diana 3. p. tract. 2. resol. 83.*

9 Verùm, *Rota Romana* determinauit oppositum in *decis. 175. p. 1. tom. 1. in recentiorib.* per illa verba *Constit. Clem. VIII.* ibi, *Cæterùm, pœnas cōtra Superiores quorumcunq; Ordinum, etiam Mendicantium, qui in admittendis Regularibus ad habitum, & professionem, earundem Constitutionum formam non seruauerint, aut alitèr quouis modo contrafecerint, in ipsis Constitutionibus inflictas, saluas esse volumus.*

10 Forma autèm debet obseruari, tàm in benè, quàm malè meritis Recipiēdis. Tūc autèm aliquid censetur de forma, & substātia actus, quando eo omisso constitutio factum annullat, *Gomes. Regul. de annal. q. 6.* & forma constitutionis.

11 Proindè, prædictarum informationum forma debet habere locum, etiam in Iuuenibus habilibus, & cognitis, ac benè meritis; quia forma Constitutionis debet obseruari vniuersalitèr, tàm in benè, quàm malè meritis, vt dixi.

Huc vsquè decisa de Informationibus, & Iuramentis; an comprehendant indifferentèr omnes Vestiendos, cuiusquè sint generis? Quæst. 9.

1 NEgatiuè respondeo: nàm præcitatæ *Bullæ* loquuntur de his, qui transcendunt 16. annum suæ ætatis; ergò Iuuenes minores sexdecim annis non comprehenduntur sub dictis informationibus.

2 Nec itèm Nouitij, qui veniunt de Terris longinquis, prout ex *Bulla Sixti V.* apertè colligitur.

3 Quæ autèm dicatur Terra longinqua, collige ex *Glos. in cap. si quis incognitus 17. q. 2.* & eam esse, ad quam per annum non potest fieri accessus, vel recessus, affirmat *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. q. 10. ar. 13.*

4 Nec itèm ij Religiosi, qui ex vna in aliam Religionem transeunt; nàm *Constitutio* clarè loquitur de solis Iuuenibus sæcularibus primò recipiendis ad habitum, idem *Rodriq. tom. 1. quæst. 30. art. 20. tom. 3. dict. quæst. 10. ar. 13.* & *Festus p. 2. summ. c. 9. in fin.* & colligitur ex illis verbis, ibi, *sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem; quia tutò in sæculo viuere non possunt.*

5 Proindè, si Prælatus hodiè recipiat quempiam, ab aliqua Religione eiectum vti incorrigibilem, & criminosum, cogitans, esse emendatum sine prædictis informationibus, non incurrit pœnas *Sixti V.* quia, vt dixi, loquitur tantùm de Iuuenibus sæcularibus; hic autèm eiectus non potest dici sæcularis, *Portell. ver. Nouit. informat. in fin.*

6 Nec ijs informationibus subijciuntur Nouitiæ Sanctimonialium, vt patet, tàm ex *Constit. Sixti,* & *Greg.* quàm *Clem.* etenim, cùm sint pęnales, & exorbitantes, non sunt intelligendæ, nisi in casibus expressis, *cap. pœnæ de pœnit. distin. 1. l. interpretatione, ff. de pœnis, Nauar. in cap. nullam 18. q. 2. Verall. decis. 85. nu. 1. par. 1.* loquuntur enim de Nouitijs Monasteriorum Virorum, ergò, Fęminas nō comprehendunt, prout idem *Sixtus* declarauit in 2. *Constitut.*

An Patres deputati ad videndum, & examinandum Recipiendorum informationes in casu culpæ, peccent, & insimul cum Prælato in pœnas incurrant? Quæst. 10.

1 ET dico, quòd sic; quia *Sixti Bulla* afficit omnes de Capitulo, qui culpabilitèr intersunt, & consentiunt receptioni huic: ibi, *quoscunquè Religiosos, & eorum Superiores, qui receperint, &c.*

2 Quandoquidèm, in receptione, & professione Nouitiorum omnes de corpore Capituli habent Votum decisiuum, quod præexigitur in nostro Ordine, etiam per vota secreta, ad euitandum euitanda; prout nupèr fuit ordinatum in *Capitulo* Romano sub anno Domini 1644.

An Episcopi Loci Ordinarij, vel alij extrà Ordinem possint esse Examinatores Nouitiorum? Quæst. 11.

1 REgularitèr, Recipiendorum Examinatores debent esse de Ordine, ad quem Iuuenes euolare festinant.

2 Proindè, in *cap. 13. dist. 1.* nostrarum *Constitutionum, de Recipiendis,* dicitur, quòd in quolibèt Conuentu tres idonei Fratres eligantur de communi consilio Capituli, qui Recipiendos in moribus, & scientia diligentèr examinent, & examinationem Priori, & Capitulo referant, eorum iudicio; an recipi debeant, relinquentes.

3 Ve-

3 Verùm, sub anno Domini 1602. die 19. Aprilis Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium iussu *Clement. VIII.* edidit *Decretū* suprà positum, quo cauit, statuitquè, vt Nouitij ad habitum recipi nullatènus possint, vel admitti, nisi priùs ab ipsa Congregatione, vel à proprijs Locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum Diœcesi Nouitiatus existunt, expressè, & nominatim Nouitij ipsi recipiendi, approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint; prout meliùs in dicto *Decreto* continetur.

4 Attamèn, quia hoc erat nimis onerosum, & occasio retrahendi multos à Sancto proposito, & Religionis ingressu, respectu Ordinis nostri fuit suspensum *Oraculo Viuæ* vocis ab eodem *Clem. VIII.* facto P. Fratri Hieronymo Xauierre nostri Ordinis Generali Magistro, *Festus de Examinat. c. 1. p. 2. summ.*

5 Quod *Decretum* hodiè, respectu etiam omnium Regularium, iussu *Vrb. VIII.* censetur abrogatum; prout in *Decretis* Sac. Congregat. Conc. *de Regularibus Apostatis, & Eiectis, §. 2. in tom. 4. Bullarum Cherub.* infrà *Bull.* eiusdem Papæ 26. *fol. 267.*

SVMMA QVAESTIONVM

Tract. V. De Magistris Nouitiorum.

Qvanàm sint partes, & qualitates Magistri Nouitiorum? Quæst. 1.

Religiosus Sacerdos, an possit institui in Magistrum Nouitiorum; & si annos triginta quinq; non habeat? Qu. 2.

Magister Nouitiorum, vbi, & quomodò sit instituendus, vel destituendus? Q. 3.

Religiosus Sacerdos, si recuset acceptare officium Magistri Nouitiorum, an possit astringi, & puniri? Qu. 4.

Magister Nouitiorum, an debeat habere Socium pro eorundem fœlici gubernio, & cuius ætatis, & qualitatis? Qu. 5.

Quæ debeat Magister Nouitios docere? Qu. 6.

An Magister Nouitiorum, & Socius teneantur ad alia onera, & officia Conuentus? Qu. 7.

Magister Nouitiorum, an sit propriè eorundem Iudex, & ordinarius Prælatus? Qu. 8.

Magister Nouitiorum, an possit Subditos Nouitios ad mortale obligare, & sub censuris astringere? Qu. 9.

Magister Nouitiorum, an possit Nouitios habitu priuare, & è Religione eijcere; saltèm ex iusta, & rationabili causa? Qu. 10.

Vota Nouitiorum in Sæculo facta, vel in Nouitiatu adimplenda, an possit Magister Nouitiorum infirmare, rescindere, & irritare? Qu. 11.

An saltèm valeat illa suspendere, vel commutare? Quæst. 12.

Magister castigans crudelitèr quempiam Nouitiorum, an peccet mortalitèr, & in excommunicationem incidat? Qu. 13.

Magister Nouitiorum percutiens Nouitium ad correctionem, si modum excedat; & mors sequatur, an teneatur de homicidio? Qu. 14.

An peccet Magister Nouitiorum, si alij digno deneget Votum, alij verò indigno exhibeat Suffragium? Qu. 15.

Magister Nouitiorum; an ob defectum in Confessione cognitum, possit illis in Professione denegare suffragium? Qu. 16.

Magister non excommunicatus, an possit liberè, ac licitè in omnibus communicare cum Nouitijs excommunicatis? Qu. 17.

Magister Nouitiorum, an eos possit vi, & metu impedire, qui vellent susceptum habitum dimittere, & in sæculum redire? Q. 18.

Gubernare Nouitios extrà Nouitiatum, vtputà in Ecclesia, Refectorio, & similibus, an spectet ad Priorem Conuentus, vel potiùs ad Magistrum Nouitiorum? Qu. 19.

Hæc prædicta, an locum habeant in Suppriore, vel in quouis alio Deputato, absente tamèn P. Priore? Qu. 20.



DE MAGISTRIS Nouitiorum. Tract. V.

Quænam sint partes, & qualitates Magistri Nouitiorum? Quæst. 1.

1 Magister Nouitiorum debet esse Vir prudens, discretus, zelator Religionis, & ceremoniarum valdè peritus, qui Nouitios de his instruet, quæ Professi facere tenêtur; prout ex *Declar.* nostrarũ *Const. de Nouit. c. 14. dist. 1. text. 2. litt. B. fol. 48. col. 1.*

2 Ex *Decreto* autem *Clem. VIII.* Magister Nouitiorum debet esse Sacerdos, & in quinto saltèm suprà trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & quòd per decennium à Professione emissa in Religione perstiterit, doctrina præditus, vitæ exemplaris, orationis, & mortificationis operibus addictus, prudentia, & charitate refertus, affabilis, grauis, zelum Dei mansuetudine præferens, ab omni cordis, & animi perturbatione, iræ præsertim, & indignationis, quæ in se, & ergà alios charitatẽ impedire consueuerunt, quã longissimè alienus: & talis demùm, qui in omnibus seipsum bonorum operum exemplum præbeat; vt ij, qui eius curæ subsunt, illum non tàm metuant, quàm reuereantur, nec illi vnquàm detrahere quicquam possint: prout meliùs est videre in suprapositis *Institutionibus super receptione, & educatione Nouit. §. tàm Nouitiorum Magister.*

Religiosus Sacerdos, an possit institui in Magistrum Nouitiorum, & si annos triginta quinq; non habeat? Qu. 2.

1 Posse respondeo; dummodò aliundè sit præditus prędictis qualitatibus, & alius non reperiatur idoneus, vel si sit aptior, & prudentior illo, qui, etsi habeat ætatem ad præscriptum Domini Papæ, sit tamèn minus in qualitate; nàm propter excellentiam, & prudentiam Iunioris, potest recedi à statuto, quo decernitur, vt non nisi Seniores ad dignitates admittantur, prout docet *Gulielm. Bened. in cap. Raynutius, §. adiecta impuberi, de testam.* & *Peyr. tom. 2. de Prælat. quæst. 2. cap. 1. nu. 6.*

2 Et potest colligi ex *cap. si habes 2. 1. q. 3. & cap. vls. dist. 38.* & ex *l. potiores, C. de off. Rect.* in quibus dicitur, quòd non sit iniuria maiori, si à minori melius dicatur in iure: Vndè sępè, & in multis Iuniores præponuntur Maioribus, nec ob id Maiores debent dedignari; sunt enim dona spiritus, quæ dispensantur ex voluntate, & gratia Dei.

Magister Nouitiorum, vbi, & quomodò sit instituendus, vel destituendus? Q. 3.

1 *Clem. VIII.* in supradictis *Instit. in §. huius loci clausura*, decernit, *vt tàm Magister Nouitiorum, quàm Socius eligatur per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus, onus huiusmodi subiturus.*

Quòd si aliquo casu extrà tempus Capitulare noua Loca Nouitiatus concedi contingat; tunc electionem Magistri Nouitiorum, & Socij huiusmodi in his nouis Locis per Generalem, vel Prouincialem, seù Ministrum, aut eorum Visitatores, seù Vicarios, de Diffinitorum tamèn, vel grauiorum Patrum consensu fieri permittatur.

Idemq; seruetur, si intrà triennium alterum, vel vtrũquè, vrgenti aliqua de causa ex illis Locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant: hæc *ibi.*

2 Et pro nostro Ordine fuit authoritate Apostolica à *Sixt. V. in Capitulo Romæ 1589.* sub pęna absolutionis ab officio, ipso facto incurrenda, inhibitũ; nè Prior Prouincialis, seù Conuentualis possit ad nutum instituere Magistrum Nouitiorũ, vel iàm institutum ab officio amouere: nisi ex consensu Diffinitorum, si de hoc tractatur in Prouinciali Capitulo, vel ex consensu maioris partis Patrũ à consilijs illius Conuentus, in quo Magister Nouitiorum est instituendus, vel amouendus, quando de tali re tractatur extrà Capitulum; prout habetur in *Declarat. cap. 14. de Nouit. fol. 47. col. 2.*

Et refert *Festus in 1. p. summ.* nostrarum *Constitutionum cap. 11. de Magistris Nouitiorũ*, vbi per extensum habes *Oraculum* viuæ vocis *D. Sixti V.* editum per *Illustriss. Cardinalem Alexandrinum*, tunc temporis nostræ Religionis Protectorem.

Religiosus Sacerdos, si recuset acceptare officium Magistri Nouitiorum, an possit astringi, & puniri? Qu. 4.

1 Posse equidẽ, si aliàs sit idoneus, nec legitimè impeditus: tùm ratione obe-

obedientiæ iuratæ; tùm etiam, ratione communis boni, quale extat Nouitiorum instructio, quandoquidèm bonum commune præfertur proprio.

2 Hinc, in noſtra Familia recuſantes dictum officium acceptare, in pœnam nequeūt eligi per vnum annum in Priores, exceptis tamen Magiſtris in Sacra Theologia, Patribus Prouinciæ, & Lectoribus actu legentibus, quos ſupponitur maiori cōmuni bono vacare, vt in *d.c.14. de Nouitijs, fol.47.col.2.*

Magiſter Nouitiorum, an debeat habere Socium pro eorundem fœlici gubernio, & cuius ætatis, & qualitatis? Qu.5.

1 ET dico ſic; prout conſtat ex eiſdem *Inſtit. Nouit. in d.§.* ibi, *tàm Nouitiorum Magiſter, quàm Socius,* & debet eſſe ſuprà trigeſimum annum ſuæ ætatis, & habere eaſdem qualitates, quas Magiſter.

2 Quippè qui datur Magiſtro in caſu neceſſitatis, nempè ob multitudinem Nouitiorum, & aliquid ſimile, vt Magiſter aliquando poſſit quieſcere, vel ſi aliundè reperiatur legitimè occupatus, ſit qui vacet curæ Nouitiorum, prout in *§. huius loci clauſura,* ibi, *ſi quis autèm Nouitiorum Magiſtro Socius, ſi pro Nouitiorum inſtruendorum multitudine neceſſarius fuerit, vita, & moribus (quòad fieri poterit) conſimilis deputetur; qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubiectus ſit.*

3 Si verò Nouitij non ſint ità numeroſi, & Socius nō ſit inſtitutus pro cōmunibus, & proprijs vniuſcuiuſq; neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, poteſt deputari vnus de Nouitijs ætate, & moribus prouectior, qui, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam Portæ Nouitiatus cuſtodia, & rerū leuioris momēti prouiſio intrà Nouitiatum poterit committi, prout habetur in *Declar. cap.14. de Nouitijs, & eorum inſtructione, diſt.1. fol.47. col.2.*

Quæ debeat Magiſter Nouitios docere? Quæſt.6.

1 MAgiſter Nouitiorum frequentèr, purè, & diſcretè doceat eos cōfiteri, ſine proprio viuere, propriam voluntatem deſerere, quid ſit abnegare ſeipſum, pro ſui voluntate, Prælati obedientiam in omnibus voluntariam obſeruare, & quomodò, vbicunq; in omnibus, ſe habere debeant.

2 Itèm, ipſos debet inſtruere, & quòd locum, vbi poſiti fuerint, vbiq; teneant; quomodò ſibi danti aliquid, vel auferenti, malè, vel benè dicenti, inclinare debeant: quemodò ſe ad Cameras contineant, vt oculos ſublimes non habeant: quomodò, & quid orēt, & quàm ſilentèr, vt alijs rugitum non faciāt; quomodò in Capitulo venia, vel vbicunquè reprehenſi fuerint, à Prælato ſit facienda; & q̄ ſi quis Fratrem ſuum aliquo modo ſcandalizauerit, tamdiù antè pedes eius proſtratus iaceat, quouſquè placatus erigat eum. Itèm, vt cum nemine contendere præſumant, & in omnibus Magiſtro ſuo obediant, in Proceſſione Socium ſibi collateralem attendant, nec loquantur locis, & temporibus interdictis, neminem penitùs iudicent, ſed ſi aliqua ab vllo fieri videant (licèt mala videantur) bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta; ſæpè enim humanum fallitur iudicium, & quòd non loquantur de abſente, niſi quæ bona ſunt, diſciplinas frequentèr ſuſcipiant.

3 Itèm, eos doceat ſeruare illa, quæ ſunt ſubſtantialia Religionis, vt Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, & quòd habitum Religionis, dùm in publico apparent, vbiquè deferant.

4 Itèm, inſtruat eos de ieiunijs, certis tēporibus obſeruandis, de abſtinentia ab eſu carnium, de lineis nō portandis ad carnem, de culcitris non tenendis, de dormiendo cū tunicello, cingulo, & caligis, de ſilentio certis locis, & temporibus ſeruandis, & ſic de alijs multis, quæ longa manu narrantur, tàm in dictis noſtris *Conſtitutionib. diſt.1. de Nouit. cap.14.* quàm in *Declarationib.* earundem *à principio d.cap.* vſq; ad *finem,* vbi multa habes ad Dei gloriam digniſſima notatu.

An Magiſter Nouitiorum, & Socius teneantur ad alia onera, & officia Conuentus? Quæſt.7.

1 NON teneri reſpondeo, & eſt definitio *Clem. VIII. in d. Inſtit.* vbi tàm Nouitiorum Magiſter, quàm Socius ab ijs omnibus officijs, oneribuſq; vacationem habent, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valent.

2 Vndè, non poſſunt eſſe Suppriores, nec Vicarij Monaſterij, nec Villici, aut Procuratores, nec tenentur ad hebdomadariam, & ſimilia, & habetur in *Declar.* noſtrarum *Conſt. de Nouit. cap.14. tex.1 litt. A. col.2. in fin.*

3 Benè verum, quòd Magiſtri Nouitiorum ob reuerentiam, & dignitatem, poſſunt in nobis eſſe Patres à conſilijs, vt *ibidem,* & tenent locum in ſuis Conuentibus immediatè poſt Baccalaureos, & vbi Baccalaurei non ſunt, immediatè poſt Suppriorem.

4 Si verò Magiſter prædictus fuerit Baccalaureus, teneat locum ſuper omnes Baccalau-

ealaureos in suo Conuentu, quem locum, si in ipso officio vtilitèr, & laudabilitèr perseuerauerit per decennium, cuius saltèm quatriennium sit continuum, in posterùm sẽper teneat locum prædictum in sua Prouincia.

5 Quod procedit, siuè sit Magister Nouitiorum simplicium, siuè Professorum: hi enim in meo Ordine, etsi sint Professi, tamèn stant sub cura Magistri, vsquè ad Sacerdotium, dummodò curam habeant, ad minus sex Nouitiorum, prout Parisijs ordinatum fuit sub anno Domini 1611. & refert *P. Fr. Petrus Martir Festus in d. summ. cap. 11. in fin.*

Magister Nouitiorum, an sit propriè eorundem Iudex, & ordinarius Prælatus? Quæst. 8.

1 NEgat *Sylu. ver. Prælatus, qu. 3. Rodriq. tom. 1. QQ. RR. q. 13. ar. 2.* & *Bord. tom. 1. resol. 14. q. 20. nu. 47.*

2 Et meritò, tùm quia; ordinaria potestas dimanat ab Officio, seù Dignitate, cui annexum est, alios iudicare ciuilitèr, & criminalitèr in vtroquè foro.

Et colligitur ex *cap. Volumus, & cap. Diaconus, & cap. Quia 99. dist.* ex quibus habetur, quòd Dignitas est cũ administratione rerum Ecclesiasticarum, & cum honore, & iurisdictione super omnes alios.

3 Et docet *D. Thom.* communitèr receptus *quodlib. 1. ar. 16. in corpore,* vbi ait, ꝙ Prælatus est Iudex Ordinarius Ecclesiasticus, & quòd in foro externo, & interno potest Subditos corrigere, & ex *cap. nullam 18. quæst. 2.* Prælatus habet super Subditos triplicem Iurisdictionem; nempè Oeconomicam, circa res tẽporales Religionis, & Monasterij: Spiritualem in foro interno, vt confessiones audire, & externo, vt casus sibi reseruare, interdicere, & excõmunicare, & Iudiciariã prædictis cõnexã, vt Subditos corrigere, & visitare.

4 Quorum nullum verè, & propriè potest verificari de Magistro Nouitiorum: is namq; non habet administrationem rerum Ecclesiæ, nec præeminentiam super omnes; imò subijcitur multis, & maximè Priori; non habet forum contentiosum, vnde non potest in iudicio constituere, nec ponere ad quæstiones, nec Subditos torquere, nec ad triremes condemnare.

5 Tùm quia, Prior Conuentus est etiam Prior Nouitiatus; vndè Nouitiatum visitat, & Nouitios punit; nec potest dici, quòd sint duo Prælati ordinarij, habentes eandem curam in eodem Loco, vel Ecclesia. Nec Magister Nouitiorum audit confessiones iure ordinario, sed ex commissione, & delegatione Papæ.

6 Quibus additur, quòd Magisterium huiusmodi non est Dignitas, sed Officium cũ quadam præeminentia, vt sunt Lectores, Prædicatores, Confessarij, & consimiles.

7 Nec mihi obijcies verba *Clem. VIII. in Constit. pro instit. & educat. Nouit. §. habeat Magister plenariam, & absolutam potestatem circa institutionem, & regimen Nouitiatus;* quia per hæc verba non ei datur propriè iurisdictio ordinaria cũ cognitione causarum, sed tantùm œconomica gubernatio intrà Nouitiatum, & potestas institutionis, & educationis, prout habent cęteri Magistri super suos Scholares.

8 Quod magis patet, si aduertas, quòd Magister Nouitiorum non potest alteri suam potestatem delegare, quod est contra rationẽ potestatis, & iurisdictionis ordinariæ, quę potest delegari, & pęnès hoc inter cętera iurisdictio delegata distinguitur ab ordinaria.

9 Et quòd Spurius, seù Illegitimus ingressus Monasteriũ, etsi aliundè sit idoneus, de iure non potest esse Prælatus; sed potest esse Magister Nouitiorum; quia, vt notat *Sylu. cit. loc.* post *Paludanum*, Spurijs, & Illegitimis de iure repugnat potestas ordinaria; secus autèm delegata.

Magister Nouitiorum, an possit Subditos Nouitios ad mortale obligare, & sub censuris astringere? Qu. 9.

1 IVre ordinario non posse, respondeo; secus autèm ex delegata potestate, & maximè respectu eorum, quæ faciunt ad custodiam institutionum, & educationum, & ad consimilia pro bonò, & honesto regimine Nouitiatus; quia in his ex *Constit. Clem. VIII.* vt suprà dixi, Magister habet plenam, & absolutam potestatem; sicut Episcopus in suos Subditos, quos quidèm ad obseruantiam præceptorum Ecclesiæ potest per censuras astringere, ità cęteris paribus, Magister Nouitiorum ad pręcepta Papæ potest illos censuris vincire.

2 Secus autèm non foret habere potestatem plenariam, si hæc non posset; nec absolutam, si in his ab alio dependeret. Et Magistro sic præcipienti Nouitij tenentur obedire, non ex vi voti obedientiæ, quod supponitur non fecisse; sed ex delegatione Papæ, & ob domicilium contractum; ob quod facti sunt de iurisdictione Superiorum Regularium, & signantèr sui Magistri, cui subsunt principalitèr, & immediatè, ad præscriptum *Clem. VIII.* cuius *Constitutiones, & Decreta* suprà habes, & per ea alia dicta in *tract. de Nouit.* alitèr autèm fabricant in gehennam, & sine causa sunt in Monasterio.

Magi-

Magister Nouitiorum, an possit Nouitios habitu priuare, & è Religione eijcere, saltèm ex iusta, & rationabili causa? Quæst. 10.

1 NEgatiuè resoluas; tùm quia, quempiam perpetuò, vel ad tēpus habitu priuare, & è Religione eijcere, est actus iurisdictionalis, seu exercitium iurisdictionis ordinariæ, quam Magister Nouitiorum non habet, vt dictum est. Is enim non instituitur, vt Nouitios iudicet; sed, vt doceat, instruat, & educet.

2 Tùm etiam; quia ad eos spectat habitu priuare, & è Religione expellere, qui possunt habitum dare, & in Religionem admittere; quoniàm qui potest condere, potest destruere, & res per easdem causas dissoluitur, per quas fit, & producitur.

3 Cęterùm, recipere ad habitum, & ad professionem admittere, pertinet ad Prouincialem, vel Priorem Conuentualem cum consensu sui Capituli, seruatis seruandis, de quibus suprà dixi: Ergò ad Capitulum cum suo Prælato pertinet, causa cognita, & iuridicè discussa, Nouitios expellere.

4 Dixi, causa cognita: Non enim possumus Nouitios ad libitum expellere; quippè qui per susceptionem habitus in Religione, acquirunt ius, in ea publicè, & solèniter profiteri: nec iustum est, quem inauditum, sine causa priuare iure quæsito.

5 Secus læderetur in suis iuribus, & maximè in honore, & fama: nàm habitu priuari, & è Religione expelli, est infamari infamia iuris, & facti, si ob crimen, & sententiam contingat expelli, & reijci; vndè poterit appellare.

6 Benè verum est, vt infrà dico, quòd Magister potest suæ curæ commissos, vt Magister, & Pater leuitèr disciplinare, & moderatè punire, intrà tamèn Nouitiatum, & extrà; insupèr, & publicè conscio Priore, vt iuris, & moris; hoc est, iuxtà Regulam, & Loci consuetudinem.

Vota Nouitiorum in sæculo facta, vel in Nouitiatu adimplenda, an possit Magister Nouitiorum infirmare, rescindere, & irritare? Qu. 11.

1 ET dico, quòd non, nec etiam Prælatus; quia neuter antè solemnem professionem habet dominium super Nouitios, nec spiritualem iudiciariam potestatē, quæ necessariò prærequiritur ad irritandum vota Subditorum.

2 Quod procedit, etiam si intenderet annullare huiusmodi vota (nunc, pro tunc) hoc est cum intentione irritandi, sequuta professione; quia hæc conditio non dat dominium, nec iurisdictionem accelerat; quandoquidèm tota iurisdictio Superiorum subsequitur ad Votum, & Iuramentum obedientiæ, q̃ fit in solemni professione prædictorū.

3 Proindè, Dominus potest irritare vota sui Serui, & Sponsus suæ Sponsæ, propter potestatem dominatiuam: quia, vt optimè docet *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 8.* nullus, qui alterius subditur potestati, potest emittere Votū, quod validum sit, in eis, in quibus ille subijcitur, absq; eius consensu.

4 Vndè, Seruus non potest suo Domino præiudicare; nec Vxor Marito; nequè Professi suis Prælatis; & colligitur ex *cap. puella 20. quæst. 2. & cap. manifestum 33. q. 5. Caiet. cit. loc. art. 12.* vbi eruditè multa docet, quem sequitur *Nauar. in summ. cap. 12. nu. 63. & 64. Mirand. tom. 2. Manual. quæst. 32. art. 6. conclus. vnic. in fine, Rodriq. tom. 1. QQ. RR. quæst. 25. ar. 8. & in 2. p. summ. cap. 89. nu. 9. conclus. 8. & cap. 90. & cap. 100. de modis, num. 3. conclus. 3.* & alij omnes, quos allegat *Diana resolut. 91. de Regul. par. 3.*

An saltèm valeat illa suspendere, vel commutare? Quæst. 12.

1 DIcam, posse; tùm quia, omnis potestas, qualisq; sit illa, potest ea omnia Subditorum suspendere, quæ suum possunt officium impedire. Nouitij autèm subsunt immediatè, & specialitèr curæ Magistri, ex sępè dicto *Decreto Clem. VIII.*

2 Tùm etiam; quia, ex quo Papa statuit, vt Nouitij ad minus per annum probēt Religionis austeritates, certum est nolle eos obligare ad ea, quæ nequeunt in Nouitiatu adimpleri, aut quæ sunt impedimento illi statui; ergò ipso iure suspensa censentur.

3 Verùm, si contingat, huiusmodi Nouitios, relicto habitu, in sæculū redire; reuiuiscunt vota, & obligationes de nouo reassumūt vires obligādi; quia erant suspēsa, & nō extincta, *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 12.* & *ibid. Caiet.*

4 Nisi fortè sint Vota annexa determinato tempori: quia præscripto tēpore elapso, non ampliùs obligant, *Rodiq. tom. 1. QQ. RR. q. 25. ar. 8. & 2. p. summ. cap. 100. num. 14. Sot. de iust. lib. 4. q. 1. ar. 4.* & *Caiet. vbi suprà.*

5 Si roges, Vota, quæ possunt adimpleri, & illi statui impedimento nō sunt, an possint per eundem Magistrum commutari in alias operas, circa quas se exerceant Nouitij in probationis anno, prout sunt ieiunare, vacare Missis, & consimilibus mortificationis operibus?

Et dico, quòd sic, an autèm ordinaria, vel

vel delegata poteſtate, de iure communi, an ſpeciali, parũ refert; ſatis eſt, quòd Magiſter poſſit ad minus, ſicut ceteri Confeſſores in melius vota commutare, ceù ſunt Religionis exercitia, *Rodriq. cit. loc. ar. 7. Layman.* multis citatis *lib. 4. tract. 4 cap. 8. nu. 6. & nu. 19. q. 1. Miranda tom. 2. Manual. q. 32. ar. 6. Nauar. cap. 12. n. 69.* & nouè *Bordon. resol. 14. nu. 46.*

6 Penès autèm quid differant, Vota irritare, diſpenſare, & commutare, vide præcit. *Doctores*, & maximè *Sot. Nauar. Rodriq. Palud.* & *Layman. vbi ſuprà.*

Magiſter caſtigans crudelitèr quempiam Nouitiorum, an peccet mortalitèr, & in excõmunicationem incidat? Q. 13.

1 AFfirmant communitèr *DD.* tùm quia, ex *cap. Præsbyterum, de homicidio*, & ex *l. Præceptoris, ff. ad l. Aquil.* leuis tantùm, & moderata correctio eſt permiſſa Magiſtris.

2 Tùm etiam; quia immoderatè punire, & crudelitèr caſtigare, eſt contemnere caſtigatum, & vilem reddere, ob quod deſpectus, & caſtigatus in honore, & perſona, grauitèr læditur in bonis fortunæ, & naturæ, contra debitum legale, *Nauar. in ſumm. cap. 25. de peccatis Mag. nu. 58. ver. ſeptimò peccat.*

3 Proindè, ità percutiens, peccat mortalitèr, & in *canonem* incidit, *ſi quis ſuadente*, ob exceſſum præſtitum in corripiendo, etſi ſit Magiſter; niſi aliundè excuſetur, prout ex *cap. ſuper eo 1. de ſent. excommunicationis, & cap. ex tenore, & cap. cùm voluntate, eod. tit.* vbi *Gloſ. in princip.* ſubiũgit, quòd Magiſtri Scholares ſuos, cauſa correctionis leuitèr poſſunt percutere ſine pœna excommunicationis; modò corrigant, vt eos cohibeant à vitijs, bonisq; moribus informent, & *Nauar.* multis citatis in *ſumm. cap. 27. n. 82.* in quo notat, an caſtigatus ſit in factis conſtitutus, an moderatè, an bono fine, quia his ex circumſtantijs percutientium cauſa iudicatur.

Magiſter Nouitiorum percutiens Nouitium ad correctionem, ſi modum excedat, & mors ſequatur, an teneatur de homicidio? Qu. 14.

1 NOn teneri, reſpondent *Graff. de caſibus reſeru. in praxi, lib. 2. cap. 9. nu. 18. Longus p. 2. caſ. 10. nu. 3.* & *Molfeſ. p. 1. ſumm. tract. 7. cap. 20. nu. 119.*

Quia occiſio debet eſſe voluntaria, & dolo facta, ad hoc, vt occiſor teneatur de homicidio; vndè ludens cum Muliere prægnante, ſi ex ludo ſequatur abortus, non erit, vt homicida puniendus.

Et hoc ideò; quia non fecit dolo; Idem dicendum de eo, qui caſu fortuito alium interimit.

2 Benè verum, quòd in caſu poſito Magiſter efficeretur irregularis; prout *Nauar. in ſumm. cap. 27. nu. 235.* ex *cap. Præsbyt. de homicidio*: in qua irregularitate, an poſſit ſecum Prælatus diſpenſare in foro poli, iuxtà diſpoſitionem *cap. 6. de reform. ſeſſ. 24. Conc. Trid.* quod incipit, *liceat Epiſcopis*, dixi in *tract. de poteſtate Prælatorum, q. 7. in par. 3.*

An peccet Magiſter Nouitiorum, ſi alij digno deneget Votum, alij verò indigno exhibeat Suffragium? Q. 15.

1 ET quidèm peccare, docet *Caiet. 2. 2. q. vlt. ar. 4. in reſponſ. ad 3. dubium, in fin.* ibi, *Si Religio gratis, & ſola libertate refutaret Nouitium, ab omni Sapiente reprehenderetur de culpa, & peccato; nedùm veniali, ſed etiã mortali*, ſubiungit *Ledeſma de ſtat. Religioſo in communi, cap. 7. concl. 2. diff. 2.* quia, qui digno Nouitio negat ſuffragium, offendit Religionem in graui, & ſua abutitur authoritate ſuffragandi; etenim commune bonum Religionis, ſicut læditur per malos, ita per bonos fouetur, & ampliatur; ergò enormitèr Religionem offendit, qui idoneos excludit, & ineptos, ſeù inutiles admittit.

2 Et additur, iniquum eſſe, gratis, & ſine cauſa, quempiã repellere, aut impedire, quin ſe dedicet, & offerat ſeruire Deo perpetuò, & omni tempore in Religione, approbata à Sancta Sede, quæ cunctis patet, dicitquè, *ad me venite, & ego non eijciam foras*; prout poſt alios notat *D. Barthol. à Sanct. Fauſt. lib. 5. Theſ. quæſt. 197.*

Magiſter Nouitiorum, an ob defectum in confeſſione cognitum, poſſit illis in Profeſſione denegare ſuffragiũ? Q. 16.

1 GRauis eſt iſta Quæſtio, & frequens in vſu, pendetq; ex illa; an liceat Prælatis vti ſacramentali notitia ad externum gubernium? de qua *D. Thom. quodlib. 5. ar. 13. & in 4. ſent. diſt. 21. quæſt. 3. Palud. ibid. quæſt. 3. art. 3. concluſ. 3. Bannes 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 8.* occaſione correctionis fraternæ, latè, & eruditè *Corrad. p. 1. caſ. q. 334. & 335. Sot. in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 4. ar. 5. in ſolut. 4. & de ſecr. ſeg. membr. 3. q. 4.* & nupèr *Nugn. in addit. ad 3. par. quæſt. 11. art. 1.* & alij plures de noſtra Familia.

2 Quam ego ſemper negatiuè reſolui; tùm quia, Confeſſarius reſpectu eorum, quæ

nouit

nouit in sacramentali confessione, debet se habere, sicut, & antea, vtputa, ac si nunquam fecisset; etenim Sacerdos in audiendo, & absoluendo peccata, se habet, vt Deus, qui solus est, qui peccata dimittit. Ceterùm, in suffragando, vel refragando, se habet, vt Homo, qui se sibi reuelatis, vti Deo, quouis colore, non potest ingerere, secus nimis valdè onerosum redderetur Sacramentum pœnitētiæ, prout *Bannes cit. loc. in respons. ad 4.* & *Corrad. vbi suprà.*

3 Tùm etiam; quia nemo debet iure quæsito priuari, ob sua peccata cōfessa; prout communitèr *DD.* Nouitius autèm, dum publicè benè se habuit in cursu Nouitiatus, non potest ad nutum expelli, sed requiritur iusta causa, habetq; ius publicè petendi, fieri Professum, & adscribi incommutabilitèr Religioni, per cuius susceptionem habitus acquisitum est ei ius ad rem; aliàs suboriretur occasio hominibus, se subtrahendi à confessionibus sacramentalibus; quis enim Nouitiorum cōfiteri auderet suo Magistro, quem crederet, certò ei in Professione nociturum? vt ergò eliminetur confitentibus omnis suspitio damni; & vt cesset pœnitentium formido, & timor; debet Prælatus omninò ab his abstinere.

4 Quod amplia, etiam si scrutinium, vel tractatus huiusmodi professionū fieret per vota secreta; quia licèt respectu cęterorum possit fingi, & assignari causa denegati suffragij; Nihilominùs, respectu ipsius penitentis aderit semper suspitio; quippè qui grauatus, lamentabitur vbiquè gentium, dicendo, id ei accidisse ob sua peccata, Magistro in confessione detecta.

5 Quibus addo *Decretum Clement. VIII.* editum super casuum reseruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obseruādum, quod confirmauit *Paul. V. Greg. XV.* & *Vrb. VIII.* vt in *quarto tom. Bull. ibi. idm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, nè ea notitia, quam de aliorū peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

6 Quo in loco Papa loquitur absolutè, & generalitèr, adeò, vt in nullo casu Prælatis liceat vti tali scientia, in confessione acquisita, prout *Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 33. sect. 7. nu. 4. in fin.* & debet expendi illa clausula, *diligentissimè caueant,* quæ obligat ad mortale; prout *Peyr. tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 2. §. 2. num. 64.* vbi latè multa collegit; Et Egomet dixi in *tract. de electionib.* vide *ibi*, & non pigebit.

Magister non excommunicatus, an possit liberè, ac licitè in omnibus communicare cum Nouitijs excommunicatis? Quæst. 17.

1 Posse dico, etiam in Diuinis, nempè Diuinum officium priuatim cum illis recitando, prout potest Prælatus cum Subditis excōmunicatis non toleratis, & Pater cū filijs: etenim Magister Nouitiorum se habet, vt Oeconomus, & Pater spiritualis, prout *Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 4. conclus. 5. ver. secunda causa,* & *Auila de censuris, p. 2. cap. 6. disput. 11. dub. 7. in fin.*

2 Et vice versa, Subditi cum Domino, Filij cum Patre, Nouitij cum Magistro excōmunicato licitè possunt communicare, *Armilla ver. excomm. nu. 46. ver. humile.* Et hoc totum colligitur ex *cap. quoniam multos 11. q. 3.* in quo *cap.* licèt non dicatur expressè, quòd Pater possit communicare cum Filio excommunicato, sed solùm, quòd Filius cum Patre; implicitè tamèn id etiam intelligitur, tùm quia, Filius, & Pater sunt correlatiua, & dispositia in vno correlatiuorum, censentur disposita in alio; nàm habent vnum esse, & dicuntur ad conuertentiam; tùm etiam, argumento *cap. de forma fidelitatis 18. caus. 22. q. 5.* & notat *Gloss. in d. cap. quoniam, ver. Vxores, Nauar. in Manual. cap. 27. de censuris, n. 27.* & antè eum *Sylu. ver. excommunicatio 5. n. 17. dub. 8.* vbi loquitur limitatè; & *Ioan. Bapt. Corrad. p. 1. casuum, quæst. 182. in ver. velle, lex, humile, &c.* & hoc propter necessitatem cōmercij; cùm sine vna cōmunis familia, adeò, vt impossibile sit, vnum sine altero posse viuere, aut reperiri, ob cōnexionem, quam habent insimul habitantes, *Caiet. in summa, ver. excomm. §. participatio cum excommunicato.*

3 Quod autèm Prælati cum Subditis excōmunicatis possint licitè cōmunicare, etiā in Diuinis, priuatim tamèn, docens *Nauar. in Addit. cap. 27. nu. 36.* quia iura concedunt dictam communionem generalem, & illimitatè, & sic absolutè debent intelligi, *iuxta cap. solitæ, de maior. & obedientia.*

4 Tùm quia, sæpè vtrobiq; eadem est ratio de communicando in Diuinis priuatim, & in humanis, vt per multa exempla ostendit *Auila cit. loc. dub. 6. in fin.* Tùm etiā; quia excōmunicatio directè priuat excommunicatos spiritualibus, & actibus Diuinis, qui publicè in Ecclesia celebrantur, vel ex præscripto Ecclesiæ debent in illa celebrari. Secus, quoad actus priuatos, etsi sint Spirituales, & Diuini; vndè excommunicati tenētur ad priuatum officium Diuinum, sic itèm suspensi in Diuinis, aut ab Ecclesia interdicti, prout latè docet *Couar. in c. alma Mater, p. 1.*

relect. §.3. nu.8. verſ. etenim excommunicatus non eſt his actibus interdictus, nec priuatus, & pœna non debent extendi ad non expreſſa.

Magiſter Nouitiorum, an eos poſſit vi, & metu impedire, qui vellent ſuſceptum habitum dimittere, & in ſeculum redire? Qu. 18.

1 NOn poſſe, dico; eò, quòd Nouitius toto curſu Nouitiatus eſt ſui iuris: vndè poteſt liberè habitum dimittere, quotiès ſibi placuerit; ſecus lęderetur in ſua libertate, quæ debet illæſa omninò conſeruari, ad hoc, vt eius futura profeſſio validè fiat.

2 Benè verum eſt, quòd huiuſmodi volentibus è Religione diſcedere, poterit Magiſter, & quiuis alius charitatiuè, ac ſuauitèr obijcere artem Dęmonis, & Mundi laqueos, & alia huius generis, quæ illuminent, & dirigant in viam ſalutis.

3 Si verò non audierint, eis omnia reſtituat, quæ ſua erant, ad præſcriptum *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 16. in fin.* quandoquidèm ad hunc finem aſſeruantur Veſtes, cęteraq; bona ſuſcipientium Religionis habitum, vt illis reconſignentur, cùm contigerit abire.

Gubernare Nouitios extrà Nouitiatum, vtputà in Eccleſia, Refectorio & ſimilibus Locis, an ſpectet ad Priorem Conuentus, vel potius ad Magiſtrum Nouitiorum? Qu. 19.

1 ET dico, ſpectare ad Priorem Conuẽtus; prout patet ex dictis; tũ quia, ipſe eſt Caput, & Iudex omnium exiſtentium in ſuo Monaſterio; ſecùs non foret Caput, & Paſtor omnium; tùm quia, ità habetur in *dict. Inſtit. Clem. VIII.* ibi, *habeat etiam Magiſter plenariam, & abſolutam poteſtatem circa Nouitiorum Inſtitutionem, ac Nouitiatus regimen; ità, vt in illis, nemini, Viſitatoribus, ac Superioribus, Maioribus, vel etiam Localibus exceptis, quouis colore ſe ingerere liceat*; & de hoc non eſt dubitandum; quod intellige, quòad conuenientia, & licita, & maximè in ijs, quæ concernunt Regulam.

An hæc prædicta locum habeant in Supp-priore, vel in quouis alio Deputato; abſente tamen P. Priore? Qu. 20.

1 AFfirmatiuè; tùm quia, ſubrogatus ſapit naturam eius, in cuius locũ ſubrogatur, ex *l. ſi eum, §. qui iniuriarum, ff. ſi quis caut.* & *ibid.* omnes *Doctores.*

2 Ergò, P. Supprior, Vicarius Conuentus, & omnis alius ſubſtitutus à P. Priore, poterit facere totũ id, quod de iure poteſt fieri per illum; tùm etiam; quia ſub nomine Prioris venit etiam eius Vicarius, Supprior, & quiuis alius gerens eius vices, ex *l. 1. ff. de off. eius*, & hi ſine dubio poſſunt facere totum illud, quod pertinet ad eorum officium, ex *d. l. 1. & cap. final. diſt. 93.* iuxtà *Gloſ. ver. tunc, & cap. 1. diſt. 94.* & *ibid. Gloſ. ver. repræſentetur.*

3 Et hoc ideò; quia ea, quæ facit Delegatus, videtur facere ipſe Delegans, per *cap. fanè 11. de off. delegat.*

4 Proindè, Deputatus in Refectorio poterit præcipere Nouitio, vt hoc, vel illud auferat de mẽſa, vt legat, vel à lectione deſiſtat, & quid ſimile, & Nouitius tenetur his omnibus obedire; etiam coràm Magiſtro Nouitiorum; etenim dignum eſt, vt qui ſimilem cum alijs vitam agunt, ſimilem quoquè ſentiant in legibus diſciplinam; ex *capit. 3. de ſtat. Monach.*

5 Nec obſtat, quòd Magiſter Nouitiorum habeat plenam, & abſolutam poteſtatem circa Nouitiorum inſtitutionem, ex *Clement. VIII. loc.* cit.

Tùm quia, hæc authoritas non fuit conceſſa priuatiuè, quòad alios Superiores Monaſterij; tùm etiam; quia iſthæc poteſtas, huiuſmodi Magiſtris collata, non eſt iuriſdictionis; ſed educationis, vt dixi hìc ſuprà *queſt. 8.* & docent *Rodriq. tom. 1. q. 13. ar. 2.* & *Bordon. in tract. de Profeſſ. Regul. cap. 4. q. 62. & tom. 1. reſol. 24.*



SVM-

SVMMA QVAESTIONVM

Tract. VI. De Priuilegijs Nouitiorum:

DE PRIVILEGIIS Nouitiorum. Tract. VI.

An Nouitius sit membrum, Pars, & Ciuis suæ Religionis? Quæst. 1.

1 Sententia affirmatiua est plusquàm vera, si Nouitius sit in Religione, cum animo perseuerãdi in ea; secus autèm; quia animus ciuem facit, non autèm assistentia corporis; prout expresse habetur in *l. ciuis, qui, & secunda, §. eelsus, ff. ad municip. l. postliminiū, §. captiuus, & l. nihil interest, ff. de captiu. & postlim. reuersis*, & docent *Abbas cons. 100. Bertrand. cons. 75. lib. 2.* & alij, quos sequitur *D. Reg. Hector Capyc. Latro consult. 128. nu. 23.*

2 Nec nocet, quòd Nouitius sit alibi ortus, & consequentèr ibi ciuis, ex *text. l. origine, C. de municip. lib. 10. l. assumptio, ff. ad municip. l. ciues, C. de incolis.* quoniã potest quis habere plures patrias, alteram originis, & alteram incolatus, *l. 1. C. de municip. & origin. lib. 10. Barbos. in l. hæres absens, §. proindè, ff. de iudic.* & alij plures, quos allegat *D. Reg. Capyc. Latro in d. consult. 128. nu. 27.*

3 Et quidèm fit quis ciuis multis modis; nempè natiuitate, manumissione, adoptione, & allectione, *Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 23. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 30. & 42.* & est communis ex *D. Thoro* infrà citando.

4 Hic autèm animus perpetuò habitandi attenditur, & probatur ex translatione maioris partis fortunarum, *Angel. in summ. ver. ciuis*; vel ex domo nouitèr ædificata, vel empta, alijsq; causis non paucis, *D. Reg. Capyc. Latro in d. consult. 128. n. 26. & sequent.* & *D. Ioan. Bapt. de Thoro* multis allegatis in *supplemento aur. decis. par. 1. ver. ciuis Neapolitanus, & in par. 3. ver. ciuis oriundus, fol.* mihi *162. & tom. 2. Comp. ver. Ciuilitas Neapolitana quomodò probetur.*

5 Verùm, in Religionibus attenditur ex Laicali statu deserto, & habitu Religionis suscepto cum tot præuijs adimpletis: Nàm mens inuisibilis per externa gesta conspicitur: ad quid enim Nouitius tot attentata peregisset, nisi fortè ei cordi foret, in Religione reperiri?

6 Nec obstat, quòd Nouitius sit in statu dubio, respectu experientiæ: potest enim à Religione recedere, aut in illa, si placuerit, perseuerare; quia satis est, vt Nouitius ea animi destinatione sit ingressus Monasteriũ, habitumq; suscipiat, vt ibi perpetuò maneat, quantum est ex parte sua; & si aliundè per nouam circumstantiam isthæc sua voluntas possit impediri, & mutari, adeò, vt destinatio hæc, qua se Nouitius Religioni tradit, sit pura, & non conditionalis: licèt accidentalitèr mutabilis, & resoluenda in euentum futuræ conditionis, si Religio non placuerit; prout eruditè ostendit *Sanch. ad decal. lib. 4. cap. 39. nu. 19. & tom. 2. lib. 6. cap. 10. nu. 21.*

8 Et patet ex eo, qui se trãsfert ex vno in alium Locũ, animo perpetuò ibi perseuerãdi, si temperies placuerit; adhùc censetur absolutè ciuis huius secundi Loci; Nec nocet, quòd eius propositum possit infringi, & in futuram conditionem resolui; prout apertè colligitur ex *l. cùm quidam 8. & l. & si non sunt, 9. infectis, ver. quid ergò, ff. de auro, & argento legato.*

9 Et additur, quòd legatarius à die mortis testatoris acquirit absolutum dominium rei sibi legatæ; sed commutabilitèr, hoc est, nisi repudiare voluerit, ex *l. cùm pater, §. surdo, ff. de legat. 2.*

10 Et magis clarè ex differentia, quæ est inter dispositionẽ à principio puram; sed resoluendam sub conditione; & inter purè cõditionalem; quia hæc dùm pendet conditio, nullum effectum operatur; prout docent omnes, & expresse habetur in *l. cedere diem, ff. de verb. significat.*

11 At illa mox operatur suum effectum, vsq; dùm non resoluatur; vt patet ex sponsalibus conditionalibus; ex quibus nõ oritur impedimentũ publicæ honestatis, nisi conditione purificata, *c. vnico, in fin. de sponsal. in 6.*

12 Et ex contractu venditionis cum pacto de retrouendendo, in quo transfertur absolutè dominium rei venditæ, etsi remaneat sub conditione reluendi.

Cùm ergò Nouitij destinatio, & sui ipsius actualis traditio sit pura, & absoluta, non obstante *cap. beneficium, & ibi Io. Monac. de Regular. in 6. & ibi Prob. in add. t. num. 3. Ancbar. consil. 69. num. 14.*

13 Sequitur, vt Nouitij statim contrahant domicilium in habitu suscepto, & fiant de foro Religionis, & gaudeant eius priuilegijs, & immunitate, & censeantur absolutè esse in Religione; & si respectu futuræ experientiæ sint in statu dubio, & ignorent, quid futurum sit: hæc autèm sunt cunctis valdè notanda; quia ex his multa soluuntur.

No-

Nouitius, an veniat appellatione Ecclesiasticorum? Quaest. 2.

1 SIne controuersia, Nouitij, & omnes alij degẽtes intrà septa sub obediẽtia Prælati, veniũt appellatione Ecclesiasticorũ in fauorabilibus; secus aũt in odiosis; quia omnes hi sunt de sorte Domini, & specialitèr dicati Dei cultui, *Syluest. in summ. ver. Clericus, nu. 1. Rodriq. tom. 1. qu. 21. ar. 11.* & *Ricc.* multis cumulatis in *Praxi p. 4. resol. 239.*

2 Et constat ex illa *Regula iuris, in 6. cap. odia*, & expressè deciditur in *can. duo sunt genera 12. q. 1.* vbi etiam Hospitalarij, & Templarij Deo dicati, dicuntur Clerici, & in Dei seruitium singularitèr vocati, & magis expressè in *cap. Religioso, de sent. excomm. in 6.*

3 Proindè, Nouitij gaudent omnibus gratijs, prærogatiuis, commoditatibus, priuilegijs, & beneficijs, quomodòcunq; alijs Clericis vel Monachis concessis, non repugnantibus tamèn eorum statui, *Nauar. cons. 6. num. 3. tit. de testamentis, tom. 1. fol.* mihi 457. & *Carol. de Graffis*, multis citatis *tract. de effect. Clericatus, in prælud.* & è contrà non comprehenduntur sub generali constitutione alicuius grauaminis vniuersalitèr illati contrà Fratres: Proindè, excluduntur à *Bulla Clem. VIII. de largitione munerum*: itèm ab illa *Alex. III. in cap. 2. ne Clerici, vel Monaci, in 6. & cap. super specula, eod. tit.* vndè, absquè metu huius excõmunicationis possunt exire de claustro, & Leges, Medicinas, & similia audire, *Bonac. tom. 3. de censur. disput. 11. q. 8. punct. 7. num. 13.*

4 Nec subijciuntur casibus reseruatis à Superioribus suæ Religionis, à quibus absolui possunt sine alia licentia, *Graff. in append. lib. 1. cap. 7. nu. 69.* & *Nald. in summ. ver. Nouitius.* Nec interessentes agitationi ferarum, incurrunt in excommunicationem *Pij V.* incip. *de salute Gregis*, latâ contra Clericos; nec administrãtes extremam vnctionem sine licentia Parochi, ligantur excommunicatione *Clem. 1. Religiosi, de priuil. & exceß. priuil.* lata contrà Religiosos, *Nauar. in summ. cap. 27. nu. 102.* & *Syl. ver. excom. 7. nu. 1.*

5 Nec subduntur casibus reseruatis Episcopo Loci; quia non sunt eius Subditi: nec subijciuntur iurisdictioni Episcoporum in illis casibus, in quibus ipsi Episcopi Loci Ordinarij habent potestatem in Regulares, vt cõstat ex eodem fundamento, *Nouar.* multis citatis *decis. 88.* & *Tambur. de iur. Abbat. disput. 15. qu. 5.*

6 Eximuntur deniquè ab omni obligatione recitandi Diuinum officium, ieiunandi, tenendi silentium, & similibus, *Rodr. tom. 1. quæst. 27. ar. 11. Ricc. in Praxi, p. 4. resol. 241.* & est communis; sed sunt suauitèr inducẽdi, & exhortandi, *Sylu. ver. Religio 5. q. 16. Graff. cons. 8. nu. 8. de voto*, & *Sorb. in Compend. Mendic. ver. Nouit. §. fin.*

Nouitij, an gaudeant priuilegijs Professorum? Quaest. 3.

1 AFfirmatiuè, ex his, quæ dixi *par. 1. tract. 6. de extens. priuileg. q. 20.* & consurgit immediatè ex supradictis, & infrà dicendis, & docet doctissimus *P. Diana resol. moral. tract. 1. de immunit. Eccles. resolut. 36. ver. aduersus*, & *Nouar.* in suo *tract. de elect. fori, qu. 46. sect. 2.* multis cumulatis.

2 Quod magis libentèr extende ad Nouitios Illustriss. Societatis Iesu, qui post biennium, etiam solemni professione non facta, adhùc censentur verè, & propriè Religiosi, ex speciali *Constit. Gregorij XIII.* incip. *Ascendente Domino, §. & quamuis*, edita sub anno Domini 1584. quod non potest dici de alijs Nouitijs, *Aloys. Ricc. p. 4. Praxis, resol. 240.*

3 Quod procedit, quando ingressus est licitus; secus autèm; quia actus nullus nihil operatur, *Nouar. in summ. bullarum, p. 2. tit. de delictis Nouit. nu. 5. in fin.*

An Nouitius gaudeat priuilegio fori, & canonis? Quaest. 4.

1 ET dico, quòd sic; quia Nouitius est persona Ecclesiastica: etenim, vt infrà dicam, est pars, & membrum suæ Religionis; licèt imperfectè, & incompletè.

2 Nec obstat dicere, quòd Nouitius sit in Religione mutabilitèr; hoc est, quòd potest ab illa recedere ad sui libitum, & beneplacitum; & quòd hoc repugnet Religioso statui, qui de sui natura petit stabilitatem, seù immobilitatem; aliàs non diceretur status, sed mobilitas, prout benè docet noster *D. Thom.* communitèr receptus in *2. 2. q. 183. ar. 1.* & apparet in statu Coniugatorum, Episcoporum, & similium, qui à statu assumpto nequeunt recedere; nisi culpabilitèr. Quia prædicta omnia exiguntur ad faciendum hominem Religiosum perfectè; secus autèm, ad faciendum Religiosum largè; quia satis est, ad hoc habere animum perseuerandi in ea Religione, quam adijt, & constat ex *caus. 17. cap. 29.* incip. *si quis suadente diabolo, q. 4.* ibi, *in Clericum, vel Monacum manus violentas iniecerit*, & habetur expressè in *cap. Religioso 21. de sent. excomm. in 6. in fin.* ibi, *quamuis autem is, qui Religionem ingreditur, Religiosus cum effectu dici non possit; donec sit tacitè, vel expressè Professus: si quis tamèn violentas manus in eũ iniiciat, excõmunicationis lata à canone vinculum non euadit:* hæc ibi, quibus in verbis, vt vides, nulla fit mentio de ordinis caracte-

re,

re, sed de statu, & habitu tantùm, & id fauore Religionis.

3 Et nota, quòd qui gaudet priuilegio canonis, gaudebit, & fortius, priuilegio fori; hoc quippè ad plura se extendit, & est communius illo, *Pater Suar.contrà Regem Angliæ lib.4. cap.29. num.7.* & *Layman.lib.4. tract.9. cap.7. num.1.*

4 Proindè, conueniri non potest pro vllo delicto coràm Iudice Sæculari; nec coràm Episcopo; sed in omnibus, & per omnia, tàm respectu temporalium, quàm spiritualium, instar Professorum subijcitur Prælatis Religionis aditæ, ex quo per liberam susceptionem habitus transiuit saltèm largè in iurisdictionem Prælati, à quo in omni graui delicto, etiam pro homicidio, intrà, vel extrà septa commisso, debet iudicari.

5 In hoc enim consistit priuilegium fori, quo Nouitij prohibentur ad aliud Tribunal trahi, prout constat ex *cap.non placuit 16. quæst.7. cap.Ecclesia S.Mariæ, de constitut. & cap.decernimus, de iudicijs*, quæ iura indistinctè loquuntur, & fauore Religionis debent ampliari, & largè intelligi, *Sanchez tom.2. lib.6. cap.10.nu.11.& 12.Nauar.lib.3.consl.6.de for. comp. nu.4.* in secunda editio. *Nouar.lib.1. quæst.forens. qu.42.num.7. Aloys.Ricc.par.4. Praxis, resol.238.in fin. Tambur.de iur.Abbat. disput.6. qu.27. Lezana*, multis citatis *tom.3. ver.Nouit.n.34.& tom.4.ver.Prælat.n.9.* dixi in *1.part. tract.6. de extensione priuil. quæst. 20. nu.8.* & antè eos *Dom.Reg.Sanfelic.tom.1. decis.1.nu.22.* & *Capiblanc.tom.1.de Baronibus, in pragmatic.8.p.3.nu.56.* ibi, *Nouitij licèt non sint Professi, gaudent interim prærogatiua fori, & immunitatum*, vbi etiã allegat *DD.* & iura.

Si post delictum quis fiat Nouitius, an gaudeat priuilegio fori? Qu.5.

1 ET quidèm, gaudere dico; quia per ingressum Religionis statim efficitur de foro illius; etenim integer, & totus status Religiosus, eo ipso, quòd per Ecclesiam approbatur, vel instituitur, cẽsetur Sacer, & Ecclesiasticus, ità, vt respectu omnium existentium in eo, gaudeat priuilegio fori in ciuilibus, & criminalibus, ex *Concil.Triden. sess. 25. cap.20.de reform.* & docet *Suar.tom.5. de censur.disput.22.sect.1.nu.19.& in defens.fidei, contrà Reg.Angl. lib.4. cap.10. in fin. num.11. & 12.tract.3. quæst.9.*

2 Dummodò, admissio ad habitum non sit nulla, vt dixi suprà, & patet in Laico, Clerico effecto post delicta in sæculo, qui etiam respectu præteritorum criminum, non à Iudice Sæculari, sed ab Episcopo iudicatur, *Iul.Clar.* multis allegatis in *pract.criminal. §.final.quæst.36. num.36. Carol.de Grass. tract. de effect. Clericatus, primo effectu, num.1071. & sequentib.* vbi de hac re latè, *Rccius decis.457. par.4.* & alij plures, quos sequitur *D. Donatus Antonius de Marinis lib.1. resolut. quotidian. cap.48. num.6.* & latè pluriès decisum refert *Dom.Reg.Sanfelic. tom.1. decis.2. nu.23. & sequen.*

3 Quod dictum quidam ampliant, etiam si in fraudẽ suscepisset habitum; nàm si confugiens ad Ecclesiam post delictum, animo fraudandi Curiam Sæcularem, gaudet immunitate, etsi remaneat Laicus, & ad tempus in ea moretur: quantò magis, hoc procedit in eo, qui transit in Religionem, portat habitum, & in ea intendit profiteri? & facit ad hoc *text.cap.comperimus 14. quæst.6.* vbi argentum Laicis raptum non restituitur; quia erat Deo consecratum; ibi, *vt quia, quod semel consecratum est, eis non valet vltrà restitui.*

4 Confirmatur ex *l.non distinguemus, §.Sacerdotio, ff.de arbitr.* vbi lite pendente, Sacerdotio assumpto, Arbiter nõ iudicat ampliùs, & ex *l.qui cũ vno, §.reus, ff.de re militari*, vbi si Reus criminis, etiam capitalis efficiatur Miles, non remittitur, sed à Iudice Militiæ iudicatur, quod magis debet procedere in eo, qui est adscriptus Militiæ Cęlesti.

5 Nec dices, quòd in puniendis delictis non attenditur tempus punitionis, sed delicti, *l.1. ff.de pęnis, l.iniuriarum æstimatio, ff.de iniur. l.doli, §.si, ff.de seruo corrupto.*

Quia hæc ratio, & iura procedunt, rebus permanẽtibus in eodẽ statu; secus autẽ, mutato, per ea, quæ docet *Glos.in l.nemo potest, ff.de legat.1.ver.quia nec,* & *ibi Alex.n.31. Carol.de Grass.* multis cumulatis in *d.primo effectu*, sub *n.865.& 866.* & *D.Thoro in Comp.decis.tom.3. p.1. ver.Clericus se obligans.*

6 Verùm, non credo, quòd hodiè iste casus posset euenire, ex quo Prælati Regulares, in spretum tot Cõstitutionum Summorum Ponficum, criminosum, ad habitum Religiosum non admittunt, nè dent in pęnas ibi appositas.

7 Attamèn, si casus occurreret, oportet distinguere, quòd aut sumus in ciuilibus, & sic soluant damna, & læsæ parti satisfaciant, iuxtà *Glos.in d.cap.comperimus*; si verò in criminalibus, aut criminosos admissos eijciant, vt dictum est suprà *tract.3. quæst.9.nu.7.& 8.* & hæc est tutior, & facilior via, ad occurrendum litibus, aut seuerè puniant, præcipuè instante Iudice; quandoquidèm expedit Reipublicæ, vt delicta puniantur; nec decet, vt remaneant impunita; nàm vitium, cui non resistitur, approbatur.

Si

Si Nouitius, post delictum in probatione commissum; habitum dimittat, à quo puniendus? Quaest. 6.

1 Quidam probabilitèr dicunt, posse, & debere puniri à Praelatis Religionis dimissae, *Sanchez tom. 2. decal. lib. 6. cap. 10. nu. 14. Farinac. in sua prax. crim. tom. 1. tit. de inquisit.* in tertia editio. cum alijs *ibid.* citatis, doctissimus *P. Diana tract. 1. de immunit. Eccles. resol. 33. & 34.* & *Lezana tom. 3. ver. Clericus, num. 22. & tom. 4. ver. Praelat. nu. 9.* tùm quia, ad fundandam iurisdictionem pro puniendis delictis attenditur tempus admissi criminis, ex *d. l. 1. de poenis, & d. l. iniuriarii*, & sequitur *Conar. pract. quaest. cap. 31. Iul. Clar.* cit. *Iac. Prax. Laym. lib. 4. c. 4. nu. 4.* & *Bonac. de cens. disput. 2. q. 4. pun. 1. §. 2. nu. 5.* Hic autèm, de quo agitur, tempore patrati delicti erat de foro Praelatorum Religionis; hi nàmque ex vi Nouitiatus incepti, & domicilij contracti, adepti sunt super ingressos quandam potestatem, & iurisdictionem; saltèm ciuilem, & temporalem, ob quam sunt veri Iudices Nouitiorum ingressorum; secus antèm, illa sancta Communitas non esset perfecta, nec foret ei benè prouisum, *Marta de iurisdict. par. 4. cent. 2. casu* 121. *num. 22.* & *Diana in dict. resolut.* 33.

2 Tùm quia, Clericus reuersus ad statum Laicalem non iudicatur à Iudice Saeculari pro delicto commisso in Clericatu, sed remittitur, prout fuit sępè decisum, *Layman. d. tract. 9. cap. 7. num. 5. Diana par. 3. tract. 1. resolut. 34. Thoro tom. 3. Comp. ver. Clericus se obligans, Marc. Anton. Genuen. in d. pract. Neapolit. cap. 9. num. 1.* & antè eos *Thomas Gram. decis. 10. De Franchis decis. 417. num. 4. & 5.* & alij Antiquiores, quos allegat *De Graffis dicto tr. effectu*, sub *nu. 1074.*

3 Sed alij dicunt, quòd in isto casu datur locus praeuentioni, vt *Paul. de Castro*, & alij *Doctores* nò pauci, quos citat idem *De Graffis d. 1. effectu*, sub *n. 865. in fin.* & ità post longam disputationem refert fuisse decisum in hoc Sacr. Consil. Neapol. *D. Thoro d. tom. 3. Comp. ver. Cler. se oblig. in fin.*

4 Quod magis procedit in casu nostro, in quo nullum videtur fieri praeiudicium Religioni dimissae; dùm eius membrum esse nolùit, deposuit habitum, & mutauit statū, vt plenè probat *D. Donat. Ant. de Marinis lib. 1. resolut. quotid. cap. 48. per totum*, vbi refert plures decisiones S. C.

Nouitius, an habeat electionem fori, more Professorum? Quaest. 7.

1 Affirmatiua constat ex decisis; tùm quia, Nouitius est persona Ecclesiastica; tùm etiam; quia in fauorabilibus gaudet priuilegijs Professorum.

2 Persona autèm Ecclesiastica, sine controuersia, ad defensionem suorum consanguineorum, & bonorum gaudet priuilegio *l. vnica, C. quando Imperat. inter pupillum, & viduam*, & docent *Doctores in cap. cùm sit generale, de foro comp. Afflict. decis. 257.* & *ibidem Vrsill. in addit. Vincent. de Anna alleg. 146.* & alij plures, quibus subscribit *Ricc. p. 4. Prax. resol. 246.* & *Nouar. quaest. 42. lib. 1.* & meliùs in *tract. de elect. fori, tom. 1. q. 63. sect. 2.*

Nouitij Ordinum Militarium, nempè S. Ioannis, S. Iacobi, Alcantarae, Calatrauae, & similium, an gaudeant priuilegio fori, & canonis? Qu. 8.

1 Et dico, gaudere; tùm quia, Nouitij Religionis gaudent instar Professorum, sed hodiè, omnes Religiones Militares sunt declaratae Ecclesiasticae, & approbatae à Papa, & ità decisum fuisse à Sac. Congreg. pro Regno Hispaniae, refert *Barbosa in remiss. Doct. ad l. Lusitan. lib. 2. tit. 12.* & *Riccius par. 4. Prax. resolut. 249. in fin.* adeò, vt omnis, qui assumpsit habitum Ordinis Militaris, debeat gaudere priuilegio fori, & canonis.

2 Tùm etiam; quia Professio in his Ordinibus est valida, ergò, & ipsamet Religio erit valida; etenim ex *cap. vlt. de Religios. dom.* omnis professio facta in Religione non approbata, non est valida, *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 24. nu. 27.*

3 Quod item potest ad digitum ostendi, nàm Milites Sancti Ioannis Hierosolymitani sunt veri Religiosi, personae Ecclesiasticae, & habent multa priuilegia, plusquàm caeteri Mendicantes; nempè ab *Anastas. Papa IV.* à *Pio IV.* à *Pio V.* & ab alijs, de quibus latè *Didacus Motta lib. 2. cap. 1. de confir. Ordin. Militar. Diana tract. 2. de dub. Regul. resol. 30. Nauar. Canonicus in summ. Bull. Pij V.* & *Lezana tom. 2. cap. 5. per totum*, vbi ad vnguem tangit omnia summatim, *nu. 52.*

4 Milites Sancti Iacobi de Spatha à *Grego. XIII.* obtinuerunt multa priuilegia, vt patet ex *Bulla* eiusdem Papae, incip. *Romani Pontifices*, & *Barbos. in Collect. Bullar. ver. Milites S. Iacob. de Spatha*, & *Garzias in addit.* ad suum *tractatum de benef. p. 1. cap. 4. nu. 22.*

5 Milites S. Iacobi de Alcantara, & Sanctae Mariae de Calatraua sunt verè Religiosi, *Nauar. de Regul. consil. 23.* ac fruuntur gratijs, & priuilegijs Ordinis Cisterciensium, *Rot. Rom. in nouissimis, decis. 226.*

6 Milites S. Lazari sunt itèm Religiosi, & censentur vniti Religioni S. Mauritij, quae fuit paritèr instituta sub Regula Cistercien-

sium

fium, vt expresse habetur in *d. Bull. Greg. XIII.* edita sub anno 1572. in mense Octobris, & ex *Bull. Pij IV.* edita 1565. prout *Carol. de Graffis tract. de effect. Cleric. effect. 9. num. 131. Nauar. de Regul. cons. 11. per totum*, *Sanchez tom. 1. decal. lib. 4. cap. 16. nu. 11.* vbi latè, multis cisatis, *Bonac. de cens. disput. 2. q. 2. pun. 6. sect. 3. nn. 8. & 9.* & *De Leone recoll. 6. num. 790.* vbi examinat, an Ordines Militares comprehendantur sub *Decretis Conc. Trid.* quibus subscribunt Moderniores.

7 Proindè, veniunt in fauorabilibus nomine personarum Ecclesiasticarum, & appellatione Monachorũ, & Religiosorum Mendicantium fruuntur gratijs, & priuilegijs; tùm ob communicationem priuilegiorum; tùm etiam; quia in vnitis fit communicatio eorundem, prout *Doctores* docens in *l. 1. ff. de leg. 1.* adeò, vt Ordines Militares, qui viuunt sub Regula Cisterciensium, vel Carmelitarum, gaudeant ceù & Fratres illorum Ordinum, quorum sunt partes.

8 Nec obijcies, quòd quidam eorum Militum possident in particulari, vt sunt Cõmendatarij, & alij plures, qui in communi non viuuns; quod videtur repugnare voto paupertatis, & obedientiæ; & quòd quidam paritèr validè contrahunt, quod videtur obuiare voto castitatis; quia horum possessio pendet à Papa, & ad certum modum, & vsũ est modificata dependentèr à voluntate Superiorum ipsorum, de quorum licentia sunt, vbicunquè existant.

9 Etenim, Monachus stans extrà septa de licentia sui Abbatis, censetur esse intrà claustra, vt omnes docent.

10 Nec eorum possessio repugnat paupertati; quia paupertatis votum habet latitudinem, etiam inter Mendicantes; & sufficit, quòd sit discreta, & correspondeat fini, cui vacant; quãdoquidèm hi Sacri Ordines sunt instituti à Domino Papa pro tutela, & defensione fidei; hi enim more Machabæorum, pro fide, & lege Christi fortitèr dimicant cum Turcis, & Saracenis.

11 Ad finem verò bellandi cũ hostibus fidei, multa bona requiruntur, quæ Mendicantibus comparata, vtiquè excedunt eorum statum.

12 Verùm, respectu horum nobilium Militum, sic validè præliantium, censentur Ægena, & Modica: hinc bona pars Ordinum Mendicantium possidet in cõmuni, imò, & in particulari; licèt ad vsum incertum, amouibilem scilicèt à Superioribus, & Nouitij Societatis Iesu, etiam elapso biennio eorum Nouitiatus, possidont multa bona, & habent illorum dominium. ius, & proprietatem ad libitum Superiorum.

13 Nihilominùs, sunt personæ verè Ecclesiasticæ, & gaudent, vt solemnitèr Professi, ex *Bulla Greg. XIII.* extrauag. *Ascendente Domino*, & multis allegatis docet *Sanchez tom. 2. ad Decal. lib. 5. cap. 16. nu. 17. & sequen.*

14 Nec obstat illud de coniugio; tùm quia, ad hoc, vt quis sit propriè persona Ecclesiastica, & Vir Religiosus; satis est emittere votum in aliqua Religione approbata; in his enim standum est determinationi Domini Papæ, *Caietan. 2. 2. quæst. 88. ar. 7. col. 2.* ibi, *mutatio status, mancipando hominem ad Diuinum cultum, & Religiosa opera, stare potest cum Voto simplici, vt patet, si Ecclesia instituerct, quòd in sacro Ordine, & Religione aliqua, Votum simplex fieret*, quem latè sequitur *Sanchez* cit. *loc.*

15 Tùm etiam; quia Votum castitatis habet paritèr latitudinem; nèmpè, intrà, vel extrà matrimonium; hi quidèm non vouent castitatem simplicitèr; sed castitatem coniugalem, quod sufficit ad munus prædictum, si fiat ex institutione Papæ.

16 Hinc, iussu S. P. his Militibus votum solemne castitatis mutatur in continentiam coniugalem, ex qua commutatione non mutatur Regulæ substantia, *Nouar. de elect. for. qu. 69. nu. 39. sect. 2.* & *Rot. Rom. in nouisc. in d. decis. 226. num. 6.*

17 Nisi accidentalitèr, seù secundùm quandam maiorem perfectionem, & excellentiam paupertatis, vel castitatis, vt patet in Sacerdotibus Græcis, qui ob matrimoniũ, in quo viuunt, non desinunt esse personæ Ecclesiasticæ, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus potiuntur Latini, & colligitur ex eod. *Caiet. d. 2. 2. qu. 186. art. 4.* cui fauet *Ricc. p. 4. Prax. resolut. 176. nu. 3.*

18 Nec valet obijcere ex *cap. cũ ad Monasterium in fin. de stat. Monac.* vbi *Innoc. III.* dicit, abdicationẽ proprietatis esse de essentia status Religiosi; quia hoc intelligitur, vt non retineatur absoluta proprietas more Laicorum; secus, de præuia licentia Prælati, *Sanchez* cit. *loc.*

19 Nec replices, quòd *D. Thom. in d. 2. 2. quæst. 186. art. 4. in fin.* dicat, hos Milites ducentes vxores non esse simplicitèr, & absolutè Religiosos, sed secundùm quid; hoc est, in quantùm in aliquo participant quædam spectantia ad statum Religiosum; & quòd ità censeat *Nouar.* ex multis *cons. 23. de Regul.* & *Rota in decis. 591. nu. 7. p. 1.*

20 Quia, aut hi loquuntur de his comparatiuè; nempè, si comparentur alijs Mendicantibus, quamuis ex parte rei, & absolutè sint tales, aut tunc temporis res erat sub Iudice, & manebat indecisa: hodiè verò cessauit omnis lis, cùm eorum iura sint clara, & stemus in decisis Romanorum Pontif. prout latè demostrat *d. Didacus Mota de confirmat.*

Ordi-

Ordinis Militaris,lib.2.cap.1. nu.12. & sequen. & latè hanc sententiam probat *D.Consil.Carleual.tom.1.de Iudicijs,disp.2.sect.3.* à *nu.*408. ad 461. & *D.Reg.Sanfel. decis.*251.

An verò sint liberi, & immunes à gabellis, datijs, & collectis, & quibusuis alijs oneribus, vide *D.Ioan.Bapt. de Thoro tom.2. Comp.aur. decis.Neapol. ver.Milites Hierosolymitani, Mastrill. decis.*290. & *Riccius part.4. Prax. resolut.*173.

Nouitij S.Iacobi, an gaudeant hoc fori priuilegio, etiam quoad causas ciuiles? Quaest. 9.

1 RESpondeo affirmatiuè, & pendet ex decisis; videntur.n. quasi personæ Ecclesiasticæ, prout latè probat *Carol. de Grassis effect.1.nu.111.Reg.Valenz. cons.95. nu.53. vol.1. Mastrill. decis.290. nu.29.* & alij plures, quos citat *Thoro part.3. Comp. decis. Neapol. sect.2.ver.Milites S.Iacobi.*

2 Proindè, à nemine iudicantur, nisi à solo Rege, non vti Rege, sed tanquàm Administratore, & Magno Magistro, *D.Reg.Tap. in auth.ingressi,ver.Monasteria,cap.36.* & *Ricc. in prax. Religiosorum Ordinum Militarium,* à *resolut.*167. & *seqq. per totam* 186.

3 Sed hæc decisio, an procedat in hoc Regno Neapolitano, vel in Hispania tantū? & an hi Milites S.Iacobi, & aliorū Ordinū Militariū suis Superioribus subiecti, possint foro suo renunciare? quia aliàs veri Religiosi, vt hi præsumuntur, fori priuilegio in præiudicium Superiorū renunciare non possent, ex *c.si diligenti,de foro compet.* tractant prædicti, Certū est, quod in hoc Regno nō gaudet in ciuilibus, ex quo in Regno non habent proprium Tribunal, vt decisum refert *D.Thoro cit. loc.* & *Mastrill.vbi suprà, nu.166.& seq.*

Priuilegium fori, & canonis, respectu Nouitiorum Ordinum Militarium, an possit abrogari contraria consuetudine? Qu.10.

1 QVidam affirmant, & aiunt, de facto esse abrogatū in quibusdam Prouincijs, *Molina tom.4. de iustit. tract.3. disput.50.nu.5.Nauar.lib.3.de Regul.cons.13.*

2 Et præcipuè in Regnis Lusitaniæ, & Castellæ, in quibus fructus Commendarum solent sequestrari per Iudices Sæculares, ob delicta ab ipsis Equitibus contracta, *Marta de iurisdict.p.4.cas.32. Duard.lib.2.can.15.q.5. nu.13.* & *Bonac.de cens.disput.2.quaest.2. pun.6. sect.3. nu.9. in fin.*

3 An autèm hæc consuetudo sit contra libertatem Ecclesiasticam; adeò, vt per eam incurrātur censuræ *Bulla Cœnæ? Bonac.cit.loc.* probat, quòd hoc ius immunitatis non competit his Nouitijs de iure Diuino; sed de iure positiuo Canonico, & proindè contrà Nouitios potest consurgere consuetudo, & præscriptio, prout latè *Alphons.de Leone in tract.de cens. recoll.5.num.25. Megal.par.3. lib.5.cap.10.num.7.* & idem *Bonac. cit.loc. disput.1.quaest.16. sect.1. punct.3.num.8.* multis citatis examinat, quomodò Laici trahentes ad sua Tribunalia famulos, & familiares Episcopi, non incurrant pœnas *Bulla Cœnæ*, ex quo nō sunt veræ personæ Ecclesiasticæ, quia secundùm substantiam, & ex parte rei sunt Laici, ex *cap.dilecto filio,de off.Archid.* Sed an hoc sit absolutè verum, de his me remitto sactis Canonibus.

An Nouitij teneantur ad statuta, & præcepta Regulæ? Quaest.11.

1 NON teneri ex debito iustitiæ, certum est; secus autèm, ex quadam decentia, & vrbanitate; tùm quia, vt dictum est, in odiosis non veniūt Nouitij; tùm etiam; quia obligatio obseruandi Regulam ex debito iustitiæ nascitur ex voto, & promissione Professorum; lex enim quæcunquè loquitur ijs, qui in lege sunt, teste *Apostolo ad Rom.3.*

2 Nouitij autèm non sunt in lege, seù Regula Professorum; quandoquidèm non sunt propriè Religiosi, nec perfectè partes illius Religionis, vt dicitur expressè in *cap. Religioso 21. de sent.excomm.in 6.*

3 Hinc, possunt recedere, & in sæculum redire, & fieri immunes à præceptis Regulæ, & Prælatorum iurisdictione, vt patet ex *cap. 1. de Regularibus, in 6.* & patet magis clatè in Catechumeno, qui cùm non sit verum Ecclesiæ membrum, sed in via, vt per baptismū fiat fidelis, potest ab illa recedere, absquè eo, quòd dicatur apostata, & hoc ideò; quia legibus Ecclesiæ non tenetur, donec perfectè per baptismum admittatur in cōtubernium, & societatem cæterorum fidelium.

4 Dixi, secus ex quadam decentia; tùm quia, dignum est, vt qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, ex *cap.recolentes, ver. sic enim, de statu Monachorum*; tùm etiam; quia eorum probatio id exigit, vt probentur in spiritu, quo venerunt.

5 Quapropter, Nouitij trāsgressores Regulæ, ad pœnas in ea præscriptas non possunt condemnari, instar Professorum; sed debent aliter puniri per ea multa, quæ infrà dico.

Nouitij, an subijciantur mandatis Superiorum; maximè si sint grauia, & pœnalia, vt si damnentur ad perpetuos carceres, ad triremes, & similia? Quæst. 12.

1 ETsi, ex vi obedientiæ Nouitij non subdātur præceptis suorum Superiorum, vt dixi suprà, ex quo tale votum nunquàm emiserunt.

2 Nihilominùs, ratione subiectionis, quā ex vi Nouitiatus incępti, naturalitèr contraxerunt cum Prælatis Religionis aditæ; tenentur obedire; secus status Religionis infrà paululùm periret.

3 Hi namquè Prælati, vt dictum est, naturali iure habent quandam dominatiuam potestatem super omnes Religiosos sibi cōmissos, multò melius, quàm habeat Dominus in Seruū, Sponsus in Vxorem, & Pater in Filios, sunt enim veri Iudices omnium existentium in illo statu, cui tenentur prouidere de omni necessario, eumquè cancre ab omni malo, quod posset tali statui esse nociuum.

4 Quandoquidèm, ad conseruationem totius, necessum est, vt in omni genere detur vnum primum, quod sit Regula, & mensura cęterorum.

5 Quibus adde quotidianam praxim, & voluntatem Romani Pontificis, qui voluit, & vult, Religiones approbatas à se, vel à suis Prædecessoribus, tali modo gubernari; proindè, Nouitij si commiserint talia, possunt à suis Prælatis condemnari ad triremes, vel ad torturam, vel ad carceres perpetuos, *Nauar. tom. 2. de foro compet. consi. 6. nu. 4. Sanchez lib. 6. decal. cap. 10. nu. 12. & 13. Vecchius de Nouitiatu, disput. 11. dub. 11. nu. 6. Ricci Prax. par. 4. resolut. 238. in fin. & p. 2. decis. Curiæ. decis. 121. Nouar. forens. lib. 1. q. 42. nu. 7. Peyrin. tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. §. 7.* & *Lezana* multis citatis *tom. 3. ver. Prælat. nu. 9. in fin.*

6 Quod intellige procedere in ijs, qui volunt in Religione permanere, & sunt contenti puniri à Prælatis Religiosorum; quia volenti, & scienti nulla fit iniuria, & maximè ob domicilium contractum in Religione, & præcipuè si iudicium sit inceptum, & consequentèr Religioni quæsitum; quia in iure quæsito non possumus Ecclesiæ præiudicare, & vbi inceptum est iudicium, ibi debet terminari, *l. vbi cęptum, ff. de iudicijs.*

7 Secus autèm, si nollent subdi iudicio Prælati Regularis, sed exire; nàm de ratione formali Nouitiatus, est exitus liber, etsi ratione admissæ culpæ possint aliquantulùm impediri: hoc tamèn debet fieri cum grauo salis; aduertant enim Iudices formalitatem talis status, ex *Decreto Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul.* & nè incurratur professio tacita, & quòd tempus Nouitiatus, ex *Const. Pij V.* non potest prolongari, nisi ad semestre, *Sanchez* cit. *loc. nu. 13. Lælius Zecchius de rep. Eccles. tit. de Regul. cap 3. nu. 10. Tabiena ver. Nouit. quæst. 13. num. 14. Armilla ibidem, nu. 18.* & *Sylu. ver. Relig. 5. quæst. 7.* His tamèn recedentibus, curandum est, nè desit pœna condigna in hoc, vel illo foro ferenda, seruato iuris ordine, & vt decet, nè delicta remaneant impunita.

Nouitij, an possint expressè excommunicari ab eorū Prælato Regulari? Q. 13.

1 SAnchez in decal. lib. 6. cap. 10. nu. 17. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 17. à Sancto Fausto de tribus votis, lib. 5. q. 205.* & *Laur. Peyr. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. num. 120.* affirmatiuè respondent, ea ratione moti; quia Superior Regularis respectu Nouitiorum se habet, vt proprius Parochus, & Episcopus Loci Ordinarius, & hoc, aiunt, fundatur, non in voto obedientiæ, quod nunquā emiserunt, sed in iurisdictione Ecclesiastica per Summum Pontificem Prælatis Religiosorum concessa, & in pacto virtualitèr inito cum Religione, in primo ingressu illorum.

2 Hinc, Religiosus Prælatus poterit expressè Nouitijs sub pœna excommunicationis totum illud præcipere, quod facit pro bono Regimine illius Sanctæ Societatis, vel pro custodia, & obseruantia Regulæ.

3 Verùm, sententia negatiua verior est; tùm quia, censura ab homine (vt omnes benè docent) non incurritur, nisi ob contumaciam, & inobedientiam, quæ quidèm inobedientia, & contumacia non potest reperiri in Nouitio, qui non tenetur obedire, ex quo nunquàm se obligauit obedire; contumacia enim, & obediētia præsupponit obligationē.

4 Tùm etiam; quia excommunicare, est actus iurisdictionis Spiritualis, & Ecclesiasticæ potestatis, competentis Prælatis de iure Diuino, vt patet *Matth. 18.* ibi, *amen dico vobis, quemcunque ligaueritis super terram, &c.* & exercetur respectu Subditorum, ex *cap. audiuimus 24. quæst. 2. cap. ab excommunicato, de rescriptis, & cap 2. de Constit.* & liquet in Papa, qui nec etiam de plenitudine potestatis valet excōmunicare Turcas, nec Iudæos, nec Chatecumenos; quia non sunt mēbra Christi Redemptoris, nisi per Sanctum Baptisma.

5 Nouitij autèm non sunt verè membra Religionis, nec verè Religiosi, nec perfectè Subditi; nisi per Professionem, prout explicitè habetur in *cap. Religioso, de sent. excomm. in 6. in fin.*

6 Vn-

6 Vndè, possunt ad libitum à Religione recedere, absquè vlla licentia Superiorum, nec exeundo tenentur ad expensas, nec bona dimittere, ex *cap.16. Concil.Trid. sess.25. de Regularibus*.

7 Proindè, non potest eis conferri Regulare beneficium, sed benè sæculare, prout exprefsè deciditur in *cap.nullus, de elect. clem.1. de supplenda negligētia Prælatorum, & Clem.1. §. fanè, il 2. de statu Monachorum*, & docet *Garzias p.7.de beneficijs, cap.10. nu.4.* & latè *Ricc.in Prax. par.4. de Nouit.resolut.247.* vbi docet, quòd non est compatibile beneficium Regulare cum Nouitiatu, ex *Trid. sess.24. cap.13.& 15. de reform.*

8 Nec possunt promoueri ad Ordines cū literis dimissorijs Prælati Regularis; nec exigitur licentia eiusdem; quia Nouitij nondùm Professi, non subduntur obseruantijs Monasterij, nisi via directiua, seu ex quadam æquitate, vel per modum cōsilij; quia quoad substantiam facti, sunt, & remanent veri Sæculares, absquè vlla obligatione obseruandi Regulam; nec vota essentialia, nec ea, quæ quoquo modo conferrent ad custodiā illius.

9 Nec his nocet dicere, quòd Nouitij sint personæ Ecclesiasticæ; quia hoc, vt sępè diximus, procedit in fauorabilibus; secus in odiosis; hinc tempore probationis carent casibus reseruatis, & censuris; sunt enim in statu medio per extractionem, seu abnegationem ab extremis, respectu odiosorum.

10 Nec dices, eorum delicta ex isto capite remanere impunita; quia possunt castigari alia via; nempè per flagella, carceres, ieiunia, vel per proiectionem ab Ordine, & similia: igitur necessum non erit, mox ad cēsuras recurrere, prout benè aduertit *P. Alph. de Leone* cit.*loc. nu.563.*

11 Quæ omnia confirmantur, si notes, Prælatos Regulares ex vi Nouitiatus cępti non habere super Nouitios potestatem spiritualem Ecclesiasticam, sed corporalem, ciuilem, & politicam tantùm: licèt dominatiuam, non absolutam, vel illimitatam simplicitèr, sed limitatam, & specificam; nempè quoad munus probationis Regulæ; sūt enim in cursu probationis, vt probentur, an habeant vires, & obsequia, & vt experiātur Religiosorum qualitates, & Regulæ circumstantias, & pęnalitates.

12 Ad hoc autèm munus probandi Nouitios non est necessaria potestas reseruandi sibi casus, nec fulminandi censuras; eo maximè, quia cēsura excōmunicationis est neruus Ecclesiæ, & vltima pena, quæ nō debet irrogari in casibus, quibus alia via pōt occurri, ex *Conc.Trid.* & notat *Sanch.cit.loc. nu.22.*

An saltèm Prælatus possit Nouitios excommunicatos declarare, si quid enorme committant, cui à iure, vel à Papa sit adiuncta censura, vti est, Clericum percutere? Quæst.14.

1 Doctissimi *Suarez*, & *Sanchez cit. loc.* & *Lezan.tom.1.cap.24.nu.2. in fin.* & magis exprefsè in *tom.4. ver.Nouitij, nu.44.in fin.* Respondent affirmatiuè; eò, quòd in tali casu Prælatus est legitimus Iudex illorum ad puniendum illos pęnis condignis, cùm sint sub illius potestate, & non sub Iudice Sæculari.

2 Sed negatiua, vt dixi, est vera; tū quia, Superior Regularis respectu Nouitiorum, nullam habet authoritatem Ecclesiasticam spiritualem; tùm etiam; quia respectu sententiæ declaratoriæ requiritur monitio, seu citatio ad dicendū causam, quarè non debeant declarari incidisse, cui, & quibus ex defectu potestatis Nouitij non tenentur respondere; & non respondendo, neq; possunt dici inobedientes, vel contumaces; quia non tenentur obedire, *Barthol. Vecchius disput.11. in Prax. Nouitiorum cap.27.nu.3. Diana par.3.tract.2. resolut.34.& par.4.tract.4. resol.5.* & *P. Alphons. de Leone cit.loc. nu.563.*

3 Ex quibus collige, Prælatos in nullo casu posse Nouitios excommunicare, vel excommunicatos declarare; quia vtrumquè pullulat ex vna, & eadem radice; nempè ex authoritate spirituali in excommunicante, & obligatione obediendi in excommunicandis.

4 Quod procedit, etiam si Nouitij vellent in habitu perseuerare; quia toto tempore Nouitiatus gaudent tali immunitate, cui nec possunt abrenunciare; nè in aliquo præiudicetur eorum libertati, quam de iure debent habere toto cursu Nouitiatus; secus nō diceretur, esse omninò liberi in tali statu.

An Nouitij possint in aliquo casu excommunicari ab Episcopo Loci? Qu.15.

1 Negatiuè; tùm quia, gaudent priuilegio fori; quod nō patitur, Reos delinquētes à Religione auocari, & ad aliud Tribunal trahi, ex *cap.non placuit 16.quæst.7. cap.Eccles. S.Mariæ, de constit. & cap.decernimus, de iudicijs*, quæ iura (vt dixi) indistinctè loquuntur, & indefinitè debent intelligi; maximè fauore Religionis: vndè, procedunt, tàm respectu potestatis Laicalis, quàm Episcopalis; tàm intuitu causarum ciuilium, quā criminalium; siuè loquamur de delictis commissis tēpore Nouitiatus, siuè de commissis antè Nouitiatum; siuè intrà claustra, siuè extrà;

tra; etiam si habeant tractum successiuum; quia in omni loco Nouitij delinquentes cēsentur de foro suæ Religionis, *Aloys. Ricc. par.4. Prax. resol.238.* cum alijs multis suprà citatis; limità, dummodò Nouitiorū ingressus sit validus; secus autem; quia res nulla nihil operatur.

2 Tùm etiam; quia Nouitij sunt in statu neutro, hoc est, nec Episcopi, nec Prælati Regulares casibus reseruatis, & censuris subijciuntur, seu in statu medio per abnegationē ab odiosis, iuxta Regulam, quòd odia non sunt amplianda, sed restringenda, ex *cap. odia, de Regul. iur. in 6.*

3 Nec obijcies, quòd Regularis delinquens extrà claustra, debeat puniri ab Ordinario, ex *Trid. sess.6. de reform. cap.3. & sess. 25. cap.14.*

4 Tùm quia, dictum *Concil.* non loquitur in casu nostro; tùm quia, Nouitij non subdūtur iurisdictioni Episcopali, nec in illis casibus, in quibus Regulares Professi subijciuntur ad præscripta *Conc. Trid.* quia, vt sepè dictum est, Nouitij in odiosis non veniunt appellatione Regularium, *Ricc. par.4. Prax. resol.241.* & *Nouar. decis.88.*

5 Nec valet inferre ex eo, quòd pro his delictis Nouitij nequeant excommunicari à Superiore Regulari; ergò possunt excommunicari ab Episcopo Loci; quoniam fallit hæc illatio; nam sicut Nouitij non comprehenduntur sub casibus reseruatis ab Episcopo; ità nec etiā sub reseruatis à Prælato Regulari; ità pariter, nec possunt innodari censuris, nec ab Episcopo, nec à Superiore Religionis, quia (vt dixi) sunt in statu medio per abnegationem extremorum in odiosis, *Alphons. de Leone de potestate Confessarij, par.2. recollect.1.1. nu.137. & de censuris, recollect.2. num.565. in fin.*

6 Nec replices, quòd Nouitij censentur Subditi illius Episcopi, in cuius Diœcesi adest Monasterium sui Nonitiatus, quoad literas dimissorias ad suscipiendum Ordines minores, *Barbosa de off. & potestate Episcopi, allegat.4. nu.62.* ergò à pari, dices, possunt excommunicari.

7 Quoniam, hoc non est verum, nisi de iure communi Canonico, & seclusis priuilegijs, quibus gaudent Religiosi Mendicantes, vt dico infrà, & docet *Suarez tom.3. de Religione, lib.5. cap.16.* & *Nouar.* in sua *Lucer. Regul. verb. dimissoriæ.*

8 Benè verum est, quòd si Nouitius, vbi commisit delictum tempore Nouitiatus dimittat habitum, & redeat in sæculum, potest puniri à Iudice Laico, vel excommunicari ab Episcopo illius Loci, vel excommunicatus declarari, ob forsitàn Clerici percussionem, vel violatam Ecclesiæ immunitatē, vel ob quid simile; quia per recessum, & depositionem habitus, ampliùs non spectat ad Religiosos, sed effectus est alterius fori, & eius delicta non debent remanere impunita, *Nauar. de Regul. lib.3. cons.58. Diana part.4. tract.4. resolut.34. De Leone cit. loc.* & alij plures, quos citat *Bonac. in Bull. Cen. disp.1. quæst. 16. pun.3. num.14.*

Trahentes Religiosorum Nouitios ad forum Laicale, an incidant in pœnas Bullæ Cœnæ? Quæst.16.

1 Respondeo affirmatiuè; tùm quia, nomine personæ Ecclesiasticæ nominatæ in *Cœn. excommunicationis contra trahentes* veniunt omnes personæ gaudentes priuilegio fori, & canonis, ceu sunt Nouitij, prout ex multis docet *Sayr. in Thesaur. cas. lib.3. cap.19. num.7.* & *Bonac. de cens. disput.1. quæst.16. sect.1. pun.3. nu.9.* tùm etiam; quia in fauorabilibus Nouitij gaudent priuilegijs Professorum, quorum vnum extat, vt eximatur omninò ab omni potestate Laicorum, *Ricc. par.4. Prax. resol.250.*

Nouitij à iure, vel ab homine excommunicati, aut casibus reseruatis impediti antè ingressum, an possint, more Professorum in Religione absolui? Qu.17.

1 De iure communi canonico quiuis excommunicatus, interdictus, aut suspensus, ab eo debet absolui, à quo fuit nominatim cēsuris mulctatus, vel ab eius Successore, vel Superiore, vel ab eo, cui suas vices commisit; quæ Regula est certa, & ab omnibus obseruatur; secus perturbarentur iurisdictiones omnium Iudicum, periret ordo iudicij, & bona administratio Ecclesiæ; Quandoquidèm idem est, nominatim excommunicare, & eius absolutionem sibi excommunicanti expressè reseruare, prout probatur in *cap. Pastoralis, §. præterea, extra de off. ordinarij,* & *ibi Glos.* quam sequitur noster *Ledesm. par.1. summ. tit. de la escommunion, cap.8. ver. digo, lo quinto,* & *Bonac. de cens. disput.1. quæst. 3. pun.1. num.5. ver. dixi, per sententiam,* & alij omnes.

2 Verùm, absoluere à censuris, vel à casibus reseruatis, inscio reseruante; idem est, quod illum paruipendere, despicere, & suis iuribus spoliare, quod iniustum censeo, & iniquum.

3 Proindè, etiam Nouitij nequeunt absolui à Superioribus Regularibus ab huiusmodi censuris, & pœnis prædictis, sine licentia illorum Episcoporum, à quibus fuerunt nomi-

nominatim cēsurati, & pœnis affecti, & est expressa decisio *cap. cùm illorum, de sent. excom.* ibi, *sine licentia Romani Pontificis Abbas non potest, nec debet eos absoluere.*

4 Quod procedit de iure communi, quo in delictis puniendis attēditur tempus commissi criminis, *l. 1. ff. de pœnis, l. iniuriarum æstimatio, ff. de iniurijs, l. 1. §. 1. ff. ad Syllan.* & sequitur *Nouar. in suo tract. de datione insolutum, q. 25. par. 2. & in Prax. elect. fori, qu. 46. sect. 2.* in vltima impressione Neap. *Ginrb. decis. 23.* vbi notat, quòd in omnibus debet attendi initium, & principium, ex *l. si filius familias, ff. de verb. oblig.* & *Ricc.* multis cumulatis *par. 4. prax. resol. 253.*

5 Nihilominùs de iure speciali, & in vim priuilegiorū Nouitios posse absolui ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, docet *Carol. de Graffis* multis allegatis *effect. 1. ampl. 9. nu. 79. Nauar. lib. 3. de Regularibus, cons. 58. Rodriq. tom. 1. quæst. 29. ar. 21.* vbi ad hoc citat *Priuil. Clem. IV.* Minoribus concessum, & aliud *Pauli III.* concessum Societati Iesu, & *tom. 3. quæst. 51. art. 12.* & *Bonac.* alijs citatis *tom. 3. de censur. Bull. Cæn. disput. 1. q. 16. sect. 1. pun. 3. nu. 10.* & alij *Doctores* non pauci, ex quo ratione domicilij contracti, & Nouitiatus incepti sunt in Religione personæ Ecclesiasticæ, & in fauorabilibus veniunt appellatione Professorum; quippè qui omnes habent communicationem priuilegiorum.

6 Attamen, hac in parte non debemus cęcutire, sed diligenter aduertere, quibus intendimus vti; tùm quia, multa extant concessa viuæ vocis Oraculo, quæ quomodò, & qualia sint sublata, dixi suprà in *tract. de Oraculis.* Tùm etiam; quia multa sunt concessa Professis tantùm; virtute cuius clausulæ excluduntur Nouitij; tùm item; quia quædam reperiuntur concessa indefinitè, & absolutè pro Subditis, vel pro suis Fratribus, vel pro ad se confugientibus, & sic itèm excluduntur Nouitij; tùm itèm, an per talia priuilegia sit facta facultas Confessarijs absoluendi ab omnibus censuris latis à iure, & ab homine simul? an à iure tantùm, vel ab homine dùmtaxat? cum illa clausula, *parte satisfacta*, vel absolutè, suppressa tali clausula? in foro conscientiæ? an verò in foro externo?

7 In quibus oportet aduertere, quòd absolutio in vim priuilegiorum concessa, nō extenditur ad forum contentiosum; quam ob rem non potest comprehendere nominatim excommunicatos, nec per Cedulones iuridicè declaratos; secus perturbaretur iurisdictio excommunicantis, eique fieret magnum præiudicium.

8 Nec potest præsumi, Summum Pontificem talia concessisse cum tanto præiudicio tertij, cui nunquàm intendit derogare: Nisi in magnis causis, quæ possent Rempublicam adiuuare; compensato tamèn semper iure, & interesse alterius tertij.

9 Nec, quòd priuilegia Mendicantium sint meliora cōmuni Iubilæo, in quo ad maiorem claritatem hodiè solet apponi illa clausula; *nisi infrà tempus celebrationis huiusmodi Iubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordauerint*, nullo modo suffragari posse, aut debere.

10 Perindè, si quæ sint in Ordine Religiosorum Mendicantium, quibus fiat facultas Confessarijs absoluēdi ab omnibus censuris, etiam ab homine latis per particularem sententiam, semper debent intelligi, quòad forum conscientiæ, in quo nulli fit præiudicium, nec exercetur iurisdictio cum tumultu. Secus autèm, quòad forum contentiosum, vel sub illa clausula, *parte tamèn satisfacta*, etsi non exprimatur, debet tamèn præsupponi, & præintelligi; ad hoc, vt conseruetur Ordo Hierarchicus Ecclesiæ, *Vasquez. tom. 4. in 3. p. D. Thom. de excomm. dub. 20. nu. 8. Hurtado de excomm. disp. 15. nu. 61. Diana par. 1. tract. 11. de Bull. Cruciat. resol. 29.* & latè *Barthol. de Vecchis in Prax. de Nouit. disput. 9. dub. 9. nu. 6.*

11 Quia concessa facultate absoluendi cum ista clausula de satisfactione partis, censetur concessa facultas absoluendi, etiam quòad forum contentiosum; quod patet ex illa Regula, quòd cessante causa finali, cessat legis dispositio, sed causa, ob quam censetur non concessa dicta facultas quoad forum externum pro dictis censuris, tàm ex dictis priuilegijs Mendicantium, quàm ex Bulla Cruciatæ (vt dixi) est, nè perturbetur ordo iudicij excommunicantis.

12 Verùm, quando conceditur facultas absoluendi, *parte satisfacta*, non perturbatur ordo iudicij, neque Tribunal Iudicantis; quia Iudex ferendo censuras ad instantiam partis, cēsetur se conformare intentioni partis, qua quieta, quiescit Tribunal.

13 Hinc, absolutio data intuitu Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, vel Priuilegiorum Mendicantium, præcedente satisfactione partis, suffragatur, nedùm pro foro interno; sed etiam externo, prout eruditè *Alphons. de Leone in tract. de Iubilæo, nu. 60.* in editio. Neapolit. & *de censuris recollect. 2. nu. 794. fol. 180.* & *Gutier. lib. 1. canon. qq. cap. 2.* quia solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio.

14 Nec obstat viuæ vocis *Oraculum Clement. VIII.* quod refert *Sorb. in addit. ad Compend. priuil. Mendicantium, ver. absolutio extraordinaria, quòd Fratres, §. quòad tertium, & verbo Nouitius, tit. de Nouit. absolut.* quo censet, Pontificem declarasse, Nouitium vi Priuilegiorum non posse in Religione absolui à Su-

à Superiore Regulari; si antè, vel post habitum susceptum fuerit obnoxius casibus reseruatis Episcopo, vel S.Sedi Apostolicæ.

15 Tùm quia, de eo non constat authenticè; nec est tale, quale ab *Vrbano VIII.* desideratur; tùm etiam; quia hoc fuit declaratum pro Capucinis tantùm, & odia restringuntur, *Lezana tom.4.ver.Nouitij,nu.36.*

16 Nec nobis obijcias *Decret. Clement. VIII.* prohibentis absoluere à reseruatis Episcopo, & huiusmodi in vim Priuilegiorũ, quia illud *Decretum* loquitur de absolutione conferenda Laicis intuitu priuilegiorum; Nouitij autèm in gratiosis censentur Fratres Regulares, & personæ Ecclesiasticæ.

Si Nouitius post absolutionem à censuris, habitum dimittat, an reincidat? Quæst.18.

1 ET quidèm, reincidere tenuerũt Antiquiores, quos nouissimè sequitur *Ricc.par.4.Prax.resol.258.* Tu verò dic, quòd huius certa decisio pendet ex verbis priuilegiorum, quibus intendis vti, ad effectum huiusmodi.

2 Nàm, alia absolutè loquuntur, dantq; facultatem absoluendi à censuris, aut dispẽsandi, absquè vlla limitatione, alia verò sub conditione; dummodò in Religione perseuerent, alia sub pacto; dummodò habitum recipiant, quædam loquuntur de Nouitijs ingressis, quædam verò de volentibus ingredi, & sic Nouitij non vno ore, nec vno modo priuilegiantur, vt dixi in *tract.de Recip.q.17.*

3 Patres Carmelitæ habent *Priuilegium* à *Sixto IV.* sibi concessum, quod incip. *Dùm attenta*, & refert per extensum *Lezana tom.1. cap.24. de Nouitijs, nu.8.* quo suffulti dispensant, & absoluunt Nouitios, etiam volentes prædictæ Religioni aggregari, cum reincidentia tamen.

4 Patres Ordinis Prædicatorum habent aliud, in eorum *Mari Magno* registratum, quo possunt absoluere, & dispensare, etiam Nouitios.

5 Patres Minores habent priuilegium huiusmodi, & refert *Rodr. cit.loc.* & *Portell. ver.Nouitij absolutio, nu.32.*

6 Patres Minimi de Ordine S.Francisci de Paula habent aliud, sibi concessum à *Iulio II.* quod per extensum ponit *Peyr.tom.1. priuil.Minimorum* inter *Constitut.* eiusdem 2. & *ibi in §.9.* multa colligit.

7 Deniquè, omnes Regulares habent propria; saltèm ob communicationem eorũdem; de quibus latè *Suar.tom.4.de Relig.lib.2. cap.24.* à *num.5. Diana tom.3.tract.2.resol.34. Alphons. de Leone de off. & potestate Confess. par.2. recollect.11. nu.188.* & *Barthol.de Vecchis in Prax.Nouitiorum, disp.9.dub.1.& 2.*

8 Exindè collige, quòd si Nouitij fuerint simplicitèr absoluti, & absquè aliqua limitatione dispẽsati, non reincidunt in censuras, nec in alias Irregularitates, si egrediatur à Religione, & habitum dimittant; quia absolutio à censuris absolutè exhibita, mox habet effectum suum consummatum; & nodus benè solutus, non video, quomodò possit ex se redire, & de nouo illaqueare; secus autèm dicendum, si sub conditione absoluantur; quia conditionalis non purificata, nihil ponit in esse.

Nouitij, nondùm admissi, sed quantociùs admittendi, an queant absolui à Confessarijs Religiosorum illius Monasterij, in quo sunt habitum suscepturi? Quæst.19.

1 HAc in re dicas, quòd attendenda sunt verba priuilegij, quo vtimur; quia, vt hìc suprà dixi, priuilegia non vno modo loquuntur, & Regulares non possũt excedere limites iurisdictionis sibi delegatæ à Papa, & memorare; an absolutè, vel sub conditione fuerint absoluti; quia absolutio simplicitèr exhibita, statim habet effectum suum.

2 Nec dices, quòd de proximo accingendus habetur pro accinto, ex *l.penul.ff.de milit.testam.& l.itèm legato 47.§.1.ff.de leg.3.* & quòd pro dato habetur, quod paratum est, vt detur, ex *authen.vt exact.instant.dot.* & quòd perditum reputatur, quod statim est perdendum, ex *l.si quis cùm sciret, ff.pro empt.* & quòd deficit conditio, quam constat defecturam. & talia huius generis, quæ refert *Ricc.Prax.p.4.resol.183.*

Quia prædicta iura, & similia procedũt secundùm quandam fictionem iuris, & non secundùm veritatem, prout *Pras. de Franch. decis.449. par.3.nu.5.*

3 Attamèn, Priuilegia debent intelligi verè, & realitèr, & cum proprietate verborum; hoc est, respectu eorum Nouitiorum, qui verè sunt Nouitij.

4 Vel dicas, quòd prædicta iura debent intelligi, quando opus paratum faciendum est infallibilitèr; secus autè, quando potest nõ fieri, prout est in casu nostro; nàm ex multis potest impediri, vt habitus concessus non assumatur, *Ricc.cit.loc.in fin.* & vide, quæ dico in *tract.de Oblat. q.14.*

Noui-

Nouitij, an possint validè confiteri Confessario Sæculari, vel Regulari, ab Episcopo tamèn approbatis? Qu. 20.

1 Sententia affirmatiua liquidò constat ex decisis; tùm quia, Nouitij secundùm substãtiam, & ex parte rei sunt Sæculares; Proindè, possunt confiteri quando, & quibus tenentur alij Laici; nec sunt in Monasterio cum obligatione obseruandi Regulam, vel præcepta Prælatorum: nisi ex quadam decentia, vrbanitate, & animo practicandi austeritates.

2 Nec peccantes in Religione, possunt incidere in casus reseruatos à Prælato Religionis aditæ; quia in odiosis, quomodocunq; latis contrà Fratres, non veniunt Nouitij.

3 Nec obstat illud *Concil. Triden. sess. 23. cap. 15. de reform.* vt nullus à peccatis absoluere valeat; nisi obtenta facultate ab Episcopo Loci.

Quia hoc potiùs iuuat; dùm Confessarius, de quo loquimur, habet potestatem ab Episcopo absoluendi omnes, ad se confugiẽtes, & Nouitius in re est Sæcularis, & suã sponte ad eum accedit; ideoquè non video, quomodò eius confessio possit esse nõ bona.

4 Nec obijcies illa verba *Clem. VIII.* posita in *Instit. Nouit.* ibi, *ipsi autèm Magistro soli Nouitiorũ cõfessiones audiendi cura cõmittatur;* tùm quia, hæc verba non annullant contrarium factum; tùm itèm; quia censentur dicta per modum directionis, & consilij, & ad meliùs esse; tùm itèm; quia prædictæ *Institutiones* non comprehendunt omnes, vt dixi suprà, *Molfes.* post multos in *summ. tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 81. Naldus in summ. ver. Nouit. num. 7.* & *Bonac. in decal. disput. 4. quæst. 2. pun. 7. §. 4. num. 28.*

5 Dixi, validè, sed non licitè; quia hi debent cauere omne scandalum, & custodire decreta Papæ, & suorum Superiorum; sunt enim in Religione, vt probentur, & cognoscantur obedire.

6 Nec desinam dicere, quòd Confessarius Regularis non approbatus in Religione pro confessionibus Nouitiorum, si eorundem confessiones excipiet, non solùm vsurpat sibi munus Deputatorum; verùm etiã, in re graui suam exequitur volũtatem, contrà intentionem; saltèm implicitam sui Superioris; Perindè, peccat mortaliter, cui Nouitius, etiam confitendo cooperatur; & sic eodem modo peccat, ponit obicem, & confessionem inualidat.

7 Limita, nisi hoc fiat ratione alicuius necessitatis currentis ex parte Nouitij; nepè, si Confessarius deputatus iniquè recuset, illùm absoluere, & occurrat præceptum communicandi, & Nouitius contritionem non habeat, vel immineat scandalum, si à communione deficiat.

8 In his quidèm casibus fallit decisio, tùm ex parte Confessarij, qui habet potestatem absoluendi omnes confugientes ad se; tùm ex parte Nouitij, qui de iure Naturali, & Diuino tenetur vetare omne scandalum, & suam famam custodire.

9 Quod magis patet, si aduertas, quòd concurrentibus duobus præceptis, quorum vnum necessariò debeat frangi, aut prætermitti, standum est potiori.

10 Sed in casu, de quo agitur, concurrũt multa iura; vtputa, ius naturale diuinum de vitando scandalo; & ius naturale absolutum de propria fama seruanda, & ius Naturale Diuinum de non cõmunicando in mortali, & ius positiuum; nempè præceptum hominis, de non audiendo confessiones Nouitiorum, absquè Superioris licentia: igitur standum est illis, quamuis deficiat istud; etenim illa sunt plura, & fortiora, & duo vincula magis ligant.

11 Nec in his Confessarius diceretur vsurpare sibi munus Deputatorũ, ex eo, quòd id fieret ad euitandum maiora mala proximi, ad quod vnusquisq; ex charitate tenetur; nec talis Nouitius in nostro casu diceretur, cooperari peccato Confessarij, sed vti iure suo.

Nouitij, an validè possint confiteri Confessoribus, non pro ipsis, sed pro Monachis tantùm deputatis? Qu. 21.

1 Negatiuè, per ea hic immediatè decisa; secus autèm in casu necessitatis; quia necessitas facit licitum, quod antea erat iure illicitum, *de Regul. iuris, Reg. 4.* prout foret ad cauendum scandalũ, vel graue damnum, quod quis suæ personæ, vel famæ timeret, si sua cõfiteretur peccata N. pro Nouitijs deputato; nẽpè, si probabilitèr supponat, vel cognoscat se habitu spoliari, vel è Religione expelli, ob sua confessa tali P. vel aliquid aliud malum aduerteret, sibi exindè euenire, instante præcepto de se communicando; dùm siue scandalo nequit à communione desistere, nè communicet in mortali, poterit ad aliũ Cõfessorẽ diuertere, & ei validè cõfiteri, etsi nõ sit pro Nouitijs destinatus.

2 Nec his obstat (prout diximus) *Trid. d. sess. 23. cap. 15. de reform.* tùm quia, ius naturale diuinũ præfertur iuri humano, vt est, deputari ad confessiones excipiendas huius, vel illius; tùm etiã; quia potestas data Superiori, censetur concessa ad ædificationem, nõ autèm ad destructionem famæ, vitæ, & bonorum, prout ex multis *Rodriq. in summ. p. 1. cap. 55.*

*cap.*55. *num.*12. &, doctissimus noster *P.Vinc. Candidus* in suis *disquisitionibus tom.*2.*disput.*24. *art.*68.*dub.*8. *ver.dico duodecimò, Corolianus de casibus reseruatis, part.*1. *sect.*1. *art.*17. *nu.*5.*& Cardinal.Toletus in summ.lib.*3.*cap.*13.

*Nouitij soli de more recitantes officium in Choro, an satisfaciant præcepto, loco Professorum? Qu.*22.

1 ET quidèm, satisfacere constat ex decisis; etenim Nouitij in fauorabilibus censentur Professi, & gaudent priuilegijs illorum.

2 Limita, dummodò sint in numero opportuno, hoc est, ad minus tres, qui faciant corpus Communitatis, seù Collegium, cui imposita est obligatio recitandi in Choro horas canonicas.

3 Et nota, quòd non dico, Nouitios teneri persoluere hoc onus; quia non veniunt in odiosis, sed posse hoc persoluere, loco Professorum; ex quo sunt partes illorum, & potiuntur (vt dixi) eorum priuilegijs.

*Nouitij, nondùm in sacris constituti, an possint licitè negotiari? Quæst.*23.

1 POsse, dicas; quia, & si negotiatio sit inhibita Clericis, in sacris constitutis, & Religiosis; nihilominùs, Nouitij non comprehenduntur in Bullis, nec in iuribus, quæ absolutè loquuntur contrà Religiosos, vt dixi suprà, & docent omnes.

2 Verùm, non expedit, nec decens est, iuxtà illud *Apostoli, omnia mihi licent; sed non omnia expediunt*: quandoquidèm turpe foret, & forsàn occasio grauis scandali, vt qui venit in Religionem in paupertate probari, diuitijs vacet, & implicet se negotijs Sæcularibus.

*Nouitij, an possint ad Ordines promoueri ab eorum Abbatibus, vel Prælatis? Quæst.*24.

1 NEgatiuè resoluo quæsitum; & est decisio *Conc. Trid. sess.*25. *de reform.cap.*10. vbi decisum habes, quòd Abbatibus non licet, nec alijs, quantùmuis exemptis, intrà fines alicuius consistentibus, etiam si dicantur nullius Diœcesis, literas dimissorias concedere, aut minores ordines conferre cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit, absquè incursu grauium pœnarum, de quibus *P.Carolus Thesaur. p.*2.*Prax.de pœnis Ecclesiasticis, ver.Ordo, cap.*21.

2 Nouitij autèm non sunt Subditi, nec veniunt nomine Subditorum Regularium, ex quo liberi sunt in Religione, & absquè alia licentia possunt ab illa recedere, prout notat *Maiol.de Irregul.lib.*4.*cap.*2.*n.*11. *§.quinimmò, Nouar.* in suo *Opusculo iuris Pontificij noui*, & *Ricc.p.*4.*Prax.resol.*257.

3 Quod extende ad omnes alios Regulares, qui non sunt Subditi; & est decisio Sac. Congregat. de qua testatur latè, post alios *Tambur.de iur.Abbat.tom.*2.*disput.*2. *quæst.*7. & *Barbosa de iur.Eccles. vniuer. lib.*1. *cap.*18. *num.*8. *& sequen.*

4 Quod procedit, etiam si Regulares ordinandi haberent dimissorias speciales suorum Superiorum, aut ipsimet Abbates haberent facultatē Episcopi Loci Ordinarij, & est Decisio Rotæ Romanæ, habita iussu *Clement.VIII.* & refert *Seraph.in decis.*85.*par.*1. *Barbosa alleg.*3. *nu.*11. *p.*2.

5 Et fuit itā multotiès ab eadem Sacr. Congreg. decisum, *Nouar.* in suo *Lucer.Regul. ver.Ordo*, quæ omnia pendent ex eadem radice; vtpotè; quia non sunt Subditi, ergò per argumentum à contrario sensu, poterint ordinare suos Subditos: dummodò hi Abbates habeant priuilegium ordinandi.

6 Et nota, quòd non subditi, ab eisdem promoti, vel tonsurati, ex defectu potestatis prædictæ censentur non ordinati; & sunt iterùm ordinandi, ex *Decreto* Sacr. Congregat. *Nouar.cit.loc.num.*5.

*Nouitij, an possint saltèm promoueri ab Episcopo, & à quo, & cum quibus dimissorijs? Quæst.*25.

1 PRætermissis aliorum placitis, *Sanchez ad Decal. lib.*4. *cap.*39. *nu.*19. *& lib.*6. *cap.*10. *nu.*18.19.*&* 20. dicit, posse Nouitios quibuscunq; sacris ordinibus initiari; tùm quia, nullus reperitur *textus* id prohibens; & non prohibita, censentur concessa; tùm quia, id tenent multi graues *Doctores* quos *ibid.* citat.

2 Nec his obstat *cap.Monasterijs* 19.*q.*3. quod est *D.Gregorij lib.*8. *Epist.*23. ibi, *Monasterijs omnibus fraternitas vestra districtiùs interdicat, vt eos, quos conuersionem susceperint, priusquàm biennium in conuersione compleant, nullo modo audeant tonsurare.*

Quia hæc verba loquuntur de tonsura, seù corona Monachali, & habitu Professorum; prout elegantèr explicat noster Emin. Cardinalis *Turrecremata ibid.nu.*1. ibi, *tonsuram Monachalem facere, est habitum Professorum inducere*; quem sequitur *Miranda in Manuali Prælat. q.*38.*ar.*9.*concl.*2.

Id ipsum laudat ex contextu, & *Nald.* in

in summ.ver.Ordo, & Ricc. d.par.4.Prax. dict. resolut.257. nu.2.

3 Quam conclusionem sic absolutè latam, intellige procedere in vim iuris cõmunis; prout notat *Lezana tom.1.cap.24. nu.6.* secus ex iure speciali; quia de nouo iure *Conc.Trid.* nullus potest licitè promoueri ad sacros Ordines, sine titulo sufficienti.

4 Attamèn, iussu *Pij V.* extenditur ad Regulares, vt patet ex sua *Constitut.* quæ est 74. in ordine *Bull.Cherub.* qua cauetur, vt nullus Clericus Sæcularis, vel Regularis non Professus, possit promoueri ad Ordines, sine sufficienti titulo; & Sacra Congregatio declarauit; quia Regulares Professi dumtaxat ordinãtur ad titulum Religiosæ paupertatis; prout notant multi, *Maiol.de Irregul. lib.4.cap.15. nu.1.* & *Genuens.in Prax.cap.83. num.2.* Proindè, respectu Minorum ordinum Nouitij ordinandi sunt à proprio Episcopo, *ex cap.cùm nullus, de temp.ordin. in 6.*

5 Hic autèm Episcopus proprius, non est ille Loci originis Nouitij, sed Loci Monasterij, in quo Nouitius Nouitiatum facit; vt benè fundat *Sanchez in dict.lib.6.cap.10. num.21.* quia arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum, ex *cap.inter corporalia, de translat.*

6 Matrimonium autèm carnale, ex *Decreto Concil.Triden.sess.24.cap.1. de reformat.* debet fieri coràm proprio Parocho; hìc autèm censetur non ille Parochus Loci originis, si alibi sponsus domicilium traxit; sed Parochus Loci, vbi nouissimè habitat; prout fuit sepè decisum, & refert ex multis *Nouar. in decis.219.*

7 Hìnc, magis attendendum est domicilium habitationis, quàm illud originis, *Mascard.* multis cumulatis *de probat.concl.1141. nu.23.* & *Bart.in tract.de repræsalijs, q.7.nu.3.*

8 Quod idem intellige de dimissorijs, quæ spectant ad Episcopum Loci Nouitiatus, in casu, quòd alibi Nouitius ordinandus sit, ex quo sine licentia proprij Episcopi ordinari non potest.

9 Hoc tamèn non est ità absolutũ, quin alij *DD.* sint cõtrariæ sententiæ, existimantes, ab Episcopo originis, vel prioris domicilij, nõ verò Loci, vbi facit Nouitiatum, petendas, & concedendas esse dimissorias, vt sunt *Henriquez, Suarez,* & alij, quos citat, sed non sequitur *Sanchez vbi suprà, nu.20.* vt proindè seruadum sit, quod vsu receptum fuerit.

10 Nec requiritur licentià, seù dimissoria Prælati Religionis; tùm quia, Nouitij sunt omninò liberi in Nouitiatu; tùm quia, Prælati Regulares non possunt licentiare ad Ordines; nisi solùm suos Subditos; vt patet *ex Regula,* & *Decr.Conc.Trid.*

11 Benè verum est, quòd in isto casu debent attendi propriæ Constitutiones, & Religiosorum Statuta, & aduertere, an Nouitiatus prædictorum fiat in Locis designatis ad præscriptum *Decretorum Clement.VIII.* & quomodò hi possint Loca designata deserere; etiam cum licentia Prælati, absquè eo, quòd eorum Nouitiatus sub isto prætextu discontinuetur, *Nonar. Canon. part.2. summ. Bull. de Nouit. nu.3.*

Nouitij nullitèr Professi, promoti tamèn ad sacros ordines, absquè titulo sufficienti; an sint suspensi ab exequutione susceptorum, & quid, si post susceptos, habitum dimittant? Qu.26.

1 Certum est, quòd Regulares tenentur suscipere ordines, vel dimissorias accipere ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sunt Monasteria, in quibus degunt, & sunt assignati, iuxtà *cap.8.Conc.Trid. sess.23. de reform.* & ità fertur declarasse *Gregor.XIII.* & habetur in *Bulla Leonis X. Sacro approbante Concil.* qua deciditur, quòd Regularis ibi dicitur degere, vbi est assignatus.

2 Hos autèm sacros ordines nequeunt Regulares suscipere, absquè sufficienti titulo, ex *Decreto Conc.Trid.cap.2. sess.21. de reform.* & *Bulla Sixti V.* quam confirmauit *Clemens VIII.* in anno 1595.

3 Quæ, & si loquatur de Clericis Sæcularibus; nihilominùs extenditur ad Regulares non Professos, ex *Bulla Pij V.* incip. *Romanus Pontifex,* & est 74. in ordine *Bullar.Cherub.* à qua *Bulla Gregor.XIII.* excipit Iesuitas; prout post multos notat *Marc.Ant.Genuens.* in sua *Prax.Cur.Archiep.Neapol. cap.83.nu.2.*

4 Titulus autèm sacrorum ordinum suscipiendorum per Regulares, est Religiosa paupertas, vel ipsamet Religio possidens in communi, prout latè probat *Aloys.Ricc.resolut.448.p.3.Prax.ex d.Bulla Pij V.*

5 Qui titulus Religiosæ paupertatis, & Religionis nemini suffragatur; nisi solis verè, & realitèr Professis; prout idem *Pius* statuit eadem *Constitut.* præfata, quam omninò legere, & obseruare debemus.

6 Proindè, Clerici Regulares, si antè Professionem ordinentur sine titulo, sunt ipso facto suspensi, & exercendo susceptos ordines, fiunt Irregulares; nec possunt absolui, nisi à Romano Pontifice pro tempore; & Episcopus huiusmodi ordinans, suspenditur à præstatione eorundem, & similium Ordinum per annum, vt constat ex *dict.Bulla Pij V.* & notant *Genuens.* & *Ricc.cit.loc.*

7 Quæ dispositio *Bullæ Pij V.* procedit, nedùm in non Professis; verùm etiam, & in alijs Regularibus nullitèr Professis; prout

sępè cẽsuit Rot.Rom. *Ricc.in d.loc.Prax.n.4.*

8 Exindè, sic ordinati sine titulo,si postmodùm habitum Religionis dimittant;nedũ sunt suspensi,vt suprà dixi; sed redduntur incapaces beneficiorum, ex *cap.cùm bonæ, de ætate,& qualit.*vbi *Glos.*& *Abb.nu.6.cap.final. de Clerico excommunicato,*& *Gl.in cap.delator. de excessibus Prælatorum.*

9 Nec ab his ignorantia crassa excusat, *Nauar.in Manual.cap.27.nu.241.* nec dubietas,*Ricc.cit.loc.* quia dubius tutiorẽ partem debet eligere, & ob id dubius de validitate suæ Professionis, debet à susceptione Ordinum abstinere,& expectare; donec de validitate suæ Professionis dicatur, *Nauar. d.loc.* secùs fit inhabilis ad exercitium Ordinis, & incapax beneficij.

10 Quamobrèm,Regularibus,qui à Religione recesserunt ob nullitatem Professionis,nullatènus conceditur licentia celebrandi in susceptis;nisi priùs constito de eorum patrimonio, quo possint honestè viuere, & certum sit, quòd non coguntur mendicare; quod benè obseruatur in Curia Archiepiscopali Neapolitana,prout refert *Aloys.Ricc. in decis.27.p.4.& in parte noua posthuma,collect.4180.*super *Bulla Sixti V.ampliat.5.*& vide,quæ dico in *tract.de Professione nulla, qu. 40. & de reclamatione Profess. q.22.*

An bona Nouitij remansa in sæculo, possint à Laicis collectari? Qu.27.

1 NEgatiuè regularitèr; quia Nouitij gaudent priuilegio fori; sunt enim personæ Ecclesiasticæ,& per susceptionem habitus efficiuntur de foro Religionis. cuius habitum portant, & bona sequuntur personam,cuius sunt;ceù accessorium sequitur naturam sui principalis, *Sanchez tom.2. decal.lib.6.cap.10.nu.16.* & *Ricc.p.3.Prax.fori Ecclesiastici,resol.132.Nouar.de electione fori, tom.1.sect.2.quæst.63.num.10. Gregor.Lopez in l.4.titul.7. par.1.verb.Nouitios.*

Et constat ex *cap.non minus, & cap.aduers.de immunit.Eccles. & cap.1. eod.tit.lib.6.* ex quibus liquet,personas Ecclesiasticas non teneri ad gabellas, impositiones,& similia.

2 Verùm,ex quo Nouitij sũt in Religione mutabilitèr, consueuerunt multi finem expectare,& in casu regressus,exigere,& non soluta petere; etenim præsumitur leuitèr intrasse, vel malitiosè exisse.

Nouitij post annalem probationem, ad Professionem non admissi,an possint ad Superiores appellare? Qu.28.

1 AFfirmatiuè; si eorũ probatio,absq; iusta, & rationabili causa prorogetur; *secus* autèm;tùm quia,*Trid.sess.25.cap.16.de Regul.* vult, vt finito anno probationis, Nouitius statim ad Professionem admittatur, vel eijciatur;tùm etiam;quia post annum Nouitiatus expletum, prohibitum est Superioribus Professionem differre; nisi ex iusta causa,prout Sacra Congregatio tẽpore *Pij V.*declarauit,vt dixi suprà *in tract.de Nouit.*& ab illato sibi grauamine quisquè potest appellare, *Gaspar Passarell.* in suo *tract. priuil. pag.230. Rodriq.in Compend.resolut.101. num.62. Ricc. p.4.Prax.resol.254.* & *Nouar.* multis citatis *decis.161.num.2.& 3.*

Nouitius, si in vno Conuentu recipiat habitum, & in alio Professionem emittat, an validè profiteatur, & cuius Monasterij remaneat filius? Qu.29.

1 HAec in re sunt obseruanda Religiosorum propria Statuta, quæ non æqualiter in omnibus procedunt; etenim in quibusdam Ordinibus dantur filiationes perpetuæ; in alijs autèm nullatènus admittuntur.

2 In Illustriss. Religione Clericorum Regularium Theatinorum, Nouitius remanet filius illius Monasterij, in quo, seruatis seruandis fuit in Religionem admissus.

3 In Religione autèm Prædicatorum fit filius illius Monasterij, pro quo, vel in quo susceperit habitum,& habetur in *Constit.*nostris *distin.1.de recip.cap.13.tex.3.fol.43.col.2.* ibi,*declaramus,quòd Nouitij ad illos Conuentus perpetuò pertinent; pro quibus fuerunt recepti; nec debent in alienis Conuentibus ad Professionem recipi, nisi de voluntate illorum Conuentuum,pro quibus sunt recepti ad Ordinem:* hæc *ibi;* per quæ vides,quòd in nobis attenditur receptio ad habitum, per quam acquiritur ius Conuentui, saltim proximè,in personis, & bonis Nouitiorum receptorum.

4 Nec dedecet apud nos, immò Praxis inoleuit, transmittendi Nouitios in Loca meliora pro bona eorum institutione, & habetur in *d.loc.* nostrarum *Constit.fol.61.col.1.* ibi, *Itèm declaramus, quòd Nouitij recepti in aliquo Conuentu, non debent pro alteris Conuentibus ad Professionem recipi; nisi de voluntate illorum Conuentuum, pro quibus ad Ordinem sunt recepti;* ibiquè additur, *quòd Nouitij ad illos Conuentus pertinent, pro quibus sũt recepti; si tamèn ad aliquem alium Conuentum mitterentur, possent de licentia Superioris pro illo Cõuentu profiteri,accedẽte consensu Prioris, & maioris partis Vocaliũ vtriusq; Conuentus;* hæc ibi, Et *fol.46.col.1.* habetur, *vt de cętero Nouitij in nostro Ordine,qui in Minoribus Conuen-*

uentibus habitum Religionis assumpserint, ad Conuentus Maiores transmittantur, vbi annuum probationis peragant, & suo tempore professionem faciant; pro illis tamèn Conuentibus, pro quibus habitum Ordinis susceperunt: hæc *ibi*.

5 Quòd horum transmissorum Professio sit valida, non audeo dubitare; tùm quia, vterquè Cōuentus, vtputà, à quo, & ad quem, supponitur aptus, & approbatus, scù ad præscriptum *Clement.VIII.* designatus; tùm etiam; quia eorum transmissio, & Professio fuit facta, vt decet, sine defectu essentiali.

6 Nec obstat dispositio *cap. ad Apostolicam, de Regular. in 6.* quòd ad validitatem Profitentium exigitur eorundem, & Virium, & Morum experientia, & approbatio. Nec, quòd Monasterium vltimum eos non potuerit per totum cursum experiri; ex quo Nouitij per multum temporis non fuerunt ibidem commorati: quia isthæc approbatio ad validitatem profitentium, sufficit, vt fiat, mediatè, vel immediatè; nec requirirur experiētia in omnibus, & per omnia, vt sępè diximus in *tract. de validitate Professionis*.

Beneficia, & Pensiones Nouitij Illustriss. Societatis Iesu, an extinguantur, vel censeantur vacare post annum probationis, vel post vota biennij? Qu. 30.

1 Respondeo negatiuè, eò, quòd ex *cap. beneficium, de Regularib.* Nouitiorum pensiones, vel beneficia non vacant; nisi per Professionem solemnem, per quam Profitentes fiunt incapaces iuris quęsiti, & quærendi, & prohibentur in sæculū remitti.

2 Nouitij autèm huius Sanctissimæ Societatis, nec post annum Nouitiatus, nec statim post Vota biennij, faciunt Professionem solemnem, etsi censeantur verè Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ; prout constat ex eorum *Constit.* & duabus *Bullis Greg. XIII.* altera, incip. *quanto fructuosius*, sub anno 1582. & alter, incip. *Ascendente Domino* 1584.

3 Quibus fit, vt ipsi Nouitij post Vota biennij, quamuis remaneant capaces acquisitorum, & acquirendorum; tamèn non possunt à dicta Venerabili Societate, & Religione recedere.

4 Benè verum est, quòd eius Superior Generalis potest illos semper dimittere cum causa; etiam absquè illorum culpa, iuxtà *Statuta* præfatæ Societatis, *p. 4. cap. 4. lit. E. in fin. & par. 6. cap. 2. lit. H.*

5 Hæc autèm Superiorum potestas perseuerat, vsq; dùm huiusmodi admissi non fecerint Professionem solemnem, vel Vota Coadiutorum formatorum; tunc enim fiunt incapaces, & omni iure priuati, vt latè *Sanchez tom. 2. decal. lib. 7. cap. 27. & cap. 29. Rodriq. tom. 1. q. 37. art. 1.* & *Nouar. Cauon. par. 2. summ. Bull. tit. de Iesuitis.*

6 Et additur, quòd qui beneficia Ecclesiastica habent in sæculo, debēt illa relinquere post primum Nouitiatus annum, quandocunquè Superiori visum fuerit, vt habetur in *exam. cap. 4.* etsi in prima Congregatione Generali *Can. 1.* cautum sit, vt relinquantur finito probationis biennio, antequàm emittant Vota biennij; & sic hodiè practicatur, *Sanchez cit. loc. cap. 27. nu. 32.*

7 Verùm, hæc resignatio fieri debet, vel ei, qui contulit, vel alijs dignis Viris; de indicio tamèn Peritorum in Ordine, & de voluntate Superiorum.

Nouitius, an dicatur Nouitiatum discontinuare, si per aliquot dies extrà illum moretur? Quæst. 31.

1 Dixi infrà *tract. 9. quæst. 6.* & docet *Diana p. 5. tract. 5. resolut. 19. Nouar. p. 2. summæ Bullar. titul. de Nouitijs, nu. 4.* & *Author. summ. Diana p. 2. in ver. Nouitiatus.*

Nouitij infrà probationis annum, vel tacitè Professi, an possint eligi in Priorem Conuentualem, vel Prouincialem? Qu. 32.

1 Negatiuè resoluitur in *cap. 28. de elect. & Electi potest. tit. 8.*

Ibi, *Nullus Religiosus ad Abbatiam, seù Pralaturam sua, vel alterius Religionis, de cetero eligatur: Nisi antea fuerit Ordinem Regularem expressè professus, quod si secus factum fuerit, eo ipso irritum habeatur.*

Ad dignitatem verò Episcopalem (ad quā Nouitij eliguntur interdùm) talem in Sacularibus, vel Regularibus Ecclesijs, eligi minimè prohibemus: hæc *ibi*.

2 Id ipsum decisum habes in *Clementina 1. de statu Monach. vers. sanè Prioratus aliquis, siuè administratio committi alicui, vel conferri non possit; nisi expressè professus fuerit Ordinem Monachalem.*

3 Sed dices, quarè possunt in Episcopū eligi; secus autèm, in aliam Ecclesiæ administrationem?

Respondet *Glos.* quia status Episcopalis, siuè sit Regularis, siuè Sæcularis, est maioris perfectionis, quàm sit status Religiosorum, & Episcopi dicuntur Religiosissimi, & Regulares per Episcopatum ascendunt, & non descendunt.

4 Proindè, Nouitius potest Episcopatum acceptare, & consecrari, & postmodùm de-

licentia Dom. Papæ Religionē ingredi, prout notat *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 16. n. 15.*

Nouitius præsentatus ad beneficium iuris patronatus Laicale, an possit in tali statu, ab Ordinario institui? Qu. 33.

1 GLosa in d. cap. beneficium, de Regular. in 6. in ver. consertudum negat; ex quo Nouitius dùm est in Nouitiatu; saltem fictione Iuris dicitur esse in statu dubio, & statu dubius non promouetur ad Militiam, *ff. de re militari, l. qui status.*

2 Et additur, quòd Nouitius censetur persona Regularis, & gaudet priuilegio immunitatis, ex *cap. Religioso, de sent. excom. in 6.*

3 Beneficium autem Sæculare non potest conferri Regulari, absquè Papæ dispensatione, iuxtà communem Regulam, qua deciditur, vt Regularia Regularibus, & Sæcularia Sæcularibus beneficia conferantur, ex *cap. possessiones, de rebus Eccles. non alien. & cap. cùm de beneficio, de præbendis, in 6.* & *Conc. Trid. sess. 14. cap. 10.*

4 Secus induceretur ad Religionem dimittendam, quod esse non debet 12. *quæst. 2. cap. bonæ rei*; nàm plantare Religionem, & plantatam fouere debemus, vt dicitur in *cap. cùm plantare, de priuil.*

5 Aut tandèm Nouitius existimatur, vt Laicus, & beneficium Ecclesiasticum Laico non confertur, ex *cap. ex litteris, de transact. & cap. cùm adeò, de rescriptis, Nauar. de præbendis, cons. 1. nu. 1.* & *Aloys. Ricc. p. 4. decis. 323.*

6 Quæ adeò vera sunt, vt nec possit Nouitius proprium beneficium cum alio commutare, *ibid. nu. 3.* Quæ autem beneficia sint simplicia, & quæ non; & quæ Regularia, aut Sæcularia, & si omnia sint Ecclesiastica, docet *Nauar. de præbendis consl. 1. & 2.* & *Rodr. tom. 1. q. 34.* vbi latè de beneficijs Ecclesiasticis in ordine ad Regulares.

Nouitius Canonicus, an durante Nouitiatu debeat vocari ad electionem, quæ fit in Cathedrali Capitulo? Qu. 34.

1 REspondeo, quòd Nouitius Canonicus non potest excludi ab electione facienda cum alijs Canonicis, si reperiatur præsens; nàm dùm, iuxtà prædictam *Decretalem* retinet beneficium suum, necesse est, vt, & iura ab eo prouenientia retineat, quorum vnum est eligere.

2 Sed quæsitum est, an debeat vocari ad electionem, quæ fit? & *Arch. in cap. beneficium, ver. assensus, de Regular. in 6. in fin.* inclinat in partem negatiuam, & eum sequitur *August. Barbosa*, multis citatis *par. 3. de off. & potestate Episcopi, alleg. 99. nu. 31.*

3 Duplici ratione, quarū Prima est; quia sicut absens in loco remoto non debet vocari ad electionem; ità stans in Monasterio, causa probationis; quia absentia, & esse Nouitius, æquiparantur quoad hoc. Secunda est; quia Procurator, qui erat Dominus litis per contestationem, per ingressum Religionis amittit vsum litis; ità, & Canonicus per ingressum Religionis amittit vsum vocis, quam in Capitulo habebat.

4 Quod intellige, quoad actum, non autèm, quoad habitum: nàm si regrederetur, recuperat omnia.

Secus crederē in Patrono, vel in eo, ad quem, non de iure Collegij, sed iure singulari spectaret electio.

5 Alij putant, quòd sit obseruanda consuetudo, qua si soleant huiusmodi Nouitij in Capitulo cum alijs Canonicis suffragari, poterunt instituere ad id Procuratorem, prout de iure; aut in totum omnia dimittere, vt quietè Domino seruiant, quod tutius iudico, etiam pro conscientia.

An Filius, ob ingressum Religionis possit à suis Parentibus exhæredari? Qu. 35.

1 NOn posse dico, etiam si in Sæculo, in Parentes vitium ingratitudinis commisisset; & est manifesta decisio *cap. non liceat 19. q. 3.* & patitèr habetur in *l. Deo nobis 56. §. 1. C. de Episc. & Clericis*, ibi, *nec vllo modo exhæredari posse propter vitium ingratitudinis, in sæculo commissum, neque per ingressum Religionis, Syl. ver. Religio 3. q. 24.* Eminentiss. *Bellarmin. tom. 2. controuers. lib. 2. de Monachis, cap. 36.*

Nouitij suscipientes habitum, an consequantur Indulgentias plenarias in die Receptionis, an verò in die Professionis? Qu. 36.

1 DIuus Thomas 2. 2. q. vltim. ar. 3. ad 3. ait, quòd is, qui profitetur aliquā Religionem, lucratur Indulgentiam plenariam, multò melius, quàm ille, qui suum corpus deuouet subsidio Terræ Sanctæ; ibi, *Rationabilitèr autèm dici potest, quòd etiam per ingressum Religionis quis consequatur remissionem omnium peccatorum: Si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundùm illud Daniel. 4. peccata tua eleemosynis redime; multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis, sufficit, quòd aliquis se totalitèr Diuinis obsequijs mancipet, per Religionis*

gionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ penitentiæ, vt habetur in Decretis in causa 33. quæst. 2. cap. admonere; sicut etiam holocaustum excedit Sacrificium, vt Gregorius dicit super Ezechielem, vndè legitur in Vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur, Religionem intrantes, quam consequuntur Baptizati: hæc ille.

2 D. autèm *Bernardus in lib. de præcept. & discip. cap. 14.* inquit, *quòd Religio, amatores suos Angelis similes, hominibus dissimiles, facit, Diuinamq; in homine imaginem reformat, figurans nos Christo instar baptismi.*

Et habetur expressè in *cap. quis aliquando vidit 87. de penitentia, distin. 1.* ibi, *non ergà necessaria sibi erat certa satisfactio peccati, cuius totum vitæ tempus, obedientiæ impendebatur sui Conditoris.*

3 Argum. cuius *cap. Glos. ibidem* docet, *quòd intranti Monasterium non est imponenda penitētia de peccato antè commisso, & hoc propter continuationem penitentiæ, & exercitijs, quæ in Monasterio exiguntur, argum. 16. q. 1. c. vos, & cap. cū illorum, de sent. excom.* & *Glos. in d. cap. admonere, in ver. Monasterium*, subnectit, *quòd quantumcunq; quis penitentiam teneatur finire, si intret Religionem, ad illam non tenetur; quia Religio soluit vinculum iuramenti, vt in extrau. de iureiur. cap. peruenit: Itèm soluit Votum; vt extrau. de Voto, & Vot. redempt. cap. scriptura; itèm vinculum Obedientiæ, vt in causa 19. q. 2. cap. duæ liceè.*

4 Hìnc est, quòd si Papa alicui iniungat, vt Romam eat pro penitentia, vel, vt aliquid aliud faciat, & intret Religionē, non tenetur.

5 Et *Sixtus IV.* concessit, quòd in receptione habitus quilibèt Fratrum Ordinum Sancti Francisci lucraretur Indulgentias plenarias, prout in *lib. Monumenta Ordinum, f. 63.* in 1. editio. & in 2. *fol. 67. concessione* 104. & id ipsum alij plures concesserunt, vt in *Compend. priuil. Fratrum Minorum.*

6 *Iulius II.* sub anno Dñi 1506. 5. Kalen. August. concessit Fratribus Minimis, vt quæcunquè personæ in dicto Ordinè Minimorū de cętero recipiendæ, in earum ingressu, plenariam omnium peccatorum suorum veniā, & indulgentiā consequantur, prout expressè habetur in *Constit.* eius, quæ incip. *dùm ad sacrum Ordinem Minimorum, &c.* & habetur in *nostro Bull. ver. priuil. Minim. fol. 231. litt. A.*

7 *Paulus Quintus* sub anno 1606. sua *Constit.* incip. *Romanus Pontifex in B. Petri Sede constitutus*, vt in *Bullar. Cherub. fol. 202.* plenariam concessit Indulgentiam omnibus suscipientibus habitum cuiuscunq; approbatæ Religionis, cōfessis tamèn, & sacra Communione refectis; id ipsum, & profitentibus, prout in 4. §. meliùs est videre.

8 Igitur, intrantes Religionem, & in ea profitentes, sicut oportet, consequutur Indulgentias plenarias, & remissionem omniū peccatorum, ex duplici capite, & geminato titulo; nempè, ex indulgentia à Romanis Pontificibus concessa; & ratione propriæ, ac continuatæ penitentiæ.

9 Quandoquidèm, Indulgentia hauritur ex alienis meritis: Remissio autèm peccatorum habita intuitu eleemosynæ, vel cōtinuatæ penitentiæ, inhęret proprijs meritis; & sicut gratia Baptismalis, non est Indulgentia; ità, & gratia Professionis, quæ illi æquiparatur; non erit solummodò Indulgentia, iuxtà doctrinam *D. Thomæ cit. loc.*

Si Nouitius faciens Professionem, vel suscipiens habitum Religionis, sit in peccato mortali, an consequatur remissionem omnium peccatorum, ad minus quando ad cor redierit contritus, & humiliatus? Quæst. 37.

1 NEgat Eminentiss. *Caietanus 2. 2. qu. 189. in Comm. art. 3. in respons. ad 3. in fin.* ex quo Professio est totalitèr opus hominis; ità, vt in ea non sit distinctum ab opere operante, opus operatum, quod sit opus Dei; nàm esse Religiosum, quod est effectus Religionis, est tunc opus humanum mortuum, sicut, & ipsa Professio mortua est.

2 Omne autèm opus humanum mortuum, ità censetur extinctum, & præcipuè in moralibus, vt nullatènus possit reuiuiscere, nihilquè producere; etenim à priuatione ad habitum, non datur regressus; proindè, qui Diuinæ gratiæ ponit obicem in actu Professionis suæ, priuatur beneficio Diuinæ largitatis, quod creditur Profitentibus dari; id ipsum procedit in consequutione Indulgentiæ, cui, si homo desit per mortale peccatum, nō facit fructos suos: Vndè, ad tollendum impedimentum, iubetur præuia Sacramentalis Confessio.

3 Quamobrèm, si homo post vltimam Confessionem, anteà factam, nullum peccatum mortale admisit, non indiget alia Confessione ad lucrandum Indulgentias, prout *Nauar. in tract. de Iubilæo, & Indulg. not. 18. nu. 18.* & *Glos. in extrau. 1. de penit. et. a*; quia caret obice, ratione cuius admittuntur beneficia Diuinæ misericordiæ.

4 Exindè infertas, quòd mortiferè Professus, ratione futuræ, & consequentis contrictionis, id solùm assequitur, quod præsentaneæ contritioni, & penitentiæ, ex dono Diuinæ gratiæ debetur.

5 Nec valet obiectio, quòd remoto obice, sequatur effectus prioris causæ, vt patet in eo, qui fuit in mortali peccato baptizatus;

tus; quia hoc valet, quando causa prior remansit in aliquo relicto effectu, prout Baptismum, obice baptizati non obstante, relinquit post se, in illius anima characterem; secus autèm, quando causa non remanet, nec in se, nec in effectibus; prout est Professio, de qua agitur.

An Nouitij possint sumere Bullam Cruciatæ, & virtute illius absolui à casibus reseruatis? Qu. 38.

1 Affirmatiuè, vt constat ex decisis hìc suprà *quæst.* 2. tùm quia, Nouitij in fauorabilibus vtūtur priuilegijs Laicorum; tùm etiam, quia ex parte rei, & secundùm substantiam sunt Laici, & Sæculares, *Suarez de Religione, tom.* 4. *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 10.

2 Hinc, si Prælati Regulares obtineant aliquid *Breue*, quo Religiosi Subditi prohibeantur sumere *d. Bullam*, & in virtute illius, sibi eligere Confessarium, non ob id impediuntur Nouitij; quia hoc *Diploma* non extenditur ad Nouitios; etenim hi in odiosis non comprehenduntur, *Ledesma in summ. tom.* 1 *tract. de pœnit. cap.* 13. *dub.* 14.

3 Proindè, virtute *Bullæ* sumptæ, poterunt, instar Laicorum in Quadragesima vti Lacticinijs, etiam si hoc aduersaretur Regulæ; quia, vt dictum est, Nouitij quòad onera non censentur Religiosi, *Anton. Diana* multis citatis 1. *par. moral. tract.* 11. *de Bull. Cruciat. resolut.* 15.

4 Verùm, Nouitij debēt aduertere, quòd sunt Religionem ingressi, vt experiantur illius austeritates, & addiscant obseruare Regulam, & Superioribus obedire, non autèm aduersari, & contradicere, & quòd subijciuntur eorum Magistris, & Maioribus Prælatis; & quòd contraxerunt in Religione domicilium, & ob id, in omnibus debent ab illis pendere, licentiam quærere, & scandalum euitare, & similia, nè fortè fabricent in gehennam.

Nouitius delinquens extrà septa, an debeat puniri ab Episcopo Loci? Qu. 39.

1 Dixi *suprà p.* 2. *tract.* 13. *de excēpt. Religios. qu.* 62. & soluitur ex decisis, quibus dictum est, quòd Nouitij in fauorabilibus gaudent priuilegijs Professorum.

Immiscentes se cum Nouitio, vel Nouitia, an teneantur in Confessionibus, hanc fateri circumstantiam? Qu. 40.

1 Respondeo negatiuè, eò, quòd de necessitate confessionis, illas tantùm circumstantias tenemur confiteri, quæ mutant speciem peccati, & est definitio *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 5.

2 In casu autèm, de quo agitur, præter malitiam operis, non reperitur alia malitia, quæ faciat, quod est mortale, ob vnam causam, sit tale ob aliam causam, quod itèm procedit in Clerico in Minoribus constituto.

3 Secus autèm, si Monialis esset Virgo, & Nouitius in sacris, aut Professus; sic etenim mutaretur species peccati; nempè, aut stupri in Virgine, aut Sacrilegij, ratione Voti, quo afficiuntur Professi, & sacris Ordinibus insigniti, *Marcell. Megal.* 1. *par.* suæ *Institut. lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 7. *D. Barthol. à Sancto Fausto, de Confess. lib.* 4. *q.* 80. & *Anton. Diana par.* 1. *moral. tract. de circumstan. resolut.* 7.

SVMMA QVAESTIONVM
Tract. VII. De Bonis Nouitiorum.

An

DE BONIS NOVITIORVM.
Tract. VII.

Donatio quid sit, & vndè dicatur? Qu.1.

1 D. Thomas 1. *sent. distin.*18. *quæst.*1. *ar.*2.*in corp. ver. item quantum ad significationem, & in* 1.*p. qu.*38.*art.*2. ait, quòd donum, seù donatio est datio irredibilis, non quòd recompensari non valeat; sed quia recompesationem non quærit.

2 Alij aiunt, quòd sit rei licitæ, nullo iure cogente; sed mera liberalitate facta collatio, ex *ff. de donat. l. donari, Sylu. in summ. ver. donatio*.

3 Quidam autèm docent, quòd donatio sit quædam liberalitas, quæ nullo iure debetur, vt in *l. donare, ff. eod. tit.* & sic idem per diuersa.

4 Et dicitur à dono, quasi doni datio, vt ait *Iurisconsul. in l. Senatus, §. donatio, ff. de pænis*, quos sequitur *Iul. Clar. lib.*3. *sent. §. donatio, quæst.*1. & *ibi Addentes*, secundùm communem sententiam.

5 Hæc autèm, vt valeat, quinq; requiruntur; Primò, vt fiat, pura, & mera liberalitate; adeò, vt donans non sit astrictus ad aliquid dandum, vel faciendum. Secundò, quòd non detur ob causam. Tertiò, quòd sit libera, hoc est, non ex aliqua causa inducente obligationem. Quartò, quòd sit absoluta, hoc est, absquè aliqua repetitione. Quintò, quòd fiat inter viuos, de quibus multa colligit *Angel. Aret. in rubr. Institut. eod. tit.* sub *nu.*1.

6 Proindè, Notarij, huius generis contractus stipulantes, protestantur, quòd donatio non sit facta vi, dolo, aut suasione aliqua; sed

sed spontè, & liberè, & de donantis pura, mera, & spontanea voluntate; & quia sibi placuit, & placet, & alia huiusmodi solent addere; per quæ ostenditur, quòd sit cōtractus, seu actus, quo res propria ex liberalitate donatur, & à libera voluntate proficiscitur, & in volentem confertur.

7 Dico, quo res propria donatur; quia res alienæ dari nequeunt, argumēto *l. si filius* 14. *l. si auia* 19. *l. de donationibus*, *C. de bonis matern.* quia scilicèt nō sunt in dominio donantis, nec possunt eius fieri, cui donantur, *l. in ædibus* 9. *in fin. ff. de donat.* & *l. nemo plus* 54. *ff. de Regul. iur.*

8 Nec liberalis rectè appellatur, qui de alieno disponit; sed ille, qui de suo detrahit, & alteri donat, *Seneca lib. 1. de Clement.*

9 Et addidi, in volentem; quia nolenti liberalitas acquiriri non potest, *l. hoc iure* 19. *§. non potest, de donat.* & inuito beneficium non datur, *l. inuito* 69. *ff. de Regul. iur.*

Donatio quotuplex sit? Qu. 2.

1 DVæ signantèr sunt species donationis, vna propria, quæ communitèr dicitur vera, simplex, & absoluta, ex *l. 1. ff. de donat. l. filia* 20. *§. si pater, ff. famil. erc. l. Senatus* 35. §. 2. *ff. de mortis caus. donat. l. Aquilius* 27. *de donat. l. donatio* 25. *l. sancimus* 34. *C. eod.*

2 Altera, relata, quam non propriā appellant *Doctores in d. l.* & hoc ideò, quia interdùm purè, & simplicitèr, sine vlla adiectione res datur alicui; interdùm verò cum aliqua conditione; quo fit, vt donationum vna sit pura, & altera conditionalis.

3 Simplex donatio est illa, qua quis ex mera liberalitate aliquid donat, vt dixi suprà, & hæc donatio pro causa finali nihil aliud respicit; nisi donantis munificentiam, & liberalitatem, *Senec. lib. 1. de benefic.*

4 Relata autèm refertur, non ad liberalitatem; sed ad aliquid aliud, quod in contractu solet declarari.

Donatio causa mortis, quid sit, & quomodò distinguatur à donatione inter viuos? Quæst. 3.

1 DOnatio causa mortis est, cùm quis magis se velit habere, quàm eū, cui donat; magisque eum, cui donat; quàm hæredem suum, vt in *Institut. de donat. Clar.* in cit. *loc. q. 4. Crass. in §. donatio caus. mort. q. 1.* & notant *Doctores in l. 1. ff. de donat.*

2 Et vbi donatio pura inter viuos facta, est irreuocabilis de sua natura; hæc autèm facta, causa mortis, est de sui natura reuocabilis; nec suum sortitur effectum; nisi donantis morte sequuta; æquipollet enim vltimæ voluntati, prout *Couar. in rubr. de testam. 3. p. nu. 25. in fin. Clar. vbi suprà*, & *Marc. Ant. Genuens. in practicabil. Eccles. q. 591.*

3 Tunc autèm censetur donatio causa mortis, regularitèr, & communitèr, quando in donatione fit mentio mortis; aliàs secus, ex *l. seia* 42. *in fin. ff. de mortis caus. donat.*

4 In dubio, quomodò iudicanda? Consule *Clar.* & *Crass. vbi suprà*; quia ex multis resoluunt quæsitum; hæc enim non intendimus in præsentiarum discutere; sed tantùm terminos enucleare, pro notitia dispositionum, quas de suis bonis solent facere Nouitij, dùm sunt in probatione Regulæ, quam intendunt profiteri.

Nouitij existentes in Nouitiatu, an possint disponere, & quomodò? Qu. 4.

1 ET quidèm posse, constat ex *Conc. Trident. sess. 25. cap. 16.* ibi, *nulla quoquè renunciatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscūq; causæ piæ valeat; nisi cum licentia Episcopi, siuè eius Vicarij fiat intrà duos menses proximos antè Professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri; nisi secuta Professione; alitèr verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus*: hæc ibi.

2 Quod *Decretum* supponit in Nouitio facultatem dandi, secus non præscriberet illi formam disponendi, & modum dandi.

3 Hæc autèm forma duo intrinsecè includit; ad hoc, vt contractus sint validi: Primum est, vt fiant cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij: Secundum, vt fiant infrà bimestre antè Professionem, quod est valdè notandum pro validitate contractuum; secus autèm erunt inualidi.

Qua de causa Concilium Tridentinum, hoc statuit? Quæst. 5.

1 REspondeo, quòd causa finalis talitèr disponendi habetur paulò inferiùs in eodem *Decreto cap. 16. de Regul.* ibi, *ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit.*

2 Quod extende ad omnem alium donatarium, aut possessorem bonorum Nouitij, ob cuius bonorum detētionem læderetur libertas Nouitij; quominùs, cùm voluerit, liberè, & ad sui nutum, à Religione rece-

recederet; prout foret; si egrediens non posset potiri omnibus bonis suis anteà possessis.

3 Igitur pro omnimoda libertate Profitentium, & ad cauendum omnem speciem coactionis, sunt hæc per *Sac.Conc.Trid.* rationabilitèr ordinata.

Dispositio Conc.Trident. an comprehendat donationes, & dispositiones Nouitiorum, qui excedunt sexdecim annos? Quæst. 6.

1. NEgant *Menoch.de arbitr.casu* 436. *nu.*8.& *Thesaur.lib.*2. *forens.q.*56. *nu.*7. ea ratione; quia *Tridentinum in d.cap.* loquitur continuatiuè ad ea, quæ præcedūt, prout potest colligi ex illis verbis, *Nulla quoquè renunciatio anteà facta*.

2 Hæ namquè dictiones, *quoquè*, & *anteà*, dicunt coniunctionem ad præcedentia, & denotant, subsequens *Decretum*, referri ad præcedens, atque ad illud continuari.

3 Sed in præcedenti *Capitulo* fit solùm sermo de Nouitijs, vt antè decimum sextum annum nequeant validè profiteri; nec itèm donationes facere, subiūgitur ex immediato subsequenti *Capitulo*: Ergò præfata dispositio nō extenditur ad Nouitios maioris ætatis; constitutio enim pęnalis, & exorbitans à iure communi, non debet extendi ad casus non expressos; sed tantùm ad expressa in præcedenti *Capitulo*, vt dictum est.

4 Et confirmatur; quia, etsi minor, pupillari ætate peracta, hoc est, post quatuordecim annos suæ ætatis, possit sua bona donare, & de suis bonis disponere, de consensu tamèn Curatoris.

5 Nihilominùs, talis dispositio nūquàm erit valida; nisi fuerit per donatorem ratificata, vbi effectus fuerit maior vigintiquinq; annis, secundùm ius commune.

6 *Trid. Conc.* habilitat minores ad validè disponendum; dummodò infrà duos menses antè decimumsextum annum ætatis suæ, hoc faciant, consulto Episcopo, & eiusdem habita licentia.

7 Quam ætatem *Sac.Concil.* sub tali forma existimanit congruam, & idoneam ad validè donandum, vel renunciandum.

8 Igitur, qui maiores sunt, si velint donare, tali solemnitate non indigent.

9 Verùm, enim verò, prædictam formam, & *Concilij* dispositionem comprehendere obligationes, & renunciationes Nouitiorum; etiam maioris, & cuiuscunquè ætatis; eaquè verba, *anteà facta*, referri, non ad ætatem, sed a d duos menses antè Professionem, censuit Sacr. Congregatio *Conc.Trid.* die 2. Februarij 1691. prout refert *Cardinalis Bellarm.in d.cap.ver.anteà facta*; Item *Barthol.de Vecchis in disput.*8.*nu.*1. *in Prax.de Nouit.ad Religion.admittendis*, *Sanch.lib.*5.*decal.cap.*5. *nu.*7.& post multos *August.Barbosa par.*3 *de off.& potestate Episcopi, alleg.*99. *nu.*18.& in *Collect.super Trid. d.cap. nu.*25.

10 Et ratio potest esse multiplex; tùm quia, forma illa renunciandi, præscripta à *Sac.Conc.* est de solemnitate contractus; qua omissa vitiatur dispositio; forma enim, & solemnitas debet esse vna, & eadem vbiquè; nec debet esse diuersa, ex multiplicitate, vel paucitate annorum.

11 Tùm etiam; quia lex indistinctè loquens, indefinitè debet intelligi; *Conc.* autèm *Trid.* absolutè loquitur in *d.cap.* de renunciationibus faciendis antè Professionem cuiuscunquè Nouitij, vt dixi, & censuit S.Congr.

12 Tùm itèm; nè Nouitij ob tales dispositiones, tempore Nouitiatus factas, spoliarentur bonis suis, & egestate affecti contrà eorum velle, nè cogerentur mendicare, professionem facerent, & ad euitandum alias fraudes, quæ in dies committebantur; etiam per eosdem Regulares, vt benè notat *Nauar. de donat. consl.*8. in 1.editio. & habetur in *d.cap. Trid.*

13 Hæc autèm finalis causa militat in omni Nouitio, siuè sit sexdecim, siuè triginta annorum; ergò vtrobiquè debet obseruari eadem legis dispositio, *Rodr.tom.*2. *QQ.RR. qu.*48.*ar.*13. & 2.*p. summ. cap.*7.*nu.*7. & alij plures, quos *Barbos.* allegat in cit. *loc.*

Licentia Episcopi requisita ad disponendum, an possit ab alijs elargiri? Qu. 7.

1 LIcentia Domini Episcopi, est omninò necessaria Nouitijs, ad validè renunciandum, vel se obligandum; qua omissa, & professione sequuta, cōtractus redduntur nulli; nec remanet in potestate illorum, ampliùs sanare huiusmodi defectus.

2 Quia prædicta licentia est de forma, & solemnitate huius generis renunciationum, & obligationum, & defectus formæ est insanabilis.

Et debet concedi ab Episcopo Loci, in quo stipulantur contractus; etiam si non sit consecratus; satis enim est, quòd sit confirmatus; nàm Episcopi, & Archiepiscopi à tēpore confirmationis incipiunt habere iurisdictionem; has autèm licentias impartiri est actus iurisdictionis, prout latè *Sanch.in decal.tom.*2.*lib.*7.*cap.*5.*nu.*66. & *Peregrinus in comment.ad Constitut. Cleric.Regul. par.*2. *cap.* 1. *lit.*C. §.261.

3 Itèm potest concedi ab eiusdem Episcopi Vicario, vt dicitur in eodem *cap.Trid.*

N ete-

etenim vnum est Tribunal Episcopi, & eius Vicarij, & eadem vtriusq; iurisdictio.

4 Itèm potest alteri delegari, vt concedat, si sibi visum fuerit expedire; quia actus iurisdictionis ordinariæ, possunt alteri committi, & in hoc ordinaria potestas distinguitur à delegata, vt dixi in *tract. de potest. Prel.*

5 Itèm Capitulum, Sede vacante, potest hanc licentiam concedere; ex quo Capitulum in tali casu, adipiscitur Episcopi iurisdictionem.

6 Quod amplia ad Abbates, & alios Prælatos, si habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, & nulli Episcopo sint subiecti; hi quidèm poterunt in suis Diœcesibus, hanc licentiam concedere, *Sanch.* cit. *loc. nu.*68. & *Barbosa*, multis allegat. *p.3. de off. & potest. Episcopi, alleg.99. nu.*4.

7 Limita tamèn in Prælatis Regularibus, qui in suis Monasterijs, etiam exemptis nequeunt hanc facultatem facere; quia *Concil.* se restringit ad solos Episcopos, prout latè *Rodriq. tom.2. quæst.47. ar.14. Mirand. tom.1. Manual. quæst.23. ar.6. conclus.2.* & *Barbosa in collect. in d. cap. Concil. Trident. nu.30. & sequentib.*

8 Nec mirum; quia prædictũ Statutum factum est à *Concil.* ad occurrendum fraudibus, quæ in dies committebantur, etiam per Monachos, ceterosquè Regulares, & suspitio fraudum cessat in præsentia Iudicis, vt dicitur in *L. vltima, ff. quod metus causa*; Episcopus autèm, est Iudex Loci, aut Ordinarius, aut Delegatus, respectu Regularium in sua Diœcesi, vt patet ex eodem *Trid.*

An licentia prædicta debeat esse in scriptis? Quæst.8.

1 HÆc autèm licentia, non satis est, quòd fuerit petita; sed debet esse obtenta, & interuenire in ipsomet actu renũciationis, *Cenedus canon. quæst. lib.1. quæst.6. num.14.* & nupèr *Bartbol. de Vecchijs disput.8. dub.9. art.3.*

2 Nec præsumitur, obtentã esse, ex lapsu plurimum annorum, ex Rora Romana refert decisum *Barbosa in d. collect. nu.27.* sub 15. Nouembris 1624.

3 An autèm debeat esse in scriptis; negat *De Vecchis* cit. *loc. à Sancto Fausto in Thes. lib.5. quæst.187.* & alij plures, quibus subscribit *Barbosa*, tàm in *d. collect. ad d. cap. 16. nu.27. Trid.* quàm in *d. alleg.99. num.10.* quia *Conc. Trident.* nullam facit mentionem de scriptura, & vbi in scriptis eã fieri voluit, id expressit, vt fecit eadem *sess.25. cap.5.* agẽs de ingrediendo Monasteria Monialium.

4 Satis ergò erit, quòd oretènus fuerit concessa: Verùm, ad occurrendum litibus, & cauillis, quæ tali de causa possunt oriri, debet fieri in scriptis, & in Notariorũ Prothocollis conseruari, quia ad probandum, quòd fuerit obtenta, & interuenerit, recurrendum foret ad testes, si scriptura deesset, qui non semper viuunt: scriptura enim, fit ad futuram rei memoriam, & est sermo absentis, ad absentem, & Loci Ordinarius non potest omnibus præsentialitèr interesse, & maximè Nouitiorum contractibus, & concessa oretènus, si desit scriptura, citò euanescunt.

Bimestre ad disponendum, an debeat esse morale, vel mathematicum? Qu.9.

1 REspondeo, quòd dictum bimestre computandum est Mathematicè; hoc est, currere de momento in momentum, & secundùm quod menses occurrunt in Kalendario, & docent *Sanchez lib.2. de matrim. disput.24. nu.15. & in decal. tom.2. lib.7. cap.5. nu.81. & 83. Bartbol. de Vecchis de Nouit. disput.8. dub.9. nu.5.* & *à Sancto Fausto d. lib.5. Thesaur. quæst.180.*

2 Et colligitur ex illis verbis *Conc. intrà duos menses, proximos antè Professionem*; ergò prædictum bimestre debet computari à die futuræ Professionis, & additur, quòd cùm tale bimestre sit pars, & complementum anni Nouitiatus, debet regulari instar illius: ãnus autèm probationis, currit de puncto ad punctum, vt dixi in *tract. de Nouit.* ergò, & idem iudicium debet esse de hoc bimestri.

3 Proindè, renunciationes, & obligationes huiusmodi factas per diem, antè duos menses præfixos in *d. cap.* non valere, censuit Sac. Congregat. Cardinalium sub die 21. Ianuarij 1617. & refert *Aldan. in compend. Canon. resolut. lib.4. tit.3. num.8.* & *Barbosa in collect. in Trid. in d. cap.16. n.40. & alleg.99. n.31.*

4 Nec exigitur, vt huiusmodi renunciationes fiant, integro bimestri antè Professionem; sed satis est, si fiant, durante toto supradicto bimestri.

5 Adeò, vt integrum sit Nouitijs, completo decimo mense cursus Nouitiatus, iuxtà prædictam formam; vsquè ad Professionem exclusiuè, de suis bonis disponere; prout norant præcitati *Doctores*, & infertur ex illa dictione, *infrà*, apposita in *d. cap.* quæ de sui natura significat, præfixum tempus duorum mensium, currere à principio, vsquè ad Professionem exclusiuè; nàm Professione sequuta non est amplius in potestate Nouitij, de suis bonis disponere.

Si

Si Professiones Nouitiorum protrahantur, quid agendum? Quaest. 10.

1 SI demùm contingat, Professionem differri, & prorogari ex quacunq; causa, non ob id inualidantur Nouitiorum renūciationes; sed sufficit, quòd sint factæ ad præscriptum *Conc. Triden.* hoc est, intrà duos menses proximos antè Professionem, & de licentia Episcopi, vel eius Vicarij, vt in *d. cap.* 16. & *ibid.* ità decisum refert *Bellarm.*

2 Nàm, supradictum *Decretum*, omnisq; lex alia, respicit ea, quæ sępè fiunt; & regularitèr Nouitiorū Professio fit semper, annali probatione peracta, & ætatis completo anno decimosexto, vt in *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular.* Ea autèm, quæ fiunt raro, & per accidens, in consideratione non veniunt.

Quid, stante dispensatione Apostolica, vt Nouitius, nono mense Professus fiat; etiam si sit minor sexdecim annis? Quaest. 11.

1 ET dico, quòd diligentèr debet obseruari tenor *Breuis*, an deroget toti *Decreto Conc. Triden.* nàm sublato *Conc.* prædicto, debet attendi ius commune Canonicum. Si verò dispensatum fuerit in ætate tantùm, nulla mentione facta de dicto bimestri, debet Nouitius, si velit, renunciare, iuxtà formam in *d. cap.* præscriptam, hoc est, infrà duos menses antè Professionem, de licentia Episcopi; secùs nulla foret eius renunciatio; nàm dispensatus in vno, non censetur dispensatus in alio, *Sanch. in d. cap.* 5. *nu.* 83. & *Barbosa in d. alleg. nu.* 21.

An Nouitijs sit integrum huic bimestri renunciare? Quaest. 12.

1 NEgatiua liquet in *d. cap.* 16. *Concil. Trid.* ibi, *alitèr facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, &c.* & constat ex eo, quia nemo valet iuri publico abrenunciare; sicut ob id, nec anno probationis, vt dixi in *tract. de Nouit. quaest.* 13.

2 Quid autèm operetur iuramentum, quòad Nouitiorum renunciationes, vide *Rodriq. tom.* 2. *q.* 47. *ar.* 9. vbi multa habes de donatione iurata.

An consuetudo legitimè præscripta, possit derogare dispositioni Cōc. Trid.? Q. 13.

1 ET dico, quòd sic; quia prædicta decisio *Conc. Trid.* est simplex lex positiua, quæ pōt abrogari, prout de facto abrogatur per contrariā cōsuetudinem; maximè quòad aliquas circūstantias, & docet *Rodr.* 2. *p. sum. cap.* 7. *de donationibus, nu.* 1. *in fin.* ibi, *verum est tamèn, quòd in aliquibus Religionibus non est in vsu, petere licentiā ab Episcopo, in quibus valet donatio, sine illa facta*, & seqtur *Vega tom.* 2. *summ. cap.* 50. *casu* 3. *Io. Bapt. Lezana tom.* 1. *sum. cap.* 24. *de Nouit. nu.* 34. *in fin.* & alij plures. Sed alij sequūtur negatiuā sententiā.

Donatio remuneratoria Nouitij, an comprehendatur sub dispositione Conc. Trid.? Quaest. 14.

1 NEgant *Bellarm. ibid. n.* 1. *in additio.* & alij, eò, quòd illi tantùm contractus subijciuntur formæ *d. cap.* qui ex donantium liberalitate procedūt; secus autèm illi, qui fiunt ex debito iustitiæ; prout sunt, remunerare aliena seruitia, seu soluere debita, & satisfacere æri alieno.

2 Et huius generis sunt, se obligare pro victu, & vestitu, quem fortè Nouitius pro se promisit Monasterio, sic itèm, & alimenta sibi præstari, & similia, quæ sępè nascuntur ex pacto, aut ex deuotione, quam quis habet ergà Fratres, vel in adiutorium Monasterij, indigentis piorum hominum eleemosynis; prout sępè suprà dixi.

3 . Qui autèm contractus excipiantur à præfata solemnitate, docet *Barbosa in d. allegat.* 99. *à nu.* 23. *& sequen.* & in *Collect. d. cap. Trid.* à *nu.* 4. vsquè in *finem*, vbi breui manu omnia refert; & nos suprà, Regulam dedimus, de non nimis lædendo Nouitiorum Patrimonium, & de non nocendo eorundem libertati; Sed aduertendū, nè in his fiat fraus, contra mentem *Trid. Concil.* vt suprà.

4 Iustitia ergò horum omnium contractuum pullulat, & dimanat à bona custodia patrimonij, & libertatis; adeò, vt omnes illi contractus censeantur prohibiti, qui lædunt Nouitiorum patrimonium, aut præiudicant eorum libertati; secùs autèm alij.

Modica donatio bonorum Nouitij, an comprehendatur sub dicta forma Concil. Triden.? Quaest. 15.

1 NEgatiuè dic; etiam si sit facta in ipsomet ingressu Nouitiatus Deo, aut B. Mariæ, aut Monasterio, vel cuius personæ; quia in donatione rei modicæ cessat ratio prohibitionis *Conc.* ibi, *nè hac occasione Nouitius discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat*; ergo omnis donatio facta à Noui-

tio de modico, vel quæ sit de satis minori parte bonorum, excipitur à forma *dict. cap. Rodriq. tom. 2. qu. 47 ar. 5. Sanchez lib. 7. Decal. cap. 5. nu. 28. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. de vlt. volunt. nu. 5. d. 3. & Lezana tom. 1. cap. 24. de Nouit. nu. 35.*

Parentes, an possint donare Monasterio, in quo eorum filij Nouitiatum faciunt? Quæst. 16.

1 PArentes Nouitiorum, ex *Trid. d. cap. 16.* prohibentur dare de bonis eorundem, ibi, *nec quocunq; prætextu à Parentibus, vel propinquis eius* (supple Nouitij) *Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.*

2 Proindè, Pater Nouitij non potest dare paramentum Altaris Religioni, in qua filius eius extat Nouitius, *Sell. in selectis Canon. cap. 32. nu. 3.* & fuit à Sacr. Congregat. decisum, sub die 12. Aug. 1617. *Barbosa in d. cap. nu. 51.*

3 Et eò fortiùs; si sit de bonis Nouitij, & magni momenti; secùs si foret modici pretij, aut de non rebus Nouitij, vel in computum victus, & vestitus, ex eodem *Conc.*

4 Vndè, Nouitiorum Parentes nequeūt donare Monasterio hoc, vel illud, vt in portionem legitimam filij computetur; quia ius legitimæ est pars bonorum Nouitij; quò fit, vt huiusmodi donatio, censeatur fieri in bonis, & de bonis Nouitij; & sic Nouitius daret, & non Parentes eius, *Sanch. cit. loc. nu. 23.*

5 Verùm, de bonis proprijs, ad filios Nouitios, minimè spectantibus, benè, ac validè possunt absolutè disponere in fauorem, & beneficium Religionis, aut cuiuscunquè alterius piæ causæ, *Layman. cit. loc. in quæst. præcedenti*; quia hæc donatio licèt sit absoluta; tamèn nōn est de bonis Nouitij, *Lezana tom. 1. summ. cap. 24. nu. 24. & Peyrinus tom. 1. de Subdito, qu. 1. cap. 29.*

An Nouitius sine forma Concil. Triden. possit renunciare beneficio Ecclesiastico, quod habet in sæculo? Qu. 17.

1 ANtiquo iure, toto Nouitiatus tempore Nouitij poterant renunciare cuiuis Ecclesiastico beneficio, vt habetur expressè in *cap. 4. de Regul. in 6.* ibi, *beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est infrà probationis annum alicui conferendum: nisi ad id ipsius accedat assensus*; vbi *Glos.* alios numerat casus, in quibus censetur vacare beneficium.

2 Hodiè verò de nouo iure *Conc. Triden. cit. loc.* prohibentur renūciare; nisi infrà duos menses proximos antè Professionem, & de licentia Episcopi; vt dicitur in *præcit. cap. 16.*

3 Tùm quia, *Concilium* loquitur generalitèr, & absolutè, ibi, *nulla renunciatio, aut obligatio antea facta*; tùm etiam, quia renunciatio beneficij est amissio magni iuris, ob quā libertas è Religione volentium egredi, impeditur; prout *Maiolus de Irregul. cap. 6. num. 2. Sanchez lib. 7. Decal. cap. 5. nu. 37. Molfes tom. 1. ad Consuet. Neap. par. 4. tit. de renunciat. qu. 16. nu. 34. & in summ. tract. 6. cap. 12. nu. 18. Cevall. quæst. 121. nu. 4. Mirand. tom. 1. Manual. Prel. q. 23. ar. 5. & Paul. Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 7. q. 3. nu. 6.* & est communis.

4 Verùm, Episcopus non potest hæc beneficia conferre; nisi sequuta Professione, prout dicitur in *d. cap. 4.* ex quo itèm colligitur, quomodò Nouitiorum beneficijs sit seruiendum, cursu Nouitiatus durante.

An liceat Nouitio, seruata forma Concil. Triden, renunciare Patrimonio, aut Beneficio Ecclesiastico, ad cuius titulum fuit sacris Ordinibus insignitus? Quæst. 18.

1 RE vera, licere respondeo; si in huiusmodi renunciatione fuerit adhibita forma; nedùm *dicti cap. 16. Triden.* verùm etiam *cap. 2. de reform. sess. 21.* quod incip. *Cùm non deceat.*

2 Secùs erit nulla, prout ibi, *id verò beneficium resignare non possit; nisi facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliundè commodè viuere possit*: hæc ibi, & docet *Nauar. in Manuali cap. 22. nu. 18. & Aloys. Ricc. p. 1. prax. fori Eccles. decis. 314. in 1. editio.*

3 Sed pone, quòd Nouitius non habeat alia bona, quibus viuere commodè possit, an valeat, infrà bimestre, antè Professionem renunciare de licentia Episcopi, & sola facta mentione, quòd fuerit ad illius titulum promotus?

Affirmat, post multos *D. Bartbol. à Sancto Fausto lib. 5. Thes. q. 170. & Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. nu. 12.*

4 Et hoc ideò; quia huiusmodi renunciatio est conditionalis; hoc est, habet tacitam conditionem, vt non valeat; nisi professione sequuta.

5 Proindè, sic renuncians non dicitur temerè renunciare; nec se suis bonis spoliare; nec ītem suæ libertati præiudicate; etenim integra remanent sua iura, quouis modo professione non habita.

6 His tamèn obijcit *Rodriq. tom. 1. q. 37. art. 2. & 2. par. summ. cap. 7. de donat. num. 2.* dicendo, quòd coràm Ordinario nō admittuntur resignationes conditionales, prout

ex

ex multis probat *Rebuff. de resignat. pur. & tit. de resignat. condit. & Mandos. in regul. 19. Cancell. de infirmis resignant. q. 16. nu. 11.*

7 Quia beneficium Ecclesiasticum de sua natura petit esse absolutum, & perpetuum, vt in *cap. inuentum 16. q. 7. & in cap. satis peruersum 56. dist. Nauar. de praebendis, cons. 6.* in 1. editio. & idem *Aloys. Ricc. cit. loc. Prax. decis. 396.*

8 Verùm, renuncians infrà duos menses antè professionem, etiam adhibita solemnitate *d. cap. Trid.* adhuc censetur renunciare sub conditione futuræ professionis, & sub conditione regressus; nempè, vt sibi restituatur, si contingat, Professionem non fieri, & sic esset temporalis, & conditionalis.

9 Et subiungit, huiusmodi renunciationem esse simoniacam, ratione pacti appositi, tacitè, vel expressè, vt renuncianti restituendum sit, si non profiteri occurrerit, prout meliùs est videre in cit. *loc.*

10 Nihilominùs, hæc, & similia non officiunt; nec per hæc recedendum à decisis; nàm, etsi renuncianti non liceat ad sui libitum conditiones apponere; benè licebit eas apponere, quæ de se insunt, & intelliguntur inesse, secundùm iuris præscriptum, & ità à Sac. Congreg. decisum refert *Parisius de resignat. benef. lib. 2. quæst. 13. num. 5. 6. & 7. à Sancto Fausto dict. lib. 5. quæst. 179. & Layman. vbi suprà.*

11 Vndè, collatio beneficij curati facta non Sacerdoti, eam includit conditionem, vt is intrà annum ad Sacerdotium promoueatur; & ex hac conditione pendet, vt ea collatio sit perpetua; vacat enim elapso anno, ea non impleta, vt dicitur in *cap. licèt canon. de elect. in 6.*

12 Ità renunciatio beneficij, à Nouitio facta ad præscriptum *d. cap. 16.* habet illam conditionem ex *Trid.* si Professio sequatur, & ex hac tacita conditione pendet perpetuitas talis renunciationis.

13 Et additur, quòd renuncians in casu, de quo agitur, liberè, & absolutè renunciat, etsi postmodùm Professionem non emittat.

14 Nec ideò eius beneficium regreditur; nec item reuoluitur ad ipsum renunciantem, cùm ab ipso nunquàm fuerit abdicatum. Nec itèm censetur vacare; nisi Professione sequuta, nec ab Episcopo potest alij conferri; nisi post tempus Professionis elapsum: & hoc totum procedit, non à voluntate renunciantis; sed ex dispositione *Sac. Conc. Trid.* ex quo suspendit effectum ipsius renunciationis, vsque ad tempus emissæ Professionis, & prohibet renunciationis emissionem, & beneficij renunciati collationem; prout notant *Grass. tom. 1. lib. 3. de Voto, cons. 8. nu. 6. Campanil. in diuersor. iur. can. rubr. 12. cap. 13. nu. 11.* & post alios *Barbosa 3. p. de off. & potestate Episcopi, alleg. 99. nu. 21.*

15 Proindè, huiusmodi renunciatio ex parte Nouitij nō est conditionalis, sed libera, & absoluta, nec eius beneficium est vadens, & rediens, sed perpetuum; nec sapit labem simoniæ, quoniàm nulla adest hic voluntas emēdi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spiritualibus annexum.

16 Nec quidèm confidentialis; maximè, quòd illud pactum cum recipiente, quod supponitur inesse, profectò non inest; quia, renuncians, liberè, & absolutè renunciauit, sed *Trid.* suspendit, vt dictum est.

17 Nec desinam hìc dicere, quòd quis potest suo renunciare beneficio, vt alij prouideatur, *Panorm. in cap. dilecto, de præben.* dummodo, in actu renunciationis non fiat pactum, vt *ibidem Gloss.* & in *cap. ex parte, il primo, de off. delegat.* & gerere in animo, vt alteri conferatur, non est simonia, *Angel. ver. benef. nu. 13.*

18 Nec est prohibitus tractatus inter resignantem, & resignatarium antè admissam renunciationem, de reseruatione fructus, aut pensionis, cum illa clausula, *de consensu Domini Papæ*, prout ex multis refert decisum *Aloys. Ricc. p. 4. collect. 1402. Naldus ver. benef. nu. 38.* & antè eos *Nauar. in sum. cap. 17. nu. 108. ver. huic loco*, de materia multa dicit.

An dispositio Conc. Trident. habeat locum in Nouitijs Societatis Iesu? Qu. 19.

1 Negat *Rodriq. tom. 2. QQ. RR. q. 47. art. vltim. Molina de iustit. tract. 2. disput. 139. Sanchez lib. 7. decal. cap. 5. nu. 9. Barbosa 3. p. de off. & potestate Episcopi, alleg. 39. nu. 32. & in collect. in d. cap. n. 47.* & *Paul. Layman. lib. 3. tract. 5. c. 7. de vlt. volunt. n. 10. dict. 8.*

Et colligitur ex eodem *cap. Trid. ibi, per hæc tamèn* (supple supradicta) *Sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxtà pium eorum Institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.*

2 Dixi (supple supradicta) quia verba præcitata per illam clausulam, *per hæc tamèn*, in plurali numero adiectam, referuntur, nedū ad *Decretum* immediatum præcedens; sed etiam ad alia omnia eiusdem *sess. 25. de Regul.* si qua sunt, quæ possent refragari *Statutis*, & *Constit.* præfatæ Societatis, *Layman. cit. loc. nu. 11.* & refert decisum in vtroque foro *Rodriq. vbi suprà.*

3 Exindè collige plura, & Primò, quòd Patres dictæ Societatis, etsi emiserint tria

Vota simplicia; nihilominùs possunt retinere ius, & dominium bonorum suorum, ad effectum ea distribuendi in pios vsus; Item, & beneficia, & pensiones; nè posteà dimissi, eis priuati remaneant, prout fuit per Rotam decisum, sub anno 1616. die 18. Aprilis, *Barbosa in d.collect.nu.*49. Secundò, renunciationes, & donationes bonorum conditionatas, hoc est, reseruato iure recuperandi, & similes; nec antè, nec post ingressum fieri posse per Nouitios eiusdem Societatis; ex quo, expressè repugnant *Constitutionib.* eorundem, vt in *cap.4.exam.generalis, nu.1.& 2.* vbi præcipitur, quòd ingressuri Societatem, antequàm in Domo aliqua, vel Collegio sub obedientia viuere incipiant, secùdùm Christi consilium *Matth.*19. omnia bona temporalia dispensare habeant, iuxtà propriam deuotionem, & à se omnem fiduciam submouendo, eadem nullo tempore recuperandi.

4 Si verò, ob iustas causas, huiusmodi distributiones statim nõ fiant, promittãt, & se promptè relicturos omnia, post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunq; per Superiorem eis fuerit iniunctum.

5 Igitur vbi cœperint esse sub obedientia, non est eis integrum, condere testamentum, nec donationes facere mortis causa; nisi absoluto Nouitiatus anno primo, nec in posterùm, nisi iussu Superiorum Societatis, *Molina cit.loc. ver.ambiget forsitan.*

6 Nec ità celeritèr imponitur Nouitijs de suis bonis disponere; eò, quòd in eadem Societate, professio solemnis, & votorum formatorum emissio, pluribus plerunquè annis, post Nouitiatum, & Vota simplicia differuntur; & nè in casu, quòd dimittantur, remaneant priuati bonis suis, vt suprà dictum est per Rotam Romanam.

7 Tertiò collige, donationes, & renunciationes huiusmodi, si post primum Nouitiatus annum, fiant in fauorem Societatis, & accidat, post donationes donatores è Societate dimitti, adhùc validas esse, & in suo robore remanere: Nec quicquam de datis abeuntibus restituendum est, ex *Constitut. p.2. cap.3. §.5.in fin.*

8 Quod amplia, etiam si forent omnium bonorum; adeò, vt dimissus cogeretur mendicare; quia in tali *Statuto* omnes donationes debent esse absolutè, & irreuocabilitèr factæ.

9 Nec bona donata, in quouis casu necessitatis, sunt donantibus restituenda, nisi ex lege charitatis, & æquitatis, vt habetur ex cit. *locis*, & alia corollaria huius generis multa, vide apud doctissimos *Patres* eiusdem Societatis, in præcit. *locis*, res enim agunt domesticas, dignas notatu.

Renunciatio bonorum, facta ab aliquo, adhùc in sæculo existente; prætextu tamèn futuri ingressus Religionis, an sit valida, dispositione Conc. Trident. non obstante? Qu.20.

1 RESpondeo, esse validam, & sub præfata dispositione *Conc. Trid.* non comprehendi, si aliàs sit idonea, & erogata secundùm ius commune; tùm quia, recensitum *Decretum* extat sub *titulo de Regularib.* ergò non debet ad eos extendi, qui sunt in Sæculo, & extrà Religionem, quod manifestè colligitur ex illis verbis, *nulla quoquè renunciatio, aut obligatio anteà facta valeat*, quæ clarè referuntur ad præcedentia, & habent coniunctionem cum præcedenti *Capitulo*; Talis enim, est natura illius dictionis, *quoquè*, est etenim dictio coniunctiua.

2 In præcedenti autèm *Capitulo* tractatur de Ingressis, & de ijs, qui Regularem habitum susceperunt, & qui sunt Professioni proximi; non autèm de his, qui foris sunt, & in sæculo manent; & à verbis dispositionis recedendum non est, *l.non aliter*, cum vulgaribus, *ff.de legat.3.* Tùm quia, vnusquisquè est suarum rerum dominus, moderator, & arbiter: adeò, vt de illis ad sui libitum possit disponere, & præcipue, si bona sint Laicalia, super quæ per se, & directè Romanus Pontifex iurisdictionem non habet.

3 Et additur, quòd Laicorum contractus sunt stipulandi secundùm ius Cæsareum, qui si iuramento firmentur, irreuocabiles censentur, & redduntur.

4 Tùm itèm; quia sic declarauit Sacra Congregat. Eminent. Cardinal. & refert *Pater Gaspar Passarell.* sub anno Domini 1573. die verò 22. Octobris, vt in *Compendio priuil. Minim.in notab.37. de bonis Nouit. in fin. fol.* mihi 209. *Stephan. Quaranta in summ. Bull. ver.Monasteria Virorum, pag.* mihi 330. *ver. dubium illud*, vbi notat, quòd sit recedêdum à *Nauarro*, & ab alijs, qui contraria scripserunt, *Confectius tit.13. cap.12. & 13. de bonis Nouit. fol.325. Sorbus Capuccin. in comp.priuil. ver. Nouitius, de bonorum ipsorum disposit, ver.sed hic sunt aliqua aduertenda, & Aloys. Ricc. p.1. Prax.fori Eccles. de Regul.decis.651.* in antiquis, *in fine*, vbi habes Declarationem Sacræ Congregat. *Conc. Trid.* sub tali formæ verborum, *An dispositio cap.16. de Regular. sess.25.in princ. comprehendat illum etiam, qui habuit animum ingrediendi Religionem, & adhùc in sæculo existit; sed tamèn acceptatus, licèt habitum non susceperit, donauit bona sua suæ matri, & non adhibitis solemnitatibus, hoc capitulo requisitis; Congregatio censuit, non habere locum antè susceptionem habitus*: hæc ibi.

5 Ex qua Declaratione collige, donationem valere, nedùm in eo, qui donauit intuitu intrandi Religionem; sed etiam in eo, qui habet licentiam intrandi; insupèr, & in eo, qui habuit animum, & licentiam intrandi, & intrauit, & ingressus Monasterium, non suscepto habitu, donauit; prout idem Ricc. ex eadem Congreg. Conc. refert decisum in 1. p. decis. 294. vbi in facti contingentia dicit, fuisse productam legalem copiam dictæ Declarationis, & exhibitam, in actis conseruari, cui omninò standum est, cùm sit authentica, qualis à contrarijs desideratur.

6 Id ipsum ex Sacra Congreg. refert decisum Menoch. in additio. ad lib. 2. de arbitr. Iud. cas. 436. nu. 3. in causa Sororis Annæ de Cagnolis, & transfert P. Anton. Diana in 3. per. resolut. Moral. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 55. & ità pluriès fuisse responsum, referũt Eminentiss. Bellar. in nouis declarat. Sacr. Congreg. ad Decreta Conc. Trid. in d. cap. 16. antè num. 3. ver. addit. & D. Aug. Barbosa in d. allegat. 99. nu. 17. vbi post infinitos Doctores adducit Decisionem Rotæ Romanæ, & idem refert in Collect. super dict. cap. Trid. nu. 20. Ioan. Bapt. Lezana tom. 1. in summ. cap. 24. de Nouit. nu. 34. idem Aloys. Ricc. in Collect. 454. in 2. p. & in 3. par. collect. 584. Laur. Peyrinus tom. 1. priuil. Minim. in 2. Constit. Sixti IV. num. 73. Portell. ver. Nouit. donat. nu. 41. Rodriq. tom. 3. qu. 16. ar. 1. in princip. licèt sibi contrarius in 2. tom. q. 55. art. 8. Marcell. Megal. in 1. 2. Instit. Confess. lib. 2. cap. 27. quæst. 3. nu. 25. & alij Doctores non pauci.

7 Ex quibus collige, quòd integrum sit Iuuenibus antè susceptionem habitus, de suis bonis disponere, non seruatis solemnitatibus dicti cap. dando, renunciando, se obligando, etiam intuitu Religionis, &c.

8 Nec obstant illa verba, antea facta, apposita in d. cap. 16. quia debent intelligi de renunciatione, facta tantùm post susceptum Religionis habitum, à S. Fausto lib. 5. Thesaur. quæst. 171. Zanard. 2. p. Directorij Theol. cap. 7. Barbosa in d. Collect. super Concil. nu. 20. & Thesori Ecclesiastici, p. 2. cap. 17.

Donatio, & Renunciatio Nouitij, facta iuxtà Conc. Triden. an corruat, stante nullitate Professionis, & an ratificata professione, censeatur valida? Q. 21.

2 RESOLUO affirmatiuè quæsitum, & est expressa definitio Trid. in cit. loc. ibi, ac non aliàs intelligatur, effectum suum sortiri; nisi sequuta Professione.

2 Quæ verba, absq; omni dubio, debent referri ad Professionem validam: verba enim legis debent intelligi cum effectu, ex text. l. 1. §. hæc autem verba. ff. quod quisquè iur. & magis clarè 33. quæst. 3. de pœnitentia, distin. 1. cap. 17. incipit, hæc autem verba, ibi, quod statuerit, qui iurisdictioni præest, cum effectu accipimus, non verbotenus; & ideò si cùm vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum Decretum habuit, cessat edictum, quàm statuit, Verbum, rem perfectam significat, hæc ibi.

Et confirmatur argum. 17. q. 4. Can. si quis suadente Diab. vbi requiritur effectus consummatus; prout notat ibid. Glos. & communitèr alij Doctores.

3 Sed Professio nulla, & irrita, nullum inducit effectum; nec aliquam parit obligationem.

4 Ergò non debet nominari Professio, nisi extrinsecè, abusiuè, & nominalitèr; etenim Concil. duo exigit copulatinè, ad firmitatem cuiusuis renunciationis: Primò, vt fiat de licentia Episcopi infrà duos menses, & Secundò, vt sit sequuta vera Professio; secus autèm; nam idem est, aliquid non fieri, & illegitimè fieri, ex cap. Religioso 20. §. final. de sent. excomm. in 6. & ex l. duo sunt Titij, ff. de testam. tutel. & docet Nauar. de communi sententia in comment. 2. de Regul. super cap. non dicatis 12. q. 2. nu. 49. vbi latè, & de statu Monach. cons. 1. in 1. editio. & cons. 9. in nouis de success. ab intest. Laur. Peyr. tom. 1. priuil. Minimorum in 2. Constit. Sixti IV. num. 78. Sanchez lib. 7. decal. nu. 55. à Sancto Fausto lib. 5. q. 174. Rodriq. tom. 2. q. 47. ar. 9. & cap. 7. 2. p. summ. nu. 6. Barbosa d. alleg. 99. num. 11. & in Collect. super Trid. cit. cap. nu. 17. & nupèr Hieron. Rodriq. in comp. resolut. 53. nu. 12. Ioan. Baptista Lezana in summ. tom. 1. cap. 24. nu. 36. Ricc. p. 4. decis. 146. vbi hoc itèm refert à Sacr. Congreg. decisum nu. 1. & in Prax. p. 1. decis. 643. in 1. editio. de Regul. & nouissimè multis citatis D. Episcopus Maranta tom. 3. respons. 26. & Marc. Anton. Genuen. in pract. Eccles. q. 462.

5 Quod itèm constat ex parte ipsius Nouitij donantis, seù renunciantis; quandoquidèm, Nouitiorum renunciationes, præsumuntur semper fieri, sub illa tacita conditione: etiam si non fuerit expressum (vt valeant, ipsis perseuerantibus in Religione, & re permanente in eodem statu) in quolibèt enim actu, & contractu intelligitur illa clausula, rebus permanentibus in eodem statu, vt dicitur in l. quod seruus, ff. de condict. ob causam; ad instar dotis, l. vnica, §. cùm autèm, C. de rei vxor. action. ad instar itèm donationis causa mortis, per quam bona donantis, nec quoad possessionem, nec quòad dominium transeunt penès donatarium, nisi sequuta morte donantis.

6 Et hoc ideò; quia impleta non est conditio, sub qua donauit, l. 1. in fin. C. de indict. viduit. tollen. l. 2. in fin. & l. 3. ff. de donat. causa mor-

mortis, & docent præcitati *Doctores, Genuens. Ricc.* & *Maranta* cit. *loc. nu.* 20.

7 Et adde, quòd Nouitius regularitèr, cũ suscipit habitum alicuius Religionis, intendit, illi dare se, suaque omnia; hoc est, Primò, intendit offerre, & dare Religioni suam personã; & Secundò, bona, iura, actiones, & similia; adeò, vt donatio bonorũ sit accessoria ad oblationẽ personæ Nouitij; accessoriũ aũt sequitur naturam sui principalis, *l. etiam, C. de iur. dot. Regul. accessorium* 42. *de Regul. iuris, Menoch. conf.* 58. *nu.* 13. *Puteus decis.* 1. *num.* 1. *lib.* 1. & *Leon.* in suo *Thesaur. fori Eccles. par.* 2. *cap.* 16. *num.* 70.

8 Stante autèm principali, stat accessorium, & sublato aufertur, vt dicitur in *l. qui liber, ff. de vulg. & pupillar. substit.* & notae *Ricc. in d. decis. Cur. Arch. Neapol. nu.* 5.

9 Igitur, inualidato contractu Personæ, seũ Professionis, per quam persona Profitentis obligatur Religioni irreuocabilitèr; oportet consequentèr inualidari contractum bonorum; proindè, stante persona in Religione, stant eius renunciationes bonorum, & recedente, recedũt; ità fine cõtrouersia inquiũt præcit. *Doctores*, quod probant per vulgatam Regulam, quòd cessante causa, cessat effectus.

10 Quod itèm extende ad ratificationem Professionis; ità, vt ratificata Professione, censeatur renunciatio ratificata, ex eo, q̃ renunciatio est quid accessorium ad Professionem, & sequitur naturam illius, prout latè *Ricc. in d. Decis. Curiæ, nu.* 7. & 8. & *Rodriq.* cit. *loc.* 2. *p. summ. cap.* 7. *nu.* 7. & *in* 1. *par. cap.* 60. *nu.* 5. quæ omnia sunt valdè notanda, pro solutione dubiorum.

Donatio Nouitij facta cum solemnitate Conc. Trid. an valeat, si donator antè Professionem fiat Episcopus? Qu. 22.

1 RESpondeo negatiuè, ob supradicta, & docet *Riccius in dict. Prax. aur. resolut.* 152.

Donatio facta Monasterio antè ingressum, si post ingressum Nouitius recedat, an valeat? Qu. 23.

1 NEgatiuè, ob prædicta, *Ricc. in prax. fori Eccles. de Regul. decis.* 643. & *D. Episcop. Maranta tom.* 3. *respons.* 24. quo in *loco* notat, hanc donationem cadere, non ob defectum formæ *d. cap.* 16. *Conc. Trid.* sed conditionis saltèm tacitè inclusæ, vt de iure includi diximus in præcedenti *qu.* 21.

Donatio facta per Nouitium, iuxtà Concil. Triden. si contingat, Nouitium mori antè Professionem, an sit valida? Quæst. 24.

1 NON valere respondeo, ob defectum Professionis non sequutæ, & ità fuisse declaratum à Sac. Congreg. *Concil.* sub die 22. Octobris 1573. testatur *Gaspar Passarell. in comp. priuil. Minim. in notand.* 37. *de bonis Nouitij morientis antè Professionem*, & hoc ideò; quia abire, & mori æquiparantur, secundùm illud *Terentij in Phorm. ea mortem obijt, & de medio abijt.*

2 Vndè, eademmet est ratio de abeunte per mortem, & de abeunte per exitum, *Nauar. de stat. Monach. cons.* 1. in 1. editio. & in 2. *cons. vlt. de successiõ. ab intestat.* & *D. Episcop. Maranta tom.* 3. *respons.* 26. *num.* 17.

3 Ergò, dispositio *d. cap.* 16. *de Regul.* qua deciditur, vt Monialibus, & Nouitijs abeuntibus antè Professionem, omnia restituantur, & quòd recedentium renunciationes non valeant; procedit, & habet locum, etiam in morientibus antè Professionem, idem *Nauar. cit. loc.* & *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 47. *ar.* 2. & 1. *par. summ. cap.* 90. *nu.* 60. cum suo *Compend. resolut.* 53. *de donat. nu.* 12.

4 Hinc, Nouitius donator, in euentum mortis, antè Professionem potest testari de bonis sic donatis, & testamentum eius erit validum, *Nauar. comment.* 2. *de Regul. super cap. non dicatis* 12. *quæst.* 2. *nu.* 49.

5 Quia recensita donatio euanescit, ob defectum Professionis non habitæ, *Rodriq.* cit. *loc.* & *à Sancto Fausto lib.* 5. *Thes. q.* 173.

6 Et ob id, si Nouitius decedat antè Professionem, nullo facto testamento, censetur mori intestatus, & consequentèr, eius bona habebunt eiusdem hæredes succedentes ab intestato, vt dicam infrà, & docent ex multis *Genuens. in practicab. Eccles. quæst.* 462. & *Ricc. in prax. aur. resol.* 138. *in fin.*

Dotes Puellarum intrantium Religiones, si antè Professionem moriantur, an acquirantur Monasterio? Qu. 25.

1 REspondeo negatiuè, per multa, quę dixi suprà; etenim quiuis Nouitius, & Nouitia Monialis, antè Professionem tacitam, vel expressam, sunt sui iuris, ex *Sac. Conc. Triden. cap.* 15. & 16. *sess.* 25. *de Regular. & Monialibus.*

2 Adeò, vt de suis bonis possint testari, *Couar. cap.* 2. *de testam. Nauar. de testam. cons.* 12. *nu.* 1. in 1. editio.

3 Immò, & matrimonium carnale contrahere,

trahere, *Abbas in cap. porrectum, de Regular. nu. 4.* & dixi sępiùs, nàm quousquè non sint Professi, liberè possunt exire à Religione, sine alio incursu pęnarum, ex *d. cap. 15. Conc. Trid.* & docet ex multis *Menoch. cons. 329.*

4 Proindè, moriente Moniali antè Professionem, dos est restituenda hæredibus defunctæ, retentis expensis factis pro illa, vnà cum fructibus, si quos Monasterium perceepisset, *Calder. cons. 9. de Regul. Berous cons. 28. lib. 1. Genuens. in practic. Eccles. q. 462. in fin.* & *Aloys. Ricc.* in sua *Prax. aur. resolut.* 138. & ità esse à Sac. Congreg. decisum, refert Eminentiss. *Bellarm.* in nouis *declarat. Cardinal. d. cap. declarat. 5.* & *ibidem Barbosa in collect. Doct. nu. 60. & vltimo.*

Bona Nouitij, qui suscepit habitum, si decedat intestatus, Professione non facta, an pertineant ad Monasterium? Quæst. 26.

1 HÆC itèm quæstio, proculdubio ex decisis negatiuè resoluitur; hodiè enim Monasterium de nouo iure *Conc. Trid.* in bonis Nouitij decedentis infrà annum probationis, nullum habet ius, & infrà eundem cursum Nouitiatus, Monasterio nihil debetur, excepto victu, & vestitu, vt expressè dicitur in *dict. cap. 16.* & notant, post *Menoch. cons. 396. vol. 4. Genuens. in practic. Eccles. quæst. 462.* etiam si Monasterium sit capax bonorũ, *Ricc.* multis allegatis in *d. Prax. aur. resolut.* 138. *in fin.* & antè eos *Nauar. in 2. comment. de Regul. nu. 49.*

2 Secus autèm, si Nouitius tacitè, vel expressè foret Professus, vel si legasset ex testamento, aut si se, & sua obtulisset Monasterio antè susceptionem habitus; Oblati enim perpetuò, qui se, & sua perpetuò dederunt Monasterio, non comprehenduntur in *d. cap. 15. & 16. Conc. Trid.* prout censuit Sac. Congr. & refert Eminent. *Card. Bellarm. in declar. 14.*

3 Nec obijcies, quòd plures in *authen. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. & in cap. in præsentia, de probat. & in authen. si qua mulier, in fin. C. de sacrosanct. Eccles.* dicant, bona Nouitij, in casu posito spectare ad Monasterium, ex quo suscepit habitum, & cum illo voluit mori in Monasterio, vt cęteri Fratres, quos nupèr sequutus est *Marcellus Megal. in 1. Instit. Confess. lib. 2. cap. 27. q. 3. nu. 22.* vbi latè de hac re, & se fundat in dedicatione personæ, & bonorum facta per simplicem ingressum.

4 Nec quod *Panor. in d. cap. in præsentia,* faciat illam distinctionem pro concordia *Doctorum*; quòd aut Nouitius intrando donauit omnia Monasterio expressè, quam donationem moriendo expressè non reuocanit; & sic efficiuntur Monasterij: aut intrauit simplicitèr, & bona fide, animo probandi Religionem, & sic bona prædefuncti, Professione non sequuta, spectant ad proximiores in sanguine.

Quia hæc prædicta, & similia procedũt de iure antiquo; secùs hodiè de nouo iure *Conc. Trid.* quo in *d. cap. 16.* cauetur, vt nulla renunciatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem causæ piæ valeat, nisi Professione sequuta.

5 Igitur, Professione sublata, siuè per mortem, siuè per aliquid aliud; corruunt Nouitiorum renunciationes, & bona eorum remanẽt libera ab omni onere, ad beneficium, & vtilitatem consanguineorum, *Nauar. in d. comment. 2. de Regul. super cap. non dicatis 12. q. 2.* & *Passarell. in comp. priuil. Minim. cap. 37. de bonis Nouitiorum.*

Si Nouitius moriens in anno probationis, quouis tempore, & mortis causa donet Monasterio capaci, an teneat donatio? Quæst. 27.

1 AFfirmatiuè deciditur; ex quo hæ donationes causa mortis, codicilli, ac testamenta non comprehenduntur sub illo *Decreto cap. 16. Trid.* cùm Nouitiorum patrimonium non lædant, nec præiudicent eorum libertati; quin liberè è Religione possint exire, cùm voluerint, & illa reuocare; prout Sac. Congreg. Cardinal. declarauit, & refert *Bellarm. in d. cap. declar. 1.* & docent *Nauar. d. comment. 2. de Regul. nu. 49. & 50.* in 1. editio. & *cons. 83. eod. tit. nu. 2. & 3.* in nouis, *Aloys. Ricc. collect. 584. D. Reg. Carol. Tapia in auth. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. cap. 1. nu. 15. in fin. Rodriq. tom. 2. quæst. 47. ar. 10. & tom. 3. quæst. 16. ar. 1. & in p. 1. summ. cap. 90. nu. 5. & 2. par. cap. 7. nu. 8.* & multis citatis *Barbosa 3. p. de off. & potest. Episcop. alleg. 99. nu. 12. & in collect. Doct. super Conc. in d. cap. nu. 15.* & *Miranda tom. 1. Manual. q. 23. ar. 4.*

2 Benè verum; quòd si Nouitius dimiserit donare, & testari, & moriatur antè Professionem, eius bona acquiruntur hæredibus sæcularibus, venientibus ab intestato, vt diximus suprà.

An Nouitius, testamentum à se factum possit annullare? Quæst. 28.

1 POsse equidèm, siuè sit factum antè ingressum Religionis, siuè post, aut quocunq; tempore infrà annum probationis, & aliud condere vsq; ad Professionem exclusiuè, *Couar. de testam. cap. 2. nu. 4. Clar. §. testam.* q. 28.

q.28. *D.Reg.Tapia in d.auth.ingressi, num.46. Carol.de Grassis de effect.Clericat. effectu 4. nu.* 31. & *Rodriq.tom.3. quaest.16.* vbi latè *de testam.Nouit.* & *Mirand.tom.1. Manual.Prælat. quaest.23. ar.8.9.& 10.* & alij quàmplurimi, quos citat *Barbosa in collect. d.cap. nu.21. & d. allegat.99. num.14.*

2 Tùm quia, omnis contractus, qui fit causa mortis, est reuocabilis, & potest fieri, & reuocari per Nouitios, absq; solemnitate *d. cap.16.*

3 Tùm etiam; quia Nouitius antè Professionem est sui iuris, se habet, vt Laicus; vndè ad sui libitum potest de suis bonis disponere, & etiam validè cōtrahere, si vellet, *Portell.in dubijs Regul.ver.Nouit.donat.nu.43.*

4 Secus autèm, facta Professione, *Miranda d.q.23.ar.10. Rodriq.Couar.cit.loc.* & latè *Genuens.in practic.Eccles. q.299.* vbi colligit opiniones *DD.* & disputat ad partes.

5 Tùm quia, Nouitius per Professionem moritur Mūdo; nàm profiteri idem est, quod mori, saltèm ciuilitèr, *cap.placuit 16.q.1.* itèm non habet velle, nec nolle, *cap.si Religioso, de elect.in 6.* tùm quia, idem est, disponere, quòd habere proprium, quod repugnat statui Religiosorum Mendicantium, ex *cap.non dicatis 12. quaest.2.*

6 Et additur, quòd omnia bona, iura, & actiones Nouitiorum, per Professionem transeunt in Monasterium, ex *authen.ingressi, & auth.si qua mulier, C.de sacrosanct.Eccles.* *Nauar.d.comment.2.de Regul.à nu.3.& sequent.* & antè eum *Sylu.ver.Religio 5. q.4.*

An saltèm Professus, possit suum testamentum declarare? Quaest.29.

1 ET quidèm posse, docent *Rodriquez tom.3.quaest.69. ar.3.* cum suo *Compend.resolut.135.de testam.num.3. Sanchez in decal.lib.7.cap.11.nu.16.Barbosa in d.cap.Trid. nu.24.& d.alleg.99.nu.14.& 15.* & *P.Anton. Diana 3.par. tract.2. resol.75.*

2 Eò maximè, si testamentum sit obscuræ, ac dubiæ voluntatis, vt indigeat declaratione, *Barthol.de Vecchis disputat.8. de Nouit. dub.12.* & *Peregr.in com.ad statut.Cler.Regul. p.2. cap.1.lit.G. §.36.*

3 Nàm si in casu dubio possunt testes, qui fuerunt præsentes, de voluntate defuncti, testimonium ferre; quibus standum est; quantò magis, & ipse principalis poterit suā dubiam voluntatem declarare?

4 Et sicut legis dubia, declaranda sunt à Principe; ità, & testamentum à testatore, vt eius voluntas omninò exequatur; testamentum enim respectu testantis se habet, vt lex, iuxtà illud, *disponat testator, & fiat lex.*

5 Nec hæc declaratio debet fieri sine licentia Prælati, nec Prælatus recuset hoc concedere; quia huiusmodi explicatio, non est, testari, sed testificari, ad occurrendum litibus, ex pietate, & charitate, quod seruari in praxi testatur *Petrus Cenedus collect.124. ad decret.in fin.pag.290. Rodr.cit.loc. Menoch. d.cons.396.& cons.819.nu.20.* vbi multa habes de ingrediente Religionem, de donante, ac moriente, vel profitente, & *Paul.Layman. moral.Theol. lib.3. sect.5. tract.5.cap.7.de vltimis volunt. à nu.3.* vsquè *in finem.*

Qui nàm sint hi contractus, qui sub Concil.Trid. comprehenduntur, & veniunt nomine renunciationis, & obligationis? Qu.30.

1 ET dico, venire omnes contractus, qui fiunt, aut fieri possunt in damnum patrimonij Nouitij, quoquo modo vocêtur, siuè lucratiui, respectu eorum, qui Nouitiorum bona lucrantur; vt sunt donatarij, & cessionarij, siuè spoliatiui, respectu donantium, & renunciantium; ex quo his contractibus, Nouitij suis spoliātur bonis omnibus, aut aliqua notabili parte hæreditatis suæ.

2 Proindè, donatio inter viuos, renunciatio, alienatio, & consimiles exigunt prædicti *cap.* solemnitatem, vt validæ sint.

3 Secus autèm, donatio causa mortis, testamentum, codicillus, & huius generis alia, prout *Rodriq.tom.2. summ.cap.J. num.4. Laur.Peyr. in priuil.Minim. tom.1.in Constitut. Sixti IV.nu.74.& 75. D.Barthol.à Sancto Fausto lib.5.Thesaur.de Relig.stat.qu.167. Bellarm.* & *Barbosa in d.cap.Trid.*

4 Et hoc ideò, nè Nouitius, ob suorum bonorum carentiam, egestate coactus, teneatur profiteri, prout dicitur *in fine* eiusdem *cap.16. Conc.Trid.*

5 Hìnc, emptio, venditio, permutatio, locatio, & consimiles contractus, iam dictæ *Concil.* dispositioni non subijciuntur; quia in his Nouitij nihil deperdunt de proprio, vndè possunt per Nouitios fieri in omni loco, & tempore, sine licentia Episcopi: dummodò fiant, iuxtà ius commune, & antè Professionem, qua peracta non sunt ampliùs sui iuris.

Nouitius Filiusfamilias existens in potestate patris, an possit condere testamentum? Qu.31.

1 DE iure dico, quòd non potest, etiam cum consensu sui Patris, vt expresè dicitur in *l.qui in potestate, ff.de testam.*

testam. & hoc ideò: quia ad testandum requiritur libera voluntas, quæ deest huic, ob nexum patriæ potestatis.

2 Nec persona Filijfamilias est integra, iure ciuili; tùm quia, pendet ex alieno arbitrio; tùm quia, nihil habet, quod sit suum, vt de eo testari possit, *Vlpian. in fragm. Institut. tit. 20. §. filiusfamilias, l. lex Cornelia 28. ver. quia non efficitur, ff. de vulg. & pupill. substit.*

3 Et de iure veteri filius quicquid acquirit, non sibi, sed Patri acquirit, *§. primo, Instit. per quas personas*, prout latè *Iul. Clar. lib. 3. sent. §. testam. q. 18.*

4 Secus autèm, in bonis Castrensibus; vel quasi Castrensibus, etiam sine voluntate Patris, vt in *l. penult. C. qui testam. fac. poss.* & docent communitèr *DD.*

5 Quia in his bonis filiusfamilias habetur pro Patrefamilias, *l. 2. ff. ad Senatusconsult. Maced. l. si quis 6. §. vlt. ff. de iniust. rupt. & irrit. testamen. facto*, quod totum magis habet locum in Nouitijs, & si sint sub patria potestate; adeò, vt hi possint testari, etiam de bonis aduentitijs, vbi mox Religionem fuerint ingressi; quia per talem ingressum, statim potiuntur illo priuilegio, *Authentica Presbyteros, C. de Episc. & Cleric.* vbi dicitur, quòd illud, quod Laicis est aduentitium, Clericis est quasi Castrense.

6 Quod amplia ad eorum salaria, & honoraria, si fuerint Medici, Aduocati, vel Notarij: hæc enim bona in Clericis reputantur, quasi Castrensia; adeò, vt in his Pater, etiam in vita priuetur vsufructu, *Sylu. ver. Religio 6. dic. 7. Graff. in pract. lib. 1. cap. 2. de arbitr. Confess. num. 16. & Miranda tom. 1. Manual. Prælat. qu. 23. ar. 8. conclus. 4.*

7 Itèm possunt, & multò magis, donare causa mortis, *Clar. vbi suprà, & Michael Crassus lib. 1. recept. sent. §. donatio causa mortis, & in §. testam. q. 23. nu. 2. Couar. in rubr. de testam. par. 3. nu. 9. Thesaur. decis. 159. nu. 1.* quia donatio causa mortis non est publici iuris, vt testamenti factio, sed priuati iuris; quæ autèm priuati iuris sunt, priuatorum, etiam pacta admittunt, prout per multa iura docent *Addentes ad Iulium Clarum.*

8 Insupèr, & inter viuos, ex nouo iure *Conc. Trid.* etsi sint Minores, seruata tamen forma *cap. 16. sess. 25. de Regul.* & absquè vllo Patris consensu, licèt viuat sæculo; nàm in tali ætate; nempè infrà duos menses antè Professionè, quæ regularitèr solet fieri, completo anno decimosexto suæ ætatis, reputantur habiles ad se obligandum, & renunciandum bonis suis, *Menoch. de arbit. cas. 436. nu. 4. & Bellarm. in fin. d. cap. Conc. Trid.*

Nouitij, an possint sibi ipsis, testamento, hac, vel illa bona relinquere, vel præcipere, & reseruare, vt sibi post factam Professionem, tot ducati soluantur? Quæst. 32.

1 Affirmatiuè, si loquamur de Religione, quæ sit capax bonorum; & dummodò bona reseruata, Professione sequuta, exigantur per Sindicum, & Procuratorem Monasterij, iuxtà dispositionem *cap. 2. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* quod incip. *Nemini igitur Regularium.*

2 Quandoquidèm toto illo tempore, quod Professionem antecedit, Nouitius est sui iuris, & reputatur, vt Laicus; vndè potest matrimoniū contrahere, & contractus inire, ac si foret in sæculo, non minus, quàm cęteri; & sicut legatum factum Nouitio ab aliquo Laico, tenet, & potest ab eodem legatario, post Professionem peti, & exigi, absq; vllo vitio proprietatis, si petatur, vt suprà.

3 Ità poterit sua bona alicui impartiri, hac lege, & pacto, vt donatarius sibi soluat tot, sua vita durante; etenim, in tali statu est suarum rerum Dominus, Moderator, & Arbiter; prout latè *Ludou. Miranda tom. 1. Manual. q. 23. ar. 9.* & practicatur in quauis Religione, quæ bona possidet, saltèm in cōmuni; quod itèm respectiuè extenditur etiam ad Fratres Minores, *Miranda cit. loc.*

Nouitij Fratrum Minorum, & Capuccinorum, an possint in eorum testamentis, sibi reseruare electionem puellarum, quibus sui hæredes teneantur quotannis soluere quandam certam pecuniarum summam? Qu. 33.

1 Politius in Regula Capuccinorum, cap. 6. nu. 77. Negatiuè respondet, & meritò, quia Fratres Minores, ex *Clem. exiui, de verb. signif. in 6.* non possunt suscipere vltimarum voluntatum exequutionem, prout *in §. proindè cùm vir sanctus, &c.* ibi, *debent sibi scire interdictum, quòd huiusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant, cùm hæc sæpiùs, absq; litigio nequeant expediri.*

2 Tùm quia, hoc ius eligendi Puellas, repugnat Regulæ præfatorum, in qua expressè dicitur, quòd Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nota ly, *nihil.*

3 Tùm etiam; quià Minores nullum ius rerum temporalium possunt acquirere, nec etiam in communi, vt expressè dicitur in cit. *loco.*

4 Ergò, PP. Minores, nec, vt singuli, nec

vt omnes, possunt tali electione vti, nec ius eligẽdi possidere; etenim repugnat eorũ extremæ paupertati, quam profiteri tenentur.

5 Nec dicas, quòd in tali casu cessat ratio *d.Clem.* ex quo talis electio, seù nominatio Puellarum, fit sine litigio, & absq; administratione, & contrectatione pecuniæ.

6 Nàm, etsi fiat sine litigio; non tamèn potest fieri, sine specie mali, quod cauendum itèm præcipit eadem *Clem.* etenim has eligere, & illas dimittere, non erit sine murmure.

7 Et addo, quòd licèt talis Puellarum electio possit esse sine litigio, & ordine iudiciali; nihilominùs non excludet paupertatem; dùm ius, & facultas eligendi residet apud huiusmodi Fratres.

8 Secus dicendum, si quis vellet, vt decem ducati de sua facultate expenderentur in decem Pauperes, qui eligantur per talem Fratrem Minorem.

9 Nàm in isto casu cessant rationes prædictæ, & Frater ille, cui committitur talis dispensatio, fieri potest, vt sit Confessarius; qui ob Confessiones scire meliùs poterit in conscientia, qui magis indigeant, & verecundentur petere; & ea, quæ fiunt secretò à Confessoribus, carent specie mali, & vitio proprietatis; quia aliud est, eligere ex commissione charitatiua, & confidentiali, & aliud est, ius sibi reseruare, & facultatem eligendi possidere.

10 Nec reticeam dicere, quòd nec ista exceptio placet *Glos.* in *d.Clem.* cit. *loc.* vbi dicit, quòd indistinctè standum est literæ, quæ generalitèr prohibet, nè suscipiant exequutionem; tùm quia, electio est pars exequutionis; tùm itèm; quia ratio prohibendi non fuit illa sola assignata; nempè, nè sint in iudicio, & nè contrectent pecuniam; sed etiam subest alia ratio generalis, nè scilicèt auocentur à spiritualibus laboribus, quibus quotidiè debet occupari; itèm posset fieri fraus; quia Frater eligeret aliquas, cum quibus participaret; facilè namq; in talibus fraudes confinguntur, hæc *Glos.* vide illam.

Donatio facta à Nouitio, iuxtà dispositionem Conc. Trid. an possit, sicut, & testamentum, antè Professionem ab eodem reuocari? Qu. 34.

1 NOn posse, respondeo; eò, quòd si esset reuocabilis, non indigeret solemnitate, ac forma *d.cap.16 Conc.Trid. de Regul. sess.25.* quandoquidèm ex communi sententia *DD.* & Declaratione Sac. Congreg. contractus reuocabiles non comprehenduntur sub præfata *Concil.* dispositione; & sic non distingueretur à testamento, & donatione causa mortis, *Molina de instit. tom.2. disput.285.* & *à Sancto Fausto lib.5. Thes. q.172.* Eminent. *Bellarm. in d.cap. Trid. ver. antea facta*, & *Anton. Diana p.3. resol.55. tract.2. de dub. Regular.* vbi refert, ità esse à Sacra Congregatione decisum.

2 Nihilominùs, in casu mortis, Professione non sequuta, potest Nouitius testari de bonis, vt suprà donatis, & tenet dispositio, sequuta morte Nouitij testantis; nàm in tali casu valet testamentum, & cadit donatio prædicta, ob defectum futuræ Professionis non secutæ, vt dixi hìc suprà, & docet *Layman. lib.3. tract.5. cap.7. nu.11. in fine.*

SVMMA QVAESTIONVM

Tract. VIII. De Domibus Nouitiorum.

missi, contrà formam Decretorum Clem. VIII. ex Apostolica benignitate, nullo, de nouo, Nouitiatu peracto recipiuntur, iussu Vrb. VIII. ad nouam Professionem, absq; vlla lasione Honorum, Graduum, Dignitatum, & similium.
Ratificans Professionem nullam, ob Loci non designati defectum, an teneatur Nouitiatum reiterare? Qu.6.
Hæc noua Professio, seù Ratificatio, an exigat nouum consensum Capituli, cum prascientia præterita nullitatis? Qu.7.
Regularis nullitèr Professus, si renuat, iuxtà Breue ratificare, an possit compelli ad nouè profitendum? Qu.8.
Episcopus Loci Ordinariue, an sit Index competens super reclamatione, quæ fit de nullitate Professionis, ab Loci non designati defectum; adeò, vt etiam, elapso quinquennio, & Superiore Regulari excluso, possit ipse solus banc causam decidere? Qu.9.
Breue Vrbani VIII. de nouè Profitendis, qua mente, & sine sit editum? Qu.10.
Regulares recepti ad habitū, & in Religione Professi, extrà tamèn Loca designata; si aliàs sint habiles, & canonicè recepti, an in conscientia teneantur de nouo profiteri, & à reclamatione resilire? Qu.11.
Episcopi Locorum Ordinarij, si Regulares Reclamantes, & Professos, iniustè reuocent ab Ordine, & ad Sæculum dimittant; ad quid teneantur? Qu.12.
Professi nullitèr defectu Loci non designati, si per solam sententiam Iudicis Loci Ordinarij fuerint egressi, Religione penitùs inaudita, an censeantur Apostatæ? Qu.13.
Religiosi Professi, si post quinquennium, iniustè reclament, & dimittantur, sine speciali licentia Dom. Papæ, ab Nouitiatum, in Locis designatis non factum, an possint, veluti Apostatæ puniri? Qu.14.
Nullitèr Professum, sed legitimè dimissum, an teneantur Religio recipere, si voluerit in Religionem reuerti? Qu.15.
Nullitèr Professi, & malè egressi, an sint recipiendi, & quomodò? Qu.16.
Monasteria, Domus, & Loca, ab Vrbano VIII. designata, ad stabiliendum de cętero Professiones Fratrum Ordinis Prædicatorum, in multis Prouincijs; prout in subsequenti Breui.

DE DOMIBVS Nouitiorum. Tract. VIII.

An in omni Loco, Conuentu, & Monasterio, liceat Nouitios ad habitum Religionis admittere? Qu.1.

1 Respondeo negatiuè; nàm aut loquimur de Religionibus, quæ per *Clem. VIII.* excipiuntur in *Decretis*, & maximè in illo, qnod incip. *Sanctissimus in Christo Pater*, ibi, *exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum, &c.*

Vel de Religionibus nō exceptuatis; Si primo modo; certum est, quòd non licet indifferentèr in omni Loco, aut Monasterio Iuuenes ad habitum recipere; sed in illis tantùm Locis, & Conuentibus, qui ad hoc fuerint designati per Prouinciale Capitulum, vel per Patrem Generalem, aut per alios Prælatos, iuxtà propria statuta, à Sancta Sede confirmata.

2 Quamobrèm, in Dominicana Familia (etsi sit Viridis, ac Regularis obseruantiæ, quæ ob id, aliàs soleat Reformata nominari; & consequentèr vna de exceptis in *Decreto*) Illud debet omninò practicari, quod sancitur in *tex.5.cap.13.de recipiēdis*, ibi, *Pueri recipiantur de consensu Capituli Conuentus, à Priore, & non aliàs; nec retineri possint in aliqua Conuentu, vbi non est Nouitiorum similium Cō. gregatio, cū proprio Dormitorio, & Magistro; ità, quòd alibi non recipiantur, nisi statim mittantur ad huiusmodi Conuētus, in quibus profitebūtur.*

Et Congregatio huiusmodi Nouitiorum debet esse ad minus numero senario, vt *ibidem* declaratur.

3 Quod proportionabilitèr extende, ad omnem aliam Religionem exceptuatam; secùs esset inuertere finalem causam tot *Decretorum, & Constitutionum*, & in Conuentualem vitam abire, contrà sanctā mentem tot Romanorū Pontificum: hi quidèm intendunt, collapsam Religionem reparare, & reformare; nō autèm reformatam deformare.

4 Si verò secundo modo; sumus in claris, per illa verba *Clementis; Illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt quibus in Monasterijs, & Conuentibus ex Apostolica facultate, Nouitiatus fuerint instituti; secus autèm, tàm receptio, quàm Professio erit nulla, nullamquè inducet obligationem*, prout clarè patet ex infrascriptis *Decretis*.

De-

Decreta generalia Clem. VIII. de Nouitijs ad habitum Regularem non admittendis, nisi in Conuentibus designandis.

Clem. Papa VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxtà nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud inprimis magnum impedimentum afferre quotidiano vsu compertum est, quòd in omnibus Cōuentibus, ijs præsertim, qui maiori reformatione indigent, singuli, ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Vndè fit, quò magis Nos varijs Constitutionibus malè affectas radices amputare studemus; eò magis in dies deprauata, infructuosaq; eiusmodi nouitèr profitentium germina succrescant. Cui quidèm malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, directèq; præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, cęterisq; Superioribus Conuentuum, intrà Italiæ, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscunquè, & quoruncūq; Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum Regularem admittant, nisi in Conuentibus authoritate nostra propediem in vnaquaq; Prouincia designandis. Insupèr sancimus, vt quòad huiusmodi Conuentus, vt præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quoruncunq; Nouitiorum, siuè ad habitum, siuè ad Professionem omninò abstineant. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq; actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterū obtinenda, se nouerit incurrisse, ac alijs, etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & Professiones quaslibet eorum, qui contrà huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas esse, ex nunc decernimus, & declaramus, priuilegijs, statutis, & consuetudinibus quibuscunq; in contrarium, minimè obstantibus. Datum Romæ 12. Martij 1596. Et est in *Bullar. tom. 3. pag. 130.* necnon, & in 4. *tom.* eiusdem *Bullar. Cherub.* infrà *Constitut. Vrbani VIII. fol. 269.*

Secundum Decretum eiusdem Clem. VIII. quo præcedens renouatur, & ampliatur: de Nouitijs ad habitum Regularem non accipiendis, nisi in Monasterijs, & Locis designandis.

Sanctissimus in Christò Pater, & Dominus noster D. Clemens diuina prouidētia Papa VIII. Cùm iam dudū animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxtà sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsquè præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac indè fieri, vt quo magis varijs Constitutionib. malè affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouitèr profitētium germina quotidiè succrescāt; cūq; ob zelū, ac desiderīū, quo tenetur Sāctitas sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusq; Religionis institutū redigēdi, districtè phibuerit, nè quis in certis Monachorū, & Mendicantium Ordinibus, ac suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur uè, quousq; Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs Regularis obseruantia secundùm Reformationem à Sāctitate sua institutam introduci: Quia tamèn; non obstante tali probibitione, cognouit, nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentia à Sanctitate sua obtenta, vel quia talis probibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos, prater mentis suæ sensum; Idcircò huic malo prospicere volens, nè licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Geralibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunq; cęterisq; Superioribus Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum, quocūq; nomine appellentur, intrà Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quorumcunq; Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, nec non Capuccinorum Sancti Francisci, Reformatorum Sancti Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarū, nec non Fratrum Congregationis Fuliensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ; Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sācti Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum, respectiuè Ordinibus, & Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam anteà exceperat, & nunc iterùm excipiendo, voluit, probibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) Nè sub cuiusuis licentia, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in forma breuis, dùmtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Conuersos, nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus, authoritate eiusdem S.D.N. propediem in vnaquaquè Prouincia designādis, recipere, aut receptos ad Professionem admittere, vllo modo audeant. Quinimmò contrà primā probibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiam si imperfectum habitum, aut sine caputio gerant,

post

post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò eijcere debeat.

Superiorem autèm, qui huius Decreti träsgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tûc obtinebit vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterùm obtinenda; eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs, etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis, subiacere.

Receptiones verò, & Professiones quaslibet eorum, qui contrà huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunq; effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autèm Decretum uoluit Sanctitas sua, eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domus, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactènus permissione sua constituerint.

Cęteras verò licentias, siuè particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortita, reuocat, & annullat.

Vult autèm, Decretum hoc suum in solitis Locis Vrbis publicatum, ità prædictorū singulos afficere, ac si cuilibet personalitèr fuisset intimatum, Priuilegijs, Statutis, & Cōstitutionibus quibuscunq; in contrarium minimè obstantibus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum die 20. mensis Iunij 1599. & habetur in tom. 3. Bullar. pag. 130. & tom. 4. Cherub. fol. 269.

Aliud de formula concedendi facultatem pro Nouitijs, ad Regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & Locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. Cùm Regularem disciplinam restituere, atq; in pristinum statum reuocare maximè cuperet, Regularesq; omnes, vitam, moresq; suos ad rationem eius Instituti, quod quisq; Professus esset, ità componere, vt quæ ad Votorum vim, habitum, victumq; communem pertinent, ea potissimùm singuli Religiosissimè obseruarent, generali decreto, quod de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, nè aut Nouitios reciperent, aut quemquam ad Professionem antè admitterent, quàm à Sanctitate sua Monasteria aliquot, ad eam rem præscripta essent, in quibus Obseruantia Regularis vigeret.

Nunc verò eadem Sanctitas sua à Locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat, certior facta, infrascriptis Monasterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum esse numerum, dùmtaxat eorum, qui, vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt, atquè in ijs omnia fidelitèr obseruari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta; nempè, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ vota, vnà cū cæteris Decretis particularibus, vel Institutis ipsius, vel Pontificijs etiam, ad victum, vestitumquè communem spectantibus (ipso Decreto, vt suprà edito, & promulgato, nequequàm obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infrascriptis Monasterijs, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atquè ad Professionem admittendi, modò tamèn id, ad præscriptum Instructionis iussu suæ Sanctitatis editum, neq; alio modo fiat. Quoniàm verò ea est Sanctitatis suæ mens, & voluntas, vt in Monasterijs, & Conuentibus ad alendos Nouitios præfinitis, Regularis obseruantia perpetuò retineatur, mādat, & præcipit, vt in ipsis præscriptus iam personarum numerus in posterùm seruetur, nullusq; omninò Superior cuiusuis conditionis, Personarum, & Nouitiorum numerū augere præsumat, ea pœna proposita, vt in omnibus priuatus Officijs, vocis actiuæ, & passiuæ, ius omne amittat. Vult deniquè Sanctitas sua, huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicæ hoc Decreto, Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, vt suprà promulgatu. Datum Romæ die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum Regularium, Clericorum . . . , Nouitiorum . . , Conuersorum autèm . . , prout pleniùs in tom. 4. Bullar. Cherub. fol. mihi 274. inter Constit. Vrban. VIII. Constit. 25. incip. Romanus Pontifex.

1 Ad præscriptam formam fuit facta facultas nostro Conuentui Terræ Altimontis Calabriæ citrà Diœcesis Cassanen. quæ incip. Santissimus in Christo Pater, & infrà, vt suprà, & subiungitur.

Nunc verò eadem Sanctitas sua ab Ordinario Cassanensi, cui id muneris demandauerat certior facta, in Conuentu Sancti Dominici Loci Altimontis, Diœcesis Cassanensis Ordinis Sancti Dominici Reformatorum, præfinitum etiam numerum eorum Fratrum, qui, vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis in eo sustentari possunt commodè, atq; in eo omnia fidelitèr obseruari, quæ sunt cum illius professionis perfectione coniuncta; nempè, Castitatis, atq; Obedientiæ vota, vnà cum cęteris Decretis particularibus, vel Instituti ipsius, vel Pontificijs etiam ad victum, vestitumq; communem spectantibus, ipso decreto, vt superiùs edito, minimè obstante, potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis, Nouitiatum in dicti Loci Altimontis Monasterio erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atq; ad Professionem admittendi, modò tamèn ea omnia ad præscriptū Instructionis, & Decretorū Sanctitatis suæ iussu editorum, neq; alitèr, seù alio modo fiant. Quoniàm verò ea est Sanctitatis suæ volūtas, vt in Monasterijs, & Conuentibus ad alendos Nouitios designatis, & approbatis Regularis obser-

obseruantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in supraſcripto, perſonarum numerus iam præſcriptus, perpetuò obſeruetur, nullusquè omninò Superior cuiusuis conditionis, Perſonarum, & Nouitiorum numerū augere præſumat, ea pœna ſecus facienti propoſita, vt in omnibus priuatus officijs, vocis actiua, & paſſiuæ ius omne amittat. Vult deniq; Sanctitas ſua, huiusmodi facultatem, per Congregationem Reformationis Apoſtolicæ, hoc decreto, Secretarij eiuſdem Congregationis manu ſubſcripto, concedi.

Redditus dicti Monaſterij, eſt Ducat. 500. *frumenti Tumul.* 350. *Vini Baril.* 300. *Olei Pignat.* 200.

Inſtituitur numerus Sacerdotum 10. *Studentium Profeſſorum* 2. *Nouitiorum* 10. *& Cōuerſorum* 4. *Dat. Romæ die* 15. *Maij M.D.CIII. Antonius Seneca Reformationis Apoſtolicæ Secretarius. Locus † ſigilli.* Quod authenticè aſſeruatur in Arca communis depoſiti ſupradicti Conuentus.

2 Ex his collige, quòd ſi Regularium Superiores, indiſtinctè in Locis non deſignatis, ad habitum, vel profeſſionem recipiant, peccant mortalitèr, incurrunt in pœnas contra transgreſſores appoſitas, & ſunt cauſa immediata, & proxima, vt multi Profeſſi à Religione recedant, non ſine animarum periculo: ex quo enim ſecus recipiuntur, poſt Profeſſionem ſępè reclamant, & de nullitate dicunt, & obtinent.

Si quis recipiatur ad habitum, extrà Loca deſignata, & poſtmodùm profiteatur in Monaſterijs deſtinatis, & è contrà, an nulla ſit eius Profeſſio, aut ſic recipientes, in pœnas incurrant? Quæſt. 2.

1 RESpondeo affirmatiuè; quia verba *Bull.* vtrumq; caſum alternatiuè comprehendunt; ibi, *Non recipiant, aut receptos ad Profeſſionem admittant,* ſupple, *niſi in Locis deſignatis.*

2 Sic adeò, vt hæc tria inſimul, & coniunctim ad validitatē Profeſſionis requirantur; nempè, & quòd receptio, & annus probationis integer, & continuus perfici paritèr, & Profeſſio fiant in Locis deſignatis.

3 Quod procedit etiam reſpectu Conuerſorum, qui viuunt, vt Regulares in ſeruitio Eccleſiæ, & incedunt in habitu ipſius Religionis, vt ex præcir. *Decret. & Bull.* renouatis, & ampliatis per *Vrb. VIII.* ibi, *nec etiam, & Conuerſos,* vt dixi in *tract. de Conuerſis,* & notar *Nouar. in ſumm. Bull. de Nouit. ſuper Bull Clem. VIII. nu.* 2.

4 Secus erit nulla Profeſſio, & Superiores talitèr recipientes incurrunt in pœnas in præcit. *Bull.* contra transgreſſores inflictas, *Sayr. deciſ.* 40. *de Regul.* & *Grat. diſcept. forenſ. cap.* 440. *nu.* 10. *& ſequent.* & latè nupèr *Remigius Seroſa in reſolut. qq. Moral. q.* 8.

Defectus Loci non deſignati, an ſit impedimentum perpetuum, perpetuò perſonam inhabilitans? Qu. 3.

1 IMpedimentum, quo quis impeditur, nè ſit, aut fiat verè, & propriè Religioſus, poteſt eſſe duplex; nempè, perpetuum, & ad tempus.

2 Perpetuum eſt quidèm defectus, qui inhærens alicui perſonæ, cum illa ſemper adeſt, deambulat, & reperitur; habet enim tractum continuum, & ſucceſſiuum cum illo ſubiecto, cui inhæret.

3 Et quemadmodùm in naturalibus, impedimenta ſunt ab authore naturæ, hoc, vel illo modo, vt cęcitas, vel debilis compago membrorum.

4 Ità, & in moralibus, ſunt à Supremo Principe perpetuò, vel ad tēpus præſcripta.

5 Quotièſcunq; Papa in ſuis *Decretis* hac vtitur clauſula (*Perpetuò inhabilitamus*) tunc, certum eſt, conſtituere perpetuum impeditum; prout plenè colligitur ex ſuprapoſitis *Cōſtitutionib. Sixti V.* Quamobrèm illa impedimenta de illegitimis, de criminoſis, de informationibus, & conſimilia, vſquè ad tempora *Clem. VIII.* fuerunt reſpectu Profeſſionis impedimenta perpetua; quia perpetuò inhabilitabant.

6 Etenim Dominus Papa Prædeceſſor *Clement.* huiusmodi Profeſſos, iuſſit, vti defectibus obnoxios à Religione expelli, quos itèm, & declarauit, eſſe inhabiles perpetuò: quò fit, vt impedimentum perpetuum tres effectus habeat inferre: Primò, prohibet, Religionem ingredi, & in ea profiteri: Secundò, habet Profeſſionem annullare: & Tertiò, ratificationē reſiſtere; adeò, vt per tales defectus Profeſſio nulla, nullatènus ampliùs poſſit vires reſumere, nec conualidari; quia impedimentum ſemper viuit, & adeſt.

7 Huius generis eſt ſexus fęmineus ad profitendum in Religione Virorum; nàm, impedit ingredi, Profeſſionem annullat, & ità annullatam, prohibet reuiuiſci.

Sic itèm ſexus maſculeus ad profitendum in Religione fęminarum.

8 Idem procedit in Hermaphroditis, & in Moniali, quæ in profitendo, noluit ſe obligare ad perpetuam clauſuram; quia huius viæ Nouitias Monialium *Pius V.* ſua *Conſtit. incip. Circa Paſtoralis,* perpetuò inhabilitauit ad eſſendum ampliùs intrà Moniales, *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp.* 3.

9 Ad

9 Ad tempus verò impedimentum admittit ratificationem Professionis, etiam si fuerit nulla, ob aliquem defectū: prout *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* vbi defectu ætatis, & annalis Nouitiatus, & vis, & metus redduntur nullæ Professiones.

10 Verùm, completa ætate, hoc est, anno decimo sexto finito, & metu cessante, ac sublato; si sit nullitèr Professus, per quinquennium non reclamauerit, elapso quinquēnio, non poterit ampliùs suam professionem rescindere, & annullare; quia per tractum quinquennalem, à die cessationis, & impedimentorum absentiæ, decursum, & elapsum, censetur, & præsumitur ratificasse, tacitè saltèm, si non expressè, vel secretò, si non palàm, vt in *d. sess. cap. 19.* præsupponitur.

11 Proindè, temporanea impedimenta ratificationi, & approbationi Professionis, licèt fuerit nulla, non obstant, nec resistunt; & vbi abfuerint post quinquennium, inducitur professio tacita.

12 Secus autèm dicendum de impedimentis perpetuis, quæ semper ratificationi resistunt, nunquàm absunt, & etiam post mille annos non patiuntur, tacitam Professionē induci, vt constat de fœmina, si mentito habitu, in Conuentu Virorum profiteatur.

13 Ex hac differentia, facilè erit colligere, an loci defectus sit de his, quæ perpetuò inhabilitant, & quæsitū negatiuè resoluo; tū quia, *Clem.* in dictis *Decret.* non fuit vsus illa clausula, *Perpetuò inhabilitamus*; tùm itē; quia in rescriptis obtentis exeundi à Religione ob Professionem nullam, impedimento, & defectu Loci non designati, de stylo Curiæ additur clausula, *dummodò non ratificauerit Professionem*; ergò supponitur, posse ratificari: quibus additur, & hodierna praxis fundata in *Decr. Vrb. VIII.* quo cauetur, vt Religiosi nullitèr Professi, ob Loci non designati defectum, si aliàs sint idonei, debeant illam ratificare; quod totum ratione probatur; nàm connexorum eadem est ratio, prout dicitur de relatiuis, ex *cap. si quis 7. caus. 1. quæst. 3. Glos. ibi, ver. neutrum*, ex *cap. quanto 3. de Iudic.* ex *cap. translato 3. de Constit.* sed Locus, & annus Nouitiatus sunt relatiua, & conuexa, & ad inuicem dicuntur; non enim potest fieri annus Nouitiatus extrà Locum designatum, neque Locus designatur præcisè, & absolutè, sed in ordine ad Nouitiatum, ad quem refertur, ergò vno, & eodem iure iudicantur, argum. *cap. cognouimus, caus. 19. q. 2. cap. cùm in sua 30. de decimis, cap. quia circa 22. de priuil.*

14 Sed defectus, qui se tenet ex parte anni probationis, non est perpetuus, vt constat ex *d. Trid.* nec habet tractum successiuū, sed tantùm pro illo determinato tempore

Nouitiatus, ergò sic paritèr, & Loci defectus, prout latè *Bordon. tom. 1. resolut. 8. q. 2. à nu. 4.* vsquè ad *num. 55.* & *Sanchez lib. 7. de impedimentis matrim. disp. 37. per totam.*

15 Nec his obstant verba *Clementis*, in dictis *Decretis* apposita, ibi, *qui immmò contrà primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiam si imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem omninò eijcere debent*, prout pleniùs in *secundo Decreto* suprà posito.

16 Quia esthæc verba non referuntur ad Professos, sed ad Nouitios simplices, qui habitum susceperunt in Locis non designatis contrà primam prohibitionem, & qui nondùm professionem emiserunt; aliud enim est, ad habitum receptos, & aliud, in Religione Professos eijcere: odia debent restringi, & maximè; quia quando Papa vult loqui de Professis, vel de eorundem professionibus, se benè declarat.

17 Et esto, quòd hi Iuuenes ad habitum recepti in Locis non designatis debeāt eijci omninò, exindè non benè inferes, ergò debēt habitu Religionis priuari, spoliari, & ad sæculum remitti, & quòd ibidem sint perpetuò inhabiles: hæc enim in dicto *Decreto* non leguntur; intentio enim Papæ potuit esse, vt eijcerentur à Loco non designato, & quòd transmitterentur ad Locum designatum, & sic suis *Decretis* satisfieri.

18 Certum est, quòd defectus Loci, etsi professionem annullet, tamen personam non inhabilitat; quia inhabilitas perpetua supponit defectum intrinsecum in persona, etiā antequàm procedat ad actum, vt patet in Viris ad profitendum intrà septa Fœminarū; sed defectus Loci est quid extrinsecum, & pullulat ex quadam circumstantia extrinseca; & vestiendus in casu nostro, non præsupponitur vitiosus, antè receptionem habitus, vndè defectus Loci subsequitur, non autèm antecedit, ergò erit extrinsecus, non autèm intrinsecus, *Sanch. lib. 7. matrim. disp. 37. nu. 45.*

19 Et tandèm, sicut *Clem. VIII.* inhabiles perpetuò ex *Constit. Sixti V.* habiles fecit, & inhabilitatem perpetuam in temporalem commutauit, ità, & *Vrb. VIII.* suo proprio motu, inhabiles ex *Decretis Clementis*, ad ratificandum professiones nullas, habiles fecit, statuit, & declarauit.

An sit nulla Professio, ob Loci non designati defectum? Quæst. 4.

1 RE vera, Professio potest esse multiplicitèr nulla; nempè, ob vim, & metum, vel ætatis defectum, aut incompleti temporis Nouitiatus, iuxtà *Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regul.*

2 Et signantèt, si fiat extrà Loca designata, prout ex præcitatis *Decretis Clem. VIII. de Nouitijs non recipiendis ad habitum, nisi in Monasterijs, & Locis designandis, &c.* ibi, *Receptiones verò, & Professiones quaslibet eorū, qui cōtra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumq; effectum, ex nunc decernit, & declarat.*

3 Quod itèm iussu *Urb. VIII.* fuit per Sacr. Congreg. sub die 21. Septembris confirmatum, sub anno 1624. prout in 4. *tom. Bullar.* in *Decretis de Regularibus Apostatis, & Eiectis*, §. 1.

4 Immò, idem *Vrban.* sub anno 1631. die verò 2. Aprilis, sua *Constit.* incip. *Religiosos viros*, quam hìc immediatè vides, id ipsum declarauit, ibi, *Professio subindè emissa, inualida existat*, & ibi, *eosdemq; postquàm Professionem de nouo, vt præfertur, emiserint, &c.*

5 Ad quam nouam Professionem Papa non obligasset, si prima non fuisset inualida: Et hoc totum procedit de iure: nàm præsuppositis præcitatis *Decretis*, & *Constitutionibus*, vnum de substantialibus pro validitate Professionis, est Locus designatus, & vt Nouitij recipiantur in Locis designatis, & quòd in eisdem approbentur pet annum, & Professionem emittant.

6 Per defectum autèm formæ, radicitùs corruit actus; forma enim substantiali corrupta, corruit omnia, adeò, vt fiat resolutio, vsquè ad materiam primam.

7 Quia sicut forma dat esse tei, vt in *l. Diuus, ff. de in integr. restit. l. qui heredi, & l. Meuius, ff. de condit. & demonstrat.* Ità omissio illius vitiat substantialitèr actum, vt in *l. 1. & 2. C. quando prouoc. non est necess. Glos. in cap. dilecta, ver. irritum.* & *ibi Panorm.* & *Felin. de Rescriptis*, & *Suar. de leg. lib. 1. cap. 31.*

8 Proindè, nullitèr sic Professi, licito iure possunt, quòad forum poli, Religionem deserete, cùm ob formæ defectum, & ex formæ inobseruantia coràm Deo sint Sæculares, nō autèm Regulares, prout ex multis colligit *Ioan. Maria Nouar.* in *Allegat.* posita *in fin. libri Lucernæ Regularium.*

Professio nulla, an censeatur reualidata, vel saltèm tacitè inducta per actus Professorum? Quæst. 5.

1 NEgat *Caiet. 2. 2. quæst. 189. ar. 5. in principio*, quem lcrantèr sequitur *Nauar. in summ. cap. 12. nu. 71. & de his, quæ vi, cons. 5. & de Regularib. consil. 5.* à *nu. 13.* vsq; *in fin. & comm. 4. de Regul.* à *nu. 61.* vsq; *in fin. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 37. qu. 7.* latè, ac lepidè *Rodriq. in summ. p. 2. cap. 8. concl. 5. Aloys. Riccius decis. 182. par. 1.* vterquè *Nouar.* cit. *loc.* & in *summ. Bull. tit. de Nouitijs recip. nu. 3.* & latè *Remigius Scropha in resolut. moral. quæst. 8.*

2 Et hoc ideò; quia Professio ipso iure nulla, non ratificatur, nisi data scientia nullitatis eiusdem, etiam si pet mille annos ità Professus esset in Monasterio, exercendo ea, quæ sunt Professorum, *Menoch. in cons. 439. nu. 56. vol. 5.* & *Rebuff. in proœm. Constit. Glos. vlt. nu. 73.* vbi refert, ità fuisse iudicatum; quia approbare, & ratificare sunt actus voluntatis, quæ de sua natura habēt prosequi, vel respicete præcognita; voluntas enim fertur in præcognitum; ergò voluntas non habet, vt possit Professionē nullā approbare, nisi præcognitam, & per intellectum sibi præpositam; quandoquidèm dicitur voluntas cœca potentia.

3 Verùm, & velle assistere actibus Professorum, non est, velle ratificare; sed exequi, quod præsupponitur esse validum; intellectus enim credens, Professionem esse validam, illam proponit voluntati, quæ sic consulta, vult talem assistentiam in exequutionem voti; eredere enim est actus intellectus, *Caiet. vbi suprà.*

4 Aut talibus actibus dicitur interesse, non ea intētione ratificandi; sed potiùs euadendi scandalum, vel Prælato obediendi, vel quia verecundabatur, non esse cum alijs, vel aliqua alia occasione, & fine.

5 Igitur, ex tali assistentia nullatènus potest colligi animus ratificandi id, quod pet ipsum ignorabatur, qui de nouo exigitur, & omninò est necessarius; quò fit, vt ratificatio non extendatur ad ignorata, *Surdus consil 49. nu. 32.* & *Grat. discept. forens. cap. 647. n. 4.*

6 Sed Ecclesia, huiusmodi actus assistentiæ, tàm quòad Professionem expressam, quā tacitam; nedùm non approbauit, sed reprobauit, vt ex *Decret. Clementis*, & *Vrbani VIII.* qui oēs Professiones emissas ab anno 1599. contrà *Decretum Clementis*, vsq; ad annum 1631. fuisse inualidas, & nullas, declarauit, vt in subsequenti *Breui.*

7 Et clariùs *Sixtus V.* sua *Constit.* moderatoria, ibi, *Sed cùm eadem ratio vigeat in tacita Professione emittenda, quæ militat in expressa, statuimus, quòd in quibusuis Ordinibus, & Religionibus, nec etiam tacita Professio quorumcunquè Religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione forma Constitutionis seruata fuerit*; hæc *ibi.*

8 Quod optimo iure sancitum existimo; quia tacita Professio non potest incurri, nisi post annum probationis legitimè completum: hinc est, quòd si quis emitteret tria vota in Religione, quam falsò existimat esse approbatam, aut in apptobata, sed in manibus Superioris nō legitimi; tale votum non esset solem-

solemne, nec solueret matrimonium subsequens, vt dicitur in *cap. vnicc, de voto, in 6. in fin.* & docet *Abbas* communitèr receptus in *c. rursus, ad fin. sub tit. Qui Clerici, vel Monachi.*

9 Et hoc ideò; quia desideratur legitimus consensus Ecclesiæ approbantis; ergò, si etiam Ecclesia approbatet actum, qui simul non approbaretur à profitente, non valeret; quia etiam desideratur consensus Profitentis; debet enim esse reciprocus.

10 Quò fit, vt si profitens vult, & Ecclesia non vult, non valeat actus, & è contrà, si vellet Ecclesia, & Religiosus recusaret, *Nauar. de Regul.* in antiq. *cons. 5. nu. 16. & 18. & comm. 4. n. 74. aduer. 4.* & *Rodr. p. 2. sum. c. 5. n. 2.*

11 Ex quibus collige, quòd nullitèr Professus, coràm Deo non est verè Regularis, nec propriè Religiosus, nec vinculo Regulæ vinctus, & consequentèr non facere fructus suos in Monasterio, quin priùs de nouo Professionem emiserit, cum præuio Nouitiatu, nisi sibi aliàs ex speciali fauore Romani Pontificis fuerit indultum, prout *Vrban. VIII.* nupèr ex benignitate concessit, *à Sancto Fausto lib. 5. Thesaur. q. 92.* Nec his obstat ordinum susceptio; nàm nullo iure cauetur, quòd inualidè Professus per susceptionem ordinum in Religione, suam Professionem ratificet, vt docet *Nauar. cons. 7. de his, quæ vi, & d. cons. 5.* in 1. edit. & *ibid. cons. 6.*

Religiosi nullitèr Professi, vel in Religionem admissi contrà formam Decretorum Clem. VIII. ex Apostolica benignitate, nullo de nouo Nouitiatu peracto, recipiuntur ad nouam Professionem, absq; vlla læsione Honorum, Graduum, & Dignitatum, & similium, per sequentem Bullam.

Vrbanus Papa VIII.

Ad futuram rei Memoriam.

Religiosos Viros, qui, spretis huius sæculi vanitatibus, Diuini Numinis obsequijs, sub suaui Religionis iugo se se mancipārunt, pastorali benignitate complectimur, vtq; in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneāt; iuxtà creditum nobis Apostolicæ seruitutis munus, sedulò intendimus, ac desupèr eiusdem muneris partes propensis studijs intendimus, prout ad Dei laudem, catholicæq; Ecclesiæ decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubritèr expedire.

Cùm itaquè sicut accepimus, quamplures, Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasterijs, seù Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minimè fecerint; proindèq; iuxtà Constitutionem fel. recor. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri desupèr editam, Professio per eos subindè emissa inualida existat. Nos Religiosos prædictos ex huius Sanctæ Sedis benignitate, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eorumquè singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibèt innodati existunt, ad effectum præsentium, dùmtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos forè censentes; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris venerabilibus Fratribus, nostro Scipioni Episcopo Sabinen. Cardinali Burghesio nūcupato, maiori Pœnitentiariæ, vel Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; Ordinarijs Locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, Domus, seù Conuentus, aliauè Regularia Loca consistunt, siuè ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatènus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem aliàs canonicè recepti, annum probationis in Monasterijs, seù Domibus Regularibus ad id designatis, minimè fecerunt, subindèq; Professionem nihilominùs emiserunt, ad Professionem denuò, seruatis aliàs seruandis, emittendam, quæ sic emissa, illis, & eorum cuilibet, tàm in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat, absq; nouo probationis anno, ex speciali huius Sanctæ Sedis benignitate, authoritate nostra Apostolica recipiant, & admittant; eosdemq; postquàm Professionem denuò, vt præfertur emiserint, ad omnes Gradus, Honores, Dignitates, præeminentias, atq; habilitates, quas si ab initio validè Professi essent, legitimè obtinerent, eadem authoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent, ità, vt habeant eundem locum, sessionē, & votum, prout haberent, si priores Professiones validæ fuissent, & nondùm promoti ad omnes, etiam sacros, & Præsbyteratus ordines, seruatis aliàs seruandis, promoueri, & tàm ipsi, quàm alij, ad eosdem Ordines iam rectè promoti, in susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare, liberè, & licitè valeant; nec non omnes actus, siuè contractus, quos contraxerūt, & legitimè contraxissent; vel cum Laicis, vel cum alijs Monasterijs, seù alterius Religionis Viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm, quia initi, aut contracti sunt inualidè ab ijs, qui contrà dictam Constitutionem in domibus non designatis, siuè ab eadem Sede non approbatis, Professi sunt, authoritate nostra prædicta confirment, & approbēt, ac validos omninò declarent;

ſuper quibus omnibus, & ſingulis, plenam, & amplam facultatem dicta authoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.

Decernentes, præſentes literas, & in eis cõtenta, atquè illarum vigore in præmiſſis facienda, & exequenda quæcunquè, valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuosquè plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, quos illa concernunt, & concernent, quomodolibèt in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, eosq; præmiſſorum occaſione, vel prætextu quomodolibèt moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatènus poſſe, nec debere; ſicquè, & non alitèr ab omnibus cenſeri, & ità per quoſcunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, & de latere Legatos, dictæquè Sedis Nũcios in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & definiri debere; irritum quoquè; & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoquam, quauis authoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac præfata Clementis prædeceſſoris, alijsquè Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; nec non, quatènus opus ſit, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi, & quibuſuis alijs, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoquè, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, eorumquè Superioribus, & Perſonis ſub quibuſcunquè tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiã derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus, et inſolitis clauſulis, ac irritãtibus, alijsquè Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & aliàs quomodolibèt iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autèm per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habẽda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruanda foret, illorũ tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice, dùmtaxat, ſpecialitèr, & expreſsè harum ſerie derogamus, cęterisq; contrarijs quibuſcunquè.

Cęterùm, ſimilibus in poſterùm conſultum eſſe volentes, dilectis filijs Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi Superioribus generalibus, quocũq; nomine cenſeantur, ac Procuratoribus, etiam generalibus per præſentes diſtrictè præcipimus, & mãdamus, quatènus ſtatim viſis præſentibus, Loca, Monaſteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens prædeceſſor ſuper hac re obſeruari iuſſit, obſeruentur, deſignari, ſinè confirmari omninò curent, & faciant. Vt autèm præſentium notitia ad omnes faciliùs perueniat, volumus, vt illarum exemplis tam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus noſtri anno 8.

M.A. Maraldus.

Ratificans Profeſſionem nullam, ob Loci non deſignati defectum, an teneatur Nouitiatum reiterare? Qu. 6.

1 NAuar. *conſ.5. de Regularib. nu.19. in reſponſ. ad ſeptimum,* in 1. edit. & in 2. *conſil.26. nu.17. & 19.* & *Rodriq.2. par. ſumm. cap.5. concl.2.* docent, de iure teneri, ſecus ex ſpeciali gratia, quia ex *Decr. Concil. Trid. ſeſſ.25. de Regul. cap.15.* ad validitatem Profeſſionis, omninò debet præcedere legitimus, & annalis Nouitiatus, ibi, *nec qui minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione permanſerit, ad Profeſſionem admittatur;* & hoc, vt Religio experiatur mores, & partes Iuuenis, ad habitum admiſſi, & Nouitius poſſit ex parte ſua experiri auſteritates Regulæ, vt in *cap. ad Apoſtolicam, de Regularibus.*

2 Sed Nouitiatus factus in Locis non deſignatis, nõ eſt legitimus, prout ex ſuprapoſitis *Decretis Clem. VIII.* quibus ſub pœna nullitatis Profeſſionis cauetur, nè Nouitij admittantur ad habitum, nequè ad profeſſionem, niſi in Locis deſignatis.

2 Et ità nupèr declarauit *Vrban. VIII.* ſua præpoſita *Conſtit. in §.1.* probationis annum in Monaſterijs, ſeù Domibus Regularibus ad id deſignatis, vel ab Apoſtolica Sede approbatis, minimè fecerunt, & ſubindè Profeſſio emiſſa inualida exiſtat, quod itẽ in diſpoſitiua eiuſdem *Conſtitutionis* reperitur.

4 Quandoquidèm, omne, quod non iure fit, iniuria fit, & eſt iniquum, & nullum, ex *l.1. in princ. ff. de iniur. & famoſ. libell.* & quod nullum in ſe eſt, nullum iuris effectum poteſt operari, & quod ab initio ſemel irritum eſt, tractu temporis non reuiuiſcit, *l. quod ab initio, ff. de Regul. iur. cap. non firmatur, de Regul. iur. in 6. cap. eo tempore, de reſcriptis;* quia in ius extinctũ non datur actio, & ad præterita non eſt potẽtia, vt dicit Philoſophus; ergò debet alius præmitti Nouitiatus, qui ſit legitimus; & confirmatur; quia ſicut profeſſio nulla, ex quo eſt nulla, debet de nouo emitti, ſeruatis ſeruandis, vt in præcitata *Conſtit. Vrban.* ità, & Nouitiatus nullus, ex

quo

quo est nullus, de nouo debet fieri, seruatis seruandis; quia vtrobiquè eadem est ratio nullitatis.

5 Confirmatur; nàm *Clem. VIII.* eò voluit, vt Nouitiorum receptiones ad habitum Regularem, & eorundem annus probationis, & professio fiant, dumtaxat, & solùm in Locis, & Domibus designatis, & non alibi, sub pœna nullitatis; quia in Locis designatis tantùm, supponit, adesse Regularem obseruantiam, & posse experiri Regulæ austeritates, secus autèm in cęteris non designatis.

6 Quod totum colligitur ex *proœmio* prædictorum *Decretorum*, ibi, *Cùm iam dudùm animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni: pro quâ vigilare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsq; præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, & indè fieri, vt quò magis varijs Constitutionibus, &c.*

7 Igitur, Loca non designata, ex quo ibi viuitur Conuentualitèr, non sine animarum periculo ob Regulæ inobseruantiam continuatam, & indigent maiori reformatione, non sunt idonea, immò inepta ad practicandum Regulæ austeritates, ad quas ordinatur Nouitiatus, & probationis annus, vt in *cap. ad Apostolicam, de Regul.* & alitèr, Nouitiatum peragere, foret finem Nouitiatus eludere.

8 Nàm, principale intentum Nouitiatus est, vt Religiosus cętus Fratrum videat mores, vites, & obsequia Receptorum, & è contrà ex parte Receptorum, est praxis, & vsus austeritatum Regulæ, quo principali sublato, cœtera corruunt.

9 Quod magis vrget, si aduertas, quòd *Vrb. VIII.* ex speciali gratia, & benignitate, quam ergà Religiosos Viros, se testatur habere, cauit, vt horum fieret noua Professio, absquè nouo probationis anno, vt est videre in dicta *Bulla*.

10 Secus ergò est de iure communi dicendum; aliàs non exigeretur specialis Papæ dispensatio, de non faciendo nouum Nouitiatum.

11 Quod dictum de Nouitiatu iterando, ob Loci defectum, *Nauar.* extendit ad omnem aliam Professionem inualidam, ob ætatis defectum, vel anni integri Nouitiatus, aut metus causa; quia in omni huiusmodi casu Regularis non censetur tacitè profiteri, nisi vbi sciuit, Professionem esse nullam, & quòd sistat, integro continuo anno in Religione, animo ratificandi: ità *Nauar. conf. 89. num. 5. in 2. edition. de Regularibus*.

12 Quod habere Locū existimo, quando Professio est nulla, & irrita, ob impedimentū publicum, secus occultum, & hoc ideò; quia de Professione oportet loqui, sicut, & de matrimonio, & arguere de matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum.

13 Sed matrimonium semel contractum coràm Parocho, & testibus, si sit irritum, ob impedimentum occultum, non est opus, vt iterū repetatur coràm Parocho, & testibus.

14 Secùs, si publicè esset irritum, ob publicum, & manifestum impedimentum, ità dicendum de Professione nulla, licèt *Sanchez* huic opinioni non subscribat, *lib. 7. de matr. disput. 37. q. 6. nu. 48.*

15 Quia, quando Recipiendus est inhabilis, ob aliquam defectum publicum, Capitulum non potest consentire, nec habet potestatem consentiendi; nec Ecclesia approbat talem consensum; immò reprobat, & sine Ecclesiæ approbatione actus non valet, nec consensus Capituli, potest ferri super incapacem publicè, vt *Nauar.* in *cit. loc.*

16 Et parum refert, recurrere ad impedimentum perpetuum, vel ad tempus, satis est, quòd Nouitius, vel Capitulū, in illo actu receptionis ad habitum Religionis, vel Professionis, laboret aliquo impedimento publico, quo efficitur incapax; adeò, vt tunc sit illegitimus consensus huius, vel illius; vndè per Regulam, quod non iure fit, iniuriâ fit, & quod nullum est, cum scientia nullitatis, debet reiterari, ex *Nauar. de his, quæ vi, consl. 5, & 6.* vide *Bonac. tom. 1. de clausura, quæst. 2. pun. 10. §. 2. nu. 4. D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 5. q. 93.* & *Bordon. tom. 1. resol. 8. q. 14.* qui multa dicunt pro contraria sententia.

Hæc noua Professio, seù Ratificatio, an exigat nouum consensum Capituli, cum præscientia præteritæ nullitatis? Quæst. 7.

1 NEgat *Nauar. de Regul. conf. 35. n. 3. in 1. editio.* vbi dicit, quòd non est necessaria noua receptio Capitularis, sed sufficit, quòd receptio prima continuetur per totum annum, absq; interruptione.

2 Id ipsum docet *conf. 46. eod. tit. num. 2.* ibi, *nō oportet publicè eum de nouo profiteri, sed satis videtur, vt ipsemet eam ratificet, & Monasterium permanserit in illo consensu, quo eius Professioni consentit, & eam recipit*, quod probat argum. *cap. ad id, de sponsalib.* vbi matrimonium metu contractum, fit validum, si cessante metu, pars, quæ metu consentit, ratum habeat illud, saltèm tacitè, idem probat in alijs *locis*.

3 Cuius sententiam sequūtur *Graff. decis. aur. lib. 3. p. 1. cap. 5. nu. 24. Sanch. lib. 5. decalogi, cap. 4. nu. 14.* & *Portell*, multis citatis *tom. 2. par. 1. casu 1. nu. 2. vers. tertiò probatur, Bordon. tom. 1.*

tom.1.resol.8.de egressis,nu.52.ver.verissimum, & ibid.quæst.13. Lezana cap.2.nu.9. & noster *Scrofa dub.9.de inualidit.Profess.*& consimiles.

4 Id habet locũ, quando Professio fuit irrita ex defectu vnius, vtputà, profitentis, vt si fictè exhibuisset consensum, vel si metu, habitum Religiosorum assumpsisset; quia in tali casu, recedente fictione, vel sublato, satis est, vt superueniat nouus cõsensus illius personæ, quæ durante metu, vel fictione fuit, & erat inhabilis, sicut si matrimonium sit irritum ex parte vnius, satis est, vt ille consensus accedat, qui defuit, absq; alio nouo consensu alterius coniugis.

5 Et quidèm hoc totũ benè currit, quando inhabilitas ignoratur ex parte alterius, qui non fuit in culpa, quin contractus fuisset validus vtrobiquè, & omni ex parte.

6 Sed pone, quod neuter consensus fuerit habilis respectu Professionis, quam inualidè professus, intendit ratificare; quia fortè, tàm per Capitulum, quàm per ipsum Professum fuit admissa, & emissa, & acceptata in Locis non designatis, aut contrà formam præscriptam à *Clem.VIII.* & sic neutèr consensus fuit habilis, sed inualidus, nec Ecclesia approbat hos actus, nec dedit talem nobis facultatem, quempiam admittendi ad habitum, vel ad Professionem antè annum 16. iuxtà *Decr.Conc.Trid.* nec recipiendi ad habitum, vel ad professionem extrà Loca designata per *Clemen.VIII.* & ratificata per *Vrban.VIII.*

7 An in tali casu vtriusq; requiratur nouus consensus, ex quo præteriti, vt suprà præstiti, fuerunt nulli, & inualidi hinc indè.

Affirmat *Azor lib.12. Institutionum moralium, cap.4.quæst.7.* quem sequuntur grauissimi *Doctores, Nouar.in Lucerna Regul.* in sua *alleg. in fin.* vbi per plura iura ostendit, quòd actus omninò nullus, quatènus in eo defecerunt substantialia præscripta, & requisita, nõ habet subiectum confirmabile, & quòd in casu nostro non datur Locus Professioni tacitæ, sed requiritur expressa.

8 Et Professio noua, siuè sit tacita, siuè expressa, exigit, & præstolatur nouum consensum, & professio, sine consensu est nulla, ex *cap.humana 22.quæst.2.* & argum. *cap.cuncta per mundum, caus.9.quæst.3. cap.proposuit, de concessione præbendarum*, & sicut defectus consensus annullat professionem expressam, ità, & tacitam.

9 Id ipsum *Nouar.* Frater in *summ. Bullar. tit.de Nouitijs, nu.5.* vbi docet, quòd ad hunc effectum requiritur nouus consensus; quia ratificatio Professionis nullæ, non fit ex tunc, sed ex nunc; hoc est, à die, & hora ratificatæ, ac licitæ ratificationis incipit esse vera, & efficax, prout oẽs *DD.Cacher.dec.119.n.26.*

10 Quod totum optima ratione probatur; nàm sicut matrimonium irritum, ob contrahentium inhabilitatem, ad hoc, vt conualescat, necessarius est nouus vtriusquè coniugis consensus, scientis priùs matrimonium esse nullum, vt latè *Sanch. lib.2. de matrim. disput.35.*

11 Ità, & matrimonium spirituale, quod contrahitur inter profitẽtem, & Religionem acceptantem, si fuerit nullum, & irritum ex defectu mutuo, & vtriusquè lateris, ad hoc, vt reualidetur, requiritur necessariò consensus vtriusq; partis, & arguere à matrimonio carnali ad spirituale, valet argumentum, vt latè *Nauar.* præcit *loc. & in Comment.4. de Regularib.nu.76.* & *Sanch. d.lib.7.de matrim. disput.37.q.7.nu.63.* laudat hanc opinionem, & dicit, esse veriorem, & tutiorem pro omni bona conscientia, & *Scrofa in moralib. q.8. nu.4.* vbi ostendit, quòd ad hoc, vt Professio sit expressa, & solemnis, requiritur actus positiuus Ecclesiæ approbantis; quia contractus Religionis, cùm sit mutuus, exigit ambarum partium consensum.

12 Quod potest colligi ex verbis præcit. *Bull.Vrban.VIII.* ibi, *Ad Professionem denuò, seruatis aliàs seruandis emittendam, &c.* quæ verba secundùm multos referuntur, non ad externas ceremonias cantus, vel solemnitatis, sed ad substantialia, quæ etiam in omni contractu summario debent obseruari.

13 Nec itèm possunt hæc verba referri ad alia requisita de patria, natalibus, vita, moribus, & scientia; quia priùs dixerat, *aliàs canonicè receptis, annum probationis in designatis minimè fecerunt*, ergò, exclusis debitis, & solitis requisitis, ac itèm solemnitatibus accidentalibus, oportet, vt illa verba referantur, ad aliquid substantiale necessarium; nempè, ad consensum vtriusquè, & suffragia Capituli; nisi velis (sed malè) dicere, quòd illa suprapofita sint otiosa, & quòd nihil operentur, quod non est dicendum; cùm etiam minimæ syllabæ *Constitutionis*, debeat aliquid operari, vt dixi *in tract.de priuilegijs.*

14 Benè verum, vt notat *Nauar.in dict. consl.5.de Regul.in fin.* quòd sicut Dom.Papa, etiam contrà *Conc.Trid.* potest tollere Nouitiatum; ità, & consensum Capituli, ipse enim cùm sit Caput Ecclesiæ Militantis, & Generalissimus omnium Religionum, pro communi bono, pace, & tranquillitate Religiosorum, solus potest recipere, vel alteri committere, quod intelligitur, fecisse, & facere, quotiès commiserit huic, vel illi, & præcipuè Religionũ Præfectis, vt hoc, & illo modo recipiant, absq; eo, quòd ballottetur, & sine alio requisito suffragio; Princeps enim nemini facit iniuriã, & vtitur iure suo, prout docet *Sanch. d.lib.7.de matr.d.disp.37.in fin.*

Regu-

Regularis nullitèr Professus, si renuat, iuxtà Breue ratificare, an possit compelli ad nouè profitendum? Qu. 8.

1 NEgat *Nauar. de Regul. cons.* 17. & 18. in 1. edit. & in *comm.* 2. *de Regul. super cap. non dicatis*, q. 1. n. 36. & *in comm.* 4. *eod. tit. quæst.* 2. *nu.* 21.

2 Et meritò; quia non minus, quàm matrimonium Professio coacta, & per vim, & metum emissa, non tenet, prout ex *Conc. Trid. sess.* 25. *de Reg. cap.* 19. & habetur in *cap. Puella, caus.* 20. *quæst.* 1. & *in cap. cùm virum, de Regul.* ibi, *quia liberum habet arbitrium in electione propositi.*

3 Et confirmatur; quia vnum de Votis Religiosorum, est virginitas, quæ, nec per Papam potest præcipi, nisi ratione delicti, vt clarè habetur in *cap. integritas corporis* 32. *quæst.* 1. ibi, *Sola est virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quàm præcepti*, & in *cap. gesta* 74. *dist.* ibi, *nemo crescere compellatur inuitus*; sed nouitèr profiteri in casu, de quo agitur, est crescere, ergò, & *Glos. ibid.* subiungit, *quòd Monachis, vel Canonicis inuitis, districtior vita non potest imponi*, argum. 15. *quæst.* 1. *cap. non est*, & 20. *quæst.* 3. *cap. præsens*, ex quibus collige, quòd voluntarium sibi militem, elegit Christus.

4 Sed verum est, quòd Religiosus inualidè Professus, si non vult remanere, & ob id recuset, de nouo Professionem emittere, tenetur infrà quinquennium reclamare, & reclamando, exire è Religione, iuxtà dispositionem *Conc. Trid.* in *cit. loc.* & potest cogi ad reclamandum; quia non reclamando, & Professionem non ratificando, iniuriam Religioni infert; cùm recipiat alimenta, & alia commoda, quæ debentur solis benè Professis, vel ijs, qui sunt in via ad benè profitendum, vt *Bonac. tom.* 1. *de clausura, quæst.* 2. *pun.* 10. *diff.* 1. *nu.* 20. & *Bordon. tom.* 2. *resolut.* 7. *de reclamat. q.* 19. & *tom.* 1. *resol.* 8. *nu.* 44.

5 Et eò fortiùs; quia malè, & nullitèr Professos, non potest Religio de se, & ex se, immediatè à Religione expellere, nisi reclamando coràm Iudice competente; & vbi, seruatis seruandis ad præscriptum *Conc. Trid.* & *Decretum* Roman. Pontificum præcesserit sententia declaratoria super nullitate Professionis.

6 Nec itèm sic inualidè Professi ex se, & ad sui libitum possunt Religionem exire, & habitum deponere, nisi reclamando, vt suprà, præcesserit declaratoria Iudicis.

7 Sed dices, quid, si talitèr malè Professus, recuset ratificare, & paritèr reclamare?

Respondeo, quòd in tali casu, debet Cõuentus reclamare, & instare, vt eius nulla declaretur professio, & quòd fuerit emissa contrà formam *Decret. Clem.* & *Vrb. VIII.* & consequentèr, esse nullam ex formæ inobseruantia.

8 Etenim, Professio est quidam contractus mutuus, proindè, ambæ partes possunt dicere de nullitate illius; nempè, malè Professus, & Religio, quæ illius Professionem minus licitè acceptauit; vt infrà latè dico.

Episcopus Loci Ordinarius, an sit Iudex competens super reclamatione, quæ fit de nullitate Professionis, ob Loci non designati defectum; adeò, vt etiam elapso quinquennio, & Superiore Regulari excluso, possit ipse solus, hanc causam decidere? Qu. 9.

1 IVdices competentes super cognitione vniuersali validitatis, vel inualiditatis Professionis emissæ à Regularibus, qualitèrcunq; nullitèr præsumptæ, assignantur à *Sacr. Conc. Trid. in sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. sub hac forma verborum; *Quicunq; Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, antè ætatem debitam Professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacunq; de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur; nisi intrà quinquennium tantùm à die Professionis; & tunc non alitèr; nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coràm Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antè habitum spontè dimiserit, nullatènus ad allegandum quamcunq; causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquàm apostata puniatur; interim verò, nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.*

2 Verùm, *Sacr. Concil.* non obstante, non defuerunt, qui ausi sunt, sub prætextu præfati *Breuis Vrb. VIII.* etiam suprà quinquenium, & Superiore Regulari penitùs inaudito, Religiosorum Professores, è Religione auocare, & ad sæculum dimittere, non sine Dei offensa, & Regularium præiudicio; ea falsa ratione suffulti, quòd impedimentum Loci nõ designati, esset impedimentum perpetuum, insanabile, & quòd semper se opponeret, atq; resisteret Professioni tacitæ, & cõsequentèr, non esse illius generis, de quibus loquitur *Concil. vbi suprà*, & sic ordinaria via tractandum, prout latè *Bordon. tom.* 1. *resolut.* 8. lite otta inter Regulares, & Ad. R. D. Vicarium Generalem Capitularem Ecclesiæ Brixiæ; de quo, & alijs non paucis conquæritur Sacra Congregatio *Concil.* & dolet iteratis literis, & epistolis dissuasorijs, & inuectiuis, sub tali forma verborum.

A fronte. Al Reuerend. Sig. Il Vicar o Capitulare di Brescia. Intus verò, Reuerend. Signor questi

questi Eminentissimi miei Signori vengono ragguagliati, che con l'occasione della Bolla, nella quale la Santità di nostro Signore, hà dato facoltà à Regolari di conualidare le loro Professioni, che si poteuano pretendere nulle, per causa di nõ hauer fatto l'anno della probatione, e lo medesime Professioni in Luochi designati à riceuer Nouitij, alcuni di essi Regolari, che stanno di Famiglia nelli Conuenti, ò Monasterij di cotesta Città, ò Diocesi, in vece di conualidare le dette Professioni, con licenza, ò decreto vostro, habbino lasciato l'habito, & hora se ne stanno fuora de' Claustri in habito di Chierici secolari, sotto pretesto, che tal facoltà (come si suppone) almeno tacitamente si dia in detta Bolla, E perche ciò è del tutto alieno dalla pia mente della Santità sua; nè tali dechiarationi di nullità di Professioni si possono fare, se non, seruatis seruandis, conforme alla dispositione de sacri Canoni, Constitutioni, e Decreti Apostolici, e particolarmente del Sacro Concilio di Trento. Però l'Eminenze loro essendo restate assai marauigliate di voi, m'hanno ordinato di scriuerui, che quanto prima auisiate quà tutto ciò, che vi occorre per vostra giustificatione; e che tra tanto non solamente vi asteniate dal dar licenze, ò decreti sudetti, mà procurate con ogni vostra possibile industria, e diligenza, che quanto prima tornino ne' Claustri con l'habbito loro Regolare quelli, à' quali hauete cõcesse le licenze, ò decreti sudetti; tanto dunque eseguite, e state sano, di Roma à 8. di Luglio 1632. Al piacer vostro, Il Cardinal Sant'Onofrio. Antonio Tornielli.

Prout per extensum refert *Peyr. tom. 3. priuil. Minimorum, in addit. ad Constitut. Vrban. VIII. cap. 12. in Constit. 7. num. 3. Diana par. 5. tract. 14. Miscell. 2. resolut. 16.* & *Bordon.* cit. *loc. nu. 52. in fin.*

3 Et meritò; quia iudicare de voto solemni, aut velle, in eo dispensare, ad solùm spectat Rom. Pontificem, ad quem debet referri omne aliud graue negotium, quale est est istud, de quo agitur.

4 Nec Locorum Ordinarij possunt de nullitate Professionis cognoscere, nisi iuxtà dispositionem *Concil. Trid. cit. cap. 19. sess. 25.* secus esset, falcem mittere in messem alienã.

5 Et non alio titulo, nisi tãquàm in hoc specialitèr Delegati à Sede Apostolica; quia Regulares sunt omninò exempti, & immediatè subsunt iurisdictioni Romani Pontificis, à quo in omnibus (paucis exceptis, & *in* iure expressis) debent cognosci.

6 Et sicut Episcopus Loci Ordinarius non potest validè recipere Professiones Regularium exemptorum, sine cõsensu proprij Regularis Prælati, *Nauar. cons. 4. de Regul. nu. 2. & 4.* & *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. quæst. 17. ar. 11.* Ità, nec potest eorundem exemptorũ, sine consensu eiusdẽ Regularis Prælati Professiones tollere, aut rescindere, nisi inualidè, & vsurpatiuè; quia ex vulgari Regula, res per easdem causas resoluitur, ex quibus producitur.

7 Quàpropter, ad euitandum euitanda, etsi iudicium super reclamatione nullitatũ Professionum, ex defectu Loci non designati præsumptarum, potuisset spectare ad Locorum Ordinarios, secundùm dispositionem *Sacr. Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de Regul.* ex quo iste Loci defectus est extrinsecus, & remediabilis, per ea, quæ dixi hìc suprà *quæst. 3.*

8 Nihilominùs, hodiè auocatum est ad Sacram Congregationem; adeò, vt in posterùm nulli Regularium liceat, elapso quinquennio super his reclamare, & infrà quinquennium, non nisi coràm eadẽ Sacra Congregatione, quæ ex speciali Sanctitatis suæ facultate habet prouidere, prout ex speciali *Decreto Vrb. VIII.* tenoris sequentis.

Sanctissimus D. N. Vrban. diuina prouidentia Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui possunt in Religionibus oriri, occasione receptionis Nouitiorum, & Professionis per eos emissæ in Conuentibus non designatis, contra formam Decretorum sanct. mem. Clementis VIII. de Nouitijs ad habitum Regularem, & professionem non admittendis; nisi in Conuentibus designatis, audita super hoc sententia Sacræ Congregationis Concil. declarauit, & decreuit, huiusmodi Receptos, ac Professos contrà formam ipsorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem Receptionis, & Professionis, non posse super huiusmodi nullitate, post lapsum quinquennij, quoquo modo audiri.

Quòd si aliqui contrà formam prædictorũ Decretorũ Recepti, & Professi è Religione infrà quinquennium exire, vel Superiores extrà eam respectiuè, illos eijcere voluerint, eadem sua Sanctitas declarauit, vt tàm ipsi Professi, quàm Superiores respectiuè teneantur iura, quæ sibi fauere visa fuerint, priùs deducere coràm Sacra Cõgregatione, quæ ex speciali, etiam suæ Sanctitatis facultate, super hoc concessa, prouidebit.

Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac quibuscunq; Iudicibus Ordinarijs, & Delegatis, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sedisq; Apostolicæ Nuncijs, nè in posterùm in hoc quoquo modo se ingerant, absq; speciali eiusdem Sanctitatis commissione, sub pœna ipso facto incurrenda, quòad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ; quòad Abbates, Inferiores, & alios Iudices prædictos, excommunicationis latæ sententiæ: Quò verò ad Nuncios, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, indignationis suæ Sãctitatis, & pœnarum arbitrio imponendarum.

Si verò ijdem Recepti, vt suprà, & Professi,

fessi, iuribus suis minimè deductis, eorùm Sacra Congregatione nisi fuerint recedere, ipsi Recepti, & Professi, tanquàm apostata putautur, & pro talibus habeantur; nec non eosdem iuxtà formam Decret. de Regular. Apostat. & Electis eiusdem Sanctitatis sua iussu, ab eadem Congregatione; sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint: pœnis suspēsionis à Diuinis, nec non priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterùm obtinenda, vocisq; actiuæ, & passiuæ ipso facto, & absquè alia declaratione incurrant.

Datum Romæ die 5. Ianuarij 1636. F. Cardinal. Verospius. Locus † sigilli. Franciscus Paulutius Secretarius. Concordat cum originali. Ità est. Antonius de Episcopis Cancellarius Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Nuncij Apostolici Venetiarum. Et refert per extensum Peyr. in suo *formul. lit. P. cap. 20. Nouar. in fin. Lucerna Regul. Scrofa in moralib. q. 8. in fin. nu. 9. & Bordon. tom. 1. var. resolut. q. 23. nu. 7.*

Breue Vrb. VIII de nouè profitendis, qua mente, & fine sit editum? Qu. 10.

1 NON desunt, qui dicant (licèt malè) *Vrban. VIII.* per hoc suum *Breue* saltèm tacitè, aut indirectè dedisse facultatem Ordinarijs Locorum, cognoscendi causam nullitatis Professionis emissæ in Locis non designatis, ad finem, huiusmodi nullitèr Professos eijciendi è Religione, & in sæculum dimittendi.

2 Et hoc pro obseruantia *Decret. Clem. VIII.* qui cauet, ac voluit, vt huius generis Professi prorsus eijciantur.

3 Attamèn falluntur omninò; nàm, nec vnum quidèm verbū reperitur in dicto *Breui*, quo possit hæc facultas persuaderi.

4 Immò totum oppositum; dùm Papa in *proœmio* eiusdem *Constitut.* se declarat, ibi, *Vsq; in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant*; vult enim, non, vt eijciantur, sed remaneant in Religione, & pro salute animarum, talitèr Professorum, desiderat, vt de nouo Professionem emittant, & ad hoc sic Professos allicit, mandans Superioribus, vt de nouo profitentibus, restituāt omnes Gradus, Honores, Locum, & cętera; & tradit modum ratificandi.

5 Et hoc meritò, & ex Pastorali benignitate; quia nullitèr Professus, nullum verum ius acquirit in Religione; sic adeò, vt omnes actus dependentes à Professione nulla, sint nulli; destructo enim fundamento, destruitur fundatum, & sublato fundamento ædificij, cadit ædificatum.

6 Hinc, Professi nullitèr, etsi validè susceperint ordines, non tamen legitimè; quia non habuerunt Dimissorias à legitimo Superiore: Prælatus enim Regularis, non potest concedere hiusmodi Dimissorias, nisi verè, & legitimè Professis.

7 Perindè, sic ordinati, ipso iure sunt suspensi ab exequutione Ordinum, iuxtà *Cōstit. Pij V.* quæ incip. *Cùm ex sacrorum Ordinum,* quam refert *Quaranta* in sua *summ. Bull. ver. Ordo*; & si in susceptis administrauerint, efficiuntur irregulares, prout communitèr *DD.*

8 Itèm, nullitèr Professi, non possunt eligi, nec eligere, nec in Capitulo suffragari, nec aliquid ritè facere, quod dependet à vera Professione, vt dicitur in *cap. nullus Religiosus 28. de elect. in 6.*

9 Quò fit, vt Priores, & Guardiani huiusmodi, respectu Subditorum, careant iurisdictione ordinaria, quos, nec possunt sacramentalitèr audire, ob morbum in radice.

10 Et Dispensationes factæ à Prælato nullitèr Professo, sunt nullæ; quia dependent à radice infecta, & alia multa mala sequuntur ad Professionem nullā, & inualidam, quæ per ratificationem Professionis auferuntur.

11 Igitur, ad hunc finem Dom. Papa præfatum *Breue* edidit, & iussit, publicari; quod itèm subsequenti *Breue* ad maiorem cautelam plenius declarauit.

Vrbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Aliàs per nos accepto, quòd quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Professores, ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasterys, seù Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis, minimè fecerunt; proindèq; iuxtà Constitut. felic. rec. Clem. Papæ VIII. prædecessoris nostri desupèr editam, Professio per eos subindè emissa, inualida existebat. Nos motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris bon. mem. Scipioni Episcopo Sabinensi, Cardinali Burghesio nuncupato, Maiori Pænitentiario, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisq; Ordinarijs Locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, Domus, seù Conuentus, aliaquè Regularia Loca consistebāt, siuè ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per nostras in simili forma Breuis sub die 11. Aprilis M.DC.XXXI. expeditas litteras, cōmisimus, & mandauimus, quatènus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem, aliàs canonicè Recepti, annum probationis in Monasterijs, seù Domibus Regularibus ad id designatis, minimè fecerant; subindèq; Professionem denuò, seruatis aliàs seruandis emittendam, quæ sic emissa illis, & eorum cuilibet, tàm in foro interiori, quàm exteriori, suffragari deberet, absq; nouo probationis anno, ex speciali huius Sanctæ Sedis benigni-

gaudeant, authoritate nostra Apostolica reciperent, & admitterent, eosdemq; postquàm Professionem denuò, vt præfertur, emisissent, ad omnes Gradus, Honores, Dignitates, Præeminentias, atq; Habilitates, quas si ab initio validè Professi essent, legitimè obtinuerent, eadem authoritate restituerent, ac restitutos, eo ipso esse, & censeri declararent; ità, vt haberent eundem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores Professiones validæ fuissent, & nondùm promoti, ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, seruatis aliàs seruandis, promoueri; & tàm ipsi, quàm alij ad eosdem Ordines iam rectè promoti in susceptis Ordinibus huiusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valerent, nec non omnes actus, siuè contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum Laicis, vel cum alijs Monasterijs, seù alterius Religionis Viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm, quia initi, aut contracti erant inualidè ab ijs, qui contrà dictam Constitutionem, in Domibus non designatis, siuè ab eadem Sede non approbatis, Professi erant, authoritate nostra prædicta confirmarent, & approbarent, ac validos omninò declararent; super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti sumus, & aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenorem, præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autèm sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrũ Ordinis Prædicatorum, nobis nupèr exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Prouincijs, nouæ oriantur difficultates, quæ conscientias multorum sollicitas habent. Nobis propterea humilitèr supplicari fecit dictus Procurator Generalis, vt super præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur omnem in præmissis ambigendi, seù exitandi materiam, è medio tollere, dictorumq; Fratrum quieti, quantum cum Domino possumus consulere, ac Procuratorem Generalem prædictum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibèt innodatus existit, ad effectum præsentiũ, dùmtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, negotijs Regularium præpositorum consilio, Apostolica authoritate prædicta, tenore præsentium statuimus, atq; ordinamus, quòd in ratificationibus, siuè nouis Professionibus faciendis in manibus Prælati, noua Fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur, sed statim Professus intelligatur, & filius eius Conuentus, in quo Professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seù noua Professione qualecunquè requisitum, quod de iure requireretur, seù de facto occurreret, eam retentione eorum Graduum, Officiorum, Honorum, Dignitatum, vel Præeminentiarum, quibus ad præsens gaudent; ità tamèn, vt qui de facto habitum Regularem dimiserint, recipiantur, salua Ordinis disciplina. Decernentes, præsentes litteras, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illa concernunt plenissimè suffragari, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstãtibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisquè contrarijs quibuscunquè. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 31. Ianuarij 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo. M. A. Maraldus. Locus ✝ sigilli. Dominicus Fonthia, Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

Regulares recepti ad habitum, & in Religione Professi, extrà tamèn Loca designata, si aliàs sint habiles, & canonicè recepti, an in conscientia teneantur, de nouo profiteri, & à reclamatione resilire? Qu. 11.

1 ET quidèm, teneri, nimis probabilitèr affirmat *Rodr. tom. 3. QQ. RR. quæst. 54. ar. 6.* vbi latè in facti contingentia clamat contrà illos Religiosos, qui reuoluto mantello, non sunt verecundati, apud multa Tribunalia Ecclesiastica dicere de nullitate Professionis, ex quo in eorundem Professionibus non fuisset seruata forma, de informationibus præscripta à *Sixto V*.

2 Sicut, & factum est in his nostris diebus, occasione *Breuis* suprapositi, de profitẽdo denuò, prout *Lezana in 1. par. summ. QQ. RR. tit. de Nouit. cap. 24. nu. 23. & 24.* & *Peyr. tom. 3. de priuil. cap. 12. in d. Bull. Vrb. VIII.*

3 Et nos itèm vidimus, & manus nostræ tractauerũt de multis, qui sub prætextu Nouitiatus non facti in Locis designatis, reclamantes, recesserunt, & abierunt, & ceciderũt retrorsum; nã alij occisi sunt, & alij correpti subitanea, & improuisa morte, quarum animæ (faxit Deus) vt requiescant.

4 Et hoc ideò; quia omnis contractus, in quo adest purus, simplex, & legitimus cõsensus; etsi in illo non fuerit obseruata forma legalis, adhùc in foro conscientiæ est obligatorius, quia ex pacto, naturali iure, nascitur obligatio.

5 Ergò, si quis profiteatur purè, & simplicitèr, sine dolo, & fraude, & in Professione fuerit exhibitus consensus hinc indè, etsi

fuerit

fuerit omissa solemnitas localis, vtraq; pars in conscientia remanet obligata; adeò, vt sine peccato non possit à contractu recedere, quod probat ex multis in materia electionis, & testamenti.

6 Quod itèm confirmatur ex illa Regula, quòd lex in præsumptione fundata, non habet locum in foro conscientiæ, si præsumptio ex parte rei non subsistat, sed *Constit.Clement.* qua statuitur, vt Nouitiatus, & Professio non fiant, nisi in Conuentibus designatis, fundatur in præsumptione, vtputà, quia *Clem.* præter Loca designata, præsumit, omnia alia indigere maiori reformatione, quod præsuppositum potest esse falsum; nàm sæpè Monasteria non designata, sunt maioris, & strictioris obseruantiæ, quàm designata, ergò ista inobseruantia Localis non inficit contractū ìnitū, inter Profitentē, & Religionē acceptantem, saltèm in foro conscientiæ.

7 Et huic opinioni videtur fauere *cap. Vidua* 4. *de Regul.* & nuperrima *Constit.Vrban.VIII.* incip. *Aliàs per nos accepto*, qua Dominus Papa allicit ad dennò profitendum, & præcipit, vt huiusmodi Professi, minimè eijciantur.

8 Verùmtamen, sententia negatiua est verior, & iuri vniformior, quod totum colligitur ex præcitatis *Decret.Clem.* & *Vrb.VIII.* ibi, *Receptiones verò, & Professiones quaslibèt eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunq; effectum, ex nunc decernit, & declarat.*

9 Inter quæ verba, illa sunt signantèr notanda *(ad quemcunq; effectum)* per quæ excluditur omnis obligatio in vtroq; foro, quia factum est, ad tollendum omnem scrupulum.

10 Tùm quia, hodiè præscripta est forma Recipiendorum, vt non recipiantur in singulis Conuentibus, sed tantùm in Locis designatis.

11 Et quicquid fit contra formam, fit nullitèr, & inualidè, omninò, vt in *l.cum his, §.si Prætor, ff.de transaction. & l.hac consultissima, §.non subscriptum, C.de testam. & cap. cum dilecta, de rescriptis.*

12 Et contractus nullus ex defectu formæ, nullam inducit obligationem, in vtroq; foro, prout dixi, & docet vterquè *Nouar.in summ.Bull. tit.de Nouit.n.9. & in Lucer.Regul. in fin.* in sua *Allegat.vers.habet, inquam.*

13 Confirmatur; nàm præcitata *Decret.* non solùm annullant Professiones alitèr factas, sed inhabilitant personas ad contrahēdum; quò fit, vt nec Religiosorum Capitulum possit extrà Loca designata recipere, nec Iuuenis se Religioni tradere. Quamobrèm, nec talis contractus in foro conscientiæ erit obligatorius; quod per matrimonium carnale, magis declaratur.

14 Nàm ex dispositione *Conc.Trid. sess.* 24. *de reformat.matr.cap.*1. Matrimonium clandestinū fundatur in præsumptione, propter fraudes, quæ in his solent euenire, & præsumptione cessante; hoc, est præsupposito, quod nulla fraus intercesserit, adhùc matrimonium clandestinè contractum, etiam cum consensu mutuo, & libero, nō valet, nec obligat in conscientia, adeò, vt neuter teneatur adimplere, & vterquè coniux potest cum bona conscientia à contractu resilire.

15 Et hoc ideò; quia personæ contrahentes, dùmtaxat coràm Parocho, & testibus sunt habiles, & capaces ad contrahendum; sed ità dicendum est de matrimonio spirituali, quod fit inter Profitentem, & Religionem, in qua profitetur, vt non possit legitimè contrahi; nisi in Locis designatis; secus non tenet contractus, etiam in foro conscientiæ.

16 Itèm probatur; nàm forma substantialis, à iure præscripta, inobseruata, in nullo foro est obligatoria; si enim testamentum ex defectu formæ legalis fuerit nullum, hæres, nec in foro conscientiæ tenetur ad legata; prout ex multis colligit *Couar.in cap.cùm esses, nu.8.de testam.*

17 Et additur, quòd si Professi huiusmodi in foro conscientiæ tenerentur remanere, vtiquè possent cogi à Dom.Papa ad denuò profitendum, quod ex multis suprà negaui.

18 Immò, si his fieret per Ecclesiam præceptum, non tenerentur obedire, nisi propter scandalum, *Sanchez lib.2.de matrim. disput.39.nu.10.& 11.& lib.4.disput.15.nu.5.* & *Sotus 4.dist.25. quæst.vnica, ar.2.* antè *solutionem ad 1. §.postremum dubium est.*

19 Insupèr, illegitimè Professus, quocūq; tempore dato, dummodò non ratificauerit, poterit fugere, absquè vllo scrupulo, dummodò absit scandalum, *Sanch.cit.loc.* & *Scrofa quæst.8.in moralib.nu.4.in fin.* quia tàm coràm Deo, quàm coràm Hominibus non est Regularis, sed Sæcularis, ex illegitimo consensu, & ex formæ inobseruantia, vt sæpè dixi.

20 Proindè, nullitèr Professus, si à solo Ordinario fit dimissus, potest tutus in conscientia remanere in sæculo, secùs in foro externo; nàm potest cogi, vt reuertatur, prout ex geminatis litteris Sac.Congreg. & latè docet *Bordon.tom.1. resolut.8. q.6.*

*Episcopi Locorum Ordinarij, si Regulares Reclamantes, & Professos, iniustè reuocent ab Ordine, & ad Sæculum dimittant, ad quid teneantur? Qu.*12.

1 DVO sunt certa in hac parte, & quòd reclamatio, seu instantia

de nullitate Professionis ob aliquem defectũ debeat fieri ad præscriptum *Conc.Trid.sess.* 25.*cap.*19.*de Regul.* & iuxtà *Decreta* Summorum Pontificum ; solet enim obstare præscriptio ad reclamandum, in cuius itèm remedium, consueuit fieri supplicatio pro restitutione in integrum,ità,vt liceat de nouo reclamare,non obstante elapso quinquennio, vt infrà dicam de innaliditate Professionis, & solet Papa id de nouo concedere.

2 Et quòd fiat coràm Iudice competente ; etenim Domini Episcopi ordinaria potestate non possunt Regularium exemptorum causas cognoscere, sed delegata iurisdictione procedunt, quæ illis fit per *Concil. Bullas, & Decreta*, cui delegationi standum est; nec licet contrauenire.

3 Si enim Episcopus aliter fecerit, peccat mortaliter; quia in re graui delinquit,& agit nullitèr; quia iudicat sine legitima iurisdictione;quandoquidèm actus factus contrà legem prohibentem,non valet, *l.non dubium, C.de legibus.*

4 Immò, si sine legitima iurisdictione reuocet Professum à Religione, est eo ipso excommunicatus,prout ex multis *Bull.* colligit *Confect.in cap.*7.*& 9.tit.*5.*& tit.*13.

5 Et vltrà hoc in conscientia ex posse tenetur illum de nouo è sæculo reuocare, & Religioni restituere, prout colligitur ex duplicatis litteris transmissis à Sac.Congreg. ad Vicarium Generalẽ Ciuitatis Brixiæ, & ad Episcopũ Casal. sub ãno 1633.die 1.Iulij.

6 Itèm, & incurrit in pœnas appositas in præposito *Decreto* Sac.Congreg. lato sub anno 1636. die 5. Ianuarij, ad quod Iudices remitto.

*Professi nullitèr, defectu Loci non designati, si per solam sententiam Iudicis Loci Ordinarij fuerint egressi, Religione, penitùs inaudita, an censeantur Apostatæ? Qu.*13.

1 Respondeo negatiuè;tùm quia,nullus potest dici verè, & propriè Apostata, nisi sit verè, & realitèr Professus expresè, vel tacitè; nàm vera Professio est illa,quæ simplicitèr,& verè facit Religiosos. Professio autèm nulla, est Professio attentata,& dicitur talis denominatiuè,& extrinsecè. Tùm etiam; quia ille propriè est Apostata, qui verè Professus,propria authoritate Religionem deserit,cum animo,& intentione,non ampliùs reuertendi,vt docet vterq; *Thomas in* 2.2*q.*12.*ar.*1. & *Sylu.in sum.verb. Apostasia*, & *S.Raym.in summ. lib.*1. *de Apostatis, fol.*mihi 47.vbi latè de Apostata.

2 Sed isti,in casu nostro, non sunt verè Professi,nec propria authoritate recesserunt, & habent animum redeundi, si cogerentur reuerti, vel si scirent, quòd tutè in conscientia sic dimissi,non possunt remanere in sæculo : ergò non possunt dici Apostatæ ; nec vt tales reputari,nec puniri,nisi iniustè,& à definitione ad diffinitum tenet argumentum, *Rodr.tom.*1.*quæst.*30.*art.*1. *Nauar. cons.*1.*de Apostatis, nu.*8. & latè *Mirand. tom.*1. *qu.*51. *art.*1. & docent communitèr *Doctores.*

3 Nec nocet,quòd Religio fuerit neglecta contrà *Concil.Trid.* quia ex hoc capite potiùs Iudex debet accusari, quàm ipse reclamans puniri ; benè verum, quòd iste debuisset seruare modum in reclamando,& ob id potest puniri pœna carceris, & alijs pœnis ad arbitrium Regularis Prælati;dummodò nullatènus tractetur, vt Apostata, *Bordon. tom.*1. *resol.*8.*quæst.*4.*in fin.*

4 Secus autèm dicendum,si sua sponte, & antè sententiam habitum dimisisset,prout ex *Concil.Trid. sess.*25.*cap.*19.*de Regularib.*

5 Nàm, Regularis lite pendente,& antè sententiam declaratoriam nullitatis, faciendam per Iudicem competentem, subijcitur Prælatis suæ Religionis,qui sunt in possessione eiusdem personæ,nec sunt tali possessione priuandi lite pendente, sed debent in ea defendi, ex *cap.laudabilem, vt lit.pend.cap. cùm Ecclesia Sutrina, de caus. possess. Glos.in cap.duo simul, de off.Iudicis Ordinarij, ver.consuetudo.*

*Religiosi Professi, si post quinquennium iniustè reclament, & dimittantur, sine speciali licentia Domini Papæ, ob Nouitiatum,in Locis designatis non factum; an possint veluti Apostatæ puniri? Qu.*14.

1 Et dico,quòd sic; quia veri Professi non possunt perpetuò Religionẽ deserere,nec habitum dimittere, & esse in sæculo,sine Apostasia,vt *D.Th.*2.2.*q.*12.*ar.*1.

2 Hi quidem ex præsumptione iuris,& de iure sunt verè Professi, & Religioni inreuocabilitèr adscripti, ex *Conc.Triden. sess.*25. *cap.*19. *de Regularib.* & præpositis *Decretis* Sacræ Congregationis.

3 Vndè, post lapsum quinquennij, non possent reclamare,nec adest Iudex,qui posset illos audire ; quia Ecclesia præsumit,eos Professos validè, tacitè,vel expresè ; secùs si reclamassent infrà præscriptum tempus quinquennij, quam præscriptionem hodiè non est, qui ignoret.

4 Præsumptio autèm iuris , & de iure, nullam admittit probationem in contrarium,vt docent omnes Iuristæ.

5 Ta-

5 Talis est ista, quam in casu nostro, *Decreta* supponunt, prout latè *Sanchez lib. 7. de matr. disp. 37.* à *nu. 6.* vsq; ad 18. ergò, cum ipso quinquennio expirat ius reclamandi, & audiendi, ad præscriptum *Sac. Conc. Trid.*

6 Quod decisum video in suprapposito *Decr. Vrb. VIII.* lato sub die 5. Iunij, & anno Domini 1636. ibi, *Si verò ijdem recepti, vt suprà, & Professi, iuribus suis minimè deductis coràm Sacra Congregatione, ausi fuerint recedere, ipsi recepti, & Professi tanquàm Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non eos iuxtà formam Decret. de Regularibus, Apostat. & Eiectis, eiusdem Sanctitatis suæ iussu, ab eadem Congregatione sub die 21. Septembr. 1634. edita procedatur*, prout pleniùs in dicto *Decreto* posito in q. 9.

7 Proindè, non possum non admirari, quod nupèr vidi; fuit enim quidam N. qui spretis iam recensitis *Decretis*, neglecto proprio Superiore, Religione inaudita, sub prætextu Nouitiatus non facti in Locis designatis, reclamauit coràm N. de cuius simplici licentia, sub dolo obtenta, dimisit habitum, quem fermè per quadraginta annos in Religione portauerat, & hic erat Vir scitus, & graduatus.

8 Qui in se reuersus, vbi diù permansisset in Sæculo, iterùm habitum Religionis assumpsit, & coràm Religionis Præfecto, denuò Professionem emisit; & absq; aliqua pœna, nec quidèm salutari, fuit loco, & honori restitutus, & ad maiora promotus, quo factum est, vt non sine scandalo, ex sua iniquitate reportasset commoditatem.

9 Quo iure consultus: Respondi, N. si cęcus cęco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt: Ignorantia iuris dubij, potest cęcos Prælatos excusare; non verò iuris notorij, & clari, *Nauar. cons. 4. de vsur. nu. 7. & cons. 10. de repulf. nu. 7. Sylu. ver. ignorantia, & Sanchez lib. 9. disp. 32.*

Nullitèr Professum, & legitimè dimissum, an teneatur Religio recipere, si voluerit, in Religionem reuerti? Quæst. 15.

1 PRofectò teneri, sed non maiori obligatione, quàm Laicos sæculares; quia nullitèr Professus, nullum ius in Religione acquisiuit, & per dimissionem, iustè, & legitimè factam, nempè auditis partibus in iuribus suis, & coràm Iudice competente, causa visa, & discussa, definit esse Religiosus, & eius iura, quæ in Religione habuerit, extinguntur.

2 Proindè, iste debet recipi, seruatis seruandis, sicut, & cęteri Laici, qui ad habitum admittuntur, & tenetur renouitiare; quia ad omnem bonam, & solemnem Professionem, debet præcedere Nouitiatus, prout ex *Sac. Conc. Trid. sess. 25. cap. 15.* secus autèm, nullitèr profiteretur, vt ex tot *Decretis* constat.

3 Nec alium potiorem locum obtinebit, nisi illum, qui sibi debetur ratione nouæ Professionis, à qua incipiũt eius iura, vti sũt, posse eligi, & eligere; locus, honor, sessio, & similia; quia de his, & de sæcularibus, qui relicto sæculo, ad Religionem veniunt, est idem penitùs iudicium.

4 Quod refert decisum *Sellius in select. Canon. cap. 18. nu. 3.* sub anno 1617. die verò 21. Ianuarij, & *Barbosa in Collect. Conc. Trid. sess. 25. in cap. 15. nu. 14.* de eo, qui legitimè exiuit, & in Religionem rediit, & in habitu Clericali laudabilitèr vixit.

Nullitèr Professi, & malè egressi, an sint recipiendi, & quomodò? Quæst. 16.

1 EGressio è Religione cum habitus dimissione, multis modis pôt esse illicita, & mala, vt dixi in *tract. de Apostatis*, vbi per multa ostendi, quæ sit temeraria dimissio habitus, & quæ non, prout vterq; *Thomas 2. 2. quæst. 12. ar. 1.*

2 Sic itèm, dimittere habitum, prætextu nullitatis Professionis, non potest esse sine Apostasia, nisi fiat ad præscriptum *Sac. Trid. sess. 25. cap. 19. & Decret. Summ. Pontif.*

3 Qui enim post lapsum quinquennij dimittit habitum suæ Religionis, sine dubio ex eodem *Conc. & Decretis*, vt Apostata punitur, & vt talis cogitur reuerti, & reuersus, vt Apostata tractatur, & recip. tur, quoàd forum fori, vt infrà dico.

4 De nullitate Professionis, ob Nouitiatum in Locis designatis non factum, nõ possumus reclamare, nisi infrà quinquennium, & coràm Sacra Congregatione Concilij, secus esset Apostatare, prout ex *Decr.* suprapositis.

5 Reclamatio, quòad alios defectus, debet fieri, iuxtà dispositionem *Conc. Trid.* ad hoc, vt reclamans possit audiri.

6 Nempè, infrà quinquennium, à die Professionis computandum, & causæ nullitatis sunt deducendæ, coràm Superiore Ordinis ipsius reclamantis, & Ordinario Loci, in quo reclamans, Professionem emisit.

7 Si quis ex alio capite, vel alio modo dimittatur, dicitur malè licentiatus, & malè dimittere habitũ, est species Apostasiæ, prout *Nauar. in 4. comm. de Regul. num. 74. in fin. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. nu. 1. & Aloysius Riccius in 4. part. decis. Cur. Archiep. Neapol. decis. 48.*

8 Inter cęteras pœnas Apostatatũ, vna est,

est, vt Apostata non gaudeat priuilegijs suæ Religionis, vt per multa probat *Riccius cit. loc. num.* 1.

9 Quòd hi malè dimissi debeant recipi, nulli dubium est; nàm si legitimè expulsi, vt incorrigibiles, & rebelles, debent requiri, & recipi, cognita eorum emendatione; prout ex *Decr. Sac. Congr. de Apostat. & Eiectis*, iussu *Vrb. VIII.* editis, quantò magis, hi, qui sunt melioris conditionis; non enim recesserũt cũ tali infamia, nec, vt putre membrum recisi. Itèm, si verè, & realitèr Apostatæ sunt requirendi, & recipiendi, exemplo illius Patrisfamilias, *Lucæ* 15. prout in *cap. final. de Regular.* & colligitur ex alijs multis *Decret.* Sac. Congreg. tantò magis hi malè licentiati, qui non sũt formalitèr Apostatæ, etsi aliqualem speciẽ præseferant Apostasiæ, ex *Ricc. vbi suprà.*

10 Quibus adduntur Litteræ Sacr. Congregationis transmissæ ad Vicarium Generalem Brixiæ, & Episcopum Casalis, quibus mandatur, vt dimissos quamprimùm, & ex posse procurent, regredi ad sua Monasteria, cum solito habitu Religionis; ergò hi malè egressi debent cogi, vt reuertantur ad Claustra; quantò magis debent amplecti, si sponrè venerint.

11 Quonàm modo sint recipiendi, colligitur ex *Bulla* eiusdem *Vrb. VIII.* quæ incipit, *Aliàs per nos*, suprapposita, *in fin.* ibi, *Ità tamen, vt qui de facto habitũ Regularem dimiserint, recipiãtur, salua Ordinis disciplina*: hæc ibi.

12 Regula autèm, & Disciplina recipiẽdi in Dominicana Familia, est, vt qui ritè, & canonicè fuerũt dimissi, si de nouo voluerint, Religionem ingredi, recipiantur, vt Sæculares, qui de nouo veniunt de sæculo.

13 Hi autèm, qui de facto, & temerè dimiserunt habitum, recipiantur, vt Apostatæ, vt dixi in *tract. de Apostatis.*

14 Hi autèm, qui redeunt, vt malè licentiati recipiuntur, iuxtà *Breue Vrb. VIII.* de Profitendis denuò, adeò, vt subsequuta ratificatione, seù Professione de nouo, statim gaudeant omnibus priuilegijs Religionis, & admittãtur ad omnia eorum iura, gradus, locum, & honorem, ac si eorum Professio rata fuisset à principio; & hoc ideò; quia hi nõ dimiserunt habitum de facto, sed præuia sẽtentia, licèt iniusta; & dùm Dominus Papa excludit tantùm eos, qui de facto dimiserũt, alij censentur inclusi; exceptio enim firmat Regulam in contrarium.

15 Tùm quia, malè egressi semper sunt Subditi Regularibus Prælatis, donec legitimè fuerint licentiati; & ferè in nihilo differunt ab his, qui in Religione fuerunt perseuerantes, & denuò sunt Professi.

16 Nec sententia nocet; quia fuit iniusta, & nulla, vt præsupponitur, & sententia iniusta non potuit illicitè licentiatos à iurisdictione Regularium absoluere; etenim sententia lata à non Iudice competente, est nulla, *cap. 4. de Iudic.* adiuncta *Glos.* per *cap. in primis, §. de persona* 2. *q.* 1. *cap. ad audientiam, de Consuet. l. final. C. si non à competenti Iudic.*

17 Itèm, sententia lata contrà Iura, est nulla, *cap. 1. de sentent. & re iudic. l. prolatam, C. de sent.*

18 Et sententia nulla, nullũ parit effectũ, *l. 4. §. condemnatum, ff. de re iudic. Nauar. tom. 4. in cap. cùm contingat, de rescriptis, remed. 3.* & concorditèr omnes *Doctores.*

Nec vllum inducit impedimentum, ex *Regul. 52. in 6.*

19 Nec potest transire in rem iudicatam, *Surd. cons. 61.* cùm sententia nulla, non sit sententia, *l. fin. C. de sent. ex breui. recit. Clement. Pastoralis, §. vt igitur, de re iudic.*

20 Et maximè, si sit notoriè nulla, & iniusta, *Surd. decis. 260. Mar. Anton. lib. 1. resolut. 57. nu. 4.* quia iniustitia notoria, æquiparatur notoriæ nullitati, *Barbosa lit. R. nu. 21.* in suis *locis communibus.*

21 Et præcipuè, quia Pater Generalis potest restituere Apostatas ad Gradus, Honores, Locum, & Dignitates, & alia multa potest facere, prout ex eius priuilegijs, & sic non obstat recessus, de quo agitur.

22 Immò hodiè, horum respectu, potest hoc, ex speciali commissione præfati Dom. Papæ, qui in suis *Breuibus* hos non excludit, sequuta ratificatione.

23 Insupèr, & suam gratiam, & fauorem extendit ad omnes huius generis, qui temeritatis obicem non apposuerunt; etenim Principum beneficia sunt extendenda, & latè interpretanda, vt dixi in *tract. de priuil.* & latè ostendit *Bordon. tom. 1. resol. 8. q. 10.*

Monasteria, Domus, & Loca, ab Vrbano VIII. designata, ad stabiliendum de cœtero Professiones Fratrum Ordinis Prædicatorum in multis Prouincijs, prout in subsequenti Breui.

VRbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nupèr fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrũ Ordinis Prædicatorum, quòd cùm ipse ad stabiliendas de cœtero Professiones Fratrum, vtquè omne subterfugium, omnisquè difficultas ijs auferretur, qui Professiones prædictas, nullas, & inualidas reddere procurabant. Nobis humilitèr supplicari fecisset, vt infrascriptis Ordinis Prouincijs assignare dignaremur infrascriptos Conuentus, in quibus aliàs Nouitiatus, & post Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desupèr editam confirmandi, respecti-

spectiuè fuerunt, à Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, negotijs Regularium præpositis, ad quos supplicem libellum super hoc porrectum retuleramus, emanauit decretum à dilecto filio nostro Antonio Sanctæ Agathæ Diacono Cardinali Antonio, Barberino nuncupato nostro, secundùm carnē ex Fratre germano Nepote, & dicti Ordinis, apud Nos & Apostolicam Sedem Protectore approbatū, prout pleniùs continetur in supplici libello, ac decreto, nec non approbatione, tenoris sequentis, vz. Beatissimo Padre. Per stabilire nell'auuenire le Professioni de Frati, e tor via ogni sotterfugio, e difficoltà à quelli, che cercano d'inualidarle. Il Procuratore dell'Ordine de' Predicatori humilmente supplica la S.V. che si voglia degnare, stabilire all'infrascritte Prouincie dell'istess'Ordine, li nominati Conuenti, ne' quali sono stati altre volte li Nouitiati, e dopò il Breue di Clemente Ottauo confermati, ò con authrità Apostolica, ò della Sacra Congregatione, ò de' Patri Generali dell' Ordine, che il tutto, &c. Nella Prouincia Romana, il Conuento della Minerua di Roma, li Conuenti di S.Maria in Gradi, e della Quercia di Viterbo, il Conuento di S.Domenico di Perugia, il Conuento di S.Domenico di Siena, il Conuento di S.Domenico di Fiesole, li Conuenti di S.Maria Nouella, e di S.Marco di Fiorenza, il Conuento di San Romano di Lucca. Nella Prouincia di Regno, li Conuenti di S.Domenico, di S.Pietro Martire, e del Rosario di Napoli, il Cōuento di S.Ludouico d'Auersa, il Conuento di S. Maria della Porta di Salerno, il Conuento di S. Domenico di Bagnuolo, il Conuento di S.Domenico di Sessa. Nella Prouincia di Sicilia li Conuēti di S.Domenico, & di S.Zita di Palermo, il Conuento di S.Maria della Magra di Catania, li Cōuenti di S.Domenico, e di S.Geronimo di Messina, il Conuento di Siracusa, il Conuento dell'Annuntiata di Tauromina, il Conuento di S.Maria della Grotta di Maltaucecbra, il Conuento di S. Domenico d'Agrigento, il Conuento di S.Domenico di Trapani. Nella Prouincia di S.Tomaso di Puglia, il Conuento di S.Domenico di Monopoli, il Conuento di S.Pietro di Taranto, il Conuento di S. Domenico di Lecci, il Conuento di S. Domenico di Ferrandina, il Conuento di S.Domenico di Neritone, il Conuento di S.Agostino di Lucera. Nella Prouincia di Calabria, il Conuento di S.Domenico di Suriano, il Conuēto dell' Annunciata di S.Giorgio, il Conuento dell'Annunciata di Catanzaro, il Conuento di S.Domenico d'Altomonte, il Conuento di S.Domenico di Montalto, il Conuento di S.Domenico di Cosenza. Nella Prouincia di S.Catarina di Siena d'Abruzzo, il Conuento della Madonna dell'Arco Diocesa di Nola, li Conuenti di S.Seuero Maggiore, e di Giesù Maria di Napoli, il Conuento di S.Domenico dell'Aquila, il Conuento di S.Domenico di Chieti, il Conuento di S.Domenico di Rieti. Nella Prouincia di S.Domenico di Venetia, il Conuento di SS.Gio: & Paolo di Venetia, il Cōuento di S.Agostino di Padua, il Conuento di S.Nicolò di Treuiso, il Conuento di S.Domenico de Ciuitate. Nella Prouincia di S.Pietro Martire, il Conuento di S.Eustorgio di Milano, il Conuento di S.Domenico di Torino, il Conuento di S.Domenico di Chieri, il Conuento di S.Marco d'Alessandria. Nella Congregatione di Sardegna, il Conuento di S.Domenico di Cagliari, il Conuento del Rosario della Città di Sassari. Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita censuit, committendum esse Eminentissimo Cardinali Antonio Barberino, Ordinis huiusmodi, apud hanc Sanctam Sedem Protectori, prout præsentis Decreti virtute committit, vt pro suo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitrabitur, petitā confirmationem Nouitiatuum huiusmodi concedat, dummodò singuli omnibus suis qualitatibus, & partibus sint instructi, ad præscriptum Decretorum fel. rec. Clementis VIII. atq; in eis Nouitij recipiantur, seruata forma Decreti S.D.N. super receptione, & educatione Nouitiorum, vltimo loco editi, nec non felic. rec. Sixti V. ac aliarū Constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum pariter eiusdem sanct. mem. Clementis VIII. Institutionumq; generalium super receptione, & educatione Nouitiarum ipsius Clementis, ac san. mem. Pauli V. authoritate editarum. Romæ die 1. Septembris 1634. M.Cardin.Ginettus; vigore supradicti Decreti: Ego Cardinalis Antonius Barberinus, eiusdem Ordinis Protectos, supradicta Loca, & Conuentus pro educatione Nouitiorum concedo, & approbo, anno Domini 1634. die 29. Nouembris. Idem Cardinalis Antonius Barberinus. Cùm autèm, sicut eadem expositio subiungebat dictus Procurator Generalis, omnia, & singula præinserta huiusmodi Apostolicæ cōfirmationis robore communiri, plurimùm desideres. Nos dicti Procuratoris votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumquè specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibèt innodatus existit, ad effectum præsentium, dùmtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine, nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati, Decretum à prædicta Congregationis Cardinalibus emanatum, nec non approbationem, & concessionem per dictum Antonium Cardinalē, & Protectorem, vt præfertur, factam, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisquè inuiolabilis Apostolicæ auctoritatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desupèr quomodolibèt interuenerint, supplemus. Decer-

cernentes, omnia, & singula præinserta, ac præsentes litteras, valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari debere, sicque, & non aliter per quoscumq; Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores, vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis authoritate scienter, & ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenorem præsentibus pro expressis habẽtes, hac vice, dũtaxat specialiter, & expressè derogamus, cęterisq; cõtrarijs quibuscũque. Datũ Romæ, apud S. Petrũ, sub Annulo Piscatoris, die 27. Ianuarij 1635. Põtificatus nostri anno 12. M. A. Maraldus. Locus † sigilli. Romæ ex Typographia Reueren. Camer. Apost. M.DC. XXXV. Dominicus Fonthia Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

SVMMA QVAESTIONVM
Tract. IX. De Nouitiatu Receptorum.

Nouitiatus quid sit, & quanto tempore duret? Quæst. 1.

Nouitiatus quando dicatur incipere, & quid in eo magis consideretur? Qu. 2.

Nouitiatus annus, an debeat esse integer, perfectus, & absque aliqua interruptione continuus? Qu. 3.

Probationis annus, an currat de momento, in momentum; adeò, vt dicatur incipere ab hora diei, in quo habitum quis suscepit, vsque ad eandem horã vltimi diei, eiusdem anni? Qu. 4.

Annus probationis, an dicatur expletus, & integer ad validè profitendum, si ei desit vna dies, vel vna hora, aut duo instantia? Qu. 5.

In anno bissextili, an duo dies computentur pro vno, ad integritatem anni Nouitiatus? Qu. 6.

Si Nouitius, completo in Monasterio, probationis anno, exeat è Conuentu in habitu, & tonsura; sollemni tamen Professione non facta, vbi rediit, an teneatur renouitiare? Qu. 7.

An omnis dimissio habitus, & à Conuentu recessus, interrumpat probationis annum? Qu. 8.

Tempus in morbis consumptum per Nouitios, an interpellet probationis annum? Qu. 9.

Si Nouitius sit demens, toto Nouitiatus anno, an cessante dementia, possit mox ad Professionem admitti? Qu. 10.

Probationis annus, an ex priuilegio possit esse interpellatus; adeò, vt tempora coniungantur, ad validè profitendum? Qu. 11.

Annus probationis, an possit peragi foris, & compleri extrà septa Monasterij; saltèm ex legitima causa, & retento habitu, & de licentia Prælati? Qu. 12.

An possit Nouitius renunciare d. anno probationis, sibi per Tridentinum concesso; adeò, vt tali renunciatione, per Superiorem admissa, possit intrà annum, validè profiteri? Qu. 13.

Annus probationis, an debeat fieri simpliciter in habitu Regulari? Qu. 14.

Nouitij Sancti Dominici, an saltèm in articulo mortis, possint expressè profiteri, anno probationis non completo? Qu. 15.

Si Nouitius sic Professus, conualescat, & non moriatur, an teneatur complere, & prosequi probationis annũ, & iterùm profiteri? Q. 16.

Monasteriũ in vim præfatæ concessionis Pij V. an succedat in bonis Nouitij morientis, sic Professi, in præiudicium hæredum venientium ab intestato? Qu. 17.

Annus probationis, an ex iusta causa, à Prælato possit prorogari? Qu. 18.

Completo anno probationis, ad præscriptum Triden. sess. 25. de Regul. cap. 15. an Nouitius possit validè profiteri, non obstante, quòd non sit completum tempus, à statuto requisitum; si aliàs sit idoneus? Qu. 19.

Si in aliquo Ordine sit aliqua Constitutio generalis, quæ dicat, Professionem factam antè annum 18. esse nullam, an officiat? Qu. 20.

An Nouitius possit huic trimestri renunciare? Quæst. 21.

Si quis in legitima ætate, & in Conuentu designato recipiat habitum Conuersorum, si post susceptum habitũ, & vbi per annum in probatione permanserit, fiat Professus, an validè profiteatur? Qu. 23.

An Nouitius possit liberè egredi à Religione, & taliter egredienti sint eius omnia bona restituenda? Qu. 24.

Si Nouitius se obligauit ad certam summam, pro victu, & vestitu sui Nouitiatus, eò, quòd pro

pro huiusmodi expēsis nihil dedit,si antè Professionem velit recedere, & habitum dimittere,an possit per Monasteriū detineri,vsq; quo, in expensas saltèm pro rata satisfecerit? Q.25.
An habitus factus,sumptibus Nouitij,sit ei egredienti restituendus? Qu.26.
An peccet Nouitius,si habitum dimittat, & in sæculum redeat, vel Capitulum, si illum expellat? Qu.27.
Quid dicendum,si is ex voto ingrediatur? Q.28.
Beneficium Ingredientis Religionem, durante Nouitiatu,an censeat r vacare; adeò,vt possit alteri conferri? Qu.29.
Beneficia, & Pensiones Nouitij Societatis Iesu, an extinguantur, vel censeantur vacare post annum probationis, vel post vota biennij? Qu.30.

DE NOVITIATV Receptorum. Tract. IX.

Nouitiatus quid sit, & quanto tempore duret? Quæst. 1.

1 NOuitiatus est, Receptorum Iuuenum actiua, & passiua probatio, in Religione approbata, constituto tempore facienda.

2 Dico,Receptorum, quia Nouitiatus incipit currere, post susceptum habitum.

3 Dico,actiua,& passiua probatio; quia tempus Nouitiatus datur, tùm in fauorem Nouitij,ad hoc,vt experiatur asperitates,labores,& ceremonias Religionis;tùm etiam, in fauòrem ipsius Religionis,vt per annuam conuersationem, probet Nouitiorum mores, vires, & obsequia; est enim probatio mutua, qua, & Religio,& Nouitius probat, & probatur, *cap.ad Apostolicam,de Regul.* & *Syluest.ver.Religio 5.q.3.*

4 Dixi,in Religione approbata; quia extrà,vel in Religione, quæ non sit à Sancta Sede approbata,non potest fieri Nouitiatus; etsi fortè fiat, non prodest; nec satis est ad faciendum quempiam Virum Religiosum, vel Monachum Regularem.

5 Dixi, constituto tempore; quia quælibet Religio habet sua statuta, à Dom.Papa apptobata, quibus præfigitur spatium temporis,ad probationem faciendam,vt dictum est;sed quicquid sit de proptijs,& particularibus statutis;tempus tamèn probationis,in quauis Religione, ad minus debet esse annale; iuxtà *Decretum Sac.Concil.Trid.sess.25. cap.15.* quod est,tenotis sequentis.

In quacunquè Religione,tàm Virorum,quā Mulierum,Professio non fiat antè decimūsextum annum expletum;nec qui minori tempore,quàm per annum post susceptum habitum,in probatione steterit,ad Professionem admittatur. Professio autèm anteà facta,sit nulla,nullamquè inducat obligationem, ad alicuius Regulæ, vel Religionis,vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunquè effectus.

Nouitiatus,quando dicatur incipere, & quid in eo magis considеretur? Qu.2.

1 ET quidèm,Nouitiatus incipit à momento præstiti consensus Ingredientis Religionem, & huius Religionis,illum acceptantis. Nec Nouitiatus dicitur initiatus,nisi vtrtquè, nempè,Ingrediens Religionem, & ipsamet Religio consentiant in habitus Nouitiatus susceptione, prout *Nauar. de Regul.cons.5.*in 1.editio.*nu.17.* & in 2.editio. *cons.26.*& *Sylu.ver.Religio 5.q.3.*

2 In hoc autèm Nouitiatu,multa veniūt consideranda. Primò, an præcesserint informationes, & scrutiniū qualitatum Recipiēdorum. Secundò,an receptio habitus probationis, sit facta extrà Locum deputatū. Tertiò, an Nouitiatus peragatur extrà domus assignatas.Quartò,an Professio extrà Loca designata emittatur; nàm ex quouis horum Capitum pullulat Professionis nullitas.

3 Proindè, secundùm *Constitut.Sixt.V.* quæ incip.*Cùm de omnibus*; nimis consideratur scrutinium, & examen qualitatum Recipiendorum; ad hoc,vt Iuuenes habeant debita requisita; secus autèm,non recipiantur.

4 Secundùm verò *Decr.Clem.VIII.* magis vrget, vt Nouitiatus fiat in Locis designatis,vt constat ex illa *Constit.* incip. *Cùm ad Regularem disciplinā*,ad hoc,vt Recepti experiantur austeritates Religionis, & probentur,quòad vires,& obsequia,quod etiam habetur in *d.Decret.*quod incip.*Sanctissimus in Christo*, & habes suprà.

5 Hinc, Dominus Papa, primò, & principalitèr, pro reformatione Religiosorum, iuuen-

intendit, probationis annum; secundariò, & per accidēs, receptionem habitus; hæc enim est proptèr illam; Vndè sapit rationem medij, & illa rationem finis; finis autèm præfertur medijs, ad finem consequendum.

6 Et additur, quòd receptio ad habitum Regularem, materialitèr, & præcisè sumpta; nihil aliud est, quàm quædam actio trāsitoria, quæ parum durat; & ob id, non habetur in consideratione, ex *cap. nàm, & ego, de verb. signific.* & *Glos. in cap. d'uortium, distin. 1. de pœnit.*

7 Nisi, quatènus est coniuncta probationis anno, & ad Professionem ordinatur; connexorum enim idem est iudicium, ex *cap. si quis 1. qu. 3.* & *ibid. Glos. ver. neutram, & cap. quanto 3. de Iudic. & cap. translato, de constit.*

Nouitiatus annus, an debeat esse integer, perfectus, & absq; aliqua interruptione continuus? Qu. 3.

1 AFfirmant, pancis exceptis, vnanimitèr *Doctores*, & est de iure nouo, & antiquo; nàm habetur in *Decretis, causa 17. q. 2. cap. Consal. Præsb.* ibi, *antè vnius anni probationem non effici*, & *Glos.* ibidem, *antequàm Monachus fiat, debet esse in probatione per annum*, & in *cap. ad Apostolicam Sedem 16. de Regul. & transeuntibus ad Religionem*, ibi, *nè passim antè tempus probationis, qualibèt ad Professionem recipient*, & *ibid. Glos.* docet, quòd regulare est, vt nullus antè vnius anni probationem, in Monachum, vel Regularem Canonicum recipiatur, & *eod. tit. in 6. cap. is, qui Monast.* ibi, *quòd si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit*, & in subsequenti *cap. nō solùm*, ibi, *nè antè annum probationis elapsum*; & nouissimè ex *Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15.* ibi, *nec qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad Professionem admittatur.*

2 Iura autèm, quæ loquuntur de annali spatio, vel de alio simili tempore, semper veniunt, & sunt intelligenda, de tempore continuo, non admittente aliquam discontinuationem, vt docet *Glos.* super *Rubric. ff. de tempor. præscript.* vbi habetur, quòd regularitèr omne tempus debet esse continuum, *Ioan. Andreas in cap. 1. de elect. in 6. Bart. in l. interdùm, § quotiès, ff. de public. & vectigal.* per illum *text.* vbi seruus dicitur veteranus, qui anno continuò seruiuit.

3 Nouitius autèm, qui non seruiuit anno cōtinuo, nō dicitur esse in probatione vnius Nouitiatus anni, prout hæc, & alia notatu dignissima refert noster *Sylu. ver. Religio 5. q. 3.* & *Nauar. de Regul. cons. 2. nu. 2. & cons. 34. num. 2.* post multos allegatos *Rodriq. tom. 3. quæst. 15. ar. 8. & 2. par. summ. cap. 8. nu. 5. Miranda tom. 1. Manual. q. 22. ar. 4. Iacob. Graffius 1. par. decis. aur. lib. 3. cap. 5. num. 15. & tom. 2. cons. lib. 3. de Regul. cons. 4. difficul. 5.* vbi latè, & *Aug. Barbosa in collect. Doct. in lib. 3. decret. de Regul. in d. cap. ad Apostolicam, nu. 5. & in 3. p. de offic. Episc. allegat. 101. nu. 23. & in collect. super Conc. Trid. in d. cap. 15. sess. 25. de Regul. num. 30. Peyrin. tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. § 4. nu. 99.* & *D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 5. Thes. qu. 151.*

4 Confirmatur; nàm illa præpositio, *per*, adiuncta tempori, ostendit de sua natura, quòd tempus, cui adiungitur, debet esse continuum, & docent *Canonistæ*, & præcipuè *Archidiac. in cap. cū contumacia*, ibi, *per annum, de hæreticis, in 6.* per *text. in cap. præsentium 7. q. 1.* vbi habetur, Præpositionem, *per*, de sui natura demonstrare continuitatem temporis, & refert decisum in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ idem *Nauar. de Regul. cons. 43. num. 1.* in antiquis.

5 Proindè, non satis est, esse in Nouitiatu per annum interpellatè, sed continuè, ad hoc, vt Profitentis sit valida Professio; secus autèm, erit nulla, nullamquè inducet obligationem; nec prodest, per sex menses esse in Nouitiatu vnius Religionis, & per alios sex, esse in Nouitiatu alterius, & postmodùm profiteri; aut post semestre dimittere Religionis habitum, & esse in sæculo, & postmodùm redire ad eandem Religionem, quam dimisit, animo continuandi Nouitiatum per alios sex menses, & his lapsis, Professionem facere.

6 Quia ad effectum peragendi probationis annum, tempora non possunt coniungi; quandoquidèm, Nouitiatus est ab Ecclesia institutus, ad probandum omnes austeritates Religionis, quod maximè in continuatione consistit; profectò, qui difficultèr ieiunaret per quadraginta dies, id facilè efficeret, si inter diem, & diem ieiunij, dies bonæ refectionis caderet, & mediaret; nàm laborum, & asperitatum continuata probatio, magis terret, & affligit; quàm discontinuata, & interrupta.

7 Nec esset magnum, more hirundinū, in æstate esse in Monasterio sub cura Prælati, & tempore Aduentus, vel Quadragesimæ, esse in sæculo, ob pinguia iura; & vbi Hyems abijt, & recessit, reassumere habitum, & in Nouitiatum redire, pro Nouitiatus complemento; hoc non esset, austeritates experiri, vt petit, & exigit Regularis institutio, prout, vno ore docent præcitati *Doctores*, & signantèr *Aloys. Riccius 1. par. Prax. in 1. editio. decis. 656.*

Pro-

Probationis annus, an currat de momento in momentum; adeò, vt dicatur incipere ab hora diei, in quo, habitum quis suscepit, vsq; ad eandem horam vltimi diei eiusdem anni? Qu.4.

1 RODriq.tom.3.quæst.15.ar.4. cum suo Compend.resolut.101. de anno probationis, num.38. Sanch.ad decal. lib.5.cap.4. nu.4. Michel Zanard. nostræ Familiæ in direct. Theol.par.2.cap.26.nu.12. ver.nota autem, & Barbosa in Collect. Conc.Trid. cap.15.sess.25. de Regul. nu.4. affirmatiuè respondent.

2 Et colligitur ex cit. loc.Trid. vbi vult, quòd initium computationis anni probationis incipiat à die assumptionis habitus, & vbicunquè lex requirit certum tempus, incipiens ab aliqua die determinata, computari debet de momento in momentum, vt l.3. §.minorem, ff.de minoribus,& docet post multos idem Barbosa in 3.p. de off. & potestate Episcopi,alleg.101. nu.22.

3 Nec his obstat illa Regula, quòd dies termini non computatur in termino; quia procedit in odiosis; vtputà, si computando diem termini, in termino, resultant odium, & pœna,vt ex l.in vsucapionibus, ff.de vsufruct. & pater in obligationibus, quibus homines se obligant,soluere tot in mense Augusti, tēpus currit per totum mensem; adeò, vt obligatio non possit inculsari in die vltima dicti mensis;sed est expectanda dies prima Septēbris, vt ex l.eum, qui Kal. ff.de verb.obligat.

4 Verùmtamen, fallit in fauorabilibus, prout ex multis ostendit Rodriq.in cit.loc.& ità obseruant Domini de Rota Romana, & docet Panorm. in cap.querel. de verb.signific. & colligitur ex l.qua ætati, ff.qui testam. facere poss. vbi deciditur, q Puberes possunt facere testamentum,& satis est ad testandum, quòd compleuerint annos quatuordecim, licèt non excesserint; adeò, quòd dies vltimus quatuordecim annorum inceptus, habetur pro completo.

5 Quamobrèm, si Nouitius hodiè, quæ est dies 25.mensis Martij,suscipiat habitum, hora vigesima post vesperas, si continuauerit esse in Monasterio, sub obedientia Prælati, poterit in eadem die subsequentis anni, transacta hora vigesima, seruatis seruandis, mox validè profiteri, absq; eo, quòd expectet, vt elabatur dies vigesima quinta, & quòd incipiat altera subsequens.

6 Nec obijcies, quòd omnis obligatio est odiosa, & quòd ex tali computatione nascatur odium,& pœna;nempè,Nouitium Religioni per Professionem obligari.

Nàm licèt obligatio,absolutè,& præcisè sumpta,sit odiosa; attamèn Religioni facta,est fauorabilis, ob immunitates,& priuilegia, quibus Nouitius,ob Professionem potitur; nàm nisi fieret computatio de puncto, ad punctum,posset fieri,vt moreretur Nouitius in die illo termini, & sic priuaretur suffragijs,quæ solis Professis conceduntur,& Monasterium perderet hæreditatem, quæ sibi obueniret, si ille Nouitius post Professionem moreretur, quò fit, vt ex tali obligatione nascatur fauor,& vtilitas vtriquè parti; hoc est,Religioni, & Nouitio,qui profitetur, Miranda tom.1. Manual.Prælat. q.22.art.3. conclus.2.in medio,Grass.tom.1.lib.3.de Regul.cons. 6. nu.1. Aloys.Ricc. 1.p.Prax. decis.656.nu.9. in 1. editio. & Anton. Diana, multis citatis 3.p.tract.2.de dub.Regul.resolut.57.

Annus probationis, an dicatur expletus, & integer ad validè profitendum, si ei desit vna dies, vel vna hora, aut duo instantia? Qu.5.

1 NEgatiuè respondeo,ex quo Conc. Trid. sess.25.cap.15.de Regul. decreuit, vt nullus ad Professionem admittatur, qui in minori tempore, quàm per annum in probatione fuerit.

2 Sed,qui stetit,vna hora minus,vel vno quadrante,re vera stetit,minori tempore,& minus vno anno,vt l.3.§.minorem, ff.de minoribus, hinc non poterit ad validam Professionem admitti.

3 Confirmatur,nàm sicut ad validè profitendum exigitur, vt ætas profitentium sit sexdecim annorum;adeò complete,& perfectè,vt ei non desit vna hora,ad præscriptum Conc.cit.loc. nàm vna hora, vel duo instantia, dicuntur partes temporis; quandoquidèm,duo instantia faciunt tempus;ità ad integritatem,& perfectionem anni probationis requiritur,vt ei non desit aliqua mora.

4 Confirmatur,nàm tempus ad aliquem actum requisitum,est pars formæ eiusdem actus,vt docet Gloss.in cap.cùm dilect.ver.irritum, de rescriptis, & habetur expressè in l.1. C.de pretibus Imper.offer. ibi, nisi sub hac forma,& ibidem Bartol. & Doctores.

5 Sed omissio formæ,etiam in minimo, vitiat actum; ergò defectus continuationis anni probationis,quantumuis modicus,Professionem annullat.

6 Proindè,modica,& minima Nouitiatus interpellatio obstat ad validè profitendum,Rodriq.tom.3.q.17.art.9. à Sancto Fausto lib.5.Thes.quæst.152. & Peyrin.tom.2.de Prælat.qu.3.cap.1. §.4.nu.1. cum alijs suprà citatis,qui vno ore asserunt, quòd annus probationis debet esse completus,de momento in momentum,& quòd per spatium vnius diei,

vel noctis,interrumpitur probationis annus; & ita refert,per Rotam Romanam fuisse decisum *Remigius Scrofa* in suis *moralibus*, *qu.* 31. *nu.* 2. *fol.* mihi 294. & *Aloys. Ricc. in Prax. Regul.* 1. *p.* in 1. editio. *decis.* 656. & *Anton. Diana* 3. *p. tract.* 2. *de dub. Regul. resolut.* 57. & *p.* 5. *tract. de paruit. mat. resol.* 18.

7 Nec dices, quòd sit nimis rigida hæc anni probationis supputatio; quia in quouis momēto talis potest oriri, & dari occasio, vt bonum sit Religioni, Nouitium expellere, vel Nouitio, sua sponte è Religione exire; non nè duodecim horæ sunt diei? prouerbium est, quod tale accidit in puncto, quod non accidit in toto anno.

8 Nec valet obiectio, quòd in fauorabilibus dies cœpta, habetur pro completa, vt *Ricc. in* 3. *par. Prax. resolut.* 322. *nu.* 1. & quòd consequenter non sit expectandum momentum, pro complemento continuationis anni Professionis, & quòd modica, & minima non sunt in consideratione Iudicis.

9 Quia hæc procedunt, quando lex aliter non disponit; prout in casu, de quo agitur; lex enim, quæ generaliter loquitur, etiam minimum includit, ex *text. cap.* 3. *de appellat.* & *cap. si proponente, de rescriptis.*

10 *Tridentinum* autem loquitur generaliter, & per illam dictionem, *per*, quæ de sua natura, perfectam continuationem exigit; adeò, vt nec ei patiatur momentum deesse; vide infrà in *tract. de Profess. nulla*, q. 38.

In anno bissextili, an duo dies computentur pro vno, ad integritatem anni Nouitiatus? Quæst. 6.

1 RÈspondeo, quòd sic; prout docet *Sylu. in summ. verb. Relig.* 3. *qu.* 19. §. 3. ibi, *nec oportet addere anno diem; nisi in anno bissextili, de cuius integritate est vna dies de pluribus.*

2 Quapropter, si Nouitius cōpleat probationis annum die 24. Februarij anno bissextili, non potest validè profiteri; nisi profiteatur in secunda die, quæ est 25. licèt etiam appelletur 24. & in puncto diei 24. Februarij præcedentis anni, in qua suscepit habitum; pront pluriès per Sac. Congreg. Conc. fuisse decisum, refert *Barbosa in collect. Triden. in d. cap.* 15. *nu.* 26. & *in* 3. *par. de off. & potestate Episcopi, alleg.* 101. *nu.* 20.

3 Et fundamentum decisionis esse potest; quia annus probationis debet esse annus à Republica taxatus, Politicus, & Ciuilis, & talis, qualis communiter in alijs negotijs reputatur, pront *Rodriq. tom.* 3. *q.* 15. *ar.* 5. vbi ex multis assignat differentiam inter diem politicum, & naturalem, cum suo *Compend. resolut.* 101. *de anno probationis, nu.* 39.

4 Immò, dies illa 25. anni bissextilis, est de integritate illius anni; ex quo est complementum solaris circuli, *Bonac. de Sacram. Ord. disput.* 8. *q. vnic. pun.* 5. *nu.* 14. & *de clausura*, *q.* 2. *pun.* 10. §. 3. *nu.* 3. & antè illos *Couar. lib.* 4. *variar. cap.* 18. *Sanch. de matrim.* post multos *disput.* 24. *nu.* 18. *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 22. *ar.* 3. *concl.* 2. *in fin.* & *Anton. Diana* 5 *p. Moral. tract.* 5. *de paru. mater. resolut.* 18.

5 Et colligitur ex *cap. quod sicut, de verb. signif.* & ex *l.* 3. §. *minorem, ff. de minoribus*, & *l. cùm bissextus, ff. de verb. signif.* vbi duo illi dies, pro vno computantur; & tandèm additur, quòd anni, & dies sunt computandi, secundùm ritum, & vsum Ecclesiæ, *Sanch. in summ. lib.* 4. *cap.* 35. *nu.* 3. & 4. quæ quippè negat expletum esse, nisi bis dicatur sexto Kal. idest, die 24. & 25. vt ex *Romano Breuiario* est videre.

Si Nouitius, completo in Monasterio probationis anno, exeat è Conuentu in habitu, & tonsura; solemni tamen Professione non facta, vbi rediit, an teneatur renouitiari? Qu. 7.

1 SYluest. *ver. Religio* 5. *q.* 4. *in fin.* negat, etiam si per multum tempus Nouitius extra septa stetisset, vbi fatetur hoc esse de mente *Bartol.* & fauet *Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 15. *ar.* 10. *ver. aduertendum, in fin.* & 2. *p. summ. cap.* 8. *nu.* 3. *concl.* 2. *Sanch. in opere morali lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 34. *Bonac. de claus. quæst.* 2. *pun.* 10. *diff.* 2. §. 2. *nu.* 4. & à *Sancto Fausto lib.* 5. *Thes. quæst.* 135.

2 Nàm, si probationis annus fuit validè expletus ad præscriptum *d. cap.* 15. *Trid. sess.* 25. *de Regul.* adeò, vt fuerit expertus asperitates, & labores Religionis, & versa vice Religio mores, & obsequia ipsius Nouitij, iuxtà *cap. ad Apostolicam* 16. *de Regul.* & in Domo, & Conuentu designato, iuxtà *Decreta Clem. VIII.* non restat aliud peragendum, ad solemnitèr profitendum.

3 Immò, deferens habitum, Nouitiorū, & Professorum communem, aut non distinctum, manifestè in colore, scissura, vel figura, per annum integrum; in fine anni censetur Professus tacitus, prout *Nauar. in cap. statuimus* 19. *q.* 3. *nu.* 73. *ver.* 3. *inducitur.*

Et habetur expresè in *cap. ex parte* 22. *de Regul.* ibi, *vt postquàm per annum gestauerint habitum Monachalem, Regulam, secùndùm formam Ordinis profiteantur, & seruent*, & in *Clem. eos, eod. tit.* & idem *Nauar. de Regul. cons.* 30. in 1. editio. *nu.* 2. & *Barbosa in collect. d. cap. Trid.*

4 Quod præcipuè habet locum in Ordine

ne Prædicatorum, ex *text. 10. distin. 1. cap. 14. de Nouit.* ibi, *quòd statim elapso termino, sibi taxato pro anno probationis (nisi contradictum ab ipso, vel à Religione fuerit) incurrat Professionem, etiam si aliter non profiteatur.*

5 Et Professio tacita, etiam post *Concil. Trid.* obligat, sic Professum ad obseruantiam Regulæ, non minus, quàm si solemniter Professus fuisset, *Nauar. cons.* 35. in 1. editio. *de Regul. & cons. 28. nu. 5. Rodriq. tom. 3. quæst. 17. ar. 1. in fin.* cum alijs, quos citat *Barbosa in Collect. Doctor. super cap. Vidua 4. de Regul.*

6 Proindè, esset crimē Apostasiæ, dimittere habitum Religionis, completo probationis anno, prout ex *cap. vt periculosa, nè Cleric. vel Monach. in 6.* ibi, *districtiùs prohibemus, nè de cętero aliquis quamcunquè Religionem tacitè, vel expressè Professus in Scholis, vel alibi temerè habitum suæ Religionis dimittat.*

7 Vndè, is, de quo agitur, aut expleto probationis anno, egressus est, sine licentia, & habitu dimisso; & sic debet cogi, reassumere habitum, & profiteri solemniter, & ceù apostata castigari.

Aut reclamare de inualiditate, iuxtà *Decreta Conc. Triden.* prout dicitur in *d. cap. ex parte.*

8 Vel is exijt cum habitu, sine tamèn Superiorum licentia, & sic debet mitiùs puniri, iuxtà Regulæ statuta; ex quo sine Superiorum voluntate, diù fuit extrà Monasteriū.

9 Aut tandèm, exiuit cum Habitu, & Superiorum licentia, & in tali casu, vbi redijt, mox debet ad solemnem Professionem admitti, seruatis tamèn alijs, de iure seruandis; nullo iterùm Nouitiatu peracto.

10 Nec recedas ab his, eo prætextu, quod Superiores, finito Nouitiatus anno, debent admittere, vel ejcere, iuxtà *d. cap. 16. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* Quia admissio, multis de causis potest prorogari, vt dico infrà, & decisum refert *Barbosa in Collect. d. cap. 15. Trid. nu. 29.* & *Portellus p. 2. casu 7. nu. 2.*

An omnis dimissio habitus, & à Conuentu recessus, interrumpat probationis annum? Quæst. 8.

1 Respondeo, quòd omnis dimissio habitus, facta animo deserendi Religionem, etiam si infrà eundem diem dimissionis, dimittentem pęniteat, interrumpit probationis annum, *Sylu. ver. Religio 5. q. 4. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 12. nu. 6. Sanch. in decal. lib. 5. cap. 4. nu. 32. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 22. art. 4. Portell. ver. Nouitius, nu. 50. in fin. Barbosa in d. cap. Trid. nu. 32. & 35.* & *Rodriq. tom. 3. quæst. 15. art. 10. ver. aduerte tamèn.*

2 Et hoc ideò; quia Nouitiatus annus debet esse continuus, & in habitu Regulari; nàm habitus Regularis, vt infrà dico, est de substantia probationis, & additur; quòd Nouitius per dimissionem habitus, tali animo factam, amisit statum, quem habebat; sicut, & Clericus deponens habitum Clericalem.

3 Proindè, si pęniteat, debet de nouo recipi, & procurare, vt admittatur, & nouum tenetur Nouitiatum peragere, *Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 4. nu. 100.* & *Barbosa cit. loc. Trid.*

4 Et confirmatur; quia sicut duo diuersa non possunt facere vnum totum; ità diuersa tempora non coniunguntur ad faciendum vnum totum integrum probationis annum; vt per multa iura ostendit noster *Sylu. in d. q. 4.* & procedit de iure, absq; vllo dubio.

5 Hinc collige, quòd si Nouitius dimittat habitum suæ Religionis, & se vestiat vestibus sæcularibus, & eat in sæculum, Religione dimissa, etsi post tres horas eum pęniteat, & reuertatur, est recipiendus, ac si nūquàm in Religione fuisset; hoc est, cum nouo consensu Capituli, nouoq; Nouitiatu.

6 Quod extende ad eum, qui è Religione aufugit; etiam habitu retento, cum animo redeundi; quia sic faciens, violat Religionis iugum, & se aliquo tempore eximit ab obedientia Prælatorum, quæ est maxima pęnalitas inter cęteras pęnalitates Ordinis; & ob id Nouitiatum discontinuat, & non omnes asperitates Religionis experitur, tempore continuo, *Sylu.* expressè *cit. loc.* & *Nauar. lib. 3. cons. 42. in antiq. nu. 2.* & *Sanch.* multis citatis *vbi suprà.*

7 Amplia, ad eum, qui fuit Nouitius in vno Conuentu per sex menses, & indè egressus, sine licentia Prælati, etsi in alio Conuentu, etiā eiusdem Ordinis, recipiatur ad Nouitiandum per alios sex menses, vt Professionem faciat, *Nauar.* multis citatis *de Regul. cōsil. 42. nu. 2.* & magis expressè in *cons. 43. in antiq.* & refert, ità esse decisum in Prætorio Sacræ Pęnitentiariæ; eò, quòd sine licentia è Monasterio recedere, proculdubio est, Nouitiatum interrumpere, *nu. 1. in fin.*

8 Verū, limita Primò, non procedere de eo Nouitio, qui causa fornicandi, vel ratione tripudij, aut conuiuij, habitum dimittit; quia hæc dimissio habitus non fit animo deserendi Religionem; sed, vt expeditiùs saltet, aut fornicetur.

9 Limita Secundò, in eo, qui ira motus habitum dimittit, etiam si sit protestatus, se velle redire ad sæculū; si breui tempore placatus, eum facti pęniteat; nō tenetur à principio Nouitiatum facere; quia hæc dimissio censetur inuoluntaria; vtputà, quasi ex dementia, & ex ratione turbata, *Sanch. cit. loc.*

10 Id

10 Id ipsum dic, si Prælatus mandet, ita motus, Nouitium habitu spoliari, & ad breue tempus placatus iubeat, reindui; quod sępè faciunt Nouitiorum Magistri.

Vel animo humiliandi Nouitios, vel furore correpti.

11 Quod etiam procedit in eo, qui ob sæuitiam Prælati, vel sui Magistri, ad breue tempus se occultat in Monasterio, vel è Conuentu egreditur; quia hæc celatio, & breuis egressio in tali casu nō fit animo dimittendi habitum, vel deserendi Religionem, per ea, multa, quæ dixi in *tract. de apostatis, & fugitiuis*, & docet *Nauar. cit. loc. de Regul. cons.* 45. in 1. editio. *nu.* 1. *& cons.* 42. *num.* 2. & *Peyrin. cit. loc.* post multos.

12 Aut animo euitandi aliquod malum, quod timet sibi ob rigorem Prælati; prout etiam fit, & solet accidere, cùm instat grauis insultus, vel subitanea combustio, quæ non patitur, veniam petere, nec dilationem admittit, cùm periculum sit in mora, & timor etiam cadat in Virum constantem; *Barbosa in collect. d. cap. Trid. nu.* 40. & *Ant. Diana p.* 5. *tract.* 5. *de paruit. mat. resol.* 19. *& in* 3. *p. tract.* 2. *de dub. Regul. resol.* 84. *in fin. ver. notā etiam.*

Tempus in morbis consumptum per Nouitios, an interpellet probationis annum? Quæst. 9.

1 NAuarrus *de Regul. cons.* 42. *num.* 5. in 1. editio. & *Rodriq. com.* 3. *q.* 5. *ar.* 10. *ver. tùm quia, in med.* cum suo *Compend. resol.* 101. *nu.* 52. *ver. si Nouit.* & *Peyr. tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 1. *§.* 2. *nu.* 66. multis citatis, & plenè *Barbosa in Conc. Triden. sess.* 25. *cap.* 15. *nu.* 31. *& seq.* Respondent, quòd si Nouitius post susceptum habitum, in morbum incidat, & maneat infirmus toto Nouitiatus anno, recuperata salute, potest statim ad Professionem admitti, si aliundè sit habilis ad Religionis onera; quia annum probationis legitimè expleuit.

2 Et quantum est ex se, in probatione fuit, & additur, quod Nouitius non tenetur, omnes Religionis austeritates in indiuiduo experiri; sed satis est, vt probet in genere, perseuerando per annū sub obedientia Prælati.

3 Quod procedit, etiam in Nouitio Minimorum, si eodem toto Nouitiatus anno, esset in Infirmaria, carnibus vescendo, & lacticinijs vtendo, causa morbi, & ęgritudinis, *Sanchez in decal. lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 28. Nec obstat ei Votū Quadragesimalis vitæ, quod est in tali Religione rigidissimū, *Peyr. cit. loc.*

4 Amplia, ad eum, qui exijt Conuētum, curationis gratia, retento tamèn habitu, & de licentia Prælati; nam ità permanens, censetur esse in Monasterio, *Portell. ver. Nouit. annus, nu.* 50. *in fin.*

5 Quod extende ad Nouitias Monialiū, non obstante Voto de perpetua clausura; prout pluriès à Sacra Congreg. fuisse decisum, refert *Barbosa in Collect. ad cap.* 15. *sess.* 25. *Conc. Trid. nu.* 39.

6 Quia de re, si Nouitia durante probationis anno, curandæ valitudinis causa, de licentia Superiorum à Monasterio exierit, & post reuertatur, eodem tempore Professionē emittere potest, ac si nunquàm egressa fuisset, & ità à Sacr. Congreg. dicit resolutum *Armendariz lib.* 7. *de Religione, nu.* 13. & *Dd. Vecchis cit. loc. dub.* 3. & *Stephan. Grat. discept. forens. c.* 166. *nu.* 14. sed vide *q.* 12. infrà *in fin.*

Si Nouitius sit demens, toto Nouitiatus anno, an cessante dementia, possit mox ad Professionem admitti? Qu. 10.

1 QVòd furiosi, & mentecapti non possint in Religionem admitti, docet per multa iura *Sylu. ver. Religio* 5. *q.* 2. & *Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 17. *ar.* 5. *conclus.* 3. & Egomet dixi suprà *de qualit. Recipiend. tract.* 2. *q.* 3. & constat ex *cap. sicut tenor* 15. *de Regul.* vbi dicitur, quòd durante amentia, non liceat profiteri.

2 An autem tempus amentiæ, quæ post habitum susceptum accidit Nouitio, interrumpat probationis annum, quæsitum est, de quo latè *Sanchez ad præcepta decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 30. quod *ibidem* sub distinctione determinat.

3 Aut phrenesis resultat ex aliquo graui morbo, & durat per octo, aut quindecim dies, & sic non discontinuat Nouitiatus annum; adeò, vt dementia transacta, & Nouitia, finito reliquo probationis anno, possit validè profiteri, absq; eo, quòd amplius fiet in probationis anno. Quod probat ex praxi, & consuetudine Religionum; tùm quia, nullo iure cauetur, quòd prædictū tempus passæ amentiæ, non sit computandum cum cursu Nouitiatus; immò reputatur, vt pars morbi, quæ non interpellat probationis annum; Aut amentia est exorbitans, nimis durans, & ex vllo alio morbo resultans; & sic tempus talis dementiæ non debet computari in probationis anno, sed phrenesi transacta supplendum est, sicut tempus, quo quis antè pubertatis annos, in Religione viuit, non computatur in Nouitiatus anno, ex quo impubes erat sine pleno rationis vsu.

4 In hoc tamèn casu ait, non est iterùm inchoandus Nouitiatus; sed tantùm supplendum est tempus furoris; quia eo medio tempore non fuit interruptus probationis

tionis annus, sed suspensus.

5 Proindè, complendus per tot alios dies, quibus furore laborauit, non autèm repetendus.

6 Alij autèm dicunt, & meliùs, quòd aut dementia, & furor durauit per maiorem partem anni; sic adeò, quòd ipse patiens, in tali morbi tempore, nunquàm fuit sui iuris, nec habuit lucis interualla, & sic tēpus talis amētiæ supplēdum est, vt dictū extat de puero impubere, ob defectū pleni vsus rationis.

7 Aut dementia, quæ superuenit, durat breui tempore, vtputà, per mensem, prout fit in pluribus phreneticis, & in tali casu, non est aliud tempus supplendum, nec repetendum; sed satis est, quòd annus probationis sit cōpletus à die susceptionis habitus; & quòd Nouitius sit, & fuerit habilis, & suæ rationis compos, tàm tempore susceptionis habitus, quàm tempore Professionis, prout in *d. cap. si-cut tenor*, ibi, *Nisi posquàm mentis suæ factus compos, spontanea voluntate, Professionem fecerit Monachalem.*

8 Ex quibus verbis colligitur, quòd radix validitudinis Professionis furiosi, consistit in hoc, quòd profitens, tempore Professionis sit sui iuris, & sanæ mentis; quòd si idem reperiatur in susceptione habitus, non video, cur Nouitiatus non debeat esse validus, vt notat *Hier. Rodriq. in Compend. resolut.* 101. *nu.* 52. vbi enim militat eadem ratio legis, ibidem debet reperiri eiusdem legis dispositio; tùm quia, per Nouitium non stetit, esse sanus in omnibus, & per omnia; nec debet duplici contritione conteri, nec iure cauetur, quòd tempus hoc non sit cū anno Nouitiatus computandum; est enim tempus infirmitatis, & languoris; & adde, quod dixi in præcedenti quæstione, & docet *Barbosa in d. cap. ad Apostolicam, nu.* 5. *Sayr. decis.* 15. *de Regul.* & *Aloys. Ricc. in Prax. rerum fori Eccles. decis.* 110. in 1. editio.

Probationis annus, an ex priuilegio possit esse interpellatus; adeò, vt tempora coniungantur ad validè profitendum? Qu. 11.

1 Dixi, quòd de iure communi, annus probationis debet esse cōtinuus, & quòd tempora non coniunguntur ad faciēdum vnum integrum Nouitiatus annum, prout communitèr docent *Doctores.*

2 An autèm de iure speciali, quis posset validè profiteri cum probationis anno, non continuo; sed interpellato; vt foret, si Nouitius, vbi fuit vno mense in probationis anno, & alio in sæculo, Religione deserta, in eandem Religionem reuersus admitteretur, ad prosequēdum Nouitiatus cursum? vtputà, supplendo vndecim menses, non autèm inchoando de nouo probationis anno.

3 *Iulius Secundus*, pro Minoribus statuit, quòd cùm aliqui Fratres in Ordine Minorū, annum probationis inceperint, si recederēt, & ad eundem Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus, cum tempore posterioris, sibi computari, vel non computari possit, iuxtà determinationem suorum Superiorum; prout hæc, & alia habentur in *Ordinum Monumentis*, in 2. impressione *f.* 327. *concess.* 283. & refert *Cæsar. in Comp. priuil. ver. Nouitius*, §. 23. & *Rodr. tom.* 3. *q.* 15. *ar.* 8.

4 Quod Priuilegium, & Indultum extenditur ad omnes alios Regulares, ob communicationem priuilegiorum.

5 Alio consimili Priuilegio, vel ex authoritate Apostolica, existimo, ꝙ sit factū istud statutum in nostro Ordine, quod est in *distin.* 1. *cap.* 14. *de Nouit. sex.* 11. *fol.* 59. *col.* 1. ibi.

Nouitios quoquè recedentes sine licentia, cum habitu à Conuentu; nisi infrà octo dies ad eundem redierint, pro refutatis ab Ordine habemus; etsi ad alium Conuentum declinauerint, & fuerint in illo acceptati pro Nouitijs, volumus, annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipso alio Cōuentu fuerint acceptati. Quòd si nullibi acceptati pro Nouitijs fuerint, post exitū sine licētia pro refutatis, & non Nouitijs, tales haberi volumus, quanto tēpore sic permanserint; Vndè, poteris facilitèr colligere, quòd in Dominicana Familia antè *Conc. Trid.* saltèm, respectu illius Conuentus, à quo fiebat recessus, tempora coniūgebantur, ad effectum anni Nouitiatus, vt liquet ex illis verbis: *Si ad alium Conuentum declinauerint, & fuerint in illo acceptati pro Nouitijs; volumus, annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipso alio Conuentu fuerint acceptati.*

6 Igitur, respectu illius Conuentus, à quo fuerunt egressi, non oportebat, Nouitiatum de nouo incipere; sed satis erat, cursum Nouitiatus complere, & prosequi, coniungendo tempus subsequens ad egressum cū priori antecedente recessum.

7 Itèm, ex illis, *quòd si nullibi acceptati fuerint pro Nouitijs, post exitum sine licentia, pro refutatis, & non Nouitijs tales haberi volumus, quanto tempore sic permanserint.*

Nota ly, *quanto tempore sic permanserint*, per quæ datur intelligi, quòd tempus decursum post exitum à Religione, & extrà Religionem consumptum, non computatur in anno Probationis; sed vbi fuissent regressi ad eundem Conuētum, à quo exierant; tempus enim præcedens exitum, & subsequens ad regressum, poterant coniungi ad efficiendum probationis annum, etiam si foris per multum fuissent.

8 Dixi,

8 Dixi, antè *Conc.Trid.* nàm hodiè correctum, & reformatum censeo ex *cap.22. d.Conc. sess.25.de Regul.* adeò, vt sicut hodiè non possumus validè profiteri antè annum ætatis 16. ex eodem *Conc.cap.15.* sic etiam non possumus, Professionem emittere, nisi per annum continuum, absq; interpellatione aliqua, fuerimus in probatione, vt *ibidem*.

9 Nec iuuat prædictum *Priuilegium Iulij II.* nàm, quicquid alij dicant, per idem *Trid.* abrogatum video, *vbi suprà*, & docent *Miranda tom.1.Manual.Prelat.q.22. ar.4.* propè *fin.* & ità *Sanchez in decal.tom.2.cap.4.nu.30.* refert, fuisse à Sacr.Congreg.decisum, & à *Sancto Fausto lib.5.Thes.quæst.154.Barbosa in cap.ad Apostolicam 16.de Regul. nu.5.* vbi reprehendit tenentes contrarium, & in *Collect. ad d.cap.15.Trid.nu.33.& in 3.par. de off.Episcop.alleg.101.nu.28.in fin.* cui subscribit *Anton.Diana 3.p. resolut.89.tract.2.de dub.Regul.*

10 Quamobrèm, nullatènus licet prætextu priuilegij, à *Trid.* discedere, vt dixi suprà *de vsu priuil.q.15.& 16.* vide *ibi*.

Annus probationis, an possit peragi foris, & compleri extrà septa Monasterij, saltèm ex legitima causa, & retento habitu, & de licentia Prælati? Quæst.12.

1 Doctores affirmant communitèr, & colligitur ex *cap.insinuante 7.qui Clerici, vel voueni.matrimonium contrab.* ibi, *in domo propria cum omni substantia, &c.* & ex alijs multis, quæ felicitèr colligit *Nauar.de Regul.cons.42.* in antiquis.

2 Quod habet locum, nedùm in eo, qui per maiorem partem anni stetit intrà septa, probando Religionis austeritates, *Rodriq. tom.3.q.15.ar.10.& p.2. summ. cap.8.num.4.* cum suo *Comp.resol.101. nu.44.*

3 Verùm etiam in eo, qui per maiorem partem anni stetit foris, & extrà, *Nauar.cit. loc.* vbi refert, ità esse per Sac.Congreg.decisum, & *Miranda tom.1. Manual.Prelat. quæst. 22. conclus.1.* qui ambo disputant ad partes, & soluunt obiecta.

4 Immò, & in eo, qui toto probationis anno fuit extrà Monasterium, *Azor.tom.1. lib.12.cap.2.q.8.* & alij, quos sequitur *Diana p.3. tract.2.de dub.Regul.resolut.84.*

5 Et hoc ideò; quia Nouitij sic stantes, censentur esse in Monasterio, prout ex multis docet *Syl.ver.Relig.3.q.19. §.2. inducitur, Nauar.cit.loc.nu.4.& eod.tit.cons.41.*in 1.editio. *nu.3. & comm.4.de Regul.nu.74.in 3.not. & cons.10.de Cleric.non residentibus, nu.3. Aloys.Ricc. in prax. decis.501.nu.3.* in 1.editio. *Iacob.Graff.1.p. decis.aur.lib.3.de Regul.cap.5. nu.18. Barbosa in 3.p. de off. & potest.Episcop. alleg.101.nu.28.& in collect. ad cap.15. Trid. nu.37.* & noster *Zauard.in direct.Theol. par.2. cap.16.* & dicuntur huiusmodi stantes sic foris, probari quòad mores, & experiri Religionis austeritates, *Bonac.tom.1.de claus.q.2. pun.10.difficul.2.§.2.nu.6. Sanchez lib.5.decal. cap.4. nu.27.à Sancto Fausto lib.5.Thes.q.164. Portell.ver.Nouit.annus, nu.50.* & *Peyr.tom.2. de Prælat.q.3.cap.1.nu.101.* & fuit à Sac.Congreg.decisum, sub anno Domini 1617. prout refert *Ioan.Maria Nouar.in Lucerna, ver.Nouit.nu.7.* & *Sayr.decis.15.de Regular.*

6 Amplia, ad Nouitias Monialium, adeò, vt causa infirmitatis possint de licentia Superioris, in Parentum domibus Nouitiatum prosequi, nec ob talem recessum à Monasterio, dicuntur interrumpere probationis annum, & ità refert esse à Sac.Congr.decisum *Barbos.in cit.loc. Trid.num.39. in fin. Portell. ver.Nouitia, Marzilla in Conc.Triden. lib.1. cap.16. §.antè decimum sextum, in fin.* vbi adducit propria verba Congregationis, & *Hier. Rodr.in Comp.resolut.101.nu.44.*

7 Hanc autèm licentiam concedere, respectu Religiosorum, spectat ad Prouincialē, si reperiatur præsens; secus autèm, ad Prælatum Localem, de consensu sui Capituli, si necessitas vrgeat, & periculum sit in mora, *Rodriq.tom.3.d.quæst.15.ar.10.*cum suo *Compend. d.resol.101.*

8 Quæ licētia, siuè sit ex rationabili causa, siuè sit illicita, non ob id, discōtinuat probationis annum; etiam si Prælatus concedēs peccet; ex quo abutitur sua authoritate, ità *Suar.de Relig. tom.3.lib.5.cap.14.nu.13.* quem sequitur *Diana d.resolut.84.* & alij, quos allegat *Barbosa in d.alleg.101. nu.28. in fin.*

9 Verùm, nota diligentèr, hæc prædicta procedere de iure communi, & habere locum extrà Italiam, vel in illis Religionibus, quæ fuerunt exceptæ in Generalibus *Decretis Clem.VIII.*

10 Secus autèm in Italia, eiusquè in Insulis adiacentibus, & in Religionibus non exceptis; nàm in his sunt omninò obseruanda *Decreta Clem.& Vrban.VIII.* suprà hìc posita, pro maiori commoditate.

11 Quibus cauetur, vt probationis annus fiat in Locis designatis; secùs autèm, nulla foret Professio subsequens ad talem Nouitiatum; quippè qui extrà Loca designata peragi nequit; & si fiat, nullam inducit obligationem, nec Professionem tacitam, nec Prælati, aliquid possunt contrà isthæc *Decreta* disponere, sine incursu pęnarum, & nullitate actus, prout constat ex lectura eorundem *Decretorum*.

12 Perindè, iuxtà recensita *Decreta*, nulla pars Nouitiatus potest peragi extrà Domos desi-

designatas; etenim illa pars Nouitiatus, minimè fieret in Conuentu designato, & consequentèr ex inobseruantia formæ, intrinsecè vitiaretur, prout notat *Lezau.in summ.tom.1. de Nouit. cap.24. nu.22.* & *Gratian.discept.forens. lib.1.cap.166. nu.14.*

13 Et ità iudicasse Rotam Romanam, affirmat *Farinac.1.p. decis.175.nu.2.* quamobrē, decisa à præfatis *Doctoribus* circà egressum Nouitij, cum causa, & licentia Superioris; hodiè in praxi nō esse tuta, testatur *Peyr. cit.loc.nu.*101.post multos, quos citat *ibid.*

14 Nihilominùs, censeo, prærecensita *Decret.Clem.*& *Vrban.VIII.* non comprehendere casus necessitatis; quominùs possint Nouitij, absq; metu discontinuandi Nouitiatus cursum, exire à Conuentu, causa infirmitatis, vel alicuius alterius grauis negotij; cum habitu tamèn, & licentia Prælati; quia casus necessitatis intelliguntur excepti, etiam si non exprimantur; quia necessitas, vt est in ore omnium, non subditur legi.

An possit Nouitius renunciare dicto anno probationis sibi per Tridentinum concesso; adeò, vt tali renunciatione per Superiorem admissa, possit intrà annum validè profiteri? Qu.13.

1 NEgant concorditèr *Doctores*, per ea multa, quæ docet *Nauar.de Regul.consil.*33. in 1.editio. & præcipuè; quia nemō potest iuri publico renunciare, *cap.si diligenti, de foro cōpet. l.ius publicū, ff.de pactis.*

2 Sed id, quod statutum est per *Sac.Conc. Trid.* in cit.*loc.* hodiè cedit in publicam vtilitatem omnium Religionum, & Religiosorum; & ità fuit decisum in reformationem *cap. ad Apostolicam, de Regul.* in quo annus probationis censebatur introductus in fauorem, tàm Monasterij, quàm Nouitiorum intrantium; tanquàm in fauorem priuatorum.

3 Hinc, de consensu vtriusquè partis, illi fauori renunciari poterat, vt *ibidem* expressè declaratur, & colligitur ex *l.si quis in conscribendo, C.de pactis, & cap.gratum, de off.deleg.*

4 Et hoc propter abusum intrantium, & recipientium; etenim infrà vnam, & eandem hebdomadam, Religionem intrantes, erant Nouitij, & Professi, & Prælati ad beneficia, & dignitates promoti, & priùs Magistri, quā Discipuli, cùm in Magistrum assumi non debeat, qui non nouit, esse discipulus, non sine præiudicio animarum, & Monasteriorum.

5 Secùs, *Conc.Trid.* nihil noui statuisset; nec totiès cum tanta præmura geminasset, *non fiat*, & rursum, *non admittatur*; & iterùm, *sit nulla*, ac itèm, *nullum effectum operetur*; quæ quippè geminatio debet in se habere aliquod grande misterium, & vim specialem, vt docet *Glos.* singul. *in Clem.1.de iure patr.in ver.Diœces.* pro qua facit *lex Balista, ff.ad Trebell.* & notat idem *Nauar.cit.loc.nu.9.& 10.* cum ceteris infrà citandis.

6 Et additur, quòd Professio facta antè annum decimū sextum, & facta antè finem anni probationis, parificantur; nàm vtraquè erit nulla, ex *Decret.Conc.Trid.* & sicut Nouitius non potest renunciare huic legi, & decreto de validè profiteudo, antè annum decimūsextum; ità nec legi de profitendo antè finem anni probationis; quia de parificatis debet esse idem iudicium, *l.fin. ff.mandat.& cap.licèt ex quadam, de testibus, Rodriq.tom.3. quæst.5.ar.7.Miranda tom.1.Manual.quæst.22. art.7. à Sancto Fausto lib.5.Thes.q.159.* & alij plures, quos citat *Barbos.allrg.101.nu.32.& in Collect.ad d.cap.Trid. nu.42.*

Annus probationis, an debeat fieri simplicitèr in habitu Regulari? Qu.14.

1 REspondeo affirmatiuè; secùs Nouitiorum Professio foret nulla, ex quo habitus Regularis est de substantia probationis.

Et colligitur ex cit.*loc.Triden.ibi, Non minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum, in probatione steterit.*

2 Er adde, quòd Nouitius tenetur experiri omnes Religionis austeritates, ex *cap. ad Apostolicam, de Regul.* quarum vna, & ferè maxima est, deferre habitum ad carnes, & cum eo dormire, *Sylu. ver.Religio 5. q.5.* & *Glos.in cap.final. ver.habitus, 17. q.2. & in cap. super eo, de Regul.* vbi expressè dicitur, quòd probatio debet fieri in habitu Monachali, iuxtà *cap. statuimus, eod.tit. de Regul.* & *Tabiena ver.Nouitius, nu.10.*& est communis.

Nouitij Sancti Dominici, an saltèm in articulo mortis possint expressè profiteri, anno probationis non completo? Quæst.15.

1 ET dico, quòd sic; dummodò sint in legitima ætate constituti, iuxtà *cap.15.Trid.de Regul.sess.25.* & quòd consilio Medici reperiantur in articulo mortis; adeò, vt quantociùs sint ab hoc sæculo transituri; prout docet *Barbos.de iure Ecclesiastico vniuersal. lib.1.tit.de Religiosorum Ordinibus, cap.41. nu.123. Ioan.Maria Nouar.in Lucerna Regular.ver.Nouit.*& habetur ex *Priuil.Py V.* incip.*Sūmi Sacerdotij cura*, quod fuit in specie, nostris Monialibus concessum, sub die 23. Augusti, anno Domini 1570, sui Pontific. anno 5.

no 5. & refert per extensum *Passarell. in priuil. Minim. pag.* mihi 123. *Rodriq. tom. 3. q. 15. ar. 6.* & *Miranda tom. 1. Manual. q. 22. art. 10.* & habetur in *Bull. Cherub. fol. 215.*

2 Quod quidèm *Priuilegiũ* cõprehendit, nedùm Nouitios nostri Ordinis, verùm etiã, & omnium Regularium, ob communicationem priuilegiorũ; quia sicut priuilegia concessa Fratribus, extenduntur ad Sorores, vt dixi *in tract. de priuil. extensione, q. 3.*

3 Ità, versa vice concessa Sororibus, intelliguntur indulta Fratribus, dũmodò sexui, & statui non repugnent; secus, gratiæ, & beneficia non essent mutua, *à Sancto Fausto lib. 5. Thes. q. 155.*

4 Nec valet obiectio, quòd *Greg. XIII.* sua *Constit.* incip. *In tanta negotiorum mole*, reuocauit, quicquid *Pius V.* concesserat super Statu, & Regimine Sanctimonialium, contrà *Conc. Triden.*

Quià priuilegia, etiam si sint contrà *Trid.* quòad forum conscientiæ non censentur reuocata, prout dixi *in tract. de confirmat. priuil. q. 16.*

5 Et additur, quòd *Greg. XIII.* non loquitur de ijs Gratijs, & Indulgentijs, & maximè concessis in mortis articulo, Monachis, & Sanctimonialibus; sed tantùm de alijs gratijs, & priuilegijs spectantibus ad regimen, & statum eorundem Monachorum, & Monialiũ, quæ possẽt excitare lites, & rumores in foro externo; prout *Rodr. & Mirãd. cit. loc.* quos sequitur *Barbosa*, multis citatis in *cap. ad Apostolicam, de Regul. nu. 4. & in 3. p. de off. & potestate Episcopi, alleg. 101. nu. 33. à Sancto Fausto cit. loc. Portell. in dub. Regul. ver. Nouitia, nu. 5.* & *Sorbus ver. Abbatissa, fol. 5.* vbi docent, quòd illa Indulgentia concessa pro Professione à *Pio V.* non sit reuocata.

Si Nouitius sic Professus, conualescat, & non moriatur, an teneatur complere, & prosequi probationis annum, & iterùm profiteri? Qu. 16.

1 AFfirmatiuè; quia præcedens Indultum factum est, dùmtaxat in consolationem morientium, vel existentium in mortis articulo, & ad lucrandum indulgentias, & consequendum gratias, quas Religiosi, solemnitèr profitentes adipiscuntur, ex concessione *Pij V.* & aliorum Pontificũ.

2 Verùm, vltrà Indulgentias reperiuntur multa alia iura, quæ Religiosus Professus consequitur, virtute solemnis Professionis, vt suffragari in Capitulo, & similia Professorũ, quæ nequeunt obtineri in vim *Constitutionis Pij V.* vt dictum est; cùm solùm de Indulgentijs loquatur.

Monasteriũ in vim præfatæ concessionis Pij V. an succedat in bonis Nouitij morientis sic Professi, in præiudicium hæredum venientium ab intestato? Q. 17.

1 ROdriquez, Barbosa, & Miranda in præcit. locis negant; nisi recuperata salute, & completo Nouitiatus cursu, de nouo Nouitius ad præscriptum *Trid.* Professionem faciat, vel primam ratificet.

2 Et hoc ideò; quia *Pius V.* præfatam concessionem indulsit, ob consolationem spiritualem, ibi, *pro consolatione animæ suæ, & propter indulgentias*, & ibi, *carent merito cælesti, quo Ordinis Professi, &c.* & ibi, *plenam suorum peccatorum Indulgentiam*; ergò, non ad alios effectus, nec ad alios fines.

3 Et confirmatur, nàm Romanus Pontifex, suis priuilegijs nunquàm intendit derogare iuri quæsito alterius; nisi ex necessitate, & rationabili causa, & nisi expresserit, vt dixi suprà in *tract. de Oraculis, q. vlt.* & docet idem *Rodriq. tom. 1. quæst. 6. ar. 8.* & *Nauar. de maiorit. & obed. cons. 1. nu. 11.* & colligitur ex *l. 2. §. si quis à Principe, ff. nè quid in loco publico, & capit. super eo, de off. Iud. deleg.*

4 Sed in prædicto *Priuilegio*, nec vnum quidèm verbum reperitur, ex quo possit colligi id, quod quæritur in præiudicium hæredum venientium ab intestato, ergò.

5 Et additur, quòd *Priuilegium*, de quo agitur, ex quo habet locum in solo foro cõscientiæ, quòad forum fori censetur abrogatum per *Gregor. XIII.* vt dictum est.

6 Nec video, quomodò in exteriori foro possit aliquid operari, quicquid alij dicant, quos citat *Diana par. 3. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 17.* & *Peyrin. tom. 3. priuileg. in c. 6. in additio. ad Const. Pij V. nu. 14. 15. & 16.*

7 Nec obstat dicere, quòd his Nouitijs, sic Profitentibus competant paritèr omnes aliæ gratiæ, quæ verè Professis competere possunt.

8 Quia hoc est verum, quòad Indulgentias, & consolationem animarum; Sed fallit, respectu successionis in bonis, quæ concernũt forum litigiosum, & externum iudicium.

9 Et addo, quòd priuilegium, & ius succedèndi, conuenit Monasterijs; non autèm Professis; quia Monasterium succedit loco Filiorum, & per Professionem Professus moritur Mundo, & in eius bonis, iuribus, & actionibus, tanquàm hæres, cum beneficio legis, & inuentarij succedit Religio, seù Monasterium, vt dixi suprà *de successione Monasterij.*

10 Et potest colligi ex *Conc. Triden. sess. 25. de Regul. cap. 2. nemini igitur*, & refert à Sacr. Congreg. decisum *Vecch. de Nouit. disput. 13. dub. 11. nu. 2.* & *Ricc. par. 2. Prax. resol. 493.*

*fol.*493. vbi latè de hac re loquitur, *Reg.Rouit.decis.*40.*in princip.* & *Nouar.*in sua *Lucern. Regul.ver.Professio, nu.*41. *in fin.*

*Annus probationis, an ex iusta causa à Prælato Nouitiorum possit prorogari? Quæst.*18.

1 N*Auar.de off.Iudicis Ordin.cons.*2. in 1.editio.& *de Regul.cons.*29. in 1. editio. & in 2. *cons.*30. quem sequitur ad vnguem *Rodriq.tom.*3. *QQ.RR. quæst.*17. *ar.*10. *&* 2.*p. summ.cap.*8.*nu.*3. *conclus.*2. *in med.* & *Ludou.Miranda tom.*1. *Manual.Prælat. qu.*25. *ar.*11.*concl.vnica,Iacob.Graff.*1.*p.decis.aur.lib.*3.*cap.*5.*n.*16.*à Sancto Fausto lib.*5.*Thes.q.*156. *Portell.p.*2.*cas.*7. *f.*342.& *Diana p.*3.*tract.*2.*de dub.Regul. resol.*128. respondent affirmatiuè.

Et refert à Sac.Congr.pluriès decisum *Bellarm.in nouis declar.Sac.Conc.Trid.sess.*25. *in cap.*15. *nu.*3.*in ver.admittatur*, & *Barbosa ibidem in collect.nu.*41. *Suarez tom.*3.*de Relig. lib.*5.*cap.*12.*num.*5. & *Peyr.tom.*2. *de Prælat. quæst.*3. *cap.*1. §.4. *nu.*102. *&* in 1.*tom. priuil. Minimor.in Constit.*2. *Sixti IV. nu.*81.

2 Nec his obstant illa verba *d.cap.*15. *Trid. sess.*.25. ibi, *Per annum post susceptum habitum, ad Professionem admittatur*; quia per hæc verba deciditur, quòd aliquis, antè hoc tempus non sit admittendus; non autèm excluditur, quòd hoc tempus, ex causa non possit excedi, prout censuit sepiùs dicta Sac.Congr. & refert *Graff.*& *Bellarm.*cit.*loc.*

3 Nec illa verba subsequentia *cap.*16.ibi, *Finito tempore Nouitiatus,Superiores,Nouitios, quos habiles inuenerint, ad Profitendum admittant, aut è Monasterio eijciant.*

4 Tùm quia, sunt verba consultiua potiùs, quàm præceptiua, *Nauar.*cit.*loc.* tùm etiam; quia Nouitij, quorum probationis annus prolongatur ex aliqua iusta causa; vtputà, infirmitatis, vel defectus ætatis, aut scientiæ, & consimilium; dicuntur inepti, & inhabiles; proindè non comprehenduntur sub dictis verbis *Sac.Conc.*

Et eadem Sac.Congreg. declarauit ad petitionem *P.Paßar.*sub anno Domini 1569. die 8. Nouembris, & refert in *Comp.priuil. Minimor. in Canon.*52. *fol.*mihi 230.

4 Quàpropter, non est recedendum ab antiqua praxi,& consuetudine omnium fermè Religionum,& Ordinum,prorogandi,& dilatandi probationis annum, cùm per ipsũ *Triden.* minimè sit abrogata, *Nauar.*cit.*loc.* nàm ab antiquo iure non est recedendum; nisi per nouum fuerit expresè reuocatum,vt dicitur in *l.preces,C.de appellat.*

5 Hæc autèm prorogatio,etsi apud nonnullos censeatur arbitraria; adeò, vt possit à sextodecimo, vsq; ad vigesimum annum protrahi, & extendi, prout *Mirand.* in praxi euenisse, testatur.

6 Tamèn,meo videri,debet fieri, iuxtà propria Statuta,si qua sint; secus autèm,ad arbitrium Viri prudẽtis; ità,vt cessante causa, cesset prorogatio,vel duret tãto tempore,quo moralitèr tali causæ posset occurri.

7 In Dominicana verò Familia extat Consuetudo iussu *Pij V.* in praxi præscripta, prout ex *Declaratione* ad *text.*11. *cap.*14. *de Nouit.distin.*1.*litt.O.fol.*59.*col.*3. ibi,*Denunciamus autèm, sanct.mem.Pium Pap.V. declarasse, Professionem alicuius,ad profitendum inepti, ad sextum tantummodò mensem posse differri; si tamèn spes aliqua haberi possit, quòd talis infrà illud tempus sex mensium, habilem se reddat ad profitendum,quo tempore elapso, si eum inhabilem Prælati reperierint,ex Monasterio eijciant, iuxtà Decretum Conc.Trid. sess.*25. *cap.*16.

8 Quæ quidèm pia Declaratio procedit in Nouitijs,secus autèm in Nouitiabus;quia Monialium Professiones, ob alias multas causas, & præcipuè,causa dotis non consignatæ,possũt diutiùs differri,*Rodr.*in cit.*loc.*

*Completo anno probationis,ad præscriptum Trid.sess.*25.*de Regul.cap.*15.*an Nouitius possit validè profiteri, non obstante,quòd non sit completum tempus,à Statuto requisitum, si aliàs sit idoneus? Qu.*19.

1 IN Ordine Sanctissimi P.Francisci de Paula reperitur statutum; nè quis antè decimumoctauum ætatis suæ annum, ad Professionem admittatur, vt in *cap.*2. eiusdem *Regulæ.*

2 Si quis modò Minimorum, cum ætate debita,& Nouitiatu completo,iuxtà *Concil.Trid.* præcitatum profiteatur;an sit valida eius Professio? quæsitum est, quod *Nauar.* timet decidere,ob multa,quæ affert hìnc indè, *de Regul.cons.*22. *&* *cons.*35. *ad* 2. *&* 3.*quæst. &* *cons.*44.in antiq.

3 Verùm hodiè, quòd sit valida, refert à Sac.Congreg.decisum *Barbos.in* 3.*p. de off. & potestate Episcopi, allegat.*101.*nu.*15. *& in Collect.Trid.in d.cap.*15. & *ibidem Bellarm.in obseruat.doctrinæ, ver.Professio, Rodriq.tom.*3. *q.*17. *ar.*20. *Miranda in Manual.Prælat. q.*24. *art.*2. *concl.*2. & *Peyriu.tom.*1.*de Relig.Subdito, q.*1.*cap.*26.§.3. *ver.secundum.*

4 Et hoc ideò;quia ex verbis Regulæ nõ annullatur talis actus Professionis; sed tantùm imponitur pœna Superiori, si eum ad Professionem admitteret, antequàm attingat 18. vt constat ex eadem *Regul.cap.corrector,p.*2. *fol.*mihi 44.

5 Quod extenditur ad omne aliud statutum, dummodò non habeat clausulam irritantem, argum. *cap. ad Apostolicam, de Regul.* etenim multa iure fieri prohibentur, quæ facta tenent; ex defectu tamèn clausulæ annullantis, *Boer. decis. 1. nu. 14.*

Si in aliquo Ordine sit aliqua Constitutio Generalis, quæ dicat, Professionem factam antè annum 18. esse nullam, an officiat? Quæst. 20.

1 NEgat *Nauar. de Regul. cons. 5.* in 1. editio. *nu. 44. & 48.* & meritò; quia Capitula Generalia nihil possunt statuere cōtra ius commune canonicum, quod enim fit à Papa, vel à Concilio Generali, non potest ab aliquo Inferiori tolli, & abrogari, *Rodriq. & Miranda* in cit. loc.

2 In Dominicana Familia adest aliud statutum, quo cauetur, nè qui antè annum decimumquintum, habitum susceperunt, elabatur annus probationis (quantocunquè decurrente temporis spatio) nisi vocati post annum sextumdecimum à Prælato in Capitulo, coràm Conuentu, terminum, ad minus trium mensium acceperint ad deliberādum; an profiteri velint; ità, quòd annus probationis, cum taxato illo termino terminetur; ac per hoc ex tunc incurratur Professio tacita, prout pleniùs est videre in nostris *Constit. distin. 1. de Nouit. cap. 14. tex. 9. fol. 58. col. 3.*

3 Si hi Professionem faciant, completo Nouitiatus anno, cum legitima ætate requisita, iuxtà *Trid.* non peracto tamèn ipso trimestri, an sit valida eorum Professio?

Quidam aiunt, valere, ex quo prædictū statutum non annullat actum, vt dictum est.

4 Sed falluntur; quia in dicto nostro Ordine, respectu Puerorum præfatorum, non currit annus pbationis; nisi fuerit eis à Prælato assignatum prædictum trimestre ad deliberandum, & sub ista conditione puerili ad Religionem admittuntur, non aliàs, nec alio modo, & sine probationis anno, perfectè completo, non possumus licitè, nec validè profiteri.

5 Benè verum, quòd istud trimestre, & protestatio debet fieri, & adhiberi per Prælatum, antequàm sit plenè, & perfectè completus probationis annus decimussextus; nā ex quo cursus Nouitiatus currit de momento in momentum, stante legitima ætate, & completo plenè probationis anno, ac præscriptū *Trid.* nulla priùs facta protestatione, incurritur Professio tacita; qua sic Professus non potest è Monasterio expelli, nec sua sponte exire; etenim impeditur Professio tacita ex prævia protestatione facta per Prælatum, nomine Religionis, addendo, seù superaddendo illud trimestre.

6 Secus, standum Conciliari iuri *cap. 1. de Regul. & Clem. cos. eodem tit.* Et tacita Professione sequuta, assignatio illa trium mensium ad deliberandum, nihil operaretur contrà ius commune, vt doctè *Nauar. de Regul. cons. 30. nu. 2. & 3.*

7 Nec quidèm in minimo læditur hoc Religionis statutum per *Conc. Trid.* vt colligitur ex *cap. 16. d. sess. 25.* ibi, *Per hæc tamèn Sancta Synodus non intendit, aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxtà pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit:* hæc ibi.

8 Quod extenditur ad omnem aliam Religionem, ab eadem Sancta Sede approbatam, ob communicationem gratiarum, & priuilegiorum; & magis expressè in *cap. 22. præfat. sess.* ibi, *Si qui verò Regulares, tàm Viri, quàm Mulieres sunt, qui sub arctiori Regula, vel Statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia S. Synodus amouere non intendit.*

9 Quibus additur, quòd probationis annus, ex iusta causa potest prorogari, vt decisum est hic suprà immediatè.

10 Hoc autèm Religionis statutum, est nimis rationabile, ibi, *Nè Pueri recepti ad habitum, inueniant se potiùs natos sub iugo Religionis, quàm illud elegisse, Scrofa in resolut. moral. q. 8. nu. 8.*

An Nouitius possit huic trimestri renunciare? Quæst. 21.

1 NEgatiuè; ex quo dictum trimestre est pars anni probationis, & de integritate illius; sed anno probationis, cùm sit ius publicum, nec Nouitius, nec Monasterium potest cedere, vt hic suprà decisum est.

An autèm Pater Generalis possit in illo trimestri, ex iusta causa dispensare? Quæst. 22.

1 ET dico, quòd sic; cùm Magister Ordinis regularitèr soleat habere à Dom. Papa omnimodam auctoritatem super Statuta, & Constitutiones Ordinum; & maximè quòad accidentalia; & eccè Pater Generalis Societatis Iesu habet potestatem dispēsandi super secundo anno probationis, qui annus secundus fit ex Instituto eiusdem Ordinis, prout ex multis docet *Barbosa in Collect. ad d. cap. Trid. nu. 42.*

2 Ità, & noster Reuerendissimus Generalis,

ralis poterit dispẽsare in isto trimestri, quod minus est, ex quo sunt pares in iurisdictione, respectiuè.

3 Quæ dixi, de Professione prædictorum Puerorum, amplia, & extende ad Professionẽ Conuersorum, si qui, in nostro Ordine profiteantur, completo anno 18. Nàm hodiè ex *Decreto Clem.* & *Vrb.VIII.* non potest recipi antè annum vigesimum, nec profiteri; nisi elapso anno ætatis eorundem vigesimoprimo, prout constat ex suprà positis *Decret.* & dixi in *tract. de Conuersis*; & habetur in nostris *Constitut. cap.13. de Recipiend. text.4. litt.K.fol.43. colum.4.*

4 Nec huic ætati potest tenunciari; quia spectat ad communem vtilitatem, & tangit ius publicum, *Nauar. d.consi.30.nu.2. & 3.*

Si quis in legitima ætate, & in Conuentu designato recipiat habitum Conuersorum, & post susceptum habitum, per annũ in probatione permanserit, et fiat professus, an validè profiteatur? Q.23.

1 HOC dubiolum in Ordine Prædicatorum indiget examine, ratione illius statuti, quod habetur in *d.loc.* nostrarũm *Constit.* ibi.

Istud pro recipiendis Conuersis ordinatum fuit, vbi est consuetudo Recipiendorum Tertiariorum; statuimus, vt nullus ad habitum Conuersorum recipiatur, nisi prius per annos duos in habitu Tertiarij, Conuentui inseruierit, vt sic Spiritus, atq; Vires, quibus præcipuè in Fratribus Conuersis, Ordo noster opus habet, probentur.

Vbi verò consuetudo nõ est, recipiendi Tertiarios, ordinamus, vt recepti ad habitum Conuersorum, primò duobus annis integris, habitum Conuersorum deferant, quo biennio, eorum vires, & obsequia videantur, & probentur, an idonei sint ad labores; deindè verò post biẽnium, annus tertius in eodem habitu pro probatione illius assignetur; ità, quòd, si benè, vt par est, se gesserint, ad Professionem post tertium annum recipiantur. hæc ibi.

2 Ex quibus collige, quòd si quis profiteatur post primum, vel secundum annum peractum, nullitèr vtiquè profitetur, & censetur Professio facta, sine probationis anno, & sic foret nulla, absq; vlla obligatione, iuxtà præcit. *Trid.* & docet *Nauar. in d.consi.30. in 1. editio.*

3 Hinc considera, an iste Conuersus biẽnio inseruierit Conuentui in habitu Tertiariorum, an verò immediatè venerit è sęculo; nàm nisi fuerit præcitato biennio in seruitijs Religionis, debet percurrere tertium annum, vt suprà præscriptum pro anno probationis, quo non elapso, si profiteatur, nullitèr vtiquè profitetur, & dicetur Professio facta immediatè, absquè anno probationis, contrà *Trid.* & antiqua iura, prout notat idem *Scrofa cit. loc.*

4 Nec his annis potest tenunciari, propter iam dictam rationem.

5 Nec dices, quòd statutum non habet *Decretum* irritans; quia satis est, quòd determinet annum probationis, qui est de substantia Professionis, vt dixi ex *Conc.Trid. & cap. ad Apostolicam*, cũ ceteris, *de Regul.* & actus factus contrà legem prohibentem, illum fieri non valet, *l.non dubium, C.de legibus*, & docet *Nauar.lib.3.de Regul. consi.22.nu.1.*

6 In Religione Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captiuorum reperitur *Constitutio*, confirmata auctoritate Apostolica, antè, & post *Trid.* qua cauetur, vt in dicta Religione nullus recipiatur, anteaquàm annum vigesimum compleuerit.

7 Nihilominùs, ex quo non habet *Decretum* irritans, quod annullet actum contrà tiũ, satis est pro validitate Professionis, quòd in dicta Religione fiat Receptio, vel Professio, ad præscriptum *Conc.Trid.* hoc est, post expletum decimũsextum ætatis suæ, & quòd post habitum susceptum, per annum in probatione permanserit, prout sępè censuit Sacra Cõgreg. die 20. Augusti 1631. & 24. Aprilis 1642. vt refert ex multis *Barbosa* in dicto *loco Concilij, num.16.* & *Sell. in select. Canon. cap.18. num.3.*

An Nouitius, possit liberè egredi à Religione, & talitèr egredienti, sint eius omnia bona restituenda? Q.24.

1 PArs affirmatiua est certissima, & habetur expresè in *cap. statuimus 23. de Regul.* ibi, *Ad priorem statum redire posse liberè infrà annum*, & ex *Conc.Trid. sess. 25. de Regul. cap.16.*

2 Nec indiget, quoad hoc Superiorum licentia; secus, non liberè possit recedere, *Sylu. ver. Religio 5. quæst.8.* & *Panormit. in dict. cap. statuimus.*

3 Nec potest, huic libertati tenunciare, ex quo spectat ad communem vtilitatem, & fuit concessa in subsidium fragilitatis humanæ, ex *cap. non solùm, de Regul. in 6.*

4 Nec volentem abire, Prælati Religionum sub aliquo prætextu possunt retardare, sine metu censurarum, prout expresè deciditur in *cap.1. & 2. de Regul. in 6.* ibi, *In virtute obedientiæ, & sub pęna excommunicationis, &c.* & ibi, *Infrà annum aliquatènus impedire.*

5 Quod procedit, etiam si Nouitius ex Voto ingressus sit Religionem, & dubius esset,

ſet;an in emittendo Votum,habuerit animũ ingrediendi,cauſa experiẽdi, vel ingrediendi,& profitendi ſimul, *Sylu.ver.Relig.2.q.19. Conar.de pactis, par.1.§.3.nu.12. ver.quòd ſi quis*,& *Iacob.Graff.tom.1.lib.3.de Voto, conſ.8. pag.*mihi 178. *nu.7.in fin.*

6 Nec per talem receſſum factum fine licentia, incurrit aliquam inhabilitatem ad Ordines,vel ad Beneficia,prout expreſsè habetur in *cap.poſtulaſti 21.de Regul.*ibi,*propter hoc non ſunt ab Eccleſijs amouendi, ſed in eis poſſunt liberè miniſtrare.*

7 Nec itèm, ob id tenetur ad expenſas, ſibi factas à Monaſterio, *Sylu. ver.Religio 5. quæſt.8*, & multis citatis *à Sancto Fauſto lib.5. Theſ.q.177.& 178.*tùm quia,probatio eſt in bonum vtriuſquè; tùm etiam;quia,vbi Monaſterium eum aluit, ipſe quoquè Monaſterio feruiuit, et ſi aliquando non inſeruiet,eſt per accidens,nempè,cauſa morbi,vel quia, ei non committitur.

8 Immò, Nouitio abeunti, omnia,quæ ſua erant, reſtitui debent,ex *Triden.d.ſeſſ.25. cap.16.*ibi,*Omnia reſtituãtur*, etiam ſi ſint feudalia, prout ex multis *D.Reg.Carol.Tapia in repet.auth.ingreſſi,ver.ſua,C.de ſacroſ.Eccleſ.* & *Barboſa*, poſt multos *3.par. de off. & poteſtate Epiſcopi, allegat.101.nu.37.*

9 Quod amplia, etiam ad fructus perceptos;nàm hi computantur inter bona Nouitij,& Prælati recuſantes reſtituere, poſſunt per cenſuras cogi ab Epiſcopo Loci Ordinatio,iuxtà *d.cap.16.Trid.*

10 Deductis tamèn alimentis, in caſu, quòd deberentur,ad præſcriptum *Conc.Trid.* ex eodem *cap.*ibi, *Excepto victu,& veſtitu*, & debent iſthæc alimenta excomputari pro rata temporis, *Sanch.lib.6.decal.cap.10.nu.1. & lib.7.cap.3. nu.3.*

Si Nouitius ſe obligauit ad certam ſummam pro victu, & veſtitu ſui Nouitiatus,& pro huiuſmodi expenſis nihil dedit,ſi antè Profeſſionem velit recedere,& habitum dimittere, an poſſit per Monaſterium detineri, vſquè quò in expenſis, ſaltèm pro rata ſatisfecerit? Quæſt.25.

1 NEgant *Doctores*,ex *cap.non ſolùm 2. de Regul.in 6.*ſed pro expenſis factis,& ſibi debitis ex obligatione, & pacto, ſaltèm pro rata temporum, Monaſterium debet ſe dirigere contrà bona, vel hæredes Nouitij.

2 Nec licet,Nouitium receptum,è Religione expellere,ex cauſa non ſolutionis expenſarum;quia hæc non eſt iuſta cauſa,prout docet *Suarez cit.loc.* & alij plures, quos ſequitur *Peyrin.tom.2.de Prælat. quæſt.3. cap. 1.§.4. nu.106.*

An habitus factus,ſumptibus Nouitij,ſit ei egredienti reſtituendus? Qu.26.

1 BArboſa *in cap.ſuper eo,de Regul.n.5. & alleg.101.nu.38.* dicit,quòd ſic, ex eo, quòd *Trid.* dixit, *omnia eſſe reſtituenda*, ly, *omnia*, eſt dictio vniuerſalis, & quod totum dicit,nihil excludit,& ob id, nec quid minimum ex illis poteſt detrahi.

2 Verùm, Sacr.Congreg. præfati *Conc.* cenſuit, habitum Religioſum exeunti non eſſe reſtituendum, ſed pretium illius, prout idem refert in præcit.*loc.*

3 Nec quidèm pretium, ſi talis habitus fuiſſet factus ex eleemoſynis Deuotorũ;quia Deuoti dant Religioni primò, & eo fine, vt Ingreſſi,in Religione permaneant; ſecus non dediſſent, *Peyr.cit.loc. nu.107.*

An peccet Nouitius,ſi habitum dimittat, & in ſæculum redeat,vel Capitulum, ſi illum expellat? Qu.27.

1 NVllatènus peccare, docent *Doctores*,ſi exeat ex rationabili cauſa, teſte *D.Thom.2.2.q.189.ar.4.ad 2.*

2 Secùs,venialitèr ad minus,*Caiet.ibid.in fin.comment.*nàm ſpontè ingrediens Religionem,aut intrat mala fide; nèpè,animo damnificandi, vel illudendi illam; & ſic ingreſſus peccaret mortalitèr, & teneretur ad damnum paſſum; aut ingreditur bona fide;vtputà, animo probandi ipſam, & permanendi,ſi nihil ingratum inueneritſeſt enim ingreſſus finis probatio; probationis autèm finis,gratarum,vel ingratarum conditionum inuentio, & finis gratarum conditionum, eſt acceptio Religionis, & ingratarum, refutatio, prout eruditè docet idem Eminent. *Caiet.*

3 Igitur,ſi nihil ingratum inuenerit,debet perſeuerare, & progredi, alitèr diceretur infidelis,ex quo ſine vlla cauſa recedit à bono propoſito, & bonis reſiſtit inſpirationibus,& ſic imprudentèr agit,errat,& peccat, ad minus,vt dixi, venialitèr.

4 Id ipſum eſt dicendum, reſpectu Religionis,vt idem *ibid.Caiet.*cui ſubſcribit *Suar. tom.3.de Religione,lib.5.cap.13.nu.18.*

5 Petindè,Nouitius,ſi ſine cauſa à Religione expellatur, habet ius reclamandi contrà Conuentum, & Superiorem illius, & tecurrendi ad Superiorem maiorem, qui informatus, & doctus de iuſtitia Nouitij, eum in integrum reſtituet, non obſtante, quòd à Superiore Conuentus fuiſſet expoliatus, vt dixi in *tract.de priuil.Nouit. q.28.*

6 Vndè,

6 Vndè, ſi poſt ſex menſes fuerit iniuſtè expulſus, peractis alijs ſex menſibus, poterit profiteri; quia in hoc caſu dicitur, & cenſetur, totum integrum Nouitiatus annum peregiſſe.

7 Quamobrèm, poteſt ſtatim ad Profeſſionem admitti; quia grauatus recurrens ad Superiorem, non dicitur fugitiuus, *Sanchez lib.5.ad decal.cap.4.n.59.& lib.4.cap.16.n.92.*

Quid dicendum, ſi is ex voto ingrediatur? Quæſt.28.

1 DIuus Thomas *cit. loc.* cum diſtinctione reſpondet, *Quòd ſi vouens intendit, ſe obligare, non ſolùm ad ingreſſum Religionis, ſed etiam ad perpetuò remanēdum, tenetur perpetuò remanere; Si autèm intendit, ſe obligare ad ingreſſum Religionis, cauſa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt, quòd remanere non tenetur.*

Si verò, in vouendo ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitauit, abſq; hoc, quòd cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum Religionis, ſecundùm formam iuris communis, quæ eſt, vt Ingredientibus detur annus probationis; vndè non tenetur, perpetuò in Religione remanere: hæc *ille.*

2 Et *Caiet. ibid.* ſubiungit, quòd ingreſſus ex Voto, peccat mortalitèr, ſi recedat ſine cauſa; quia ex Voto intelligitur ſe obligaſſe, ad bona fide probandum, & proſequendum, vt ſuprà, quod non ſeruat. *Sylu. verb. Relig.2.q.19.*

3 Nec obijcies, quòd ſit ſui iuris, & quòd poteſt, ſuo iure vti, abſquè vlla culpa; quia multa procedunt in foro externo, quæ fallunt in foro conſcientiæ, de quo nos hic loquimur, quicquid ſit de foro contentioſo.

Beneficium Ingredientis Religionem, durante Nouitiatu, an cenſeatur vacare; adeò, vt poſſit alteri conferri? Qu.29.

1 NEgatiuè dicitur in *cap.4. de Regul. in 6.* ibi, *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt infrà probationis annum alicui conferendum; niſi ad id, ipſius accedat aſſenſus; ſed interim eidem beneficio per alium deſeruiri debebit, aſſignata ſibi congrua, de ipſius prouentibus portione.*

Beneficia, & Penſiones Nouitij Societatis Ieſu, an extinguantur, vel cenſeantur vacare, poſt annum probationis, vel poſt vota biennij? Quæſt.30.

DIxi in *tract. de priuil. Nouit. q.30.* vide *ibi* cum alijs, & non pigebit.

SVMMA QVAESTIONVM

Tract.X. De Profeſsione Solemni.

Pro-

DE PROFESSIONE Solemni. Tract. X.

Professio, quid, & quotuplex sit? Qu.1.

1 PRofessio, sine dubio, est duplex, nempè, expressa, & tacitâ, seù interpretatiua, *Sylu.ver.Religio, in princip. & eod.ver. Tabiena, & Armilla*, post *D.Thomam*, & *Caiet. q.186.ar.6.in 2.2.* & *Nauar.comm.1.de Regul. nu.25.& cons. lib.3. eod.tit. tom.1.cons.6.* cui fauet *Rodriq.tom.3.quæst.17.art.1.& 2.p.sum. cap.8.in princ.Miranda tom.1. Manual. qu.24. art.1.* & nupèr *Layman.lib.4.de stat.Relig.tract.5. cap.5. nu.1.*

2 Professio Religiosa, qua quis propriè, & verè efficitur Religiosus, ex *cap.porrectum 13.de Regul.* & per quam expressè, vel tacitè promittitur Superiori, in aliqua Religione, à Sancta Sede approbata, Obedientia, Paupertas, & Castitas, ex *cap.ad Apostolicam, eod.tit.* de communi sententia, nihil aliud est; nisi quidam naturalis contractus reciprocus, seù mutuus inter Religiosum Professum, & Religionem eius Professionem acceptantem, vltrò, citròq; obligatorius.

3 Dixi, mutuus, & reciprocus; quia Professione media Profitens se obligat in vniuersum, Religioni seruire, vsquè ad mortem inclusiuè.

4 Et vice versa, Religio se obligat, & promittit, ipsum Professum, vbiq; gentium alere; siuè sanus, siuè infirmus fuerit, *Nauar. de Regul.cons.5.nu.1.* in 1.editio. *Panorm. in d.cap.porrectum, nu.10. De Vecchis in Praxi de Nouit.disput.13. dub.15.nu.4.* & *Saneh. lib.6. ad decal. cap.9.nu.7.*

5 Dixi, naturalis, quia pactorum, ac contractuum obseruatio, simpliciter, & absolutè est de iure naturæ; nàm Natura dictat, quòd promissiones, & pacta debent obseruari, *Sylu.verb.obligatio, in princ. Couar.var.resolut. lib.3.cap.18.* & *Practic.qu.9.cap.29. Sanchez*, multis citatis *lib.1.de sponsal.cap.7.nu.16.*

6 Isthæc autèm obligatio, an magis nascatur ex iuramento, vel promissione, docet *Sylu.d.ver.obligat.q.4.* satis est, quod in dicta Professione reperiatur vtrũquè; etenim Profitens, iuramento promittit obedire, & vouet Regulam obseruare.

7 Est itèm, hæc obligatio de iure canonico, & ciuili, *cap.1.de pactis, & cap.iuramenti 22.quæst.5.& Instit.de obligat.& quot modis contrahatur obligatio, & l.iuris gentium, §.Prætor, ff.de pactis.*

8 Et constat ex definitione contractus, quam assignat *Vlpian.in l.labeo, ff.de verb.significat. ver.quòd sit vltrò, citròq; obligatio, ex partium voluntate, & pactione consurgens*; prout, post multos notat *Rebell.de oblig.instit.lib. 1. p.2.q.1. sect.1.nu.15.* & *D.Thom.quodlib.1. ar.15.in corpore, in responsione ad 1.*

9 Proindè, nedùm iure naturæ, verùm etiam Canonico, & Ciuili, Religio potest cogere suos Professos ad sibi obediẽdum, & seruiendum in omnibus, quæ sunt secundùm Regulam.

10 Et è contrà, Professus potest suam Religionem conuenire ad se fouendum, & exhibendum sibi alimenta, in omni loco, & tempore necessaria; & hoc vigore pacti; non nè pacto conuenisti mecũ? est enim pactum, ciuile, & naturale vinculum, quo pactizantes astringuntur, stare promissis, & conuenta obseruare, de qua re vide, quæ dixi *p.2.tract. 12.de obligat.Monasterij, qu.25. & seq.*

Modus, & forma expressa profitendi, quotuplex sit? Quæst.2.

1 TRiplex est modus expressè profitendi;

tendi; nempè, *Ego N. promitto, seruare Regulam*, vel, *Ego promitto, viuere secundùm Regulam*, aut, *Promitto obedientiam, secundùm talem Regulam*, prout mirificè, & elegantèr docet *D. Thom. 2. 2. quæst. 186. ad 1. & quodlib. 1. quæst. 9. ar. 4.* seu *art. 20.* & habetur in *Declar.* nostrarum *Constitut. distin. 1. de Prof. ss. cap. 15. lit. C. fol. 62.*

2 Si modò roges, quæ differentia sit inter prædictos modos profitendi; Respondet *D. Thomas* cit. *loc. quodlib.* quòd *Religiosus, qui in sua Professione vouet, se seruaturũ Regulam, videtur se obligare Voto ad singula, quæ continentur in Regula; & sic contrà quodlibet eorum agendo, peccaret mortalitèr; & ex hoc sequeretur, quòd Religionis status esset Religiosis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquàm posset declinari.*

3 *Qui autèm profitetur, non quidèm seruare Regulam, sed viuere secundùm Regulam; ex significatione verborum non tenetur ad omnia, quæ continentur in Regula; sed solùm tendere, ad hoc, vt mores suos dirigat, instruat, & informet secundùm Regulam; adeò, vt Regula sit idea, & exemplar eius actionum, quod non tollitur; nisi per contemptum.*

4 *Qui autèm profitetur obedientiam secundùm Regulam, cautiùs, & prudentiùs se gerit; quia huic profitendi modo nihil contrariatur; nisi id, quod est contra præceptum Regulæ;* Hactenus *D. Thom.* vbi suprà.

5 Primo modo profitentur Patres Minores, vndè ad singula quæquè minima, in Regula contenta, ex voto videntur obligati, iuxtà præcitatam doctrinam *D. Thomæ*.

6 Quod itèm videtur decisum à *Clem. V. in Concil. Viennensi*, & habetur in *Clem. exiui de Paradiso, de verb. signific. in 6.* vbi declarando Regulam Minorum, & eorundem profitendi modum, ait, quòd *Fratres Minores ex Professione Regulæ obligantur, non solùm ad tria substantialia Religionis Vota, nudè, & absolutè; verùm etiam ad implenda omnia, quæ sunt, ad ipsa pertinentia, quæ Regula ipsa ponit.*

7 Et subiũgit, *Nàm si ad hæc tria tantùm præcisè, & nudè obligarentur, promittentes se seruare Regulam, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate, & non etiam ad omnia alia contenta in Regula, quibus hæc tria modificantur, pro nihilo, & vanè profiterẽtur hæc verba: Promitto, semper hanc seruare Regulam, ex quo de his verbis nulla nasceretur obligatio:* hæc *ille*.

8 Verùm enim verò, qui profitetur, seruare Regulam, quoquo modo, & forma profiteatur, non censetur vouere, se obseruare omnia, quæ sũt in ipsa Regula ex Voto; quia hoc esset ad impossibilia obligare, aut manifesto periculo spiritualis vitæ se exponere; sed solùm per illa verba intendit, se obligare ad vitam Regularem, quæ essentialitèr cõsistit in illis tribus Votis Religionis, & in alijs præceptis Regulæ, & consimilibus, vti est, tendere in perfectionem, & sine contemptu Regulæ in Religione viuere, prout luculentèr ostendit noster *Sylu. ver. Religio 1. qu. 8.* & est expressa mens *D. Thom. in 2. 2. d. quæst. 186. in responsione ad 1. & in d. quolib.* ibi, *Quòd Religiosus, qui profitendo voueret, se seruaturum Regulam, videtur se obligare ex Voto ad singula, quæ sunt in Regula;* nota ly, *videtur*, hoc est, extrinsecè, & secundùm sonum verborum videtur, ità se obligare.

9 Sed in rei veritate, ex intentione Instituentis Regulam, & Profitentis, non est ità; tùm quia, profitens non intendit obligare se ad impossibile; nec se exponere manifesto periculo animæ suæ; sed prout consuetum est, profiteri in tali Ordine.

10 Tùm quia, non potest præsumi, quòd Patriarcha Sanctus Franciscus voluerit suos Fratres ad singula in Regula contenta ex præcepto obligare; hoc enim fuisset, huiusmodi Fratres in gehennam mittere.

11 Vndè, benè subnectit *D. Thom.* ibi, *Sãcti, ergò Patres, qui Ordines instituerunt, nolentes hominibus iniicere damnationis laqueum; sed magis viam salutis; ordinauerunt talem Professionis formam, in qua periculum esse non posset:* hæc *ille*.

12 Quibus additur decisio præfati Domini Papæ in prædicta *Clem. exiui*, vbi dicitur, quòd Minorum obseruantia, ex vi Regulæ non amplectitur omnia, vt præcepta, prout *ibidem* est videre, & *Nicol. IV. in Clem. exijt, qui seminat, eod. tit.*

13 Benè verum, quòd prædictus modus profitendi, fuit occasio multa dicẽdi, quibus opus fuit Decisione Papæ, *Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 25. ar. 2. concl. 1.* vbi immeritò conquæritur de *Syluestro*, ex quo in fauorem Minorum multa adducit, & *ibid.* citat decisionem Papæ, *ver. 3. hoc patet.*

14 Secundo modo profitentur Fratres Ordinis S. Benedicti, prout idem *D. Thom.* testatur in cit. *loc. quodlibet.*

15 Tertio modo profitentur Prædicatores, prout est videre in *cap. 15. de Professione, dist. 1. fol. 60.* vbi forma faciendi Professionem, sub tali serie verborum explicatur.

Ego Frater N. facio Professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & B. Dominico, & Tibi N. Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Successoribus tuis secundùm Regulam B. Augustini, & Institutiones Fratrum Prædicatorum, & quòd ero obediens Tibi, tuisque Successoribus, vsq; ad mortem.

16 Cùm autèm sit alij Priori cuicunque, loco Magistri Ordinis, ponitur nomen Prioris Loci, in quo Professio facienda erit, dicendo,

cendo, *Et Tibi N. T. Priori talis Loci, vice Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, & successorum eius.*

17 Verùm, si Ordo, tempore Professionis, Magistrum nō habeat; satis erit, promittere obedientiam Præsidenti, vice Magistri Ordinis, absq; expressione nominis, dicendo

Promitto Obedientiam Tibi N. Priori talis Conuentus, vice Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, prout declaratur cit. *loc. Constit. in litt. F. pag. 64. col. 3.*

Quæ verba dicti modi profitendi, singulariter declarantur, & quàm apprimè dicuntur in dicto *Loco Constit. Prædicatorum,* & à *Festo in summario* earundem *Constit. de modo faciendi Professionem, cap. 37.*

18 Exindè constat, quòd obedientia, quā promittunt Dominicani, duo de per se respicit; vtputà, *Regulam B. Augustini, & Institut. Prædicatorum.*

19 Vndè, respectu Regulæ Prædicatores ex voto obligantur, seruare ea, quæ ponuntur in Regula, tanquàm præcepta, & quæ Prælatus secundùm tenorem Regulæ, sibi præceperit; cętera verò, quæ non continentur in Regula sub præcepto; sed, vt consilia, & similia, non cadunt sub Voto.

20 Vndè, ea prætermittentes, non peccant mortaliter; ex quo promittunt, obedire secundùm Regulam, hoc est, precepta seruare, vt præcepta, & consilia, vt consilia, prout *D. Thom. in corpor. d. quodlib.*

21 Respectu verò *Institutionum*, non obligantur, nec ad culpam mortalem, nec venialem; sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam, prout idem *D. Thom. in d. loc. 2. 2.* & *ibidem* latè *Caiet.* & *Sylu. ver. Religio 3. q. 1. ver. aduerte tertiò.*

22 Et hoc ex intentione Legislatoris, prout constat ex *Prolog. Constitut. text. 6.* ibi, *vt vnitati, & paci totius Ordinis prouideamus; volumus, & declaramus, quòd Constitutiones nostræ non obligent Nos ad culpam; sed pœnam.*

23 Hinc, forma huiusmodi profitendi pluriès celebratur à *S. Thoma*; quia in effectu est cautissima, & securissima, pro animarum salute.

24 Benè verum est, quòd Fratres Prædicatores, aliundè possunt peccare; etiam respectu prædictarum *Institutionum*; nempè, ex libidine, negligentia, & contemptu.

Quid autem sit peccare ex negligentia, & contemptu positiuo, vel negatiuo, docet lepidè *Caiet. in d. art. in fin.* & *Sylu. cit. loc.*

An Professio possit fieri per Procuratorem? Quæst. 3.

1 Affirmat *Syl. verb. Relig. 3. quæst. 15. Nauar. de Regul. consl. 42.* vbi agit de quodā Nouitio Canonico, qui fecit Professionē per Procuratorem, *Rodr. tom. 3. q. ar. 13. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 24. art. 1. concl. 3. à Sancto Fausto Thes. lib. 5. quæst. 200. & 201.* & *Lezana tom. 1. summ. cap. 2. de rat. Votorum Profess. nu. 29.*

2 Tùm quia, quilibet actus fieri potest per Procuratorē; nisi expressè sit à iure prohibitus, vt in *l. 1. §. vsus, ff. de Procurat.* & docet *Regula 68. potest quis, de Regul. iur. in 6.*

3 Iste autem actus, de quo agitur, nunquàm expressè reperitur prohibitus, vt patet, discurrendo per *text.* & *Gloss. vtriusque iuris,* & maximè *leg. Pomponius, ff. de Procurat. & cap. qui ad agendum, de Procurat. lib. 6.* iuncta *Glos.* vbi multi casus excipiuntur; sed iste non excipitur, prout notat *Syl. cit. loc.*

4 Tum etiam; quia matrimonium, etsi sit Sacramentum, & de sui natura indissolubile; tamèn etiam hodiè post *Conc. Trid.* potest fieri per Procuratorem; prout de communi docet *Petrus Ledesma de matrim. ad 3. p. D. Thom. q. 42. ar. 1. in sept. difficul.* & *Rodriq. vbi suprà.* & habetur in *cap. final. de Procur. in 6.*

5 Et argumentum desumptum à matrimonio carnali ad spirituale, benè valet, vt dicitur in *cap. inter corporalia, de translat.*

6 Verùmtamen, prædicta decisio nequit practicari sine timore, & magna cautela; nā iuxtà dispositionem prædicti *cap. final. de Procur. in 6.* ibi, *Procurator ad matrimonium contrahendum non censetur idoneus; nisi habeat speciale mandatum ad contrahendum.*

7 *Item, sic specialiter instiutus, non potest alium deputare; nisi hoc idem specialiter sit commissum.*

8 *Item, si Procurator, antequàm contraxerit, reuocetur à Domino instituente; contractum postmodùm matrimonium ab eodem; licèt tàm ipse, quàm ea, cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi penitus ignorent, nullius momenti existit, cùm illius consensus defecerit, sine quo, firmitatem habere nequiuit;* hæc *ibi.*

9 Ità pariter dicendum est, de Procuratore cum speciali mandato ad solemniter profitendum in hac, vel in illa tali Religione; quis enim certò sciet, mandatum non fuisse, vi, & metu extortum? aut fuisse reuocatum, mox, vbi Procurator huiusmodi iter habuerit, vel paululùm antè Professionem elicitā? nihil inconstantiùs humana Voluntate; & nihil faciliùs, quàm de commissis pœnitere.

10 Proindè, *Glos. additio in d. cap. final. in ver. reuocatus,* quam sequitur *Ioan. And.* subnectit, *sed sępiùs consului, quòd post contractum Procuratoris fiat ratificatio Constituentis.*

11 Et hoc ob periculum, & timorem consensus præstiti, ob cuius defectum nulla esset Professio; quandoquidèm matrimoniū, siuè sit corporale, siuè spirituale, pro sui validita-

liditate, exigit mutuum consensum contrahentium.

12 Itèm, volens profiteri, in ipso ferè Professionis actu solet, debetque in multis edoceri, & interrogari per Prælatum Ordinis; quippè qui, nomine Religionis, in multis protestatur, se eiusdem Professionem acceptare, cum quibusdam conditionibus, & pactis, quibus ipse constituens tenetur respondere, & veritatem dicere, quòd non sit coniugatus, non in aliqua Religione Professus, non criminosus, non aliqua infirmitate impeditus, & similia, quæ aut sunt ignota Procuratori, aut debent Principali intimari.

13 Quibus additur examen Nouitiatus, & probationis annus, an intrà septa, vel foris sit peractus; nàm hodiè susceptio habitus, cursus Nouitiatus, & Professio copulatiuè requiruntur, & debent fieri in Locis assignatis, iuxtà *Decreta Clem. & Vrban. VIII.* de quibus suprà dixi.

14 Itèm, an is, qui per Procuratorem intendit profiteri, compleuerit Nouitiatus annum, sine aliqua protestatione præuia? nàm, completo probationis anno censetur tacitè Professus.

15 Et tacitè Professus, cùm sibi vacauerit, poterit de præsentia expressè profiteri, iuxtà morem suæ Religionis.

16 Et tandèm, debet attendi Regula, an id, quod est de iure communi, amplectatur; nàm generi per speciem derogatur, *de Regul. iur. in 6. Regul. 34.* quò fit, vt Procurator ad eligendum in Capitulo, possit institui secundùm iura; secùs autèm, in Ordine Prædicatorum; ex speciali statuto, multotiès à Domino Papa confirmato.

Professio expressa, an debeat fieri in scriptis, vel sub aliqua certa forma verborum? Qu. 4.

1 PRofessio expressa potest fieri verbo, aut scripto, vel vtroquè modo simul, & in hoc distinguitur à tacita, quæ nec scripto, neque verbo fit; sed quibusdam actibus externis, de quibus infrà dico, & docet Eminent. *Ioan. de Turrecremata in cap. omnes fœminæ 27. quæst. 1. Lapus* in sua *allegat. 128. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 24. art. 1. conclus. 1.* & *Paulus Layman. lib. 4. Moral. tract. 5. num. 1.*

2 Nec requiritur certa forma verborum ad sui validitatem: etenim nullum ius reperitur, quod hunc præscribat modum profitendi, cum clausula irritante; Vndè semper valet, per quæcunquè verba fiat, etiam si non fuerit seruata forma Regularis, idest scripta, & posita in illa Religione, in qua Religiosus profitetur, *Panorm. in cap. porrectum, de Regul. & Sylu. ver. Religio 3. quæst. 9. ver. sed aduerte.*

3 Tùm quia, Profitens profitêdo se obligat Deo primò, principalitèr, & immediatè; Promissio autèm facta Deo, non potest vitiari per inobseruantiam formæ contractus; dummodò in Professione concurrant, & reperiātur alia substantialia; nêpè, vt promittantur tria vota explicitè, vel implicitè, obseruanda in aliqua Religione approbata à S. Sede; vt patet in excômunicatione, quæ per quæcūq; verba potest ferri, ex *cap. sacro, de sent. excom.* tùm etiam; quia testamentum, & quilibet alius contractus, per quæuis verba declaratus, valet, siuè hoc, vel illo modo stipuletur, aut solemnizetur, in prima, vel tertia persona; dummodò non mutetur substantia facti, per ea multa iura, quæ affert *Glos. in cap. dudùm 20. de Conuers. Coniugat. in ver. substantia veritatis.*

4 Ità parùm refert, quòd isto, vel illo modo Professio emittatur; dummodò non mutetur eius substantia, vt dictum est; nec talis actus, ad sui robur indiget scriptura.

5 Nihilominùs, ad omnem bonum finem debet in scriptis notari, ex *cap. Vidua 20. q. 1.* ibi, *Scriptis Professionem faciat, à se, aut signo, aut subscriptione notatam, & ibid. Glos. ver. scriptis,* vbi ait, *non quod sit necessaria scriptura; sed, vt scriptura propria obuiet ei, qui contrauenit.*

6 Proindè, *Clem. VIII.* authoritate Apostolica decreuit, vt Superior cuiuscunq; Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit institutus, librum habeat, in quo vniuscuiusquè Nouitij Professio registretur, illamquè Nouitius Professus, manu propria, ac duo testes, qui præsentes fuerunt, subscribant.

7 Conuersus verò litterarum ignarus, propria manu signū Crucis apponat; & hic liber cum alijs Monasterij scripturis asseruetur, prout habetur in prædictis *Institut. in fin. §. Superior.*

8 Idem censuit Sacra Congreg. Eminent. Cardin. addendo, præter ea, quæ dicta sunt, debere Profitentem sua manu, in dicto libro, seu regestro, ætatem suam scribere, & fateri, se spontè esse Professum.

9 Præter hæc, in Ordine Prædicatorum, quando quis profitetur, in eo iam dicto libro conscribitur nomen Profitentis, & eius, cui profitetur, & dies, mensis, & annus; prout habetur in *Declaratione* nostrarum *Constit. de Profess. cap. 15. distin. 1. fol. 61. col. 1.*

Et hoc totum, in remedium humanæ malitiæ, qua homines pleni, sępè dicunt de nullitate contractus, sine causa, & iustitia.

Professio, an possit probari per testes? Q.5.

1 ET quidèm, posse censeo; & est definitio *cap. nupèr, de testibus*, adiuncta *Gloss. ver. sui Ordinis*, vbi dicitur, quòd Monachi deponentes cum iuramento, faciunt fidem ad probandum eorum Professionem, & habetur in *l. in exercendis, C. de fide instrum.* ibi, *testiũ depositiones probant, sicut, & instrumenta.*

2 Immò, probatio per testes est magis valida, quia per viuam vocem fit magis probatio, quam per instrumenta, quæ probant per vocem mortuam, *Cyn. in rubr. C. de test.* & *Gloss. in rubr. ff. de fide instrum. in princip.*

3 Et plùs creditur viuæ voci, quàm mortuæ, *Prases de Franch. decis. 278.* & *Ricc.* post multos 1. *par. prax. fori Eccles. decis. 437. de testib.* in 1. editione.

Quot, & quæ requirantur; ad hoc, vt Professio validè fiat? Qu.6.

1 RE vera, multa requiruntur ad validè profitendum, & Primò, qualitas, & aptitudo personæ Vouentis, vt scilicèt habeat legitimam ætatem; nempè, sexdecim annos completos; & quòd cum Religioso habitu, per annum continuum in probatione steterit, ex *Conc. Triden. d. sess. 25. Regul. cap. 15.*

2 Secundò, quòd sit mentis capax, & sui iuris, & alteri non obligatus; adeò, vt nullum habeat impedimẽtum, quod simplicitèr, aut in omni, vel in aliqua particulari Religione censeatur essentiale.

3 Tertiò, consensus liber, & acceptatio eius, ad quem spectat, Professionem acceptare, & Religioni incorporare, ex *cap. porrectũ, & cap. ad Apostolicam, de Regul.* ibi, *per Professionem emissam paruèr, & acceptatam.*

4 Quartò, vt Professio fiat in Religione approbata à Sancta Sede, ex *cap. vnic. de Voto, in 6.*

5 Et tandèm requiritur Locus determinatus, ex *Constit. Clem.* & *Vrban. VIII. Tabiena*, & *Armilla ver. Professio*, & *Sylu. ver. Relig. 5. quæst. 1.*

Quinàm effectus sequantur ad Professionem ritè factam? Qu.7.

1 PLenissima remissio peccatorum; Primò, sequitur ad Professionem solemnem; nisi adsit obex, ex parte Profitentis, prout *D. Thom. 2. 2. q. vlt. ar. 3. ad 3.* & *ibid.* elegantèr *Caiet. & 4. sent. distin. 4. qu. 3. art. 3. ad 3. & quodlib. 3. qu. 13. & in tract. de excell. Relig. in Opusc.* & *Caiet. in 2. 2. quæst. 18. art. 3.* vndè, Professio ritè facta, dicitur alterum Baptisma.

2 Secundò, omnia Vota simplicia, & Iuramenta pia, ipso facto, per Professionem expirant, prout idem *D. Thom. cit. loc.* & *Palud. in d. 4. sent. distin. 38. q. 4. ar. 1. conclus. 6.* & colligunt *Doctores* ex *cap. scripturæ, de Voto.*

3 Tertiò, per Professionem tollitur Irregularitas, ex defectu nataliũ; quò fit, vt Illegitimi omnes, & Spurij, in aliqua Religione Professi, ad Sacros Ordines; absquè dispensatione possint promoueri, ex *cap. 1. de filijs Presbyteror. & cap. 1. distin. 65.*

4 Et sic de iure communi possunt ordinari; secus autèm ad Dignitates assumi; quia in hoc indigent dispensatione, *Rodriq. tom. 1. quæst. 13. ar. 3. Suar. de censuris, disp. 50. sect. 5. nu. 12. Simon Maiolus lib. 1. de Irregul. cap. 10.* & *Sanchez lib. 5. Decal. cap. 5. nu. 9.*

5 Quartò, Professio Religiosa tollit, & aufert maculam, quòad actus temporales; quamobrèm, damnatus de crimine furti, vel periurij, vbi fuerit in Religione Professus, potest in testem, & similes actus iudiciarios admitti, prout colligitur ex *Authen. de Monach.* ibi, *Conuersationis Monachalis vita; sic est honesta, vt omnem quidèm humanam hominis maculam detergat.*

6 Quintò, Professus, per professionem soluitur à Patria potestate, ex quo per eam Religiosus penitùs trãsit in potestatem suorum Superiorum, *Gloss.* communitèr recepta in *l. si ex causa, §. Papinianus, ff. de Minoribus*, & dixi suprà *de Nouit.*

7 Sextò, Professus, ob Professionem iàm dictam non potest exhæredari, etiam ob ingratitudinis notam, antea commissam, ex *Nouella Iustiniani Imperatoris*, & habetur in *causa 19. q. 3. cap. vlt. Couar. in cap. Raynutius, nu. 28. de testam.* & *Egomet* dixi suprà *de Nouit.*

8 Septimò, Professus, per Professionem, absoluitur à matrimonio contracto, rato, & non consumato, & multò fortiùs à contrahendo.

9 Octauò, acquirit ius ad victum, & vestitũ, & ad omnia sibi à Religione ministranda; nempè, quæ sunt victui necessaria.

10 Nonò, Professus, titulo Professionis, quasi ad titulum beneficij largè sumpti, potest, & debet ad Sacros Ordines promoueri, & similia, vt patet ex decisis.

Professio, cum voto solemni solius Obedientiæ, absquè expressione Paupertatis, & Castitatis, an sufficiat ad faciendum Professos, verè, & propriè Religiosos? Qu.8.

1 IAM diximus, quòd Regulares, non vno, & eodem modo Professionem emittunt; quidam enim expressè, post probatio-

bationis annum, in manu eius, qui potest Religioni incorporare, profitentur Votum Continẽtiæ, Obedientiæ, & Paupertatis; quæ tria vota sunt essentialia omni Religioni.

2 Quidam autem addunt, & quartum; nempè, Votum Vitæ Quadragesimalis, vt Minimi, aut de redimendo captiuos, vt Fratres B. Mariæ de Mercede, vel de missionibus habendis, vt Patres Societatis Iesu, quo expressè se obligant obedire Romano Pontifici.

3 Alij, vt Patres Ordinis Prædicatorum, per hæc verba profitentur, *Promitto Obedientiam, secundùm Regulam B. Augustini*, non vouendo expressè Castitatem, & Paupertatem.

4 Sic pariter vouent Milites Ordinum Militarium Calatrauæ, & Alcantaræ in Hispania; etenim solùm vouent Obedientiam, secundũ *Regulam B. Benedicti*, vel *Cistercienfis.*

5 Proindè, quidam rudis ingenij, temerè dixerunt, hos verè, & propriè Religiosos non esse, de quibus satis miratur *Nauar. in comm. 1. de Regul. nu. 18.*

6 Tùm quia, ad hoc, vt Votum Paupertatis dicatur solemne, & sufficiens ad constituendum quempiam Religiosum, non requiritur, vt nominatim exprimatur; sed satis est, vouere Regulam, à Sanctã Sede approbatam, quæ de sui intrinseca ratione includit prædicta tria vota; secùs non diceretur esse status requiei, & perfectionis, ex *cap. cùm ad Monast. in fin. de statu Monach.* & docet *Innoc.* communitèr receptus in *cap. consuluit, de Regul.* & *Nauar. cit. loc. §. 2.*

7 Tùm etiam; quia principaliùs, & essentialius Religioni est Obediẽtia; nàm per eam maius bonum Deo offertur; nempè, propria voluntas, & bona animæ, quæ præferuntur bonis corporalibus, & exterioribus, quæ per alia vota offeruntur.

8 Tùm itèm; quia Votum Obedientiæ continet in se alia Vota, & non è conuerso; qui enim promittit Obedientiam, promittit, castè, & sine proprio viuere; prout lepidè declaratur in nostris *Constitutionib. distin. 1. de Profession. cap. 15. litt. C. fol. 61. col. 3.*

9 Nec reperitur Prælatus, ità sciolus, qui non declaret austeritates Ordinis, & essentialia Religionis, volentibus Profiteri, vel Religionis habitum suscipere; & ad hæc obligare, cum Professionem emittunt.

10 Quibus adde, quòd in *Regula B. Augustini* nil magis expressè continetur, quàm Obedientia, Continentia, & Paupertas, ibi, *Sed ab ipsis appeti, vel appetere velle, criminosum est*, & ibi, *Nihil proprium dicatis; sed sint vobis oĩa communia*; & ibi, *Hæc igitur sunt, quæ, vt obseruetis, pcipimus in Monasterio cõstituti.*

11 Igitur, qui *Regulam B. Augustini* vouet obseruare; profectò vouendo intendit se ad prædicta obligare, & astringere.

Nouitius, si fortè ex causa in fine anni probationis, transmittatur de vno in aliud Monasterium, an debeat ad Professionem admitti à Prælato, & Capitulo Domus, in qua degit, an verò à Capitulo Domus, à qua recessit? Q. 9.

1 Respondeo, quòd debet Professionem facere in manibus Prælati illius Domus, in qua ad præsens reperitur, quia recipere, & Religioni incorporare, est actus iurisdictionis; nedùm respectu Religionis, in qua admittens habet iudicium facere, & de Religione disponere, vti Caput, & Ordinarius Prælatus.

2 Verùm etiam, respectu ipsius Profitentis, quem supponitur habitum suscepisse ad Profitendum in manu sui Prælati, suo loco, & tempore; sed ità est, quòd iste Nouitius, de quo agitur, non est subditus, nec subijcitur alteri; nisi Capitulo, & Prælato Loci, in quo peritur, ergò; Nec Prælatus, & Capitulum alterius Domus potest exercere iurisdictionem in aliena Domo; quia hoc esset exire limites suæ Pareciæ, & alterius iurisdictionem occupare, *Rodriq. tom. 3. q. 9. art. 1. & 2. Abbas in cap. solitæ, nu. 4. de Maior. & Obed.* & *Zaccharias Pasqualigus decis. 416. nu. 6.*

3 Benè verum est, quòd non debet ad Professionem admitti; nisi priùs præcesserit informatio, quòad mores ipsius volẽtis profiteri; quoniàm non potest quis iudicari habilis ad Profitendum; nisi mores ipsius noscantur, ad præscriptum *Triden. sess. 25. de Regul. cap. 15.*

4 Hinc, spectat ad Capitulum, & Prælatum Domus, in qua maiorem partem Nouitiatus peregit, informare Capitulum, & Prælatum Domus, in qua Nouitius profiteri debet, & iuxtà talem informationem est iudicandum pro rata temporis de habilitate, vel ineptitudine Nouitij.

Quinàm Prælati possint ad Professionem admittere, & Religioni incorporare? Quæst. 10.

Dixi latè in *tract. de Recip.* vbi multa habes de consensu Capituli, & Prælati, ad Professionẽ requisitis, *q. 2. 3. 4. et 5.*

Congregatio Eminent. Cardinalium, an possit, quempiam ad Professionem admittere? Quæst. 11.

1 Affirmatiuè, si hoc peragat, ex speciali commissione Dom. Papæ; secus

secus autèm de iure communi, *Nauar. de Regul.conf.62.nu.4.& sequen.* in 1.editio.quia ad Professionem admittere, spectat ad Conuentum, de cuius præiudicio agitur,& Prælatum illius immediatum; non autèm ad Superiorem mediatum, argum. *cap.ad Apostolicam,de Regul.*& additur,quòd hodie Professio,ad hoc,vt valeat,debet fieri in Conuentibus designatis,iuxtà *Decreta Clem.VIII.*

Professio solemnis, an per simplicem Religiosum, de licentia sui Superioris possit admitti? Quæst.12.

1 QVamuis de iure communi ad Professionem validãdam requiratur, eam acceptari à Prælato Ordinis, cum consilio, & consensu Capituli; cùm agatur de damno, vel vtilitate Monasterij, ex *cap.porrectum,& cap.ad Apostolicam, de Regul.*

2 Nihilominùs,iste actus admittendi, & Religioni incorporandi potest alteri committi;etenim de ratione iurisdictionis Ordinariæ est,vt possit, & valeat vices suas alteri cõmittere, & in hoc distinguitur à Delegata,prout dixi suprà in *tract.de Recip.quæst.3.* & docent *Layman.lib.4.tract.5.cap.5. de statu Religioso,nu.5.in 2.conditio.* & alij multi,quos allegat *Dian.p.3.tract.2.de dub.Regul.resol.70.*

3 Verùm, si simplex Religiosus quempiam admitteret, sine licentia veri Prælati, seruatis alijs de iure seruandis,debet puniri, vt vsurpator Iurisdictionis, & Professio in eius manu facta, incipiet valere à die ratihabitionis factæ per Prælatum, quam si noluerit ratificare,& ratam habere,de nouo recipiat illam;secus erit nulla ex defectu authoritatis in acceptante,*Miranda tom.1.Manual. Prælat.q.24.ar.3.*& *Bonac.de claus.q.2.pun.10. diff.2.§.5.nu.1.& 9.*

An Professio possit admitti, & acceptari per Laicum, ex Delegatione Abbatis? Quæst. 13.

1 AFfirmant *Innoc.in cap.porrectum,de Regul. Cardinalis in cap.insinuante, qui Clerici,vel Monachi,* & alij,quos sequitur *Rodriq.tom.3.quæst.17.ar.12.*& *Bonac.de claus. quæst.2.pun.11.diff.2.§.5.nu.8.* & aiunt, *Quòd mandato Abbatis,Sæcularis Clericus,vel Laicus sufficit,vt recipiat Professionem,& idem est,etiã si sine eius mandato, si tamen nomine eius facit, & postea ratum habeat; verum est tamèn,quòd antequàm ratificet, non erit Votum solemne;* hæc *illi.*

2 Nihilominùs,meo videri,talis delegatio non debet fieri Laico, nullo modo;tùm quia Laicus non est capax Iurisdictionis spiritualis,nec Ecclesiasticæ dominatiuæ,vt dicitur in *cap.nullus,de elect.in 6. & cap.1.de treuga & quali.Ordin.* quia hæc pullulat ex potestate clauium,quæ nullatènus potest Laicis conuenire;nec etiam ex delegatione.

3 Tùm quia, in ipso actu Professionis, Prælatus ad Professionem admittens, debet Vestes ipsius Profitentis benedicere, & preces, & alia diuina recitare, & multa Profitentem de Religione edocere, quæ repugnant Laico; secus foret,arare in Boue, & Asino.

4 Et adde, quid refert in manu Laici profiteri? Si omninò sit expectanda ratificatio, seù innouatio veri Prælati Regularis,sine cuius ratihabitione nihil valet, adeò,vt annus probationis legitimus, ceteraquè Professorum iura incipiant currere à manifesta ratificatione Prælati; ità,vt de præterita Professione nulla ratio habeatur ex defectu potestatis,de qua re vide,quæ dico in *tract.de Recipiendis,q.4.* & *Bonac.cit.loc. nu.9.*

Professio Nouitiorum, an possit à Prælato differri, expleto probationis anno? Quæst.14.

DIc,quòd sic,per ea multa,quæ latè dixi in *tract.de Nouit.q.17.*

An liceat refragari Nouitio profiteri volenti,si aliàs sit idoneus? Qu.15.

DIxi in *tract.de Recip.quæst.6.* & in *tract.de Magistr.Nouit.q.8.*

Professus tacitè, vel expressè, an possit validè contrahere? Quæst.16.

1 DIuus Thomas communitèr receptus in *2.2.q.88.art.7.* Negat, ex quo votum solemnizatum per Professionem ad certam Regulam,à Sancta Sede approbatam,impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, etiam ratum; dummodò non fuerit consumatum, *cap.antiquæ, de Voto, in 6.*

2 Et hoc ideò,quia tàm susceptio Sacri Ordinis, quàm Professio Religiosa reddit inhabiles ad contrahendum,& est manifesta decisio *cap.rursus, qui Clerici, vel vouentes,& Conc.Trid. sess.24.de matrim.Canon.6.*

3 Quo autèm iure, Professio hoc habeat facere,an purè diuino,an verò purè positiuo? quæsitũ est; circa quod diuersificãt *Doctores.*

Quidam probabilitèr dixerunt, primo modo Professionem inhabilitare ad contrahendum; quia qui rem suam vni promisit,& tradi-

tradidit absolutè, iure Naturali, & Diuino, non potest illam à donatario auferre, & alteri tradere; nàm Deus vult, & natura dictat, stare promissis, & quòd res traditæ non reuocentur, eo inuito, cui traditæ sunt, prout cõmmunitèr docent *Forenses*.

4 Religiosus autèm per solemne Votum se Deo tradidit, & Religioni absolutè, & irreuocabilitèr, realitèr, & personalitèr.

Ergo non poterit se posteà tradere cóiugi, & si se tradat, nulla erit traditio, ex quo sui iuris non est, nec potest de se ampliùs disponere; prout latè post multos ostendit noster *Dominicus à Soto de iust. lib. 7. qu. 2. art. 5.* post *conclusionem 2.*

5 Quidã autèm rectiùs putant, hoc Professioni competere secundo modo; nempè, ex constitutione Ecclesiæ, prout latè probat *Caiet. in d. loc. 2. 2. art. 7.* & *Glos. in d. cap. rursus* ait, quòd si non esset Ecclesiæ constitutio, teneret matrimonium, à Religioso, vel Sacerdote Sæculari contractum, *Syl. ver. matrim. 7. qu. 5.* & alij plures, quos sequitur *à S. Fausto lib. 5. Thes. de Religioso statu, q. 232.*

6 Et est decisio *Bonifacij VIII. de Voto, & Voti Redempt. cap. vnic. in 6.* ibi, *Quòd Voti solemnitas, sola constitutione Ecclesiæ est inuenta*, & *Glos. ibid.* docet, quòd Votum solemne, non autèm simplex dirimit matrimonium contractum, & impedit contrahendum, ex Institutione Ecclesiæ; hinc, si quis emittat Votũ Religionis; nempè, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis in aliqua Religione non approbata à Sancta Sede, potest cõtrahere, & si de facto contrahat, tenet matrimonium; quia deest illi statui, in quo Religionis Vota emisit, approbatio Rom. Pontificis; Igitur Sancta Sedes est illa, quæ habilitat, & inhabilitat ad contrahendum.

7 Nouitij Societatis Iesu, elapso biennio in illo statu non possunt ampliùs contrahere, non ex natura Voti; quia simplicia sunt, sed ex *Constitutione Greg. XIII.* quam ad fauorem eiusdem Societatis edidit, sub anno Domini 1584. incip. *Ascendente Domino.*

8 Quamobrèm, si Papa caueat, vt Votũ Religionis, emissum coràm tribus, vel quatuor Sæcularibus, valeat, habeatquè vim Voti solemnis; sic Vouens non poterit validè nubere; quia per tale Votum incapax factus est ad nubendum, & inhabilis ad validè contrahendum, ex Institutione Ecclesiastica, prout *Glos.* & *Caiet.* in præcit. *locis.*

Professus de facto contrahens, an sit excommunicatus, vel Irregularis, & à quo Iudice debeat puniri? Qu. 17.

1 Respondeo, quòd tàm Professus, quã Sacris Ordinibus insignitus, si de facto matrimonium contrahat, ipso facto est excommunicatus, ex *Clem. vnic. de consanguinit. & affinit. in 6.* ibi, *Nec non Religiosos, & Moniales, & Clericos in Sacris constitutos, matrimonium contrahentes, refrenare, metu pœnæ, ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes; ipsos excommunicationis sententiæ, ipso facto decernimus subiacere.*

2 Dixi, si de facto contrahant; quia contrahentes sponsalia de futuro, non incurrũt; quia sponsalia de futuro non sunt matrimonium; sed promissio matrimonij; lex autèm odiosa debet limitari, & restringi, *Caiet. in summ. ver. excomm. cap. 47.* & *Nauar. in summ. cap. 27. nu. 141.*

3 Quod procedit, etiam si post sponsalia sit copula subsequuta, affectu maritali; quia non ob id transeunt in matrimonium, ex *Conc. Trid. sess. 24. de matrim. cap. 1.* secùs de iure antiquo, secundùm quod loquitur *Caiet. cit. loc.* & *Sylu. verb. excomm. 9. casu 41.*

4 Nec addidi, & consumatum; quia ad hanc censuram incurrendam sufficit, quòd matrimonium sit contractum, licèt non consumatum; nàm consumatio matrimonij non est de substantia eiusdem, vt patet in matrimonio Patriarchæ Ioseph cum Beatissima Virgine, quod fuit semper verum, & nunquàm consumatum.

5 Limita tamèn in eo, qui clandestinè contrahit; vtputà, sine Parocho, & duobus testibus, *Petrus Ledesma de matrim. q. 65. ar. 9. dub. 1.* quia hodiè, contractus huiusmodi ex *Decreto Conc. Trid.* non est verè Sacramentum.

6 Itèm in eo, qui non habet intentionem contrahendi, etsi exteriùs simulet contrahere, *Suarez de censur. disput. 23. nu. 17.* quia in *d. Clem.* punitur voluntas, etsi effectum non sit consequuta, vt dixi, ergò, vbi non fuit voluntas, non habebit locum talis censura, quod tamèn difficilè euenire potest.

7 Itèm sic contrahens fit Irregularis, put clarè dicitur in *cap. final. de bigamis, & cap. 1. qui Clerici, vel Vouentes, & cap. 2. eod. tit.*

8 Quæ Irregularitas est ex delicto, *Nauar. cap. 27. in summ. num. 95.* & *Tolet. lib. 1. cap. 26. num. 7.*

9 Benè verum est, quòd ad incurrẽdum hanc Irregularitatem prærequiritur copula, ex *cap. debitum, de Bigamis, & d. cap. fin.* & docet *D. Thom. in 4. sent. distin. 27. q. 3. art. 1. qu. 1. ad 3.* & *Couar. par. 1. §. 2. nu. 2. Clem. si furiosus, de homicidio.*

10 Cognitio autèm huius Criminis pertinet ad Inquisitores Sancti Officij, quia Delinquentes in hoc, videntur malè sentire de Sacramẽtis, & de Voto solemni, & eius obligatione, & consequentèr sunt de hæresi suspecti, prout noster *Anton. Sousa Aphorism.*

Inqui-

Inquisit. lib.1. cap.8. nu.16. Pegna 2.par. Directorij,ad quæst.49.comm.74. Laur.Peyr.tom.2. priuil.Minim.in Constit.9. Pauli V. nu.20. Rodriq. tom.3.q.1. & alij plures in *Comp.Rodriq. resol.93.* & *Diana p.1.tract.7.de pœnis,resol.5.*

11 Quod procedit,siuè secretè,siuè publicè matrimonium contrahant, *Menoch.de præsumpt. lib.5. præsumpt.6. nu.35.*

Profiteri egentes, an sint excommunicati? Quæst.18.

Dixi in *tract.de Recip.q.12.*

Professos extrahentes à Religione, an sint excommunicati? Qu.19.

Dixi in *tract.de Recip. q.15.*

Professio tacita, quid sit, & quomodò inducatur? Quæst. 20.

1 IAM dixi suprà,quòd Religiosa Professio,veluti quoddam genus ad expressam,& tacitam; nihil aliud est, quàm naturalis contractus inter Professum, & Religionem,in qua profitetur initus, & vltrò,citroquè obligatorius,quæ quippè generis definitio,vtrique conuenit speciei; nempè, expressæ, & tacitæ, quia generis est; adeò,vt ambæ in hoc tantùm differant;quia Professio expressa est contractus expresus, seù declaratus voce, vel scripto, aut vtroquè modo simul, vt dictum est.

2 Tacita verò solis actibus Professorum; etenim Professio tacita fit,seù inducitur;vel, vt meliùs dicam, præsumitur introducta,& illata per solum exercitium actuum, qui ad solos Professos pertinent; vti est,deferre patentèr eorum habitum, promoueri ad Ordines, eligi,vel eligere in Capitulo, & similia; prout habetur expressè in *cap.porrectum, & cap.Vidua,de Regul.& cap.nullus,de elect.in 6.* & *Clem.eos, de Regul.*

3 Et patet ex vi nominis, & significatione vocis; quid enim significat ly, *expressa*, & *ly,tacita?* nisi quia illa est vocalitèr,& solemnitèr declarata;hæc autèm præsupta, & interpretata, ob exercitium actuū Professorū.

4 Benè verum est, quòd ad hoc, vt tale exercitium tacitam Professionem inducat, multæ prærequiruntur cōditiones. Primò,vt Religiosus exercens actum,qui ad solos Professos spectat,sciat, quòd per talem actum inducitur Professio tacita;secus si ignoraret; quia ignorans, & errans,non consentit, *l. si quis per errorem, de iurisdict.omu.Iudic.*

5 Secundò, vt spontè exerceat; quia omne, quod fit per vim, & metum, est ipso iure nullum.

6 Tertiò, vt fiat de consensu eius, qui potest Religioni incorporare; quia contractus mutuus exigit cōsensum vtriusque partis; qui quidèm consensus declaratur,voce, aut scripto,vel signis externis, vt patet in muto, qui per externa signa potest validè contrahere.

7 Quartò, vt his actibus vtens, habeat animum tacitè profitendi; quia actus agentium non operantur vltrà voluntatem eorum, *Panorm.in cap.Vidua,de Regularib.*

8 Quintò, vt sit in legitima ætate constitutus, & completo probationis anno, ad præscriptum *Conc.Trid.*

9 Nàm vbi non potest esse Professio expressa, nec habet locum Professio tacita, de quibus latè *Sylu.ver.Relig.3. q.19. Rodriq. tom.3.q.17.ar.1.* cum suo *Compend.resol.101. Miranda tom.1. Manual.Prælat.quæst.24. ar.8. Barbosa in Decretal. in d.cap.Vidua 4.de Regul.nu.2. Nauar.in 4.comm.de Regul. nu.73.* à *Sancto Fausto lib.5.Thes.quæst.198. Portell.ver. Professi.Nouit.num.4.* & *Peyr. tom.1.de Subdito, quæst.1.cap.26. §.3. ver.circà Professionem tacitam.*

Professiones tacitæ,an tollantur per Concil.Triden.? Quæst.21.

1 NEgat *Nauar.de Regul.cons.35.nu.5. in 1.editio. Rodriq.cit.loc.* cum alijs præcitatis, & est Decisio Sac.Congreg. Concil. quam refert *Armendariz in Addit.ad recopilat.l.Nauarræ,l.7.tit.18. de Relig.nu.6.& l.2. nu.8.* & *Ioan.Maria Nouar.* in sua *Lucerna Regul.ver.Professio,nu.24.*

2 Dummodò,seruentur in eis conditiones prædictæ,& aliæ, quæ sunt per *Trid.* decisa; tùm quia,ius antiquum nunquàm censetur sublatum; nisi per nouum in specie abrogetur; adeò,vt expressa noceant; secus non expressa.

3 Tùm quia, *Decretum cap.19. sess.25.de Regul.*quo cauetur,nè detur audientia reclamantibus,& de nullitate Professionum dicentibus, elapso quinquennio, fundatur in ratificatione, & Professione tacita; qua tacitè Professi prohibentur de cętero habitum dimittere.

4 Tùm itèm; quia *Sixt.V.* & *Clem.VIII.* qui fuerunt post *Conc.Trid.* manifestè protestati sunt,quòd admittendi,& admissi, cōtrà formam *Constitutionum* eorundem, si quouis modo,in Religione permanserint; nunquàm intelliguntur Professi,nec tacitè,nec expressè;sed prorsus eijciantur,prout in illis est videre; quæ protestatio non esset necessaria, si Professiones tacitæ fuissent omninò per

Trid.

Trid. sublatæ; etenim sufficeisset *Trid.* decisio.

5 Nec obstat, quòd prædictum *Trid. in cap. 16. d. sess.* dicat, *quòd finito probationis anno, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eijciant*; nàm per hæc verba *Concil.* non negatur, quòd si post annum permanserint, non sint tacitè Professi; sed tantùm dixit, *eijciantur*, & omisit decidere, quid de illis, si post annum non eijciantur; sed permãserint; verùm sapientèr omisit, quia casus omissus in aliquo statuto, remanet in dispositione iuris communis, vt dicitur in *cap. susceptum, de rescriptis, in 6.* & habetur in *l. commodissimè, ff. de liber. & posthum. & l. si cùm dotem, in princ. ff. solut. matrim.* & notant *Rodr.* & *Miranda* cit. *loc.*

6 Nec ità officit dispositio *cap. Vidua 4. de Regul. & cap. Ad nostram, eod. tit.* cùm sint per dictum *Trid.* correcta in *cap. 15. sess. 25. de Regul.* adeò, vt Professio tacita nullatènus possit induci, nec effici; nisi annali transacto Nouitiatus cursu, & expletis sexdecim ætatis Profitentis annis, *Sorb. in Compend. priuil. Mendic. ver. Nouitius*, post 3. *notab.* §. 1. & *Menoch. consil. 396. nu. 12.*

7 Quod amplia ad omne exercitium quorumcunq; actuum Professorum, per quos Professio tacita possit induci.

Sæcularis se ingerens actibus Professorum, an fiat tacitè Professus? Qu. 22.

1 NEgatiuè; quia de iure *Conc. Trid.* ad hoc, vt inducatur Professio tacita, prærequiritur, vltrà legitimam ætatem, annus Nouitiatus, qui debet peragi in Monasterio, & habitu Religioso, vt sępè dixi, & docet *Syl. ver. Relig. 3. q. 19. Nauar. 4. comm. de Regul. n. 73. ver. 1. quidam, & de Regul. cons. 36. nu. 4.* in 1. editio. & *Sanch. lib. 2. Decal. c. 3. n. 23.*

Nouitius deferens per annum Religionis habitum, an in vltimo instanti anni probationis, censeatur tacitè Professus? Quæst. 23.

1 REspondeo affirmatiuè, si habitus, quem defert Nouitius, sit patentèr indistinctus ab habitu Professorum; prout in Ordine Prædicatorum, in quo, & Nouitiorum, & Professorum est vnus, & idem omninò habitus, sola benedictione distinctus; & dummodò concurrant qualitates *Conc. Trid.*

2 Secus autèm, si habitus Nouitiorum sit patenti distinctione distinctus ab habitu Professorum; nempè, in colore, forma, & scissura; prout in Ordine Minorum, & est decisio *Clem. eos 1. de Regul. in 6.* & docet *Syluest. ver. Relig. 3. q. 19. ver. 3. inducitur, Nauar. de Regul. consil. 41. nu. 1.* in 1. editio. & *comm. 4. eod. tit. nu. 72. & 74.* & *Rodr. in Comp. resol. 101. in fin.*

3 Nec requiritur protestatio ad huiusmodi Professionem præcauendam, *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 24. ar. 10. in fin.* quia ipsummet signum, quod patentèr defertur, & quod à Professis distinguit, est sufficientissima protestatio, *Panorm. in cap. ex parte, & cap. postulasti, de Regular.*

4 Perindè, talis delatio, quantumcunq; producta, etiam ad centum annos; nunquàm talem Professionem inducet, *Syluest. vbi suprà.*

5 Nec nocent antiqua iura; quia censentur correcta per *d. Clem. eos 1.* de qua re vide in nostris *Constitutionibus, distin. 1. de Profess. cap. 15. text. 1. litt. B. fol. 61. col. 2. ver. itèm declaramus*, vbi multa reperies, digna notatu.

Protestatio eorum, qui se ingerunt actibus Professorum, de non incurrendo, an impediat Professionem tacitam? Quæst. 24.

1 IMpedire quidèm, testantur *Syl.* & *Mirand. vbi suprà*, & docet *Glos. in dict. Clem. eos, de Regul.* & *Panorm. in cap. ex parte, eod. tit.* quia, vbi factum est multiplicitèr intelligibile, & agens protestatur, quòd non agit illud ad hunc finem; nempè, vt profiteatur; sed, vt magis probet, vel propter aliam iustam causam, valet protestatio, & tenet.

2 Eò fortiùs, si hæc protestatio fiat corde, & ore; nàm in tali casu, se ingerens actibus Professorum, nunquàm erit coràm Deo, nec coràm hominibus Professus, prout latè *Nauar.* loquitur de Episcopo se protestante, nolle ad Ordines promouere patientes defectus, *de tempore Ordin. cons. 7. nu. 4. & consil. 8. nu. 5.* in 1. editione.

3 Nec obijcies, quòd talis protestatio sit facto contraria; si aliàs maneat in Monasterio, & deferat habitum Professorum; quia ex tali mansione, & delatione habitus inducitur præsumptio iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium; quandoquidèm hæc protestatio, de qua agitur, nõ est facto contraria; sed animi declaratiua, quæ operatur, vt actus dubij eam sequentes, intelligantur secũdùm illam, ex *cap. cùm Magister, de Constit.* & ex *l. non solùm, §. morte, de oper. nou. nunc.* & est communis sententia *DD.* ex *Nauar. de Regul. cons. 34. nu. 3.* in 1. editio. vbi determinat, quòd delatio habitus indistincti ab habitu Professorum, etiam in Monasterio, & etiam post annum 16. completum, fiante præuia protestatione, non inducit Professionem tacitam.

4 Hinc, optimo iure cautum est in Dominicana Familia pro Recipiendis ad Professionem, vt instante Professione cuiuscunquè Nouitij, aliquot antè diebus, Prior coràm tribus Patribus ad minus, iuridicè protestetur, accersito Nouitio, quod liber est, si vellet discedere, & quòd est in suo posse, ptofiteri, peracto Nouitiatus cursu;& hoc fit ad excludendam vim, & metum, cuius prætextu solent, de nullitate dicere Professionis.

5 Itèm, Prior contrà volentem profiteri protestatur de multis, prout clatius est videre in nostris *Constit. de Nouit. cap.16. fol.59. colum.4.* ob cuius protestationem, multorum Professiones, seruatis seruandis declarantur nullæ.

Professio tacita, an inducatur per susceptionem Ordinum? Quæst.25.

1 NEgat *Nauar.de Regul.conf.36.nu.3. & in comm.4. eod.tit. nu.72. fol.* mihi 381. quod ampliat, *etiam si susceptio Ordinum esset maiorum, & in eis fieret administratio; vtputà, canendo Epistolam, aut Euangelium in Ecclesia; adeò, vt per talem susceptionem Ordinum, nec tacita Professio, nec eius ratificatio inducatur; tùm quia, id, nullo iure speciali cauetur; tùm quia, susceptio Ordinis est res separata à Professione, & à separatis non infertur, l. Papin.de Minor. Tùm etiam; quia solus actus Professo proprius, qualis est præstatio suffragij in Capitulo, gestatio habitus Professorum, non sufficit ad hoc; quantò minùs susceptio Ordinum, quæ non est, tàm propria Professis;* hæc ille.

2 *Augustinus* autèm Barbosa *in tract.de iur. Eccles.vniuersali,lib.1.cap.42. à num.156.* vsquè ad *num.167.* refert, contrarium fuisse à Sac.Congreg. decisum; nempè, ex susceptione Ordinum tacitam Professionem induci; & hoc in vna *Beneuentana*, sub die 20. Decembris 1619. sub his verbis.

Cùm Frater Andreas Ponzettus in Religione per octennium permansisset, absq; eo, quòd Professionem emisisset; dicto autèm tempore P.M. Curio instante, sacros Ordines suscepisset, petijt, facultatem dimittendi sibi concedi.

Sacra autèm Congreg. respondit, quòd susceptio Ordinum, tacitam Professionem inducit. Quod itèm refert *Nauar. in Lucerna Regul. ver.Profess. nu.23.*

3 Et hoc ideò; quia suscipere maiores Ordines ad titulum Religionis, est proprium Religiosorum Professorum, quibus succedit Religio, loco Beneficij, cùm profiteantur Paupertatem, & proprium non habeant.

4 Proindè, de huiusmodi Ordinum susceptione dicendum, sicut dictum est de alijs actibus Professorum, vt hic suprà *quæst. 23. & sequen.*

Quenàm bona, per Professionem Religiosorum, in Religionem transferantur? Qu.26.

1 DE hac re plura dixi in *tract.de successione Monasterij in bonis Professorum, quæst.1. & sequent.* vbi ex multis, quòd primò, & principalitèr iu ius, & potestatem Religionis, ex vi Professionis transit ipse Religiosus, qui Professionem emittit; etenim per Professionem fit membrum, & pars illius Sanctæ Societatis, ob iuramentum, & Obedientiæ Votum.

2 Accessoriè tamèn, & secundariò, cum ipso Professo, in posse Religionis transeunt Profitentium bona omnia, iura, & actiones, ex *Authen.de Monachis, §.illud quoque, authen. ingressi, C.de Sacrosanct.Eccles.* & colligunt *Doctores* ex *cap.si qua 19. q.3. & cap.in præsentia, de probat. & cap.quia ingredientibus 19. q.2.* & ex alijs, quæ *ibid.* dixi.

3 Vndè, sicut Pofessus habet ius exigendi à Religione sibi omnia necessaria; ità, & Religio, ius habet in eius personam, operas, artem, industriam, & labores; est enim Professio, vt sepè dixi, contractus mutuus, vltrò citroquè obligatorius, *Marcell.Megal.1.2.Institut.Peregrin.Confess.lib.2. cap.27. qu.3. & à Sancto Fausto lib.5.Thes.q.230.*

Professio solemnis Religiosorum hominum, an differat specie à solemni Professione fœminarum? Qu.27.

1 NON differre respondeo; tùm quia, solemnitas Religionis consistit essentialitèr in traditione actuali dominij sui ipsius, in manus Dei, & eorum, qui vicem Dei tenent, *D.Thom. 4.sent.distin.38.q.1.ar.2. quæstiuncula 3. in corp. Turrecremata in cap. Presbyteris, nu.1. & 2. distin.27. & cap.1.27. quæst.1. & Sotus lib.7. de Iustit. q.2. ar.5. conclus.6.* Hæc autèm traditio æqua est vtrobiquè; ergò.

2 Tùm etiam; quia differentia specifica in moralibus desumitur ex fine, qui quidèm est vnus, & idem in solemni Professione Virorum, & Fœminarum; quandoquidèm, vtraquè Professio pro obiecto habet respicere Castitatem, Obedientiam, & Paupertatem, ex *D.Thom.* communitèr recepto *2.2. q.186. ar.3. & 183.ar.1. ibid.Caiet.*

3 Vndè fit, vt vna sit definitio Professionis, maris, & fœminæ, *Portell.ver.Professio Hermaph.in nouo casu cuiusdam Professionis, nu.7. in medio, Sanch.de matr.lib.7.disp.25.nu.8. & 9.*

4 Nec obstat quartum Votum, quod emittunt Moniales de perpetua clausura; quia, hoc quartum Votum non variat Religionis essentiam; tùm quia, est accessorium; perindè sequi-

sequitur naturam principalis, vt constat ex eo,quòd antè *Conc.Trid.* & *Constitutiones Bonifacij VIII.Pij V.*& *Gregorij XIII.* Moniales non seruabant clausuram;nihilominùs,erant perfectæ,& veræ Moniales; tùm etiam,quia Viri etiam tenentur ad clausuram, ad nutum Prælatorum, non itâ strictè, sed modus non diuersificat rem.

Professio Militum Regularium, an comprehendatur sub cap.15. Conc.Trid. sess.25. de Regul.? Qu.28.

1 NAuar.de Regul.cons.23.nu.8. in antiq. *Graff.tom.1. eod.tit.lib.3. consil.11. nu.17.* vbi longa manu disputat; an Ordines Militares sint verè, & propriè Religiosi, *Rice.in Prax.rerum fori Eccles.par.4. resol.172. à Sancto Fausto lib.5. Thes. q.157.* & alij, quos allegat *Barbosa in Collect. Doctorum ad d.Cap.Trid.* Negatiuè respondent.

3 Tùm quia,statuta Ordinum Militariū, itâ sunt instituta, & confirmata post *Concil. Trid.* à Dom.Papa;adeò,vt post annum decimumtertium,absquè Nouitiatus anno,habitum suscipiant,& Professionem faciant, in ipsomet actu susceptionis habitus.

3 Tùm etiam; quia itâ fuit à Prætorio Rotæ Romanæ, & Sac.Congreg. decisum, *Nauar.*& *Barbosa cit.loc.& de off.& potestate Episcopi,alleg.101.*

4 Quod limita,in Hierosolymitanis Militibus, ex eorum peculiari statuto, vt notant præcitati *Doctores*.

SVMMA QVAESTIONVM Tract.XI. De Professione Nulla.

DE PROFESSIONE Nulla. Tract. XI.

Quid sit, & quomodò fiat Professio nulla? Quæst. 1.

1 Respondeo, quòd quotiès Professio læditur intrinsecè, totiès erit nulla; tunc autèm læditur intrinsecè, cùm fit, prætermisso aliquo substantiali modo; vel cùm fuerit inobseruata forma, à lege præscripta; quia læsio formæ, etiam in minimo, irritat contractum, & sine substantia, nihil potest consistere, vt dicitur in *cap. tua, de sponsal. & c. soles 32. q. 2. & cap. detrabe 1. q. 1.*

2 Quæ autèm sint ipsi Professioni intrinseca, vel substantialitèr annexa; patet ex decisis, & infrà decidendis.

Professio per vim, & metum extorta, an ipso iure sit nulla? Quæst. 2.

1 *Sotus de Iustit. lib. 7. quæst. 2. art. 1. in exam. 2. argum.* & *Nauar. comm. 4. de Regul.* à *nu. 71.* vsquè *in finem, & de his, qua vi, consl. 6.* in 1. editio. & *2. p. eod. tit. cons. 7. nu. 1. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. nu. 3.* & *Sanchez in summ. lib. 4. cap. 3. nu. 11.* inquiunt, non valere; dummodò sit emissa, metu graui, & iniusto, qui posset cadere in Virum constantem; secus autèm; & habetur expressè in *cap. perlatum, de iis, qua vi, metusuè causa fiūt,* ibi, *Si legitimè probatum fuerit, non timore mortis, prædictam mulierem Religionem intrasse, aut quod fecit, postmodùm ratum habuisse, ipsam ad Monasterium redire, & habitum depositum reassumere, censura Ecclesiastica compellatis.*

2 Ergò, à contrario sensu, si Professio fuisset facta ex metu, & postea liberè rata habita non fuisset, valida non æstimaretur, vt notat *ibid. Gloss. in ver. postmodùm*, & in *cap. cùm dilectus, eod. tit.* deciditur, quòd vim passo non subuenitur; si non fuit talis, qui cadere potuit in Virum constātem, quod vnanimitèr *ibid.* docent omnes Canonistæ.

3 Et meritò; quia substantia contractus consistit in consensu libero, *l. obligationem, ff. de action. & obligat.* at vbi metus adest, deficit consensus, *Regul. nihil consensui 117. ff. de Regul. iur.* ibi, *Nihil consensui, tàm contrarium est, quàm Vis, & Metus,* & *cap. cùm locum, de sponsal.* ibi, *Cùm locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit.* Ergò, contractus metu initus, erit nullus; tùm ratione iniuriæ illatæ vim patienti; tùm etiā, ex læsione libertatis, prout latè *Sot. cit. loc. & lib. 8. de Iustit. q. 1. ar. 7. in solut. ad 3. ver. seriosiùs tamē, Sayr. in clau. Reg. lib. 2. cap. 2. nu. 10.* & *Sylu. in summ. ver. Metus,* quod totum tanquàm iustissimum,

ſimum ſupponitur à *Concil.Triden. cap.19. ſeſſ.25.de Regul.*

4 Secus, dixi, de metu iuſto, licèt ſit grauis, *Sylu.ver.Metus, q.6. Tabiena ver.coactio, quæſt.8. nu.9.* & *Rodriq. 2.part. ſumm. cap.8. concluſ.10. nu.11.*

5 Vndè, erit valida Profeſſio mulieris, morti condemnatæ, ſi detur illi vita, ſub hac conditione, quòd fiat Monialis; quia metus, qui iuſtè ponitur alicui, non ſufficit ad annullandum, & reſcindendum Profeſſionem, & eſt deciſio *l.ſi mulier, ff.quod metus cauſa, ibiq; Bart.* & omnes alij *Doctores.*

6 Idem procedit in eo, qui comprehenſus in ſtupro Puellæ, ſi timore mortis, ſe offerat, cum illa velle matrimonium contrahere; quia in his, & conſimilibus metus non incutitur ad contractum ineundum, ſed Reus, vel condemnatus ad mortem, ſua ſponte, hoc medium ſibi oblatum eligit, ad cauendum mortem, & vitæ periculum, *Couar. 2.p. cap.3. §.4.nu.15.* & *Ledeſma de matrim.quæſt.47.ar.1. dub.1. concluſ.3. Sanchez de matrim.lib.4. diſput.12. nu.8.* & nouiſſimè *Meroll. tom.1. diſput.1.de voluntario, & inuoluntario, cap.3.dub. 18. nu.214.* vbi laborioſè multa colligit, quæ, & quot requirantur, ad hoc, vt metus dicatur leuis, & grauis, iuſtus, vel iniuſtus, cadens in Virum conſtantem, *Sot.cit.loc. de iuſtit.lib.7.q.2.ar.1. in 2.argum. Sylu.ver.metus, per totum,* & *Nauar.in ſumm.cap.22.nu.50.*

Profeſſio, graui metu emiſſa, an ſit irrita iure naturæ, vel tantùm iure Eccleſiaſtico? Quæſt.3.

1 QVòd conſenſus coactus Naturali, ac Diuino iure ſit infirmus, & habeat infirmare, ſeù irritare contractus, probat *Scotus in 4.ſent.diſtin.29. q.1.ar.2.* cui adſtipulantur plures, & maximè *Sotus de iuſtit. lib.7. quæſt.2. ar.1. §.ſecundum argum.* paululùm infrà, ibi, *& ratio eſt, quòd cùm Voti obligatio, nõ niſi ex arbitrio vouentis ortum habeat; naturale eſt, vt dùm voluntas, illa neceſſitate compellatur, Votum non ſit legitimum; eò præſertim, quòd Votum eſt opus conſilij, cui metus, viſquè repugnat.* Et *libro 8.eod.tit.quæſt.1.ar.7.* poſt *3.argum. de iuramento coacto, in argum.de Voto, §.ſerioſiùs tamèn*, ibi, *promiſſio autèm coacta, etiam ſi fiat cum intentione promittendi, natura ſua eſt caſſa; non ſolùm illa, quæ fit homini; verùm, & illa, quæ fit Deo.*

2 Tùm quia, Profeſſio, ſeù Votum ſolemne, vel ſimplex, qua homo profitetur, primò, & principalitèr Deo ſe obligat, & tradit; in tantum placet, & acceptatur; in quantum fit ſpontè; Deus enim non acceptat ſacrificia coacta; ſed ſpontè oblata, & hoc non ex ſtatuto Eccleſiæ; quia Conſtitutiones Eccleſiæ Deum non afficiunt; ergò ex natura rei.

3 Tùm etiam; quia, ſi ſolo iure Eccleſiaſtico conſenſus coactus eſſet nullus, ſequeretur, quòd matrimonium, graui metu extortum inter Infideles, non eſſet irritum; quia Eccleſia erga Infideles, nihil poteſt diſponere; conſequens autèm eſt falſum; nàm matrimonium metu initũ inter Infideles, eſt itèm nullum, & infirmum, non iure Eccleſiæ; ſed naturæ, quæ omnimodam libertatem exigit in matrimonijs contrahendis, ad perpetuitatem prolis.

4 Secus autèm, ſi fieret metu, & violentia; quia, teſte *Ariſtot.in Ethicis, nullum violentum durabile*; ſecùs autèm *Paludanus,* & *Riccard.in d.diſtin.q.1. ar.1.* & *Sylu.ver.matrimon.q.11.in fin.* vbi dicit, ità eſſe; quia Eccleſia ſic ſtatuit; quod repetit, *ver.metus, quæſt.8.* etenim metus leuis, & grauis non differunt; niſi ſecundùm magis, & minus, quæ differentia, ſpeciem nõ mutat; adeò, vt metus leuis, ſuaptè natura ſit iniurius, & omnis iniuria iure venit reſecanda; & tamèn hæc non infirmat contractus, ipſo facto; ſicut, & metus grauis matrimonium, & Profeſſionem.

5 Hoc autèm non poteſt eſſe ex natura metus, cùm metus grauis, & leuis ſint vnius, & eiuſdem ſpeciei; ambo enim ſunt iniurij, & libertatem lædunt; vt dixi, ergò recurrendum eſt ad vſum Eccleſiæ, eiuſquè ſtatutum.

6 Nec dices, quòd non reperitur in Eccleſia tale ſtatutum; tùm quia, ſatis eſt praxis, & antiquus vſus Eccleſiæ; tùm etiã; quia *cap.cùm locum, de ſponſal.* generalitèr loquitur de omni conſenſu coacto, ibi, *Quòd locum non habet conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit,* & in *cap.notificaſti 33.q.5.* ibi, *Summa libertas requiritur in eo, qui Religionem vouet*, & in *cap.Abbas, de his, quæ vi, met.* ibi, *Quæcunquè metu, & vi fiunt, iure debẽt in irritum reuocari.*

7 Nihilominùs, idem *Sotus in 4.ſent. diſtin.29.q.1.ar.3.* poſt *2.concl.§.vtrùm verò, &c.* vbi latè vtriuſquè ſententiæ fundamenta examinat; hanc, & illam opinionẽ probabilem indicat; licèt hanc vltimam, probabiliorẽ; vndè ad obiecta reſpõdet, & ſe ſubſcribit.

Quid ſit Metus, & quotuplex, & quot conditiones exigat, ad hoc, vt dicatur grauis, cadens in Virum conſtantem? Quæſt.4.

1 METus, vt à definitione incipiam, teſte *Vlpiano* Iuriſconſulto, eſt inſtantis periculi, vel futuri cauſa, mentis trepidatio, *l.1. ff.de eo, quod metus cauſa,* de quo *D.Thom.in 4.ſent.diſtin.29.q.1.ar.1.* & *ibidem Sotus in fin.* vbi docent, quando Vis, & Metus conuertantur.

2 Dici-

2 Dicitur,mentis trepidatio;quia Metus ortum habet ex forti imaginatione periculi futuri,propè imminentis.

3 Dicitur, instantis; quia pericula valdè remota non timentur,nec mentē perturbāt.

4 Hic autèm Metus, solemni diuisione diuiditur, in Metum cadentem in Virum constantem,& in Virum inconstantem.

5 Primo modo,Metus solet dici grauis, iustus, ac probabilis; diciturquè cadere in Virum constantem; quia constantiæ,& fortitudini non repugnat; immò stat cum illa, & Vir constans,& fortis,vbi illum concepit,iustè,ac probabilitèr eo terretur.

6 Secundo modo, dicitur leuis,improbabilis,& iniustus,ex quo fortitudini,& constantiæ repugnat; est enim meticulosi hominis,& leuis, immò inbecillis, & inconstantis animi,illum apprehendere,vel timere, prout elegantèr *Sot.cit loc. ar.2. de instit.lib.7.q.2. ar.1. in respons. ad 2.* vbi cum *D.Thoma* latè examinat, quid intersit inter hominem constantem, & inconstantem, qui timet, vbi timendum non est.

7 Et quomodò homines sint in triplici ordine; etenim aut sunt pertinaces,& temerarij;quippè qui,more Brutorum,nihil mali, boniquè apprehendunt,nec timent.

8 Aut meticulosi, fatui, inconstantes,& leues, vt impij, qui fugiunt, nemine persequente.

9 Medio autèm statu,sunt homines constantes, & fortes; constantia enim, & fortitudo mediat inter pertinaciam, & fatuitatem,seù imbecillitatem, qua homines suffulti, timent, vbi verè timendum est, & non aliàs, nec alio modo.

10 Ad hoc autèm,vt Metus dicatur grauis,& cadens in Virum constantem,multa requiruntur, *Sot.Syln.cit.loc. Tabiena*, & *Armilla ver.coactio, Io.Bapt.Corrad. 1.p.respons. quæst.147.Ledesma super D.Thom.in addit.4.p. Lopez 2.p.instruct.Confess.cap.20. Graff. decis. aur.lib.2.de iuram.meticul.cap.5.per totum, & in append.ad decis.aur.lib.3. cap.5. de particip an. num.16. & tom.1.de Regul.lib.3. consil.1. Sanchez de matrim.lib.4.disput.1.nu.16. à Sancto Fausto de contractibus in genere, disput.4. qu.39. Bonac. cod.tit.tom.2. disput.3. quæst.1. pun.2. §.33. Meroll.tom.1.disput.1. de volunt. dub:2.* & antè eos *Nauar. in Manual. cap.22. nu.51.& cap.17. nu.5.*

11 Et Primò, vt malum, quod timetur, sit graue, *l.Metum, ff.de eo,qui met.caus.* Secundò,vt æstimatio, seù opinio mali imminentis sit fortis;nēpè,vt timens,probabilitèr timeat,& aduertat,sibi imminere;non autē vanè,aut leuitèr;prout expressè ex ead.*l.*colligitur, & docet *D.Thom.cit.loc.* Tertiò, vt Metum incutiens,potens sit, minas exequi; nàm timere minas inermis contrà loricatū, vel senis,ac debilis,contrà Iuuenèm, non est constantis animi,prout ex *l.famosi, ff.ad l.Iul. Maiestat.* ibi, *Nàm,& persona spectanda est,an potuerit facere.* Quartò, vt iste metum incutiens,sit solitus minas exequi; secùs autèm; sunt enim multi verbosi, seù iactantes, hoc, vel illud facere, qui postmodùm, ita deposita, nihil curant, nec ampliùs recordantur; vox,vox,& nihil vltrà, & colligitur expressè ex *l.vnica,C.si quis Imperatori*, ibi,*Ex personis hominum dicta pensemus*, & *l. famosi, ff.ad Iul. Maiest.* ibi, *Nàm, & persona spectanda est,an potuerit facere,& an antè quid fecerit;* & *l.Metum,de his,quæ vi*, ibi, *Metum, non iactationibus tantùm, vel contestationibus; sed atrocitate facti,probari conuenit.* Quintò,vt timens non possit facilè occurrere malis,vt implorando alicuius auxilium, vel consulendo Superiorem, *Angel.ver.Metus,nu.5.*& *Syln.cit.loc.*

Metus cadens in Virum constantem, ad hoc,vt dicatur talis, debet ità esse absolutè, an verò respectiuè in ordine ad patientem Metum? Qu.5.

1 *SOtus cit.loc de instit.ad* 2.docet,quòd Metus cadens in Virum constātem, debet attendi ex tribus; nempè,ex obiecto, vt malùm,quod instat, & menti obijcitur,sit grande ex parte rei, vt mors, exilium, carcer, vel amissio fortunarum.

2 Secundò, ex parte modi, quo Metus incutitur; nàm si inermis fœmina,vel puer tibi mortem comminatur; Metus non erit grauis, nec probabilis.

3 Tertiò,ex parte subiecti patientis Metum; quia Virorum constantia non consistit in indiuisibili; sed suam habet latitudinem; quia nō oēs Hercules,nec omnes Sanzones.

4 Vndè,Metus,qui Pueros,vel Senes,aut Fœminas excusat, non excusabit robustos homines; quia non æqua vtriusquè cōditio.

5 Proindè, si Puella Religionem ingrediatur,Parentum metu; vtputà; quia asperè, & atrocitèr tractatur; vt in Monasterium se transferat; eius Votum tali consensu emissum non tenet, causa Metus prædicti; qui etiam si sit minor in fœmina, quàm in homine; adhùc dicitur grauis,cadens in fœminam constantem,& annullat contractum; quia in muliere, tanquàm sexus, & ingenij imbecillioris,minus metus requiritur, quàm in viro, *Glos.in cap.cùm locum, de sponsal. ver.Metus, Couar.2.p.cap.3.§.4.nu.9. Menoch.de arbitr.lib. 2.cent.2. casu 135. nu.4. Farinac.2.par.fragm. ver.Metus; Nauar.in summ. cap.22. num.51.* & refert decisum ex Rota Romana *Ioan.Bapt. Coccinus in nouissimis, decis.352. num.5.* &

Graff.

Graſſ. ex multis *deciſ.aur. par.2. lib.2. de iuram. cap.5. nu.3.*

Quanàm ſint iſta mala, quæ obiectiuè ſufficiunt, ad cauſandum Metum cadentem in Virum conſtantem? Qu. 6.

1 RESpondeo, quòd Metus Mortis, inter alia tetinet primum locum, ad inferendum Metum cadentem in Virum conſtantem, ex *cap. cùm dilectus, de his, quæ vi, metuſuè cauſa ſiunt.*

2 Secundò, Metus atrocium tormentorum, vt longeui carceris, & ſimilium, ex *l. nec timorem, & l. qui in carcerem, cod. tit.*

3 Tertiò, Metus ſeruitutis; nàm priuatio libertatis, in mortem computatur, ex *d. l. qui in carcerem.*

4 Itèm, Metus ſtupri in virgine, ex eadē *l.* Itèm Metus amiſſionis ſtatus, vel fortunarum, ex *l. iſti, ff. quod metus cauſa.*

5 Quibus additur Metus amittendi honorem; quia Viro bono grauior eſt honoris iactura, morte ipſa, *Maſcard. de probat. concluſ. 1053. Sanch. lib. 4. de Matrim. diſput. 5.* Et Metus infamiæ; quia timor infamiæ æquiparatur timori mortis, ex *l. iuſta, ff. de manumiſſ.* de quibus latè *Sylu. ver. Metus, Sot. 4. ſent. diſtin. 29. q. 1. ar. 2. Rodriq. 1. p. ſumm. cap. 230. concluſ. 3. Graſſ. 2. p. deciſ. aur. lib. 2. cap. 5. de iuram. nu. 3. & 4.* & nupèr latè *Merolla diſp. 1. de volunt. cap. 3. dub. 6.*

Mala incutientia Metum cadentem in Virum conſtantem, an debeant timeri in propria, vel aliena perſona, ad hoc, vt talem Metum incutiant? Qu. 7.

1 ET dico, quòd mala, ad hoc, vt cauſent metum prædictum, non eſt neceſſe, nec requiritur, vt tantùm timeantur in propria perſona; ſed ſatis eſt, ſi timeantur in perſona conſanguineorum, vel affinium, prout latè *Sanch. de matrim. lib. 4. de conſenſu coacto, diſput. 4. per totam.*

2 Vndè, huiuſmodi timor grauis poterit eſſe in patre, ob recenſita mala comminata, vel illata filijs, vel filiabus, *D. Thom. 4. ſent. diſtin. 29. q. 1. ar. 1. ad 2. Sylu. ver. metus, qu. 1. in fin.* & habetur expreſsè in *cap. ſciant cuncti, de elect. in 6.* ibi, *Vel conſanguineos eorum,* & ex *l. iſti quidèm 8. in fin. ff. de eo, quod metus cauſa,* ibi, *Hæc, quæ diximus, ad edictū pertinere, nihil intereſt, in ſe quis ſit veritus, an in liberis ſuis; cùm pro affectu, magis in liberis Parentes terreantur.*

3 Itèm, in marito, ob mala, quæ timentur in perſona vxoris; quia ſunt vna caro, *Gen. 2. D. Thom. cit. loc.* & *ibid. Sotus.*

4 Itèm, in aſcendentibus, ob mala, quæ timentur in deſcendentibus, & vice verſa.

5 Itèm, in ſorore, ob mala, quæ timentur in perſona fratris; & hoc ideò; quia Natura ipſa, amore conciliat conſanguineos, & affines, tanquàm vnam carnem, & ex eodem ſanguine deriuatos; hinc, mala conſanguineorum, exiſtimantur propria, iure naturæ.

6 Quod amplia ad amicos, ob mala, quæ timentur in perſona alterius amici, ex quo amicus cenſetur alter Ego, & docet *Ariſtot. lib. 9. Eth. cap. 4.*

7 Benè verum eſt, quòd iſta extenſio nō excedit quartum gradum, per ea multa, quæ notat *Sanch. d. diſput. nu. 11.* & *Farinac. 2. par. fragm. ver. metus, nu. 78.*

Metus grauis, non incuſſus ad extorquendum contractum, an irritet contractum? Quæſt. 8.

1 NEgant *Sotus lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. ar. 1. in 2. argum. ver. at verò, cùm metus multiplex ſit, & in 4. ſent. diſtin. 29. q. 1. ar. 3. ver. de Voto, Conar. 2. p. cap. 3. §. 4. nu. 16. Anton. Cuccus lib. 5. Inſtit. Canonic. tit. 12. n. 118. Ludou. Lopez 2. p. inſtructorij, de matrim. cap. 40. §. præterea pro huius materiæ, Sanchez de matrim. lib. 4. diſp. 12. nu. 3. à Sancto Fauſto de contractibus, diſp. 4. q. 42. ver. 3. dico, Bonac. diſput. de Voto, quæſt. 2. pun. 3. §. 1. nu. 7.* & nupèr *Merol. diſput. 1. de volunt. cap. 3. dub. 18. n. 212.*

2 Tùm quia, ità colligitur ex *cap. ſicut nobis, de Regul.* vbi Votum factum à morbo laborante, mortis timore, dicitur obligare, ex quo timor à morbo incuſſus, non fuit illatus ad extorquendum contractum Voti; tùm etiam; quia incutiens metum, non intendit tali modo cogere ad ineundum contractum, nec vim paſſus poteſt dici, quòd compellatur ad vouendum, vel contrahendum, in caſu, de quo agitur; ſed ipſe elegit tale medium ad euadendum periculū, quod ſibi imminet.

3 Proindè, ſi captus à Turcis voueat, ieiunare, vel dare aliquid alicui Eccleſiæ, vt Deus eum eripiat ab illa ſeruitute, tenet proculdubio Votum, & ſecundùm hæc procedit *Decretum Conc. Triden. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.* quicquid alij dicant.

Profeſſio admiſſa à Prælato, vel Capitulo per Vim, & Metum cadentem in Virum conſtantem, an ſit nulla? Qu. 9.

1 SVarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. nu. 19.* Reſpondet negatiuè.

2 Tùm quia, talis irritatio, ob metum Capitulo, vel Prælato incuſſum, nullo iure cauetur; etenim iura annullant conſenſum Profitentis, ſi graui metu extorqueatur; non

autèm

autèm consensum Capituli, vel Prælati acceptantis; etsi huic, vel illi Vis, & Metus inferantur; tùm etiam; quia odia non sunt extendenda, sed limitanda; hæc autèm irritatio, seù nullitas, de qua agitur, est odiosa; ergò debet restringi.

3 *Lessius* autèm *de iustit. lib. 2. cap. 41. dub. 7. nu. 61.* veriùs, ac probabiliùs affirmat, talem Professionem, ob Vim, & Metum illatum Capitulo acceptanti, esse nullam; tùm quia, matrimonium est nullum, causa metus, siuè Viro, siuè Feminæ incutiatur; quia pro validitate contractus matrimonialis requiritur consensus mutuus; nempè, sponsi, & spōsæ, & quòd vterquè sit liber, & spontaneus; secus autèm, nullum erit matrimonium; quod procedit in matrimonio spirituali; nàm arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum, ex *cap. inter corporalia, de translat. Episcop.*

4 Tùm etiam; quia ad hoc, vt iustitia seruetur in contractu, debet esse æqualis cōditio vtriusq; partis; non enim iustum foret, vnam partem præ altera grauari.

5 Professio autèm, de qua agimus, est quidam contractus inter Religionem, & Religiosum, vltrò citròquè obligatorius, vt sæpè dictum est.

6 Quippè qui necessariò, ac simplicitèr, petit liberum cōsensum ambarum partium; ergò si ad eius validitatem, ex parte Religiosi Profitentis requiritur consensus omninò liber, & absolutus à metu; ità paritèr requiritur, vt sit ex parte Religionis; secus autèm grauaretur magis vna, quàm altera pars.

7 Confirmatur, quia consensus Religiosi Profitentis, & Religionis acceptantis, ad inuicem se respiciunt; sunt enim correlatiua; ergò, quod dicitur de vno, oportet, vt dicatur de reliquo; quia dispositum in vno correlatiuorum, censetur dispositum in reliquo, argum. *cap. quoniàm multos 11. q. 5.*

8 Tùm itèm Tertiò, quia Vis, & Metus de sua natura habent annullare contractum, ex quo de se opponuntur libertati, ergò erit semper talis, vbicunquè reperiatur; quia causa formalis nunquàm cernitur absoluta à suo effectu formali.

9 Et additur, quòd *cap. cùm locum, de spons.* generalitèr loquitur de omni consensu coacto, ibi, *Quòd locum non habet consensus, vbi metus, vel coactio intercedit*; & lex, quæ generalitèr loquitur, generalitèr debet intelligi.

10 Nec valet obiectio, quod odia non sūt extendenda; quia retrocitati Canones, & Ecclesiastica Statuta non sunt odiosa; sed gratiosa, in fauorem scilicèt Religionum, & libertatis humanæ.

Professio, ob solum metum reuerentialem emissa, an sint irrita? Qu. 10.

1 HÆC quæstio est intricata, & circa eam diuersificant *Doctores*; nā quidam dicunt, quòd solus, & nudus metus reuerentialis irritat Professionem, & huius opinionis fuit *Glos. in cap. præsens 20. qu. 3. in ver. Patrem*, ibi, *Hìc habes, quòd timor Patris impedit matrimonium spirituale*, *Nauar. 2. par. cons. lib. 4. de sponsal. cons. 20. nu. 4.* in 1. editio. *& lib. 3. de Regul. cons. 84. nu. 4. & in Manual. Confess. cap. 22. nu. 51. & cap. 17. nu. 5. & 30.* post *Adrianum*, & alios dicit, quòd omnis metus, etiam minor iusto, excusat in foro conscientiæ tantum, quantum iustus, si metus ille fuit causa; saltèm, sine qua non, si absq; illo, actus nō fuisset factus, Et in *1. p. cōs. lib. 1. de renunciatione, cons. 3. nu. 6.* in 1. editio. ait, quòd metus reuerentialis Parentum, excusat à valore Professionis, & Matrimonij; licèt non sit alioquin iustus, vbi notat, quòd ad excusandum coràm Deo à peccato trāsgressionis legis humanæ, sufficit metus, vel timor, etiam non iustus, si fuit ille causa transgressionis, *Iacob. Graff.* multis citatis, *decis. aure. p. 1. lib. 2. cap. 56. de honor. Parent. n. 18. Rodriq. tom. 3. quæst. 17. ar. 15. & 18.* cum suo *Compend. resolut. 101. nu. 78. Anton. Diana 3. p. Moral. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 92. Portell. ver. Profeß. nulla, nu. 12. Matth. de Afflict. decis. 69. nu. 4.* vbi elegantèr tractat de testamento filiæ, quæ Patrem instituit hæredem, & de donatione ab vxore facta Viro, ob nimiam reuerentiam maritalem, & de legatis factis, ob precum importunitatem, & *Vrsill. ibid. nu. 5. Menoch. de arbit. cent. 2. casu 136. nu. 8. Sayr. de Regul. decis. Aloys. Ricc. Collect. 932. in fin. & in 4. p. decis. 247.* & alij plures, quos allegat *Barbosa in Collect. Conc. Trid. cap. 19. sess. 25. de Regul. nu. 4.* & *Nouar. in Lucer. Regul. ver. Professi. nu. 29.*

2 Et colligitur ex *Reg. velle, ff. de Regul. iur.* ibi, *Velle non creditur, qui obsequitur Imperio Patris, vel Domini*, & ex *l. 1. §. qua honoranda, ff. quarum rerum actio non datur*, ibi, *Et hoc causa cognita, si liquidò appareat, libertum, metu solo, vel nimia patroni reuerentia; ità se subiecisse*, & ex *l. pœnult. ff. de furtis*, vbi dicitur, tacentem, viso furto, ob nimiam reuerentiam, non videri consentire.

3 Immò, ex *d. cap. præsens*, vbi *Nicolaus Papa* nullam declarat Professionem cuiusdā, qui habitum susceperat ex metu, & reuerentia Patris, ibi, *Vsquè dùm Diuina inspiratione cōpunctus, propria voluntate Regulæ se subdat.*

4 Ac etiam ex Declarat. Sac. Congreg. Concil. quæ ob solum metum reuerentialem declarauit, nullam esse Professionem cuiusdam Feminæ, & refert ex *Farinac. Hier. Rodr.*

in d.

*in d.reſolut.*101.& *Nauar.*& *Portell.cit.loc.*

5 Alij verò, & longè vetiùs tenẽt,ſolum metum reuerentialem non ſufficere ad irritandum cõtractum; niſi illi adiungantur minæ, aut verbera, vel aliæ circumſtantiæ, ob quas dicatur cadere in Virum conſtantem; ità *Bartol.in tract.de Tyran.& in l.ad inuidiam, C.quod metus cauſa*,vbi dicit,quòd ſola reuerentia mariti, non cauſat iuſtum metum in vxore ; niſi minæ præceſſerint , aut verbera, *Innoc.in cap.cauſam matrimonij, de off.Delegati,Abbas cap.1.de ſponſal.impuber.nu.4.Couar.2.p.cap.3.§.6.nu.7.* vbi reiecta opinione de ſolo metu reuerẽtiali,dicit,quòd cauſa nullitatis illius Profeſſionis recenſitæ in *d.cap. præſens*, non fuit ſolus Metus,ſed Metus grauis, & iuſtus cadens in Virum conſtantem, *Gram.deciſ.103.nu.49. Capyc.deciſ.159.nu.34. Ioan.Vinc.Anna allegat.*114. *Sanchez de matrim. lib.4.de conſenſu coacto,diſput.7. nu.7. & diſput.9.nu.11.* vbi ſupponit ex multis,quòd Metus reuerentiæ, abſq; minis, vel alijs circumſtantijs aggrauantibus,non dicitur grauis,nec cadẽs in Virum conſtantem, nec ſufficiens,vt forus externus concedat reſciſſionem contractus , & alij plures *Doctores* grauiſſimi,tàm *Iuriſtæ*, quàm *Canoniſtæ*,quos citat , & ſequitur *Paul.Layman. moral. lib.4. tract.5.de ſtatu Relig.cap.5.nu.6.Meroll.tom.1. diſput.1.cap.3.de volunt.dub.11. à nu.65.* vſq; *in finem*, & *Bonae, tom.1. de matrim. quæſt.3. pun.8. num.6.*

6 Et eſt deciſio Rotæ Romanæ,quam refert *Nauar.2.p.conſil.d.lib.4. de ſponſal.nu.6.* vbi idem declarat, ſe loqui, non de ſolo, & nudo Metu reuerentiali; ſed quatènus inducit Metum,& facit Filium,vel Subditum de nolente volentem.

7 Vltrà aliam deciſionem , quam refert *Farinae.tom.2.deciſ.579.*qua fuit dictum,Profeſſionem, ob ſolum Metum reuerentialem non eſſe irritam.

8 Et habetur expreſsè in *cap.final. qui Clerici, vel Vouentes*, vbi Votum emiſſum, præcepto Regio,vel Parentum,non eſſe nullum;ergò Metus reuerentialis , ſolitariè acceptus,non eſt cadens in Virum conſtantem; ſecus autèm, Dom. Papa in *d.cap.* irritaſſet Votum prædictum, ex quo Metus cadens in Virum cõſtantem, annullat votum,& in *cap. Puellæ 20.q.1.* adiuncta *Gloſ.* vbi ponderans illa verba, *non coactæ Parentum imperio*, ſubiungit , quòd *Gratianus* à contrario ſenſu ſubinfert, quòd ſi fuiſſent coactæ à Parentibus, habitum ſuſcipere , potuiſſent illum deſerere,& ad ſecunda Vota tranſire.

9 Ergò, coactione excluſa reſtat firma Profeſſio earum,etſi imperio Patris,habitum ſuſcepiſſent; etenim duo attendit *textus*,ſeù *Leo Papa* , & quòd illæ Puellæ ſunt ingreſſæ imperio Patris, & quòd non fuerunt coactæ, ly,*Imperio*, refertur ad Metum reuerẽtialem; ly, *Coactæ*, ad Metum grauem , qui de ſe eſt potens irritare contractum ; ergò excluſo Metu graui,Parentum reuerentia non nocet.

10 Sed quid,ſi is, cui debetur reuerentia,ſit crudelis, & ſolitus ſæuire, vbi ſuæ non obtemperatur voluntati ; vel timeatur de enormi læſione bonorum ? vide *Sanch.*& *Meroll.* qui ambo latè diſputant ad partes in præcit. *loc.*

11 Ex quibus colliges,quòd metus reuerentialis, tàm in Viro , quàm in Fœmina, ad hoc, vt irritet contractus, debet eſſe grauis cadens in Virum, vel in Fœminam conſtantem; ſecus autèm, ſi ſit leuis,vt dixi ſuprà, & recordare , quòd aliud eſt, loqui in foro conſcientiæ, & aliud,in foro externo,de quo in præſentiarum diſceptamus.

Metus reuerentialis , in quibus Perſonis locum habeat ? Qu.11.

1 RESpondeo , habere locum in omni perſona, quæ , aliquo iure ſubiectionis,alteri ſubijcitur; vt in Clerico reſpectu Epiſcopi,in Seruo reſpectu Domini , in Sæculari reſpectu Magiſtratus, in Vxore reſpectu Mariti , in Filio reſpectu Patris , & ſimilibus.

2 Et hoc ideò ; quia hi Superiores præſunt,& alij ipſis ſubiecti ſunt,qui,duce natura, quandam reuerentiam, & obſequium debent , quæ reuerentia naturalitèr incutit timorem, & pudorem, vt minus audeant illorum voluntati contradicere.

3 Quod amplia, ad Socerum,ex quo, ſe habet,vt Pater,vt in *l.quia Parentes 17. ff.ſolut.matrim.* & docet *Iaſon in l.tranſactionem, nu.2.C.de tranſaction.*

4 Itèm,ad Auum, qui, vt pater colitur, *Nauar.de conuerſ.coniug.conſ.3.nu.2.* in 2.edit.

5 Itèm,ad omnes aſcendentes, qui tanquàm Patres habentur,& coluntur;quod paritèr procedit reſpectu Tutoris , & Curatoris,qui ſe habent,loco Domini,vel Parentis, *Nauar. conſ.10. de his, quæ vi*, & *Sanch.* poſt multos *lib.4.de matrim. diſput.6. nu.17.*

6 An autèm procedat in Filio , reſpectu Matris ? Negat *Regens Rouitus conſ.13.nu.4. & ſequen.vol.2.*ex quo fœminæ minus timentur,cùm minus audaces ſint,& imbecilliores, ex *l.quiſquis,ver.ad filios,C.ad l.Iul.Maieſt.*

7 Hinc,& ex alijs infrà dicendis, in Curia Archiepiſcopali Neapolitana fuit deciſum contra quandam Puellam Profeſſam , quæ inſtabat , ſuam Profeſſionem declarari nullam,ex eo,quòd illam emiſerat compulſa ex vi Metus reuerentialis materni, & refert *Aloyſ. Ricc.in 4.p. deciſ.247.*

8 Tùm quia, nullus Metus Matris potest esse in consideratione;nam Pater,& non Mater habet filiam in potestate,& ad ipsum,& non ad Matrem spectat,illam offerre Monasterio, *Glos.in cap.addidistis, ver.Mater, & ibi Arcbid.*20.*q.*1.& alij multi.

9 Tùm etiam;quia Metus Parentum nō est sufficiens ad rescindendam Professionem; nisi præcedant minæ,aut verbera, ex *cap.final.qui Clerici,vel Vouen.* & *ibi Glos.ver.Metu Regio*, & est communis opinio *Doctorum.*

5 Id ipsum *Portell.ver.Professio nulla ex iure naturali, siuè ex natura contractus, nu.*12. *ver.pro quo nota*, refert,fuisse à Sac.Congreg. decisum, in causa cuiusdam Monialis allegantis nullitatem suæ Professionis, ex eo, q illam emisisset,metu reuerentiali Amitæ suæ Monialis;tùm etiam,quia Professio Religiosa potest annullari per timorem reuerentialem Patris, seù Parentum; si sit talis, qualis desideratur; secus autèm per timorem reuerentialem aliorum consanguineorum, prout docet *Glos.in cap.præsens* 20. *qu.*3. & *Nauar. lib.*1.*de renunciatione, cons.*3.*nu.*6. & *lib.*4. *de sponsal. cons.*26.*nu.*4. *Rodr.tom.*3.*q.*17.*art.*15. quamuis sibi non constet in *ar.*18.vbi determinat, non valere Professionem factam à Puella educata in Monasterio,ob timorem reuerentialem Abbatissæ.

6 Tùm quia, dùm filij, & filiæ non stant in potestate aliorum consanguineorum, non habent quid mali possint timere.

7 Hinc,non habet locum Metus reuerētialis in Sorore,& Fratre minori,respectu Fratris maioris natu;nisi fortè habitent insimul, & ab illo gubernentur,& nutriantur.

8 Igitur radix metus reuerentialis nascitur ex simultanea cohabitatione, & ex perceptione alimentorum, prout notat *Capyc.decis.*159.*nu.*35.*Lanar.cons.*43.*nu.*30. *Anna Pater singul.*339. & *Anna Filius cons.*73. *nu.*15.*vol.*1. & alij plures,quos sequitur *Sanch.* cit.*loc. nu.*28.

9 Vndè, Filius emancipatus,si viuat seorsum à Patre,vel Filia,aut Soror minor,non poterunt irritare contractus ex causa Metus reuerentialis; quod extende ad auunculos, & amitas; dùm seorsum viuunt, & sui iuris effecti sunt,& nō habent quid timeant, *Cravet. cons.*49. & alij infiniti,quos sequitur *Meroll.d.cap.*3.*de voluntario, disput.*1.*dub.*13. *nu.* 93. & *sequen.* quod est valdè notandum pro quotidianis occurrentijs.

*Professio facta ex dolo,vel ex falsa causa finali, an sit valida? Qu.*12.

1 ET quidèm valere, docet *Syluest.in summ.ver.diuortium, q.*22. *Armill. eod.ver.nu.*16. *Nauar. lib.*3. *de conuer.coniug. cons.*3. *nu.*4. in 1.editio. vbi agit de eo, qui abijt in Regionem lōginquam, in qua facto testamento finxit se mortuum; vndè sua Coniux intrauit Monasterium, in quo solemnitèr Professa est, credens, suum Virum esse mortuum,quod nullatènus fecisset, nisi id credidisset, *Turrecremata in Decretis,in cap.consultuit* 20. *q.*3. *in fin. Sanchez* latè, multis citatis *de matrim.lib.*10.*disput.*9.*de diuortio, q.*2. *num.*20. & nupèr *Meroll. disput.*1. *de volunt. cap.*3.*Coroll.*7.*nu.*807.

2 Et est decisio *d.cap.Consult.*20. *quæst.*3. adiuncta *Glos.* vbi ex *Concilio Magotiensi* deciditur,Professionem,dolo Monachorum factam,esse validam,& in doli pęnam priuandos esse successione hęreditatis illius Professi.

3 Et *cap.ex parte,el* 2.*de conuer.coniugat.* ibi, *Quamuis falsa sit causa,per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est introducta*; etenim *ibi* deciditur, Professionem mulieris, quæ falsò existimans,se posse à Viro leproso recedere;ingressa est Monasterium, validam fuisse, non obstante eius errore,& falsa causa, & *cap.magnæ,de voto,* iuncta *Glos.in ver.vt venires*, deciditur, Votum Peregrinationis Hierosolymitanæ, validum fuisse; licèt causa cessauerit.

4 Quod habet locum,nedùm in causa impulsiua,seù motiua voluntatis, prout *Panorm. in d.cap ex parte,* & *Suar.tom.*2. *de Relig.tract.de Voto, lib.*1.*cap.*11.

5 Verùm etiam, & in causa finali; etsi error esset inuincibilis quantumuis,dummodò substantialia non lædat, *Sanchez* cit.*loc. nu.*20. & *Meroll.nu.*815.

6 Quia sicut dolus, & error, qualisquè sit,non irritat matrimonium; nisi error fiat circa substantialia; vtpotè circa personam, vel consensum.

7 Itá paritèr,nec Professionem; est enim Professio spirituale matrimonium, & à matrimonio carnali ad spirituale tenet argutum; vndè æquiparantur in *cap.quondam frequentèr*, §.*porrò,vt lite non contestat.* Et hoc ideò;quia licèt dolus,vel error sit quantumuis inuincibilis,ac cadens in Virum constantissimum; adhùc non tollit libertatem, nec liberum lædit arbitrium; nisi foret circa substantialia Professionis.

8 Hinc, minimè poterit Professionis inualidare contractū, secus autèm Metus grauis cadens in Virum constantem,ex quo tollit perfectam libertatem, vt suprà dixi.

9 Nec objcies ex *l.* & *elegantèr*, *ff.de dolo*, vbi irritantur,ipso iure contractus omnes bonæ fidei,ex errore,siuè dolo dante causam contractui celebrato; quando alter contrahens est doli particeps.

10 Tùm quia, ciuilis, & laica potestas non potest comprehendere Professionem

Reli-

Religionis, quæ tota est Ecclesiastica; tùm etiam, quia licèt dolus dederit causam contractui, non ideò Professus dicetur in eo deceptus; quia se Christo per Professionem coniunxit; nàm quomodò is potest dici deceptus, cuius conditio melior effecta est? Tùm etiàm, quia non reperitur ius canonicum, quod his contradicat.

11 Proinde, falsa causa non impedit Monachatum, & in spiritualibus, dolus aduersarij non vitiat contractum, Eminent. Cardin. *Turrecremata in fin. d. cap. constituit, ibiq. Gloss. ver. cogatur*, & in *dict. cap. ex parte, verb. falsa causa*.

12 Nec dices, quòd cessante causa finali, cessat dispositio cuiuscunquè contractus; quia hæc obiectio laborat eodem prædicto morbo; quia aliud est, loqui de contractibus ciuilibus, & aliud de spiritualibus.

13 Itèm, vnica est causa finalis Professionis; nempè, Dei cultus, hoc est, Deo perpetuò seruire, hoc, vel illo modo. Ceteræ autè causæ sūt potiùs impulsiuæ; quàm finales, quæ moralitèr mouent, & alliciunt, q itèm facit causa finalis; etenim mouet tantùm in esse obiectiuo, seù quatènus stat sub apprehensione, & veluti obiectum, sic mouēs antecedit actū liberum, qui à voluntate eligitur, absq; vlla læsione libertatis; Ergò error causæ finalis, non erit error, nec defectus in substantia; dùm voluntas sic mota, liberè omninò eligit, & consentit, vt suprà dixi.

14 Nec replices, quòd Professio, seù Votum solemne Religionis, non minus liberum consensum desiderat, quàm Votum simplex, & quòd Votum simplex, ex errore causæ finalis, irritum redditur, ex defectu liberi consensus; etenim nihil est magis contrarium consensui, quàm error, *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. Iudic.* indequè inferas, quòd sic ctit Religionis Professio.

15 Nàm paritas non currit; quia Votum simplex comparatur sponsalibus; est enim simplex promissio, quæ, etsi debeat esse libera; nihilominùs simplicitèr pendet à voluntate promittentis, quæ quidèm virtualitèt est conditionalis; hoc est, si causa, ob quam, inducitur ad promittendum, subsistat; qua variata fit error in substantia, seù in conditione, sine qua non.

16 Professio autèm comparatur matrimonio, quod consistit in mutua traditione Personarum, quarum altera alteri coniugi traditur; ità, & Profitentis Persona traditur Religioni.

17 Vndè, contractus matrimonij, & Religionis correspōdent contractibus emptionis, venditionis, & permutationis, quibus res, & pretium commutantur.

18 His autèm non nocet error causæ finalis; sed error materiæ; nempè, rei, vel pretij, vt si pro tritico consignentur fabæ, vel pro auro, in pretium, detur auricalcum. Sic, & contractui matrimonij nullus error nocet; etiam si sit causæ finalis, nisi sit circa materiam matrimonij, vt sunt personæ, & consensus; loquimur de matrimonio, prout se habet ex parte rei, in esse naturæ, abstrahendo ab omni alio.

19 Hinc, solus error circa Personas, annullat matrimonium; vt potè, si N. putans contrahere cum Berta, contrahat cum Lucretia, matrimonium erit irritum; quia est error in substantia, vt omnes docent.

20 Ità à pari, si quis putans profiteri in Religione D. Dominici, profiteatur in Religione D. Francisci, quod itèm procedit, quotiès deceptio erit notabilis circa Institutum, & substantialia Regulæ, quæ ille profitetur, prout latè *Sanch. & Meroll. cit. loc.*

Professio fictè emissa, vtputà, oretènus facta, sed non corde, an sit valida? Q. 13.

1 NEgatiuè, quòad forum poli, ex defectu legitimi consensus, qui est omninò necessarius ad substantiam contractus, vt dictum extat. & est decisio *cap. perlatum 1. de ijs, quæ vi, metusuè causa, & cap. ad id, de spons.* & docet *Cardin. Turrecremata in cap. quod interrogasti 28. distin. nu. 1. Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 23.* in 1. ed[illegible] *cons. 28. eod. tit. nu. 2. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 37. nu. 60.* & alij plures, quos sequitur *Barbosa in d. cap. perlatum, nu. 2.* Quia quòad Deum attenditur animus, non autèm opus externum; ipse enim intuetur cor, & quæ intus sunt, non quæ extrinsecùs nota hominibus.

2 Secus autèm quòad forum contentiosum, & est decisio *d. cap. quod interrogasti 27. distin.* ibi, *Pœnitentiam agat de illusione nefanda, & reuertatur ad id, quod spopondit*, & *cap. Viduas velare 27. q. 1.* ibi, *Velit, nolit, Sanctimoniæ habitum vlteriùs habere debet*; quibus in locis, Viduæ solemnitèr professæ, coactæ sunt redire, non admissa earum excusatione, qua dicebant, quòd fictè essent Professæ; & colligitur ex *auth. Sanctissimi Episcopi, §. si verò Constantinopolitano, & §. fin. si verò Monasterium ad hoc, vt in authen. quomodò Episcopos, §. semel.*

3 Vndè, quotiès quis suscipit habitum secundùm formam canonicam, & promittit seruare, & viuere secundùm illam, licèt fictè susceperit, non poterit eum ampliùs deponere; aliàs fieret Religioni grande præiudicium; hinc, iustè cogitur in illo perseuerare, secus turbaretur Regula Ecclesiastica, argum. *cap. per Laicos 16. q. 7.*

4 Et sicut in matrimonio carnali, Eccle-

sia iudicat secundùm actus exteriores, & nõ secundùm actus interiores, qui sibi non possunt innotescere sitâ in matrimonio spirituali, Ecclesia non iudicat de occultis; sed per externa præsumit interna; nàm interna per externa declarantur.

5 Proindè, quantumcunq; quis non intendat contrahere matrimonium; si tamèn exprimat verba contractus matrimonij, si coniuges aliundè sint habiles ad contrahendum, Ecclesia iudicat, illud esse verè matrimonium, & coget, illum cum illa habitare, etsi ficte dicat, contraxisse., vel ore, & non corde protulisse illa verba, quæ exprimunt consensum contractus matrimonij.

6 Ità, & in Professione, quantumcunquè quis non intendat se obligare ad Vota Religionis; ex quo tamèn spontè profitetur, & non protestatur aliquod in contrarium, Ecclesia coget illum seruare Professionẽ; quia præsumit, solemnitèr vouisse, & animum habuisse profitendi, iuxtà dispositionem *d. cap. quod interrogasti, & cap. Viduas.*

7 Vndè, sicut excommunicat eum, qui est tacitè Professus, ad hoc, vt remaneat in Claustro; ità, & hunc excommunicat, vt seruet, quod per Professionem promisit; prout benè declaratur in *Constit. Ordin. Prædic. distin. 1. de Profess. cap. 15. litt. C. fol. 62. nu. 3.*

8 Benè verum est; quòd is fictè Professus, si voluerit è Religione recedere, & dicere de nullitate Professionis, ob defectum intentionis, & consensus non præstiti. Hoc debet per idoneos testes probare, quod est difficillimæ probationis; tùm quia, negatiua, de sua natura est improbabilis; tùm etiam; quia quæ pendent ex animo, Deus tantùm nouit; tantò minus, quantò præcessisset protestatio, vel adesset vehementissima præsumptio; nec standum est eius iuramento, prout latè *Turrecremata* cit. *loc.* & *Glos. in d. cap. quod interrogasti, ver. finxit.*

9 Si autèm voluerit cum bona conscientia in Religione permanere, satis erit, quòd secretò, & in animo suo denuò consentiat; nec requiritur nouus consensus ex parte Côuentus, si in primæuo permanserit; sicut patet in matrimonio fictè contracto, quòd ad hoc, vt validum sit omninò, sufficit, vt superueniat nouus consensus eius, qui simulatè contraxit, manente in virtute priori consensu, prout lepidè *D. Thom. 4. senten. distin. 29. q. vnica, ar. 3. quæst. 2. ad 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. in medio, Viguerius lib. instit. cap. 16. ver. 6. Turrecremata 31. q. 2. Syl. ver. matrim. 8. q. 11. dic. 4.* & alij plures nostræ Familiæ, quos sequitur *Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 32. nu. 8. quæst. 3.*

Si fictè Professus non poterit suæ Professionis nullitatem probare, & recuset ratificare, an possit fugere, remoto scandalo? Qu. 14.

1 Diuus Thomas cit. *loc. Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 39. nu. 11.* & *Meroll. tom. 2. disp. 4. de lege Ecclesiast. cap. 14. dub. 8. diffic. 10. nu. 79.* Affirmant; quia coràm Domino non est verè Professus, & ob id, remoto scandalo, & occasione sibi præstita poterit fugere, nec sic fugiens, in foro conscientiæ erit obnoxius Apostatarum pœnis, vide infrà *quæst. 41.*

Professio facta cum mala intentione; nempè, vt fornicetur, vel furetur, an valeat? Quæst. 15.

1 Affirmat *Glos. in cap. quod interrogasti, distin. 27.* & *Nauar. cons. 28. de Regul. nu. 2.* & 3. dummodò, Profitens intendat esse Religiosus; secus autèm; quia sicut vtile per inutile non vitiatur; ità, nec principale per suum accessorium.

2 Ficta autèm, & non sincera intentio est subsequens in casu nostro, ad Religiosum esse; quandoquidèm sola obligatio, non autèm impletio Votorum est de essentia Religionis, prout elegantèr declaratur in nostris *Constit. cap. 15. de Professis, fol. 62. col. 2. in med.*

3 Proindè, si quis fiat Religiosus, ea intentione, vt quàm primum fit Abbas, vel Episcopus, valet eius Professio; vel si voueat aliquam Religionem, sine animo seruandi Regulam, obligatur ad eam seruandam, *Nauar.* cit. *loc. & in Manual. cap. 12. nu. 50.*

4 Idem procedit in eo, qui se obligat per Professionem ad Vota Religionis; licèt non intendat soluere, quod promisit; quia sola obligatio, non autèm impletio Votorũ est de essentia Religionis, vt dictum est.

5 Secus autèm dixi, si desit animus se obligandi Religioni; quia sine consensu, & animo non potest Professio coràm Deo salua consistere, ex *cap. tua, de sponsal.* & docet *Nauar. vbi suprà, in fin. nu. 3.*

Professus fictè, si post quinquennium dubitet, an huic suæ Professioni, de nouo consenserit, vtrum possit Religionem relinquere? Qu. 16.

1 Svppono ex decisis, quòd fictè Professus, si renuat consentire, potest è Religione aufugere, & habitum deponere, remoto tamèn scandalo.

2 Nunc autèm vltrà progredior, quid sit dicen-

dicendum, si sic Professus, elapso quinquennio non recordetur consensisse, an possit in sæculum redire? Affirmant quidam, & probabiliter, eò, quòd dubitans, an Votum, vel iuramentum emiserit, si præmissa diligentia, nequeat dubium vincere, non tenebitur Voto, vel Iuramento; ex quo nulla est possessio pro Voto, & Iuramento; sed tota pro libertate Vouentis, *Sot.de Iustit.lib.7.quæst.3.ar.2, dictum.2.ver.sed est hic, Medin.lib.1.summ.cap.14.§.7. Suar.tom.5.de censur.disput.40.sect.5.num.15.* & multis citatis *Aloys.Ricc.par.1.decis.4.in fin.*

3 Proindè, si quis est certus, quòd promiserit, se aliquid facturum, per verba, quæ possunt habere sensum ambiguum, an sint iuratoria, nec nè? & dubius sit de intentione, & significatione, in qua illa dicere voluit; iudicandum est pro libertate promittentis, *Caietan.2,2.q.89.ar.7.* & *Couar. cap.quamuis pactum 1.p.§.2.nu.2.in fin.* & *Suar.tom.2.de Relig.tract.de iuram.lib.2.cap.33.nu.3.* Ità à pari dicendum, stante conscientia dubia fictè Professi.

4 Nihilominùs, quòd nō possit, elapso quinquennio, Religionē deserere, verius est; quia in dubio melior est conditio possidentis; in casu aūt, de quo agitur, possessio stat pro Religione, seù Professione; nàm pro eo stat possessio, pro quo stat iuris præsūptio; vndè, quādo nō constat de veritate, standum est præsumptioni iuris, *Sot.lib.7.de Inst.q.3.ar.2.ver.hic verò,* & latè *Menoch.de præsumpt.lib.4.præsumpt.83.*

5 Et hoc ideò; quia præsumptio iuris habetur pro veritate; donec oppositum probetur; prout ex multis colligit *Simancas de Cathol.instit.tit.50. num.6.* & *Menoch.de præsumpt.lib.1. q.4.nu.3.*

6 Verùm, in hoc casu, ios præsumit, eum ratificasse Professionem, & hinc denegat audientiam Professis, qui, transacto quinquennio volunt reclamare, allegantes, Professionem esse nullam, vt patet ex *Triden.cap.19. sess.25. de Regular.*

7 Et additur, quòd hæc præsumptio est iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium, ex *l.sunt personæ, ff.de Relig.& sumpt.funer.* ibi, *Summa est ratio, quæ pro Religione facit*, & docet *Nauar.de Regul.cons.13.nu.10.* in 2 editio. & *Meroll.tom.2.disput.3. cap.3. de conscientia dubia 20. Coroll.nu.281.* secus autèm, si huiusmodi Professus incipiat dubitare de ratificatione Professionis, antè quinquennium elapsum; quia prædicta ratio in præsumptione fundata, antè quinquennium non militat.

Professio in foro poli nulla, ob carentiam libertatis Profitentis, an ex constitutione Ecclesiæ possit fieri valida in eodem foro? Qu.17.

DIxi in *tract.12.de reclam. qu.27.* vide *ibi.*

Professio facta, sub pacto, vel conditione illicita, an sit nulla? Quæst.18.

1 CElebris est quæstio, circa quam variant *Doctores, Sylu.in summ.ver. Relig. quæst.7. & 8. Nauar. comm.2. de Regul. nu.14. & lib.3.eod.tit.cons.30.nu.2. Couar.tom.1.par.1.cap.3. §.1.nu.18. Marc.Ant.Genuens. in practic.Eccles.q.266.* vbi hìnc indè disputat, *Aloys.Ricc.par.4. decis.340.nu.11. Miranda tom.1.Manual.Prælat. q.25.ar.9. & quæst.28. art.2. Rodriq.tom.3.quæst.17.art.6. Ioan.Cruc. lib.2. de statu Relig.cap.3. dub.2. D.Barthol. à Sancto Fausto lib.8.q.20. & 21.* & alij plures, quos sequitur *Barbosa in cap.insinuante, qui Cler.vel Vouentes, nu.2.*

2 Tu autèm cum distinctione resolue; aut conditio, sub qua fit Religionis Professio, est contraria substantiæ Religionis, quæ coalescit ex tribus Votis substantialibus; nēpè, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis.

3 Aut non; si primo modo; certum est, quòd Professio erit nulla; secus autèm, prout expressè docet *Glos.in cap.Monachi, de stat. Monach.ver.administratione,* vbi respondet ad obiecta; & in *cap.vltimo, de condit.appositis,* vbi dicitur, quòd si aliqua apponatur conditio in matrimonio, contrà essentiam matrimonij, vtiquè erit nullum omninò. Ità à pari, si in Professione aliquid apponatur, quod sit contra substantiam Religionis, Professio erit nulla, & à matrimonio carnali ad spirituale tenet argumentum, *cap.inter corporalia, de translat.Episc.*

4 Nec mirùm, quia omne contrarium destruit suum contrarium, vt ex *cap.solet 32. quæst.2. & cap.detrahe 1. q.1.* colligitur, quòd sine substantia nihil potest subsistere, *cap.tua, de sponsal.* & latè *Sanchez de matrim. lib.7.de consensu conditionato, disp.9.ad 4. & disput.25. nu.21. & in Decal.lib.5.cap.4.nu.99.*

5 Et sicut Deus non acceptat conditionem illam; ità, nec acceptat Promissionem, seù Professionem, *Couar.cit.loc.* & *Bonac.de clausur. q.11. pun.10. diff.2.§.2.nu.4.*

6 Proindè, si Professio, ea conditione fiat, de habendo proprium, & de retinendo suarum rerum dominium; erit omninò nulla; etenim hæc conditio pugnat cum Religiosa Paupertate; quandoquidèm, non habere proprium, est adeò essentiale, & intrinsecum

statui

statui Monachorum, vt nec Romanus Pontifex possit super hoc dispensare, prout expressè habetur in *cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum*, & docet *Glos. in cap. solet*, vbi ex multis ostendit, quòd deficiente aliqua conditione essentiali alicuius rei, actus est nullus.

7 Quibus adde nouum ius *Conc. Tridem. sess. 25. cap. 2. de Regul.* quo prohibetur, omninò aliquid possidere, etiam ad vsumfructum, & Sac. Congreg. declarauit, *Quaranta in summ. Bull. ver. casus reseruati.*

8 Idèm dic de eo, qui eo pacto, obedientiam promisit, vt ad sui libitum possit viuere, vel quòd semper debeat præesse, & nullibi subesse.

9 Itèm, qui Castitatem profitetur, ea adiecta conditione, vt sibi liceat vti carnali copula; hæ namquè conditiones, & Vota Religionis, se se euertunt; quia duo contraria, vni, & eidem subiecto insimul nequeunt inhærere.

10 Secus autèm si quis profiteretur, sub conditione manendi in propria domo, vel colligendi fructus, hinc indè dependentèr à Superiorū voluntate; quia hæc conditio non est contraria essentiæ, nec aduersatur substātiæ Religiosæ Professionis, prout latè *Nauar. in d. cons. 20. nu. 2.* & est decisio *cap. 2. de stat. Monac.* vbi permittitur peculium, de Prioris licentia, *cap. de Viduis 27. q. 2.* quo dicitur, & Viduas, & Virgines posse fieri Regulares, & manere in domibus suis, supple, de licentia Superiorum.

11 Quod extende ad eum, qui Professionem emisit, salua facultate testandi de patrimonio suo, prout censuit Sac. Congreg. Conc. sub anno 1613. die verò 14. Decembris, & refert *Nouar.* in sua *Lucerna. Regul. ver. Profess. nu. 20.*

12 Et hoc ideò, quia Religiosus Professus per vsum incertum, seù reuocabilem, & dependentiam à voluntate sui Superioris, non fit proprietarius; sed obedientiarius, & Regularis, vbicunquè est de licentia Prælati, censetur esse in Monasterio; prout, post priscos *Sanch.* & *Barbosa* in præcitatis *loc.*

13 Itèm, amplia ad eum, qui Professionem emittit, animo dominandi, vel ociandi, aut discurrendi; hæ namquè causæ intrinsecè non lædunt, nec vitiant substantiam Professionis, *Marcus Antòn. Genuens. in practicabilibus Eccles. quæst. 266.*

Professio facta, sub conditione de futuro, an sit valida? Qu. 19.

1 NEgat *Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 8. nu. 88.* & alij, quos sequitur *Bonac. de matrim. qu. 2. pun. 9. & de contractibus disput. 39. pun. 4. q. 1. & de Voto, in tractatu de leg. disp. 4. qu. pun. 2. nu. 2. & de clausur. qu. 2. pun. 10. diff. 2. §. 1. nu. 4.*

2 Tùm quia, consensus necessarius ad Professionem, debet esse absolutus, non autèm conditionatus, prout est ille, qui pendet à futura conditione; tùm etiam; quia actus agentium, non operantur vltrà intentionem eorum.

3 Sed intentio, sic Profitentis, est obligare se solùm dependentèr ab illa conditione. Igitur, vsquè dùm non fuerit adimpleta conditio, non intendit se obligare; secus autèm conditione adimpleta; quia tunc transit in consensum absolutum, si interim non fuerit mutata voluntas. Nàm, si fuerit mutata, antea quàm purificetur conditio, nulla, re vera remanet obligatio.

Professio facta in aliqua Religione, non approbata à Dom. Papa, vel admissa ab eo, qui authoritatem non habet, an sit valida? Qu. 20.

1 NEgatiuè, per ea multa, quæ latè dico in *tract. de Tertiarijs vtriusquè sexus, q. 7. & 11.* & docet *Nauar. de Regul. cons. 18.* vbi nullam declarauit Professionem quorundam Eremitarum; ex duplici capite; tùm quia, emiserant Professionem in Religione, non approbata à Sancta Sede; tùm etiam; quia illam fecerunt in manu cuiusdā Matthæi, qui non habebat potestatem admittendi, nec Religioni incorporandi; etenim de intrinseca ratione Religionis prærequiritur, vt Vota solemnizentur sub aliqua Religione determinata, & approbata à Sancta Sede, & manu Prælati, qui possit Religioni incorporare, ex *cap. ad Apostolicam, de Regul.*

2 Quæ duo copulatinè requiruntur; prout idem *Nauar.* cit. *loc. cons. 62.* in 1. editio. *Portell. in dub. Regul. ver. 3. in additio. nu. 3. & in 2. tom. 1. p. cas. 16. nu. 8.* vbi Professio quorundam Tertiariorum declaratur nulla, ob prædicta. Et hoc ex *Decr. Gregorij XIII.* cuius *Decreto* declarantur nullæ quædam Professiones admissæ per quendam Didacum, sine canonica authoritate admittendi, *ibi.*

Cùm autèm Eremitæ ijdem prædictā Professionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint, eademq; Professio nulla, & inualida reddatur; prout meliùs est videre in eius *Bulla*, quam per extensum refert *Rodr. in Collect. priuil. fol. 1017.* ex quibus multa inferuntur, iuxtà doctrinam *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 184. ar. 5. in corp. & 186. ar. 9.* sed vide, quæ infrà dico *qu. 42.*

Pro-

Professio emissa in manu Episcopi, per Fratres Religionum exemptarum, an sit valida? Qu. 21.

1 NEgatiuè, & constat ex immediatè decisis; quandoquidem, Episcopus in casu posito non est Superior Monasterij, nec habet authoritatem Religioni incorporandi, ex quo ferè omnes hodiè Religiones sunt exemptæ, & maximè Mendicantium; quæ stant immediatè sub protectione Romani Pôtificis. Secus autem respectu aliarum sibi subiectarum, *Nauar.* cit. *loc. Rodriq. tom.3.q.17.ar.11.Bonac. de clauf.q.2. pun.11. §.5. diffic.2. nu.4.* & alij, quos Egomet allego in *tract. de Tertiarijs, q.7.&* 11.

Prælatus nominatim suspensus ab admissione Professionis, si quem ad Professionem admittat, an sit Irregularis? Quæst. 22.

1 NEgant *Doctores*, ex quo, admittere ad Professionem non est actus Ordinis, nec Iurisdictionis spiritualis, pertinentis ad Ecclesiæ claues; sed cuiusdã Superioritatis ciuilis dominatiuæ; etenim est duplex dominium; nempè, ciuile sæculare, quo Reges, Principes, & similes, &c. & alterum Ecclesiasticum, quo Papa, & alij Inferiores Prælati, suis dominantur Subditis, &c.

2 Tu autem considera, an Prælatus sit suspensus ab officio, & iurisdictione, *Aula de censuris, disput.2. dub.4.* & *Suar. eod.tit. disput.27. sess.2.nu.3.*

Quia, violans suspensionem, exercendo actus solius iurisdictionis, qui non sunt coniuncti cum actibus Ordinis, non incurrit in irregularitatem; quia hoc non reperitur in iure expressum, *Sylu.verb.suspensio,q.5.*

3 Secus autem, si admittat quempiam ad Professionem in pompa Ecclesiæ, vt benedicendo vestes cum stola, recitando collectas, & alias preces; quia præfata benedictio est exercitium Ordinis Sacri; & consequentèr incidit, *Bonac. de suspens. disput.3. punct.4. num.6.*

Professio excommunicati, an sit valida? Quæst. 23.

1 DIdacus Conar. *p.2. cap.6. de his, quæ matrimonium impediunt, Nauar. comm.4.de Regul.nu.25.& Rodriq.tom.3.q.17. art.14.& 2.p.summ.cap.8.concl.9.nu.15.* aiunt, quòd sic, & est decisio *cap. illorum* 32. *de sent. excomm.* qua susceptio Regularis habitus, facta per excommunicatum, declaratur valida; nec alio indigere, nisi absolutionis beneficio, ibi, *Qui Religionis habitum in Monasterio receperunt,& cap. significasti 6. de eo, qui duxit in matrimonium,* vbi cuiusdam excommunicati matrimonium declaratur validum, ibi, *Legitimum iudices matrimonium prædictum.*

2 Et à matrimonio carnali ad spirituale tenet argumentum, ex *cap. inter corporalia, de translat. Episc.*

3 Benè verum, quòd sic Profitens, venialitèr peccat, ex quo communicario est illi interdicta, etiam si non sit denunciatus, vel publicus Clerici percussor; sufficit enim, quòd in foro conscientiæ sit vere excõmunicatus. Immò, & mortalitèr, si expressè Professioni, de qua loquimur, addantur Preces, ab Ecclesia institutæ; etenim hoc esset communicare in Diuinis, vt post alios aduertit *D. Barthol. à Sancto Fausto lib.5. Thes. q.204.*

Professio admissa, vel acceptata ab excommunicato declarato, vel suspenso, an sit valida? Qu. 24.

1 REspondeo, non valerè, quia acta iurisdictionis facta ab excommunicato publico, & manifesto, sunt irrita; secus autem facta per excommunicatum toleratum, vel occultum, prout constat ex *extrauag. ad euitanda.*

2 Sed admittere quempiam in Religionem, & Professos Religioni incorporare, sunt actus iurisdictionales; quippè qui præsupponunt publicam authoritatem in Ordine; alitèr non posset in vniuersum toti Ordini incorporare.

3 Nec benè dicitur, quòd Religioni incorporare, sit actus, non iurisdictionis, sed potestatis œconomicæ, & dominatiuæ; quia potestas incorporandi Professos delegatur à Dom. Papa, prout constat ex *Constit. Honorij III. incip. Religiosam vitam eligentibus,* qua nostro Patriarchæ Dominico datur facultas recipiendi ad Ordinem.

Ibi, *Liceat quoquè, Clericos, vel Laicos liberos, & absolutos è sæculo fugientes ad conuersionem, recipere, & eos, absq; contradictione aliqua retinere,* vt in *prima Bulla* nostri *Bullar.*

4 Potestas autem Dominatiua, & Oeconomica, vt Viri suprà Vxorem, & Domini in Seruum, non indiget, vt instituatur à Domino Papa.

5 Item, ille Eremita Matthæus, de quo *Nauar. consil.18.de Regul.* & Didacus, de quo *Tortell. in 1.p. cas.16.* super congregatos sibi Subditos habebat potestatem oeconomicã.

6 Nihilominùs, admissiones, & receptiones per eosdem factæ, fuerunt à *Papa Gregorio XIII.* declaratæ nullæ, ex defectu authoritatis in acceptante, ibi, *Cùm autem Eremita ijdem prædictam Professionem in manibus eius,* qui

qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint; eademq; Professio nulla, & inualida reddatur; ergò simplex potestas dominatiua, & oeconomica non sufficit ad incorporandum Religioni, & distinguitur ab illa.

7 Itèm, P. Generalis Ordinis, eadem potestate, qua respicit totum Ordinem, & Cõmunitatem perfectam, recipit ad Ordinem, & vice eius, eadem authoritate Prior Prouincialis, vel Conuentualis cum suo Capitulo incorporat toti Ordini, & non solùm vni priuatæ domui Profitentes in sua Religione.

8 Et ista, ex quo respicit perfectè totam Vniuersitatem Religionis, non potest dici Oeconomica, sed Vniuersalis, prout docet *Couar.* ex multis in *Regula Peccatum, de Regul. iuris, in 6. 2. p. §. 9. nu. 8.* quem sequuntur plures, quos citat *Bonac. de legibus, disput. 1. quæst. 1. pun. 3. nu. 3.* & *Meroll. tom. 3. disput. 7. de multipl. iurisdict.*

9 Quibus additur, quòd potestas dominatiua simplex non habet forum contentiosum; nec potestatiuè, & iuridicè potest cognoscere de delictis eorũ, qui sibi subdũtur.

10 Vndè, Pater non potest punire publicè homicidium sui filij, vel aliorum domesticorum; sed spectat ad Prætorem, publicum iustitiæ Ministrum.

11 At Prælatus, eadem authoritate, qua Professum recipit ad Ordinem, cognoscere habet de crimine Professorum, quos sępiùs torquet, carceribus mancipat, & ad triremes destinat.

12 Itèm adde, quòd solemnitèr recipere Vota, & Iuramenta Iurantium, & Profitentium, sunt effectus iurisdictionis, & potestatis coactiuæ, respicientis Vniuersitatẽ perfectam, qua, & eadem transgressores, & periuri puniuntur, quæ nequeunt verificari de potestate Oeconomica.

13 Et quod dico de excõmunicato denunciato, extende ad suspensum declaratum; quamobrèm, si Prælatus sit suspensus ab authoritate admittẽdi, & Religioni incorporandi, si incorporet, & admittat, admissiones huiusmodi erunt nullæ, ex defectu authoritatis, nàm priuatus facultate recipiendi, nullitèr recipit; sicut Parochus suspensus ab assistendo matrimonio, nullitèr assistit, *Bonac. de clauf. q. 2. pun. 11. diff. 2. §. 5. nu. 7.*

14 Si modò roges, qua de causa Professio facta per excommunicatum declaratum valet; secus autèm admissio, & incorporatio per Prælatum, vt dictum est.

Respondeo, quia ità expressum reperitur in iure, & ratio esse potest; quia Professio respectu Profitentis dicitur contractus onerosus, & odiosus, quo perpetuò se priuat libertate, & ponit hominem super caput suũ, & se obligat ad magna onera; quod non procedit respectu acceptantis; ea autèm omnia, quæ sunt in odium excommunicatorum, per eosdem excommunicatos possunt fieri, & facta tenent.

Excommunicatus profitens, an acquirat ius petendi à Monasterio, victui necessaria? Qu. 25.

1 N*Auar. in comm. 4. de Regul.* cui inhæret *Rodriq. tom. 3. q. 63. de Simonia, ar. 3. & p. 2. summ. cap. 8. nu. 10.* ait, quòd per Professionem Regularem, vel Monachalem duo quæruntur, seù fiunt.

2 Alterum est, mutatio status de Sæculari in Regularem; & hoc non impeditur per simoniam, nec per excommunicationem.

3 Alterum est, ius habendi victum, & vestitum indeterminatũ ex communi, aut per portionem priuilegiatam, seù determinatam Canonicalem, vel Monachalem, quod quilibet Canonicus, vel Monachus rectè receptus habet; & hæc impeditur per simoniam, & excommunicationem; donec subsequatur absolutio, & dispensatio.

4 Et ratio diuersitatis est, quia acquisitio status est quasi acquisitio cuiusdam characteris Ordinis, qui perpetuò durat; ius autèm percipiendi victum, est quoddam beneficium, cuius acquisitio impeditur per simoniam, & excommunicationem; donec absolutio, & dispensatio subsequatur.

5 Quod idem *Nauar.* dixit in *cap. non dicatis, comm. 2. de Regul. nu. 67. in fin. ver. addo decimoquartò*, vbi dicit, quòd *Regularis potest deponi à Canonicatu, vel Monachatu; licèt non deponatur ab Ordine, sicut Sæcularis potest deponi à beneficio, quamuis non deponatur ab Ordine, & sic non tollitur status ille, nec mutatur in Sæcularem; sed solùm tollitur vox in Capitulo, & victus integer.* hæc *ille.*

6 Et confirmatur; quia in beneficijs attẽditur capacitas Clerici, tempore præsentationis, vt post alios *Rota Romana in decis. 69.* sed in illo tempore præsentatus ad beneficium Regulare, erat suspensus, aut excommunicatus, vel irregularis, ergò.

7 Et additur, quòd excommunicatis beneficia conferri non possunt, ex *cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante, Glos. in cap. si fortè, de elect. in 6.* & fuit ità sępè decisum, ex *Aloys. Riec. prax. 1. p. decis. 184. & 185.* in 1. editio. & *in 2. p. prax. resolut. 314.*

8 Et hoc ideò; quia excommunicatus est incapax iurium spiritualium, ex *cap. cùm dilectus, de consuetudine.*

9 Nihilominùs, præsuppositum est falsum, seù minor propositio, qua subsumitur, quòd Professio sit verè, & propriè beneficiũ, ex qua Professione dimanat, vt Profitentes tan-

tanquàm beneficiarij, victum, & alimenta in Religione habeant, tanquã fructus beneficij.

10 Etenim, dicitur beneficium impropriè, & largo vocabulo; quandoquidèm ad beneficium Ecclesiasticum non admittuntur Laici, nec possunt admitti, per vulgata iura; secus autèm ad Professionem, vt manifestum est.

11 Ergò, sicut appellatione beneficiorũ strictè non veniunt dignitates, nec portiones, *Gloss. in cap. 1. de Regul. iur. in 6. & in Clem. Auditor, ver. beneficio, de rescriptis, & in cap. cùm illis, de præbendis, in 6.*

12 Ità, nec Professiones, & sicut fictione iuris Religio dicitur Religiosorum beneficium; ità paritèr, & eorum Professio.

13 Igitur, supradicta iura, quibus cauetur, quòd beneficia non sint conferenda excommunicatis, habẽt locum in veris, & proprijs beneficijs; secus autèm in beneficijs largè dictis; Alitèr, nec Professio excommunicatorum esset valida, prout benè notat *D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 5. Thes. q. 206.*

14 Confirmatur, ex quo Professus per Professionem dedit Religioni se, suaquè omnia, iura, & actiones, irreuocabilitèr; vndè habebit alimenta? Nonnè etiam, & deposito, ac suspenso à beneficio debentur alimenta ex fructibus beneficij? Nè is cogatur mendicare, in opprobium Ordinis Clericorum, *Gloss. & Doctores in cap. Pastoralis, §. verùm, in verbo admiserant, de appellat. & in cap. cùm Vintoniensis, de elect. Abbas in cap. Apostolica, col. 3. de exception.*

15. Qua de causa, hoc totum ad Regulares non debet extendi, qui maiori paupertate, & necessitate premuntur.

16 Nec obijcies, quòd hoc non habeat locum in excommunicatis, quibus ex redditibus beneficij nihil datur. Quia hoc procedit in excommunicatis pertinacibus, & insordescentibus, qui absolutionis beneficium omittunt procurare, *Graff. decis. aur. p. 1. lib. 4. cap. 14. de effect. excomm. nu. 7.* secus autèm in Regularibus, qui quotidiè ferè à censuris absoluuntur, & aliundè non habent victitare.

Professio simoniaca, an valeat? Qu. 26.

1 AFfirmatiua decisio habetur in *cap. quoniàm 40. de Simonia*, ex quo benè colligitur, quòd simoniacè Professus, non potest validè contrahere, nec liberè in sæculum redire; sed debet in carcerem detrudi, vel dispensatiuè ibidem remanere, *Nauar. comm. 4. de Regul. nu. 25. ver. in contrarium,* & *Rodriq. tom. 3. q. 63. ar. 3.* vbi examinat verba *Decretalis* prædictæ, & *à Sancto Fausto dict. lib. 5. quæst. 209.*

2 An autèm liceat, absquè labe simoniæ, aliquid dare, ens contrahendum, non-tionis habitus, vel jum iam factum, prout dosit obseruanda circa Doctores. rundem, latè dixi in tract. qualitas masculina lè in Religione Pro-fessionem præteri-

Professio emissa à Nouitio... seruitia Religionis ... valida? Quæst. 27.

1 ETsi inhabilis Nouitius ... peccet; nihilominùs vali... tetur; dummodò eius inhabilitas sit non manifesta; prout censuit Sacra Congreg. Conc. sub die 26. Iunij 1621. & refert Nouarr. in sua *Lucer. Regul. verb. Professio, nu. 40.* [overlaid fragments: ...io carnali ad... sæpè dixi, & ... *translat.* ... trans- ... po- ... na ... *rtell. ver. Profess.* ... *finem.*]

2 Et extẽditur ad Moniales, & hoc ideò; quia promissio est de essentia Religionis, nõ autèm impletio; vndè inobseruantia præceptorum non præiudicat, & præcipuè si iusta causa excusat ab actuali seruitio, *Sell. in select. Canon. qq. cap. 17. num. 8. Rodriq. tom. 3. quæst. 15. ar. 10. Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 42. in 1. editione, & à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 226.*

Capitulum an possit consentire, vt habens incurabilem infirmitatem, validè profiteatur? Qu. 28.

1 REspondeo negatiuè, per ea multa, quæ dixi in *tract. de potestate Capit. & de elect.* vbi in decisis habes, quòd Capitulum non potest ad electionem admittere incapaces; nisi habeat potestatem dispensandi; tùm quia, Capitulum nihil potest contrà Regulam, nequè contrà Regularia Statuta; & multò minùs contrà ius canonicum, aut naturale Diuinum.

2 Tùm etiam; quia caret potestate consentiendi super personam incapacem, qualis est homo affectus morbo comitiali, vel aliqua incurabili infirmitate.

3 Nec dices, quòd pòtest quis suo iuri cedere; quia hoc procedit de iuribus singularibus, & personalibus; secus autèm cùm agitur de iure tertij, vel tangente communem vtilitatem, prout est id, de quo agitur, *Peyr. tom. 1. de Subdito, q. 1. cap. 25. §. 5.*

Professio per Capitulum admissa, sub conditione, & pacto; an valeat, pacto, & conditione non adimpletis? Qu. 29.

1 REspondeo, non valere, ex defectu consensus, qui sub conditione præstitus, conditione non adimpleta censetur non datus; nec legitimè adhibitus; etenim dispositio conditionalis, non existente conditione, nihil operatur, *cap. si pro te, de rescriptis, in 6. & cap. præterea 2. de appellat.* & præcisè in re graui, & notabili.

2 Dicitur, mentis trepidatio; quia Metus ortum habet ex forti imaginatione periculi futuri, propè imminentis.

3 Dicitur, instantis; quia pericula valdè remota non timentur, nec mentẽ perturbãt.

4 Hic autèm Metus, solemni diuisione diuiditur, in Metum cadentem in Virum constantem, & in Virum inconstantem.

5 Primo modo, Metus solet dici grauis, iustus, ac probabilis; diciturquè cadere in Virum constantem; quia constantiæ, & fortitudini non repugnat; immò stat cum illa, & Vir constans, & fortis, vbi illum concepit, iustè, ac probabilitèr eo terretur.

6 Secundo modo, dicitur leuis, improbabilis, & iniustus, ex quo fortitudini, & constantiæ repugnat; est enim meticulosi hominis, & leuis, immò inbecillis, & inconstantis animi, illum apprehendere, vel timere, prout elegantèr *Sot.* cit. *loc. ar.2. de iustit. lib.7. q.2. ar.1. in respons. ad* 2. vbi cum *D.Thoma* latè examinat, quid interfit inter hominem constantem, & inconstantem, quì timet, vbi timendum non est.

7 Et quomodò homines sint in triplici ordine; etenim aut sunt pertinaces, & temerarij; quippè qui, more Brutorum, nihil mali, boniquè apprehendunt, nec timent.

8 Aut meticulosi, fatui, inconstantes, & leues, vt impij, qui fugiunt, nemine persequente.

9 Medio autèm statu, sunt homines constantes, & fortes; constantia enim, & fortitudo mediat inter pertinaciam, & fatuitatem, seù imbecillitatem, qua homines suffulti, timent, vbi verè timendum est, & non aliàs, nec alio modo.

10 Ad hoc autèm, vt Metus dicatur grauis, & cadens in Virum constantem, multa requiruntur, *Sot. Sylu. cit. loc. Tabiena*, & *Armilla ver. coactio, Io.Bapt.Corrad. 1.p. respons. quæst.* 147. *Ledesma super D.Thom. in addit. 4.p. Lopez 2.p. instruct. Confess. cap.20. Graff. decis. aur. lib.2. de iuram. meticul. cap.5. per totum, & in append. ad decis. aur. lib.3. cap.5. de participan. num.16. & tom.1. de Regul. lib.3. consil.1. Sanchez de matrim. lib.4. disput.1. nu.16. à Sancto Fausto de contractibus in genere, disput.4. qu.39. Bonac. cod. tit. tom.2. disput.3. quæst.1. pun.2. §.33. Meroll. tom.1. disput.1. de volunt. dub.2.* & antè eos *Nauar. in Manual. cap.22. nu.51. & cap.17. nu.5.*

11 Et Primò, vt malum, quod timetur, sit graue, *l. Metum, ff. de eo, qui met. caus.* Secundò, vt æstimatio, seù opinio mali imminentis sit fortis; nẽpè, vt timens, probabilitèr timeat, & aduertat, sibi imminere; non antè vanè, aut leuitèr; prout expressè ex ead. *l.* colligitur, & docet *D.Thom. cit. loc.* Tertiò, vt Metum incutiens, potens sit, minas exequi; nàm timere minas inermis contrà loricatũ, vel senis, ac debilis, contrà Iuuenèm, non est constantis animi, prout ex *l. famosi, ff. ad l. Iul. Maiestat.* ibi, *Nàm, & persona spectanda est, an potuerit facere.* Quartò, vt iste metum incutiens, sit solitus minas exequi; secùs autèm; sunt enim multi verbosi, seù iactantes, hoc, vel illud facere, qui postmodùm, ira deposita, nihil curant, nec ampliùs recordantur; vox, vox, & nihil vltrà, & colligitur expressè ex *l. vnica, C. si quis Imperatori*, ibi, *Ex personis hominum dicta pensemus*, & *l. famosi, ff. ad Iul. Maiest.* ibi, *Nàm, & persona spectanda est, an potuerit facere, & an antè quid fecerit*; & *l. Metum, de his, quæ vi*, ibi, *Metum, non iactationibus tantùm, vel contestationibus; sed atrocitate facti, probari conuenit.* Quintò, vt timens non possit facilè occurrere malis, vt implorando alicuius auxilium, vel consulendo Superiorem, *Angel. ver. Metus, nu.5.* & *Sylu. cit. loc.*

Metus cadens in Virum constantem, ad hoc, vt dicatur talis, debet ità esse absolutè, an verò respectiuè in ordine ad patientem Metum? Qu.5.

1 Sotus *cit. loc. de iustit. ad* 2. docet, quòd Metus cadens in Virum constãtem, debet attendi ex tribus; nempè, ex obiecto, vt malum, quod instat, & menti obijcitur, sit grande ex parte rei, vt mors, exilium, carcer, vel amissio fortunarum.

2 Secundò, ex parte modi, quo Metus incutitur; nàm si inermis fęmina, vel puer tibi mortem comminatur; Metus non erit grauis, nec probabilis.

3 Tertiò, ex parte subiecti patientis Metum; quia Virorum constantia non consistit in indiuisibili; sed suam habet latitudinem; quia nõ oẽs Hercules, nec omnes Sanzones.

4 Vndè, Metus, qui Pueros, vel Senes, aut Fęminas excusat, non exculpabit robustos homines; quia non æqua vtriusquè cõditio.

5 Proindè, si Puella Religionem ingrediatur, Parentum metu; vtpurà; quia asperè, & atrocitèr tractatur; vt in Monasterium se transferat; eius Votum tali consensu emissum non tenet, càusa Metus prædicti; qui etiam si sit minor in fęmina, quàm in homine; adhùc dicitur grauis, cadens in fęminam constantem, & annullat contractum; quia in muliere, tanquàm sexus, & ingenij imbecillioris, minus metus requiritur, quàm in viro, *Glos. in cap. cùm locum, de sponsal. ver. Metus, Couar. 2.p. cap.3. §.4. nu.9. Menoch. de arbitr. lib.2. cent.2. casu* 135. *nu.4. Farinac. 2. par. fragm. ver. Metus, Nauar. in summ. cap.22. num.51.* & refert decisum ex Rota Romana *Ioan. Bapt. Coccinus in nouissimis, decis.352, num.5.* &

Graff.

Graff. ex multis *decis.aur. par.2. lib.2. de iuram. cap.5. nu.3.*

Quanàm sint ista mala, quæ obiectiuè sufficiunt, ad causandum Metum cadentem in Virum constantem? Qu. 6.

1 RESpondeo, quòd Metus Mortis, inter alia retinet primum locum, ad inferendum Metum cadentem in Virum constantem, ex *cap.cùm dilectus, de his, quæ vi, metusuè causa fiunt.*

2 Secundò, Metus atrocium tormentorum, vt longeui carceris, & similium, ex *l.nec timorem, & l.qui in carcerem, eod.tit.*

3 Tertiò, Metus seruitutis; nàm priuatio libertatis, in mortem computatur, ex *d.l.qui in carcerem.*

4 Itèm, Metus stupri in virgine, ex eadē *l.* Itèm Metus amissionis status, vel fortunarum, ex *l.isti, ff.quod metus causa.*

5 Quibus additur Metus amittendi honorem; quia Vito bono grauior est honoris iactura, morte ipsa, *Mascard. de probat. conclus.1053. Sanch.lib.4. de Matrim.disput.5.* Et Metus infamiæ; quia timor infamiæ æquiparatur timori mortis, ex *l.iusta, ff.de manumiss.* de quibus latè *Sylu.ver.Metus, Sot.4.sent. distin.29.q.1.ar.2. Rodriq.1.p.summ.cap.230. conclus.3. Graff. 2.p. decis.aur. lib.2.cap.5. de iuram.nu.3.* & 4. & nupèr latè *Meroll.disp.1. de volunt. cap.3.dub.6.*

Mala incutientia Metum cadentem in Virum constantem, an debeant timeri in propria, vel aliena persona, ad hoc, vt talem Metum incutiant? Qu. 7.

1 ET dico, quòd mala, ad hoc, vt causent metum prædictum, non est necesse, nec requiritur, vt tantùm timeantur in propria persona; sed satis est, si timeantur in persona consanguineorum, vel affinium, prout latè *Sanch.de matrim. lib.4. de consensu coacto, disput.4. per totam.*

2 Vndè, huiusmodi timor grauis poterit esse in patre, ob recensita mala comminata, vel illata filijs, vel filiabus, *D.Thom. 4.sent. distin.29.q.1.ar.2.ad 2. Sylu.ver.metus, qu.1.in fin.* & habetur expressè in *cap.sciant cuncti, de elect.in 6.* ibi, *Vel consanguineos eorum,* & ex *l.isti quidèm 8.in fin.ff.de eo, quod metus causa,* ibi, *Hæc, quæ diximus, ad edictū pertinere, nihil interest, in se quis sit veritus, an in liberis suis; cùm pro affectu, magis in liberis Parentes terreantur.*

3 Itèm, in marito, ob mala, quæ timentur in persona vxoris; quia sunt vna caro, *Gen.2. D.Thom.cit.loc.* & *ibid.Sotus.*

4 Itèm, in ascendentibus, ob mala, quæ timentur in descendentibus, & vice versa.

5 Itèm, in sorore, ob mala, quæ timentur in persona fratris; & hoc ideò; quia Natura, ipsa, amore conciliat consanguineos, & affines, tanquàm vnam carnem, & ex eodem sanguine deriuatos; hinc, mala consanguineorum, existimantur propria, iure naturæ.

6 Quod amplia ad amicos, ob mala, quæ timentur in persona alterius amici, ex quo amicus censetur alter Ego, & docet *Aristot. lib.9. Eth. cap.4.*

7 Benè verum est, quòd ista extensio nō excedit quartum gradum, per ea multa, quæ notat *Sanch.d.disput.nu.11.* & *Farinac. 2.par. fragm.ver.metus, nu.78.*

Metus grauis, non incussus ad extorquendum contractum, an irritet contractum? Quæst. 8.

1 NEgant *Sotus lib.7.de instit.quæst.2. ar.1. in 2.argum. ver.ae verò, cùm metus multiplex sit, & in 4.sent. distin.29.q.1. ar.3.ver.de Voto, Couar. 2.p. cap.3. §.4.nu.16. Anton.Cuccus lib.5.Instit.Canonic.tit.12.nu.118. Ludou.Lopez 2.p.instructorij, de matrim. cap. 40. §.præterea pro huius materia, Sanchez de matrim.lib.4.disp.12.nu.3.à Sancto Faustio de contractibus, disp.4.q.42.ver.3. dico, Bonae.disput.de Voto, quæst.2.pun.3.§.1.nu.7.* & nupèr *Meroll.disput.1.de volunt.cap.3.dub.18.n.212.*

2 Tùm quia, ità colligitur ex *cap.sicut nobis, de Regul.* vbi Votum factum à morbo laborante, mortis timore, dicitur obligare, ex quo timor à morbo incussus, non fuit illatus ad extorquendum contractum Voti; tùm etiam; quia incutiens metum, non intendit tali modo cogere ad ineundum contractum, nec vim passus potest dici, quòd compellatur ad vouendum, vel contrahendum, in casu, de quo agitur; sed ipse elegit tale medium ad euadendum periculū, quod sibi imminet.

3 Proindè, si captus à Turcis vouet, ieiunare, vel dare aliquid alicui Ecclesiæ, vt Deus eum eripiat ab illa seruitute, tenet proculdubio Votum, & secundùm hæc procedit *Decretum Conc.Triden. sess.25. de Regul. cap.19.* quicquid alij dicant.

Professio admissa à Prælato, vel Capitulo per Vim, & Metum cadentem in Virum constantem, an sit nulla? Qu. 9.

1 SVarez *tom.3. de Relig.lib.6.cap.4. nu. 19.* Respondet negatiuè.

2 Tùm quia, talis irritatio, ob metum Capitulo, vel Prælato incussum, nullo iure cauetur; etenim iura annullant consensum Profitentis, si graui metu extorqueatur; non autem

autèm consensum Capituli, vel Prælati acceptantis; etsi huic, vel illi Vis, & Metus inferantur; tùm etiam; quia odia non sunt extendenda, sed limitanda; hæc autèm irritatio, seù nullitas, de qua agitur, est odiosa; ergò debet restringi.

3 *Lessius* autèm *de instit. lib. 2. cap. 41. dub. 7. nu. 61.* veriùs, ac probabiliùs affirmat, talem Professionem, ob Vim, & Metum illatum Capitulo acceptanti, esse nullam; tùm quia, matrimonium est nullum, causa metus, siuè Viro, siuè Feminæ incutiatur; quia pro validitate contractus matrimonialis requiritur consensus mutuus; nempè, sponsi, & spōsæ, & quòd vterquè sit liber, & spontaneus; secus autèm, nullum erit matrimonium; quod procedit in matrimonio spirituali; nàm arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum, ex *cap. inter corporalia, de translat. Episcop.*

4 Tùm etiam; quia ad hoc, vt iustitia seruetur in contractu, debet esse æqualis cōditio vtriusq; partis; non enim iustum foret, vnam partem præ altera grauari.

5 Professio autèm, de qua agimus, est quidam contractus inter Religionem, & Religiosum, vltrò citròquè obligatorius, vt sæpè dictum est.

6 Quippè qui necessariò, ac simplicitèr, petit liberum cōsensum ambarum partium; ergò si ad eius validitatem, ex parte Religiosi Profitentis requiritur consensus omninò liber, & absolutus à metu; ità paritèr requiritur, vt sit ex parte Religionis; secus autèm grauaretur magis vna, quàm altera pars.

7 Confirmatur, quia consensus Religiosi Profitentis, & Religionis acceptantis, ad inuicem se respiciunt; sunt enim correlatiua; ergò, quod dicitur de vno, oportet, vt dicatur de reliquo; quia dispositum in vno correlatiuorum, censetur dispositum in reliquo, argum. *cap. quoniam multos 11. q. 5.*

8 Tùm itèm Tertiò, quia Vis, & Metus de sua natura habent annullare contractum, ex quo de se opponuntur libertati, ergò erit semper talis, vbicunquè reperiatur; quia causa formalis nunquàm cernitur absoluta à suo effectu formali.

9 Et additur, quòd *cap. cum locum, de spons.* generalitèr loquitur de omni consensu coacto, ibi, *Quòd locum non habet consensus, vbi metus, vel coactio intercedit*; & lex, quæ generalitèr loquitur, generalitèr debet intelligi.

10 Nec valet obiectio, q odia non sūt extendenda; quia retrocitati Canones, & Ecclesiastica Statuta non sunt odiosa; sed gratiosa, in fauorem scilicèt, Religionum, & libertatis humanæ.

Professio, ob solum metum reuerentialem emissa, an sint irrita? Qu. 16.

1 HÆC quæstio est intricata, & circa eam diuersificant *Doctores*; nā quidam dicunt, quòd solus, & nudus metus reuerentialis irritat Professionem, & huius opinionis fuit *Glos. in cap. præsens 20. qu. 3. in ver. Patrem*, ibi, *Hìc habes, quòd timor Patris impedit matrimonium spirituale, Nauar. 2. par. cons. lib. 4. de sponsal. consi. 20. nu. 4.* in 1. editio. *& lib. 3. de Regul. cons. 84. nu. 4. & in Manual. Confess. cap. 22. nu. 51. & cap. 17. nu. 5. & 30.* post *Adrianum*, & alios dicit, quòd omnis metus, etiam minor iusto, excusat in foro conscientiæ tantum, quantum iustus, si metus ille fuit causa; saltèm, sine qua non, si absq; illo, actus nō fuisset factus, Et in *1. p. cōs. lib. 1. de renunciatione, cons. 3. nu. 6.* in 1. editio. ait, quòd metus reuerentialis Parentum, excusat à valore Professionis, & Matrimonij; licèt non sit alioquin iustus, vbi notat, quòd ad excusandum cotàm Deo à peccato trāsgressionis legis humanæ, sufficit metus, vel timor, etiam non iustus, si fuit ille causa transgressionis, *Iacob. Graff.* multis citatis, *decis. aure. p. 1. lib. 2. cap. 56. de honor. Parent. n. 18. Rodriq. tom. 3. quæst. 17. ar. 15. & 18.* cum suo *Compend. resolu. 101. nu. 78. Anton. Diana 3. p. Moral. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 92. Portell. ver. Profess. nulla, nu. 12. Matth. de Afflict. decis. 69. nu. 4.* vbi elegantèr tractat de testamento filiæ, quæ Patrem instituit hæredem, & de donatione ab vxore facta Viro, ob nimiam reuerentiam maritalem, & de legatis factis, ob pretium importunitatem, & *Vrsill. ibid. nu. 5. Menoch. de arbit. cent. 2. casu 136. nu. 8. Sayr. de Regul. decis. ... Aloys. Ricc. Collect. 932. in fin. & in 4. p. decis. 247.* & alij plures, quos allegat *Barbosa in Collect. Conc. Trid. cap. 19. sess. 25. de Regul. nu. 4.* & *Nauar. in Lucer. Regul. ver. Profess. nu. 29.*

2 Et colligitur ex *Reg. velle, ff. de Regul. iur.* ibi, *Velle non creditur, qui obsequitur Imperio Patris, vel Domini*, & ex *l. 1. §. qua honoranda, ff. quarum rerum actio non datur*, ibi, *Et hoc causa cognita, si liquidò appareat, libertum, metu solo, vel nimia patroni reuerentia; ità se subijcisse*, & ex *l. pœnult. ff. de furtis*, vbi dicitur, tacentem, viso furto, ob nimiam reuerentiam, non videri consentire.

3 Immò, ex *d. cap. præsens*, vbi *Nicolaus Papa* nullam declarat Professionem cuiusdā, qui habitum susceperat ex metu, & reuerentia Patris, ibi, *Vsquè dùm Diuina inspiratione cōpunctus, propria voluntate Regulæ se subdat.*

4 Ac etiam ex Declarat. Sac. Congreg. Concil. quæ ob solum metum reuerentialem declarauit, nullam esse Professionem cuiusdam Feminæ, & refert ex *Farinac. Hier. Rodr. in d.*

in d.resolut.101.& Nauar.& Portell.cit.loc.

5 Alij verò, & longè veriùs tenēt,solum metum reuerentialem non sufficere ad irritandum cōtractum; nisi illi adiungantur minæ, aut verbera, vel aliæ circumstantiæ, ob quas dicatur cadere in Virum constantem; ità *Bartol.in tract.de Tyran.& in l.ad inuidiam, C.quod metus causa*,vbi dicit,quòd sola reuerentia mariti, non causat iustum metum in vxore; nisi minæ præcesserint, aut verbera, *Innoc.in cap.causam matrimonij, de off.Delegati*,*Abbas cap.1.de sponsal.impuber.nu.4.Couar. 2.p.cap.3.§.6.nu.7.* vbi reiecta opinione de solo metu reuerētiali,dicit,quòd causa nullitatis illius Professionis recensitæ in *d.cap. præsens*, non fuit solus Metus,sed Metus grauis, & iustus cadens in Virum constantem, *Gram. decis.103.nu.49. Capyc.decis.159.nu.34. Ioan.Vinc.Anna allegat.114. Sanchez de matrim. lib.4.de consensu coacto,disput.7. nu.7. & disput.9.nu.11.* vbi supponit ex multis,quòd Metus reuerentiæ, absq; minis, vel alijs circumstantijs aggrauantibus,non dicitur grauis,nec cadēs in Virum constantem, nec sufficiens,vt forus externus concedat rescissionem contractus, & alij plures *Doctores* grauissimi,tàm *Iuristæ*, quàm *Canonistæ*,quos citat, & sequitur *Paul.Layman. moral. lib.4. tract.5.de statu Relig.cap.5.nu.6.Meroll.tom.1. disput.1.cap.3.de volunt.dub.11. à nu.65.* vsq; *in finem*, & *Bonac. tom.1. de matrim. quæst.3. pun.8. num.6.*

6 Et est decisio Rotæ Romanæ,quam refert *Nauar.2.p.consil.d.lib.4. de sponsal.nu.6.* vbi idem declarat, se loqui, non de solo, & nudo Metu reuerentiali; sed quatènus inducit Metum,& facit Filium,vel Subditum de nolente volentem.

7 Vltrà aliam decisionem, quam refert *Farinac.tom.2.decis.579.*qua fuit dictum,Professionem, ob solum Metum reuerentialem non esse irritam.

8 Et habetur expresè in *cap. final. qui Clerici, vel Vouentes*, vbi Votum emissum, præcepto Regio,vel Parentum,non esse nullum;ergò Metus reuerentialis, solitariè acceptus,non est cadens in Virum constantem; secus autèm, Dom. Papa in *d.cap.* irritasset Votum prædictum, ex quo Metus cadens in Virum cōstantem, annullat votum,& in *cap. Puellæ 20. q.1.* adiuncta *Glos.* vbi ponderans illa verba, *non coactæ Parentum imperio*, subinngit, quòd *Gratianus* à contrario sensu subinfert, quòd si fuissent coactæ à Parentibus, habitum suscipere, potuissent illum deserere, & ad secunda Vota transire.

9 Ergò, coactione exclusa restat firma Professio earum,etsi imperio Patris,habitum suscepissent; etenim duo attendit *textus*,seù *Leo Papa*, & quòd illæ Puellæ sunt ingressæ imperio Patris, & quòd non fuerunt coactæ, ly,*Imperio*, refertur ad Metum reuerētialem; ly, *Coactæ*, ad Metum grauem, qui de se est potens irritare contractum; ergò excluso Metu graui,Parentum reuerentia non nocet.

10 Sed quid,si is, cui debetur reuerentia,sit crudelis, & solitus sæuire, vbi suæ non obtemperatur voluntati; vel timeatur de enormi læsione bonorum? vide *Sanch.*& *Meroll.* qui ambo latè disputant ad partes in præcit. *loc.*

11 Ex quibus colliges,quòd metus reuerentialis, tàm in Viro, quàm in Fęmina, ad hoc, vt irritet contractus, debet esse grauis cadens in Virum, vel in Fęminam constantem; secus autèm, si sit leuis,vt dixi suprà, & recordare, quòd aliud est, loqui in foro conscientiæ, & aliud,in foro externo,de quo in præsentiarum disceptamus.

Metus reuerentialis, in quibus Personis locum habeat? Qu.11.

1 Respondeo, habere locum in omni persona, quæ, aliquo iure subiectionis,alteri subijcitur; vt in Clerico respectu Episcopi,in Seruo respectu Domini, in Sæculari respectu Magistratus, in Vxore respectu Mariti, in Filio respectu Patris, & similibus.

2 Et hoc ideò; quia hi Superiores præsunt,& alij ipsis subiecti sunt,qui,duce natura, quandam reuerentiam, & obsequium debent, quæ reuerentia naturalitèr incutit timorem, & pudorem, vt minus audeant illorum voluntati contradicere.

3 Quod amplia, ad Socerum,ex quo, se habet,vt Pater,vt in *l.quia Parentes 17. ff.solut.matrim.* & docet *Iason in l.transactionem, nu.2.C.de transaction.*

4 Itèm,ad Auum, qui, vt pater colitur, *Nauar.de conuers.coniug.cons.3.nu.2.* in 2.edit.

5 Itèm,ad omnes ascendentes, qui tanquàm Patres habentur,& coluntur;quod paritèr procedit respectu Tutoris, & Curatoris,qui se habent,loco Domini,vel Parentis, *Nauar. cons.10. de his, quæ vi*, & *Sanch.* post multos *lib.4.de matrim. disput.6. nu.27.*

6 An autèm procedat in Filio, respectu Matris? Negat *Regens Rouitus cons.13.nu.4. & sequen.vol.2.*ex quo fęminæ minus timentur,cùm minus audaces sint,& imbecilliores, ex *l.quisquis,ver.ad filios,C.ad l.Iul.Maiest.*

7 Hinc,& ex alijs infrà dicendis, in Curia Archiepiscopali Neapolitana fuit decisum contra quandam Puellam Professam, quæ instabat, suam Professionem declarari nullam,ex eo,quòd illam emiserat compulsa ex vi Metus reuerentialis materni, & refert *Aloys. Ricc.in 4.p. decis.247.*

8 Tùm quia, nullus Metus Matris potest esse in consideratione; nam Pater, & non Mater habet filiam in potestate, & ad ipsum, & non ad Matrem spectat, illam offerre Monasterio, *Gloss. in cap. addidistis, ver. Mater, & ibi Archid. 20. q. 1.* & alij multi.

9 Tùm etiam; quia Metus Parentum nō est sufficiens ad rescindendam Professionem; nisi præcedant minæ, aut verbera, ex *cap. final. qui Clerici, vel Vouen.* & ibi *Gloss. ver. Metu Regio*, & est communis opinio *Doctorum.*

5 Id ipsum *Portell. ver. Professio nulla ex iure naturali, siuè ex natura contractus, nu. 12. ver. pro quo nota* refert, fuisse à Sac. Congreg. decisum, in causa cuiusdam Monialis allegantis nullitatem suæ Professionis, ex eo, quod illam emisisset, metu reuerentiali Amitæ suæ Monialis; tùm etiam, quia Professio Religiosa potest annullari per timorem reuerentialem Patris, seù Parentum; si sit talis, qualis desideratur; secus autèm per timorem reuerentialem aliorum consanguineorum, prout docet *Gloss. in cap. præsens 20. qu. 3.* & *Nauar. lib. 1. de renunciatione, cons. 3. nu. 6. & lib. 4. de sponsal. cons. 26. nu. 4. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 15.* quamuis sibi non conflet in *ar. 18.* vbi determinat, non valere Professionem factam à Puella educata in Monasterio, ob timorem reuerentialem Abbatissæ.

6 Tùm quia, dùm filij, & filiæ non stant in potestate aliorum consanguineorum, non habent quid mali possint timere.

7 Hinc, non habet locum Metus reuerētialis in Sorore, & Fratre minori, respectu Fratris maioris natu; nisi fortè habitent insimul, & ab illo gubernentur, & nutriantur.

8 Igitur radix metus reuerentialis nascitur ex simultanea cohabitatione, & ex perceptione alimentorum, prout notat *Capyc. decis. 159. nu. 35. Lanar. cons. 43. nu. 30. Anna Pater singul. 339.* & *Anna Filius cons. 73. nu. 15. vol. 1.* & alij plures, quos sequitur *Sanch.* cit. *loc. nu. 28.*

9 Vndè, Filius emancipatus, si viuat seorsum à Patre, vel Filia, aut Soror minor, non poterunt irritare contractus ex causa Metus reuerentialis; quod extende ad auunculos, & amitas; dùm seorsum viuunt, & sui iuris effecti sunt, & nō habent quid timeant, *Crauet. cons. 49.* & alij infiniti, quos sequitur *Meroll. d. cap. 3. de voluntario, disput. 1. dub. 13. nu. 93. & sequen.* quod est valdè notandum pro quotidianis occurrentijs.

Professio facta ex dolo, vel ex falsa causa finali, an sit valida? Qu. 12.

1 ET quidèm valere, docet *Syluest. in summ. ver. diuortium, q. 22. Armill. eod. ver. nu. 16. Nauar. lib. 3. de conuer. coniug. cons. 3. nu. 4.* in 1. editio. vbi agit de eo, qui abijt in Regionem lōginquam, in qua sacro testamento finxit se mortuum; vnde sua Cōiux intrauit Monasterium, in quo solemnitèr Professa est, credens, suum Virum esse mortuum, quod nullatènus fecisset, nisi id credidisset, *Turrecremata in Decretis, in cap. consuluit 20. q. 3. in fin. Sanchez* latè, multis citatis *de matrim. lib. 10. disput. 9. de diuortio, q. 2. num. 20.* & nupèr *Meroll. disput. 1. de volunt. cap. 3. Coroll. 7. nu. 807.*

2 Et est decisio *d. cap. Consult. 20. quast. 3.* adiuncta *Gloss.* vbi ex *Concilio Magotiensi* deciditur, Professionem, dolo Monachorum factam, esse validam, & in doli pœnam priuandos esse successione hereditatis illius Professi.

3 Et *cap. ex parte, el 2. de conuer. coniugat.* ibi, *Quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est introducta*; etenim *ibi* deciditur, Professionem mulieris, quæ falsò existimans, se posse à Viro leproso recedere; ingressa est Monasterium, validam fuisse, non obstante eius errore, & falsa causa, & *cap. magnæ, de voto,* iuncta *Gloss. in ver. vt veniret,* deciditur, Votum Peregrinationis Hierosolymitanæ, validum fuisse; licèt causa cessauerit.

4 Quod habet locum, nedùm in causa impulsiua, seù motiua voluntatis, prout *Panorm. in d. cap ex parte, & Suar. tom. 2. de Relig. tract. de Voto, lib. 1. cap. 11.*

5 Verùm etiam, & in causa finali; etsi error esset inuincibilis quantumuis, dummodò substantialia non lædat, *Sanchez* cit. *loc. nu. 20.* & *Meroll. nu. 815.*

6 Quia sicut dolus, & error, qualisquè sit, non irritat matrimonium; nisi error fiat circa substantialia; vtpotè circa personam, vel consensum.

7 Ità paritèr, nec Professionem; est enim Professio spirituale matrimonium, & à matrimonio carnali ad spirituale tenet argutum; vndè æquiparantur in *cap. quomdm frequentèr, §. porrò, vt lite non contestat.* Et hoc ideò; quia licèt dolus, vel error sit quantumuis inuincibilis, ac cadens in Virum constantissimum; adhùc non tollit libertatem, nec liberum lædit arbitrium; nisi foret circa substantialia Professionis.

8 Hinc, minimè poterit Professionis inualidate contractū, secus autèm Metus grauis cadens in Virum constantem, ex quo tollit perfectam libertatem, vt suprà dixi.

9 Nec obijcies ex *l. & elegantèr, ff. de dolo,* vbi irritantur, ipso iure contractus omnes bonæ fidei, ex errore, siuè dolo dante causam contractui celebrato; quando alter contrahens est doli particeps.

10 Tùm quia, ciuilis, & laica potestas non potest comprehendere Professionem Reli-

Religionis, quæ tota est Ecclesiastica; tùm etiam; quia licèt dolus dederit causam contractui, non ideò Professus dicetur in eo deceptus; quia se Christo per Professionem coniunxit; nàm quomodò is potest dici deceptus, cuius conditio melior effecta est? Tùm etiam; quia non reperitur ius canonicum, quod his contradicat.

11 Proindè, falsa causa non impedit Monachatum, & in spiritualibus, dolus aduersarij non vitiat contractum, Eminent. Cardin. *Turrecremata in fin. d. cap. constituit, ibiq. Glos. ver. cogatur*, & in *dict. cap. ex parte, verb. falsa causa*.

12 Nec dices, quòd cessante causa finali, cessat dispositio cuiuscunquè contractus; quia hæc obiectio laborat eodem prædicto morbo; quia aliud est, loqui de contractibus ciuilibus, & aliud, de spiritualibus.

13 Itèm, vnica est causa finalis Professionis; nempè, Dei cultus, hoc est, Deo perpetuò seruire, hoc, vel illo modo. Ceteræ autē causæ sūt potiùs impulsiuæ, quàm finales, quæ moralitèr mouent, & alliciunt, q itèm facit causa finalis; etenim mouet tantùm in esse obiectiuo, seu quatènus stat sub apprehensione, & veluti obiectum, sic mouēs antecedit actū liberum, qui à voluntate eligitur, absq; vlla læsione libertatis; Ergò error causæ finalis, non erit error, nec defectus in substantia; dùm voluntas sic mota, liberè omninò eligit, & consentit, vt suprà dixi.

14 Nec replices, quòd Professio, seu Votum solemne Religionis, non minus liberum consensum desiderat, quàm Votum simplex, & quòd Votum simplex, ex errore causæ finalis, irritum redditur, ex defectu liberi consensus; etenim nihil est magis contrarium consensui, quàm error, *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. Iudic.* indequè inferas, quòd sic erit Religionis Professio.

15 Nàm paritas non currit; quia Votum simplex comparatur sponsalibus; est enim simplex promissio, quæ, etsi debeat esse libera; nihilominùs simplicitèr pendet à voluntate promittentis, quæ quidèm virtualitèr est conditionalis; hoc est, si causa, ob quam, inducitur ad promittendum, subsistat; qua variata fit error in substantia, seu in conditione, sine qua non.

16 Professio autèm comparatur matrimonio, quod consistit in mutua traditione Personarum, quarum altera alteri coniugi traditur; ità, & Profitentis Persona traditur Religioni.

17 Vndè, contractus matrimonij, & Religionis correspōdent contractibus emptionis, venditionis, & permutationis, quibus res, & pretium commutantur.

18 His autèm non nocet error causæ finalis; sed error materiæ; nempè, rei, vel pretij, vt si pro tritico consignentur fabæ, vel pro auro, in pretium, detur auricalcum. Sic, & contractui matrimonij nullus error nocet; etiam si sit causæ finalis, nisi sit circa materiam matrimonij, vt sunt personæ, & consensus; loquimur de matrimonio, prout se habet ex parte rei, in esse naturæ, abstrahendo ab omni alio.

19 Hinc, solus error circa Personas, annullat matrimonium; vt potè, si N. putans contrahere cum Berta, contrahat cum Lucretia, matrimonium erit irritum; quia est error in substantia, vt omnes docent.

20 Ità à pari, si quis putans profiteri in Religione D. Dominici, profiteatur in Religione D. Francisci, quod itèm procedit, quotiès deceptio erit notabilis circa Institutum, & substantialia Regulæ, quæ ille profitetur, prout latè *Sanch.* & *Meroll. cit. loc.*

Professio fictè emissa, vtputà, oretènus facta, sed non corde, an sit valida? Q. 13.

1 Negatiuè, quòad forum poli, ex defectu legitimi consensus, qui est omninò necessarius ad substantiam contractus, vt dictum extat, & est decisio *cap. perlatum 1. de ijs, quæ vi, metusuè causa, & cap. ad id, de spons.* & docet *Cardin. Turrecremata in cap. quod interrogasti 28. distin. num. 1. Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 33.* in *1. ed.* [illegible] *cons. 28. eod. tit. nu. 2. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 37. nu. 60.* & alij plures, quos sequitur *Barbosa in d. cap. perlatum, nu. 2.* Quia quòad Deum attenditur animus, non autèm opus externum; ipse enim intuetur cor, & quæ intus sunt, non quæ extrinsecùs nota hominibus.

2 Secus autèm quòad forum contentiosum, & est decisio *d. cap. quod interrogasti 27. distin.* ibi, *Pœnitentiam agat de illusione nefanda, & reuertatur ad id, quod spopondit*, & *cap. Viduas velare 27. q. 1.* ibi, *Velit, nolit, Sanctimonię habitum vlteriùs habere debet*; quibus in *locis*, Viduæ solemnitèr professæ, coactæ sunt redire, non admissa earum excusatione, qua dicebant, quòd fictè essent Professæ; & colligitur ex *auth. Sanctissimi Episcopi, §. si verò Constantinopolitano, & §. fin. si verò Monasterium ad hoc, vt in authen. quomodò Episcopos, §. semel.*

3 Vndè, quotiès quis suscipit habitum secundùm formam canonicam, & promittit seruare, & viuere secundùm illam, licèt fictè susceperit, non poterit eum ampliùs deponere; aliàs fieret Religioni grande præiudicium; hinc, instè cogitur in illo perseuerare, secus turbaretur Regula Ecclesiastica, argum. *cap. per Laicos 16. q. 7.*

4 Et sicut in matrimonio carnali, Eccle-

sia iudicat secundùm actus exteriores, & nō secundùm actus interiores, qui sibi non possunt innotescere sitâ in matrimonio spirituali. Ecclesia non iudicat de occultis; sed per externa præsumit interna; nàm interna per externa declarantur.

5 Proindè, quantumcumq; quis non intendat contrahere matrimonium, si tamèn exprimat verba contractus matrimonij, si coniuges aliundè sint habiles ad contrahendum, Ecclesia iudicat, illud esse verè matrimonium, & coget, illum cum illa habitare, etsi ficté dicat, contraxisse, vel ore, & non corde protulisse illa verba, quæ exprimunt consensum contractus matrimonij.

6 Itá, & in Professione, quantumcunquè quis non intendat se obligare ad Vota Religionis; ex quo tamèn spontè profitetur, & non protestatur aliquod in contrarium, Ecclesia coget illum seruare Professionē; quia præsumit, solemnirèr vouisse, & animum habuisse profitendi, iuxtà dispositionem *d. cap. quod interrogasti, & cap. Viduas.*

7 Vndè, sicut excommunicat eum, qui est tacitè Professus, ad hoc, vt remaneat in Claustro; itá, & hunc excommunicat, vt seruet, quod per Professionem promisit; prout benè declaratur in *Constit. Ordin. Prædic. distin. 1. de Profess. cap. 15. litt. C. fol. 62. nu. 3.*

8 Benè verum est; quòd is fictè Professus, si voluerit è Religione recedere, & dicere de nullitate Professionis, ob defectum intentionis, & consensus non præstiti. Hoc debet per idoneos testes probare, quod est difficillimæ probationis; tùm quia, negatiua, de sua natura est improbabilis; tùm etiam; quia quæ pendent ex animo, Deus tantùm nouit; tantò minus, quantò præcessisset protestatio, vel adesset vehementissima præsumptio; nec standum est eius iuramento, prout latè *Turrecremata cit. loc. & Glos. in d. cap. quod interrogasti, ver. finxit.*

9 Si autèm voluerit cum bona conscientia in Religione permanere, satis erit, quòd secretò, & in animo suo denuò consentiat; nec requiritur nouus consensus ex parte Cōuentus, si in primæuo permanserit; sicut patet in matrimonio fictè contracto, quòd ad hoc, vt validum sit omninò, sufficit, vt superueniat nouus consensus eius, qui simulatè contraxit, manente in virtute priori consensu, prout lepidè *D. Thom. 4. senten. distin. 29. q. vnica, ar. 3. quæst. 2. ad 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. in medio, Viguerius lib. instit. cap. 16. ver. 6. Turrecremata 31. q. 2. Syl. ver. matrim. 8. q. 11. dic. 4.* & alij plures nostræ Familiæ, quos sequitur *Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 32. nu. 8. quæst. 3.*

Si fictè Professus non poterit suæ Professionis nullitatem probare, & recuset ratificare, an possit fugere, remoto scandalo? Qu. 14.

1 D*iuus Thomas* cit. *loc. Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 39. nu. 11.* & *Meroll. tom. 2. disp. 4. de lege Ecclesiast. cap. 14. dub. 8. diffic. 10. nu. 79.* Affirmant; quia coràm Domino non est verè Professus, & ob id, remoto scandalo, & occasione sibi præstita poterit fugere, nec sic fugiens, in foro conscientiæ erit obnoxius Apostatarum pœnis, vide infrà *quæst. 41.*

Professio facta cum mala intentione; nempè, vt fornicetur, vel furetur, an valeat? Quæst. 15.

1 A*Ffirmat Glos. in cap. quod interrogasti, distin. 27.* & *Nauar. consil. 28. de Regul. nu. 2. & 3.* dummodò, Profitens intendat esse Religiosus; secus autèm; quia sicut vtile per inutile non vitiatur; itá, nec principale per suum accessorium.

2 Ficta autèm, & non sincera intentio est subsequens in casu nostro, ad Religiosum esse; quandoquidèm sola obligatio, non autèm impletio Votorum est de essentia Religionis, prout elegantèr declaratur in nostris *Constit. cap. 15. de Professis, fol. 62. col. 2. in med.*

3 Proindè, si quis fiat Religiosus, ea intentione, vt quàm primum fit Abbas, vel Episcopus, valet eius Professio; vel si voueat aliquam Religionem, sine animo seruandi Regulam, obligatur ad eam seruandam, *Nauar. cit. loc. & in Manual. cap. 12. nu. 50.*

4 Idem procedit in eo, qui se obligat per Professionem ad Vota Religionis; licèt non intendat soluere, quod promisit; quia sola obligatio, non autèm impletio Votorū est de essentia Religionis, vt dictum est.

5 Secus autèm dixi, si desit animus se obligandi Religioni; quia sine consensu, & animo non potest Professio coràm Deo salua consistere, ex *cap. tua, de sponsal.* & docet *Nauar. vbi suprà, in fin. nu. 3.*

Professus fictè, si post quinquennium dubitet, an huic suæ Professioni, de nouo consenserit, vtrum possit Religionem relinquere? Qu. 16.

1 S*Vppono ex decisis, quòd fictè Professus, si renuat consentire, potest è Religione aufugere, & habitum deponere, remoto tamèn scandalo.

2 Nunc autèm vltrà progredior, quid sit dicen-

dicendum, si sic Professus, elapso quinquennio non recordetur consensisse, an possit in sæculum redire? Affirmant quidam, & probabiliter, eò, quòd dubitans, an Votum, vel iuramentum emiserit, si præmissa diligentia, nequeat dubium vincere, non tenebitur Voto, vel Iuramento; ex quo nulla est possessio pro Voto, & Iuramento; sed tota pro libertate Vouentis, *Sot. de Iustit. lib. 7. quæst. 3. ar. 2. documt. 2. ver. sed est hic, Medin. lib. 1. summ. cap. 14. §. 7. Suar. tom. 5. de censur. disput. 40. sect. 5. num. 15.* & multis citatis *Aloys. Ricc. par. 1. decis. 4. in fin.*

3 Proindè, si quis est certus, quòd promiserit, se aliquid facturum, per verba, quæ possunt habere sensum ambiguum, an sint iuratoria, nec nè? & dubius sit de intentione, & significatione, in qua illa dicere voluit; iudicandum est pro libertate promittentis, *Caietan. 2, 2. q. 89. ar. 7.* & *Couar. cap. quamuis pactum 1. p. §. 2. nu. 2. in fin.* & *Suar. tom. 2. de Relig. tract. de iuram. lib. 2. cap. 33. nu. 3.* Ità à pari dicendum, stante conscientia dubia fictè Professi.

4 Nihilominùs, quòd nō possit, elapso quinquennio, Religionē deserere, verius est; quia in dubio melior est conditio possidentis; in casu autē, de quo agitur, possessio stat pro Religione, seù Professione; nàm pro eo stat possessio, pro quo stat iuris præsūptio; vndè, quādo nō constat de veritate, standum est præsumptioni iuris, *Sot. lib. 7. de Iust. q. 3. ar. 2. ver. hic verò,* & latè *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 83.*

5 Et hoc ideò; quia præsumptio iuris habetur pro veritate; donec oppositum probetur; prout ex multis colligit *Simancas de Cathol. instit. tit. 50. num. 6.* & *Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 4. nu. 3.*

6 Verùm, in hoc casu, ius præsumit, eum ratificasse Professionem, & hinc denegat audientiam Professis, qui, transacto quinquennio volunt reclamare, allegantes, Professionem esse nullam, vt patet ex *Triden. cap. 19. sess. 25. de Regular.*

7 Et additur, quòd hæc præsumptio est iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium, ex *l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. funer.* ibi, *Summa est ratio, quæ pro Religione facit,* & docet *Nauar. de Regul. cons. 13. nu. 10.* in 2 editio. & *Meroll. tom. 2. disput. 3. cap. 3. de conscientia dubia 20. Coroll. nu. 281.* secus autèm, si huiusmodi Professus incipiat dubitare de ratificatione Professionis, antè quinquennium elapsum; quia prædicta ratio in præsumptione fundata, antè quinquennium non militat.

Professio in foro poli nulla, ob carentiam libertatis Profitentis, an ex constitutione Ecclesiæ possit fieri valida in eodem foro? Qu. 17.

Dixi in *tract. 12. de reclam. qu. 27.* vide *ibi.*

Professio facta, sub pacto, vel conditione illicita, an sit nulla? Quæst. 18.

1 Celebris est quæstio, circa quam variant *Doctores, Syluest. summ. ver. Relig. quæst. 7. & 8. Nauar. comm. 2. de Regul. nu. 14. & lib. 3. eod. tit. cons. 20. nu. 2. Couar. tom. 1. par. 1. cap. 3. §. 1. nu. 18. Marc. Ant. Genuens. in practic. Eccles. q. 266.* vbi hinc indè disputat, *Aloys. Ricc. par. 4. decis. 340. nu. 11. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 25. ar. 9. & quæst. 28. art. 2. Rodriq. tom. 3. quæst. 17. art. 6. Ioan. Cruc. lib. 2. de statu Relig. cap. 3. dub. 2. D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 8. q. 20. & 21.* & alij plures, quos sequitur *Barbosa in cap. insinuante, qui Cler. vel Vouentes, nu. 2.*

2 Tu autèm cum distinctione resolue; aut conditio, sub qua fit Religionis Professio, est contraria substantiæ Religionis, quæ coalescit ex tribus Votis substantialibus; nēpè, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis.

3 Aut non; si primo modo; certum est, quòd Professio erit nulla; secus autèm, prout expressè docet *Glos. in cap. Monachi, de stat. Monach. ver. administratione,* vbi respondet ad obiecta, & in *cap. vltimo, de condit. appositis,* vbi dicitur, quòd si aliqua apponatur conditio in matrimonio, contrà essentiam matrimonij, vtiquè erit nullum omninò. Ità à pari, si in Professione aliquid apponatur, quod sit contra substantiam Religionis, Professio erit nulla, & à matrimonio carnali ad spirituale tenet argumentum, *cap. inter corporalia, de translat. Episc.*

4 Nec mirùm, quia omne contrarium destruit suum contrarium, vt ex *cap. solet 33. quæst. 2. & cap. detrahe 1. q. 1.* colligitur, quòd sine substantia nihil potest subsistere, *cap. tua, de sponsal.* & latè *Sanchez de matrim. lib. 7. de consensu conditionato, disp. 9. ad 4. & disput. 25. nu. 21. & in Decal. lib. 5. cap. 4. nu. 99.*

5 Et sicut Deus non acceptat conditionem illam; ità, nec acceptat Promissionem, seù Professionem, *Couar. cit. loc.* & *Bonac. de clausur. q. 11. pun. 10. diff. 2. §. 2. nu. 4.*

6 Proindè, si Professio, ea conditione fiat, de habendo proprium, & de retinendo suarum rerum dominium; erit omninò nulla; etenim hæc conditio pugnat cum Religiosa Paupertate; quandoquidèm, non habere proprium, est adeò essentiale, & intrinsecum

statui

ſtatui Monachorum, vt nec Romanus Pontifex poſſit ſuper hoc diſpenſare, prout expreſsè habetur in *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, & docet *Gloſ. in cap. ſolet*, vbi ex multis oſtendit, quòd deficiente aliqua conditione eſſentiali alicuius rei, actus eſt nullus.

7 Quibus adde nouum ius *Conc. Tridcn. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regul.* quo prohibetur, omninò aliquid poſſidere, etiam ad vſumfructum, & Sac. Congreg. declarauit, *Quaranta in ſumm. Bull. ver. caſus reſeruati*.

8 Idèm dic de eo, qui eo pacto, obedientiam promiſit, vt ad ſui libitum poſſit viuere, vel quòd ſemper debeat præeſſe, & nullibi ſubeſſe.

9 Itèm, qui Caſtitatem profitetur, ea adiecta conditione, vt ſibi liceat vti carnali copula; hæ namquè conditiones, & Vota Religionis, ſe ſe euertunt; quia duo contraria, vni, & eidem ſubiecto inſimul nequeunt inhærere.

10 Secus autèm, ſi quis profiteretur, ſub conditione manendi in propria domo, vel colligendi fructus, hìnc indè dependentèr à Superiorũ voluntate; quia hæc conditio non eſt contraria eſſentiæ, nec aduerſatur ſubſtãtiæ Religioſæ Profeſſionis, prout latè *Nauar. in d. conſ. 20. nu. 2.* & eſt deciſio *cap. 2. de ſtat. Monac.* vbi permittitur peculium, de Prioris licentia, *cap. de Viduis 27. q. 2.* quo dicitur, & Viduas, & Virgines poſſe fieri Regulares, & manere in domibus ſuis, ſupple, de licentia Superiorum.

11 Quod extende ad eum, qui Profeſſionem emiſit, ſalua facultate teſtandi de patrimonio ſuo, prout cenſuit Sac. Congreg. Conc. ſub anno 1613. die verò 14. Decembris, & refert *Nouar.* in ſua *Lucerna. Regul. ver. Profeſſ. nu. 20.*

12 Et hoc ideò, quia Religioſus Profeſſus per vſum incertum, ſeù reuocabilem, & dependentiam à voluntate ſui Superioris, non fit proprietarius; ſed obedientiarius, & Regularis, vbicunquè eſt de licentia Prælati, cenſetur eſſe in Monaſterio; prout, poſt priſcos *Sanch.* & *Barboſa* in præcitatis *loc.*

13 Itèm, amplia ad eum, qui Profeſſionem emittit, animo dominandi, vel ociandi, aut diſcurrendi; hæ namquè cauſæ intrinſeeè non lædunt, nec vitiant ſubſtantiam Profeſſionis, *Marcus Anton. Genuenſ. in practicabilibus Eccleſ. quaſt. 266.*

Profeſſio facta, ſub conditione de futuro, an ſit valida? Qu. 19.

1 NEgat *Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 8. nu. 88.* & alij, quos ſequitur *Bonac. de matrim. qu. 2. pun. 9. & de contractibus diſput. 39. pun. 4. q. 1. & de Voto, in tractatu de leg. diſp. 4. quæ. pun. 2. nu. 2. & de clauſur. qu. 2. pun. 10. diff. 2. §. 1. nu. 4.*

2 Tùm quia, conſenſus neceſſarius ad Profeſſionem, debet eſſe abſolutus, non autèm conditionatus, prout eſt ille, qui pendet à futura conditione; tùm etiam; quia actus agentium, non operantur vltrà intentionem eorum.

3 Sed intentio, ſic Profitentis, eſt obligare ſe ſolùm dependentèr ab illa conditione. Igitur, vſquè dùm non fuerit adimpleta conditio, non intendit ſe obligare; ſecus autèm conditione adimpleta; quia tunc tranſit in conſenſum abſolutum, ſi interim non fuerit mutata voluntas. Nàm, ſi fuerit mutata, anteà quàm purificetur conditio, nulla, re vera remanet obligatio.

Profeſſio facta in aliqua Religione, non approbata à Dom. Papa, vel admiſſa ab eo, qui authoritatem non habet, an ſit valida? Qu. 20.

1 NEgatiuè, per ea multa, quæ latè dico in *tract. de Tertiarijs vtriuſquè ſexus, q. 7. & 11.* & docet *Nauar. de Regul. conſ. 18.* vbi nullam declarauit Profeſſionem quorundam Eremitarum; ex duplici capite; tùm quia, emiſerant Profeſſionem in Religione, non approbata à Sancta Sede; tùm etiam; quia illam fecerunt in manu cuiusdã Matthæi, qui non habebat poteſtatem admittendi, nec Religioni incorporandi; etenim de intrinſeca ratione Religionis prærequiritur, vt Vota ſolemnizentur ſub aliqua Religione determinata, & approbata à Sancta Sede, & manu Prælati, qui poſſit Religioni incorporare, ex *cap. ad Apoſtolicam, de Regul.*

2 Quæ duo copulatiuè requiruntur; prout idem *Nauar. cit. loc. conſ. 62.* in 1. editio. *Portell. in dub. Regul. ver. 3. in additio. nu. 3. & in 2. tom. 1. p. caſ. 16. nu. 8.* vbi Profeſſio quorundam Tertiariorum declaratur nulla, ob prædicta. Et hoc ex *Decr. Gregorij XIII.* cuius *Decreto* declarantur nullæ quædam Profeſſiones admiſſæ per quendam Didacum, ſine canonica authoritate admittendi, *ibi*.

Cùm autèm Eremitæ ijdem prædictã Profeſſionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiſerint, eademq; Profeſſio nulla, & inualida reddatur; prout meliùs eſt videre in eius *Bulla*, quam per extenſum refert *Rodr. in Collect. priuil. fol. 1017.* ex quibus multa inferuntur, iuxtà doctrinam *Sanct. Thom. 2. 2. quaſt. 184. ar. 5. in corp. & 186. ar. 9.* ſed vide, quæ infrà dico *qu. 42.*

Pro-

Professio emissa in manu Episcopi, per Fratres Religionum exemptarum, an sit valida? Qu. 21.

1 NEgatiuè, & constat ex immediatè decisis; quandoquidem, Episcopus in casu posito non est Superior Monasterij; nec habet authoritatem Religioni incorporandi, ex quo ferè omnes hodiè Religiones sunt exemptæ, & maximè Mendicantium; quæ stant immediatè sub protectione Romani Pontificis. Secus autèm respectu aliarum sibi subiectarum, *Nauar. cit. loc. Rodriq. tom. 3. q. 17. ar. 11. Bonac. de clauf. q. 2. pun. 11. §. 5. diffic. 2. nu. 4.* & alij, quos Egomet allego in *tract. de Tertiarijs, q. 7. & 11.*

Prælatus nominatim suspensus ab admissione Professionis, si quem ad Professionem admittat, an sit Irregularis? Quæst. 22.

1 NEgant *Doctores*, ex quo, admittere ad Professionem non est actus Ordinis, nec Iurisdictionis spiritualis, pertinentis ad Ecclesiæ claues; sed cuiusdā Superioritatis ciuilis dominatiuæ; etenim est duplex dominium; nempè, ciuile sæculare, quo Reges, Principes, & similes, &c. & alterum Ecclesiasticum, quo Papa, & alij Inferiores Prælati, suis dominantur Subditis, &c.

2 Tu autèm considera, an Prælatus sit suspensus ab officio, & iurisdictione, *Auila de censuris, disput. 2. dub. 4. & Suar. eod. tit. disput. 27. sess. 2. nu. 3.*

Quia, violans suspensionem, exercendo actus solius iurisdictionis, qui non sunt coniuncti cum actibus Ordinis, non incurrit in irregularitatem; quia hoc non reperitur in iure expressum, *Syl. verb. suspensio, q. 5.*

3 Secus autèm, si admittat quempiam ad Professionem in pompa Ecclesiæ, vt benedicendo vestes cum stola, recitando collectas, & alias preces; quia præfata benedictio est exercitium Ordinis Sacri; & consequentèr incidit, *Bonac. de suspens. disput. 3. punct. 4. num. 6.*

Professio excommunicati, an sit valida? Quæst. 23.

1 DIdacus Conar. p. 2. cap. 6. de his, quæ matrimonium impediunt, Nauar. comm. 4. de Regul. nu. 25. & Rodriq. tom. 3. q. 17. art. 14. & 2. p. summ. cap. 8. concl. 9. nu. 15. aiunt, quòd sic, & est decisio *cap. illorum 32. de sent. excomm.* qua susceptio Regularis habitus, facta per excommunicatum, declaratur valida; nec alio indigere; nisi absolutionis beneficio, ibi, *Qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, & cap. significasti 6. de eo, qui duxit in matrimonium*, vbi cuiusdam excommunicati matrimonium declaratur validum, ibi, *Legitimum iudices matrimonium prædictum.*

2 Et à matrimonio carnali ad spirituale tenet argumentum, ex *cap. inter corporalia, de translat. Episc.*

3 Benè verum, quòd sic Profitens, venialitèr peccat, ex quo communicatio est illi interdicta, etiam si non sit denunciatus, vel publicus Clerici percussor; sufficit enim, quòd in foro conscientiæ sit vere excōmunicatus. Immò, & mortalitèr, si expressè Professioni, de qua loquimur, addantur Preces, ab Ecclesia institutæ; etenim hoc esset communicare in Diuinis, vt post alios aduertit *D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 5. Thes. q. 204.*

Professio admissa, vel acceptata ab excommunicato declarato, vel suspenso, an sit valida? Qu. 24.

1 REspondeo, non valere, quia acta iurisdictionis facta ab excommunicato publico, & manifesto, sunt irrita; secus autèm facta per excommunicatum toleratum, vel occultum, prout constat ex *extrauag. ad euitanda.*

2 Sed admittere quempiam in Religionem, & Professos Religioni incorporare, sunt actus iurisdictionales; quippè qui præsupponunt publicam authoritatem in Ordine; alitèr non posset in vniuersum toti Ordini incorporare.

3 Nec benè dicitur, quòd Religioni incorporare, sit actus, non iurisdictionis, sed potestatis œconomicæ, & dominatiuæ; quia potestas incorporandi Professos delegatur à Dom. Papa, prout constat ex *Constit. Honorij III. incip. Religiosam vitam eligentibus*, qua nostro Patriarchæ Dominico datur facultas recipiendi ad Ordinem.

Ibi, *Liceat quoque, Clericos, vel Laicos liberos, & absolutos è sæculo fugientes ad conuersionem, recipere, & eos, absq; contradictione aliqua retinere*, vt in *prima Bulla* nostri *Bullar.*

4 Potestas autèm Dominatiua, & Oeconomica, vt Viri suprà Vxorem, & Domini in Seruum, non indiget, vt insinuatur à Domino Papa.

5 Itèm, ille Eremita Matthæus, de quo *Nauar. consil. 18. de Regul.* & Didacus, de quo *Tortell. in 1. p. cas. 16.* super congregatos sibi Subditos habebat potestatem oeconomicā.

6 Nihilominùs, admissiones, & receptiones per eosdem factæ, fuerunt à *Papa Gregorio XIII.* declaratæ nullæ, ex defectu authoritatis in acceptante, ibi, *Cùm autèm Eremitæ ijdem prædictam Professionem in manibus eius, qui*

qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint; eademq; Professio nulla, & inualida reddatur; ergò simplex potestas dominatiua, & oeconomica non sufficit ad incorporandum Religioni, & distinguitur ab illa.

7 Itèm, P. Generalis Ordinis, eadem potestate, qua respicit totum Ordinem, & Cõmunitatem perfectam, recipit ad Ordinem, & vice eius, eadem authoritate Prior Prouincialis, vel Conuentualis cum suo Capitulo incorporat toti Ordini, & non solùm vni priuatæ domui Profitentes in sua Religione.

8 Et ista, ex quo respicit perfectè totam Vniuersitatem Religionis, non potest dici Oeconomica, sed Vniuersalis, prout docet *Couar.* ex multis in *Regula Peccatum, de Regul. iuris, in 6. 2. p. §. 9. nu. 8.* quem sequuntur plures, quos citat *Bonac. de legibus, disput. 1. quæst. 1. pun. 3. nu. 3.* & *Meroll. tom. 3. disput. 7. de multipl. iurisdict.*

9 Quibus additur, quòd potestas dominatiua simplex non habet forum contentiosum; nec potestatiuè, & iuridicè potest cognoscere de delictis eorū, qui sibi subdūtur.

10 Vndè, Pater non potest punire publicè homicidium sui filij, vel aliorum domesticorum; sed spectat ad Prætorem, publicum iustitiæ Ministrum.

11 At Prælatus, eadem authoritate, qua Professum recipit ad Ordinem, cognoscere habet de crimine Professorum, quos sępiùs torquet, carceribus mancipat, & ad triremes destinat.

12 Itèm adde, quòd solemniter recipere Vota, & Iuramenta Iurantium, & Profitentium, sunt effectus iurisdictionis, & potestatis coactiuæ, respicientis Vniuersitatē perfectam, qua, & eadem transgressores, & periuri puniuntur, quæ nequeunt verificari de potestate Oeconomica.

13 Et quod dico de excõmunicato denunciato, extende ad suspensum declaratum; quamobrèm, si Prælatus sit suspensus ab authoritate admittēdi, & Religioni incorporandi, si incorporet, & admittat, admissiones huiusmodi erunt nullæ, ex defectu authoritatis, nàm priuatus facultate recipiendi, nullitèr recipit; sicut Parochus suspensus ab assistendo matrimonio, nullitèr assistit, *Bonac. de clausf. q. 2. pun. 11. diff. 2. §. 5. nu. 7.*

14 Si modò roges, qua de causa Professio facta per excommunicatum declaratum valet; secus autèm admissio, & incorporatio per Prælatum, vt dictum est.

Respondeo, quia ità expressum reperitur in iure, & ratio esse potest; quia Professio respectu Profitentis dicitur contractus onerosus, & odiosus, quo perpetuò se priuat libertate, & ponit hominem super caput suū, & se obligat ad magna onera; quod non procedit respectu acceptantis; ea autèm omnia, quæ sunt in odium excommunicatorum, per eosdem excommunicatos possunt fieri, & facta tenent.

Excommunicatus profitens, an acquirat ius petendi à Monasterio, victui necessaria? Qu. 25.

1 Nauar. in comm. 4. de Regul. cui inhæret *Rodriq. tom. 3. q. 63. de Simonia, ar. 3. & p. 2. summ. cap. 8. nu. 10.* ait, quòd per Professionem Regularem, vel Monachalem, duo quæruntur, seù fiunt.

2 Alterum est, mutatio status de Sæculari in Regularem; & hoc non impeditur per simoniam, nec per excommunicationem.

3 Alterum est, ius habendi victum, & vestitum indeterminatū ex communi, aut per portionem priuilegiatam, seù determinatam Canonicalem, vel Monachalem, quod quilibet Canonicus, vel Monachus rectè receptus habet; & hæc impeditur per simoniam, & excommunicationem; donec subsequatur absolutio, & dispensatio.

4 Et ratio diuersitatis est, quia acquisitio status est quasi acquisitio cuiusdam characteris Ordinis, qui perpetuò durat; ius autèm percipiendi victum, est quoddam beneficium, cuius acquisitio impeditur per simoniam, & excommunicationem; donec absolutio, & dispensatio subsequatur.

5 Quod idem *Nauar.* dixit in *cap. non dicatis, comm. 2. de Regul. nu. 67. in fin. ver. addo decimoquartò*, vbi dicit, quòd *Regularis potest deponi à Canonicatu, vel Monachatu; licèt non deponatur ab Ordine, sicut Sæcularis potest deponi à beneficio, quamuis non deponatur ab Ordine, & sic non tollitur status ille, nec mutatur in Sæcularem; sed solùm tollitur vox in Capitulo, & victus integer.* hæc ille.

6 Et confirmatur; quia in beneficijs attēditur capacitas Clerici, tempore præsentationis, vt post alios *Rota Romana in decis. 69.* sed in illo tempore præsentatus ad beneficium Regulare, erat suspensus, aut excommunicatus, vel irregularis, ergò.

7 Et additur, quòd excommunicatis beneficia conferri non possunt, ex *cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante, Gloss. in cap. si fortè, de elect. in 6.* & fuit ità sępè decisum, ex *Aloys. Ricc. prax. 1. p. decis. 184. & 185.* in 1. editio. & *in 2. p. prax. resolut. 314.*

8 Et hoc ideò; quia excommunicatus est incapax iurium spiritualium, ex *cap. cùm dilectus, de consuetudine.*

9 Nihilominùs, præsuppositum est falsum, seù minor propositio, qua subsumitur, quòd Professio sit verè, & propriè beneficiū, ex qua Professione dimanat, vt Profitentes tan-

tanquam beneficiarij, victum, & alimenta in Religione habeant, tanquã fructus beneficij.

10 Etenim, dicitur beneficium impropriè, & largo vocabulo; quandoquidèm ad beneficium Ecclesiasticum non admittuntur Laici, nec possunt admitti, per vulgata iura; secus autèm ad Professionem, vt manifestum est.

11 Ergò, sicut appellatione beneficiorũ strictè non veniunt dignitates, nec portiones, *Gloss. in cap. 1. de Regul. iur. in 6. & in Clem. Auditor, ver. beneficio, de rescriptis, & in cap. cùm illis, de præbendis, in 6.*

12 Ità, nec Professiones, & sicut fictione iuris Religio dicitur Religiosorum beneficium; ità pariter, & eorum Professio.

13 Igitur, supradicta iura, quibus cauetur, quòd beneficia non sint conferenda excommunicatis, habet locum in veris, & proprijs beneficijs; secus autèm in beneficijs largè dictis; Alitèr, nec Professio excommunicatorum esset valida, prout benè notat *D. Barthol. à Sancto Fausto lib. 5. Thes. q. 206.*

14 Confirmatur, ex quo Professus per Professionem dedit Religioni se, suaquè omnia, iura, & actiones, irreuocabilitèr; vndè habebit alimenta? Nonnè etiam, & deposito, ac suspenso à beneficio debentur alimenta ex fructibus beneficij? Nè is cogatur mendicare, in opprobrium Ordinis Clericorum, *Glos. & Doctores in cap. Pastoralis, §. verùm, in verbo admiserant, de appellat. & in cap. cùm Vintoniensis, de elect. Abbas in cap. Apostolica, col. 3. de exception.*

15 Qua de causa, hoc totum ad Regulares non debet extendi, qui maiori paupertate, & necessitate premuntur.

16 Nec obijcies, quòd hoc non habeat locum in excommunicatis, quibus ex redditibus beneficij nihil datur. Quia hoc procedit in excommunicatis pertinacibus, & insordescentibus, qui absolutionis beneficium omittunt procurare, *Graff. decis. aur. p. 1 lib. 4. cap. 14. de effect. excomm. nu. 7.* secus autèm in Regularibus, qui quotidiè ferè à censuris absoluuntur, & aliundè non habent victitare.

Professio simoniaca, an valeat? Qu. 26.

1 Affirmatiua decisio habetur in *cap. quoniàm 40. de Simonia,* ex quo benè colligitur, quòd simoniacè Professus, non potest validè contrahere, nec liberè in sæculum redire; sed debet in carcerem detrudi, vel dispensatiuè ibidem remanere, *Nauar. comm. 4. de Regul. nu. 25. ver. in contrarium,* & *Rodriq. tom. 3. q. 63. ar. 3.* vbi examinat verba Decretalis prædictæ, & *à Sancto Fausto dict. lib. 5. quæst. 209.*

2 An autèm liceat, absquè labe simo-

nię, aliquid dare, vel exigere, intuitu susceptionis habitus, vel Professionis; & quæ praxis sit obseruanda circa simoniacos, & pęnas eorundem, latè dixi in *tract. de Recip. q. 16.*

Professio emissa à Nouitio inhabili ad seruitia Religionis, an sit valida? Quæst. 27.

1 Etsi inhabilis Nouitius profitendo peccet; nihilominùs validè profitetur; dummodò eius inhabilitas sit nota, & manifesta; prout censuit Sacra Congregatio Conc. sub die 26. Iunij 1621. & refert *Nouar. in sua Lucer. Regul. verb. Professio, nu. 40.*

2 Et extèditur ad Moniales, & hoc ideò; quia promissio est de essentia Religionis, nō autèm impletio; vndè inobseruantia præceptorum non præiudicat, & præcipuè si iusta causa excusat ab actuali seruitio, *Sell. in select. Canon. qq. cap. 17. num. 8. Rodriq. tom. 3. quæst. 15. ar. 10. Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 42. in 1. editione, & à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 226.*

Capitulum an possit consentire, vt habens incurabilem infirmitatem, validè profiteatur? Qu. 28.

1 Respondeo negatiuè, per ea multa, quæ dixi in *tract. de potestate Capit. & de elect.* vbi in decisis habes, quòd Capitulum non potest ad electionem admittere incapaces; nisi habeat potestatem dispensandi, tùm quia, Capitulum nihil potest contrà Regulàm, neque contrà Regularia Statuta; & multò minùs contrà ius canonicum, aut naturale Diuinum.

2 Tùm etiam; quia caret potestate consentiendi super personam incapacem, qualis est homo affectus morbo comitiali, vel aliqua incurabili infirmitate.

3 Nec dices, quòd pōtest quis suo iuri cedere; quia hoc procedit de iuribus singularibus, & personalibus; secus autèm cùm agitur de iure tertij, vel tangente communem vtilitatem, prout est id, de quo agitur, *Peyr. tom. 1. de Subdito, q. 1. cap. 25. §. 5.*

Professio per Capitulum admissa, sub conditione, & pacto, an valeat, pacto, & conditione non adimpletis? Qu. 29.

1 Respondeo, non valere, ex defectu consensus, qui sub conditione præstitus, conditione non adimpleta censetur non datus; nec legitimè adhibitus; etenim dispositio conditionalis, non existente conditione, nihil operatur, *cap. si pro te, de rescriptis, in 6. & cap. præterea 2. de appellat.* & præcisè in rę graui, & notabili.

2 Proindè, Professio facta à laborante morbo gallico, vel affecto aliqua infirmitate contagiosa, erit nulla; si Professus, dùm profitetur, interrogatus de morbo, & mala valetudine sit mentitus; & præcesserit protestatio, quòd Capitulum ei exhibet consensum conditionalem; nempè, dummodò non sit morbosus, non criminosus, non ære alieno grauatus, & non alitèr, nec alio modo. Quamobrèm, Professi contra pactum, & conditionem appositam possunt eiici, & repelli.

3 Quod amplia ad omnes, qui fiunt Professi, contrà propria statuta; etiam si statuta non habeant clausulam irritantem; nàm aliud est, quòd Professio sit nulla de iure cõmuni, & aliud, quòd sit nulla ex inobseruantia statuti, & aliud ex defectu consensus, prout latè *Nauar. lib. 3. de Regul. cons. 5.* tàm *in principio*, quàm *nu. 11. & 12.* in 1. editio. *Portell. ver. Professio nulla, nu. 10.* & *Rodriq. in Comp. resolut. 101. nu. 87.*

4 Quod est valdè notandum pro quotidianis occurrentijs; nàm Capitulum, quod stat pro Religione, nunquàm præsumitur cõsentire contrà statuta Religionis, & semper ad præscriptum Constitutionum; saltèm tacitè; non aliàs, nec alio modo, & taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cùm quid, ff. si certum petatur*, & docet *Glos. in l. expressa de Regul. iur. in 6.* & *Nauar. cit. loc. nu. 14.*

Professio, an sit nulla, si ei desit consensus maioris partis Capituli? Qu. 30.

1 AFfirmatiuè, per ea, quæ dixi suprà in *tract. de Recip. q. 3. & 4.* & docet *Nauar. de Regul. cons. 5. nu. 1. & cons. 62. eod. tit.* in 1. editio. *nu. 1.* argum. *l. quod maior, ff. ad municip.* & *Glos. in cap. fin. de Regul. in 6. Rodriq. tom. 3. q. 17. ar. 7.* vbi retractat, quod dixerat in *2. p. sum. ver. Nouitius, cap. 8. nu. 8.* & latè *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 15. ar. 2.*

2 Tùm quia, Professio, ex quo est contractus reciprocus, exigit consensum, non minùs Profitentis, quàm totius, vel maioris partis Capituli; quia, quod fit à maiori parte, censetur fieri à toto Capitulo; tùm etiã; quia ità decisum etiam in iure canonico, cuius propria Verba transcripsi in præcit. *quæst.*

3 Proindè, nec P. Prouincialis; nec itèm Pater Generalis, contrà maiorem partem Capituli poterit quempiam validè ad Professionem recipere, & notat *Portell. ver. Abbas, nu. 7.* & antè eum *Nauar. in d. cons. 62. n. 3.* in 1. editio. & *Sylu. ver. Relig. 3. q. 12.*

Professio, si fiat extrà Monasterium, an sit valida? Qu. 31.

1 AFfirmat *Rodriq. tom. 3. q. 29. ar. 8. in fin.* & *à Sancto Fausto lib. 5. Thes. quæst. 202.* & se fundant in *cap. insinuante 1. qui Clerici, vel Vouent.* vbi deciditur, feminam posse fieri veram Religiosam, vouendo Regulam in Monasterio Virorum, non intrando illud, sed manendo in domo, quæ sua erat antè Professionem.

2 Verùm, hodiè debent attendi *Decreta Clem.* & *Vrban. VIII.* suprà posita, quæ iubent, Professionem faciendam esse in Locis designatis; secus autèm erit Professio nulla; nàm per supradicta *Decreta* corriguntur antiqua iura.

Professio facta in Locis non designatis, an sit valida? Qu. 32.

1 LAtè dixi in *tract. de domibus Nouitiorum.*

Professio Viri facta in Monasterio feminarum, ementito sexu, an sit valida? Quæst. 33.

1 QVòd Monachi, & Monachæ non possint esse simul in eodem Monasterio, decisum extat in *cap. diffinimus 18. q. 2.* etenim hoc foret multis, nè dicam omnibus scandalum, & offendiculum.

2 Immò, Mulier intrans Virorum Monasteria, & è contrà, est excommunicata, ex *Constit. Pij V.* & aliorum, vt dicam infrà de *clausura Monialium.*

3 Verum; quia excommunicatio Professionem non annullat, quæsitum est, vt suprà.

Ad quod probabilitèr affirmatiuè respondet *D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 3. in fin. Sylu. Armill. & Tabien. alijs* citatis *ver. Religio 3. q. 9.* quos sequitur *Portell. ver. Profess. nulla, n. 23.*

4 Tùm quia, talis Vir, seu Femina emisit Vota essentialia, in quibus consistit essentia Religionis; tùm etiam; quia distinctio sexus est quid per accidens; tùm itèm ex *cap. quod interrogasti 27. distin.*

5 Sed probabilior est sententia negatiua, quam docet *Nauar. lib. 1. de ætat. & qualit. Ordin. cons. 8. nu. 1.* in 1. editio. *Rodriq. 2. par. summ. cap. 6. conclus. 14.* & alij plurès, quos sequitur *à Sancto Fausto lib. 5. Thes. qu. 210.* & Egomet in *tract. de qualit. q. 23.* & *Hier. Rodr.* in suo *Comp. resol. 101. nu. 86.*

6 Tùm quia, ex quo Professio est contractus, exigit necessariò consensum vtriusquè partis; nempè, Profitentis, & Religionis acceptantis; vt sępè dixi.

7 In hac autèm Professione, de qua agitur, saltèm deficit consensus Religionis admittentis; quia Viri non intendunt in Religionem admittere; nisi Viros, & Feminæ, Feminas; & non aliàs, nec alio modo. Tùm

etiam;

etiam; quia hodiè ex *Decret. Clem. & Vrban. VIII.* nō licet profiteri in Locis non deputatis; nisi innalidè. At Loca, ad Professionem Virorum deputata, non sunt designata pro Monialibus; immò prohibita; etiam ex *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15.*

8 Ergò, si fœmina, fictò habitu, profiteatur in Loco Virorum, vel versa vice; certò erit Professio nulla, ex defectu consensus Capituli, & Loci non deputati.

9 Nec in contrarium adducta nocent; quia, etsi essentia Religionis consistat in illis tribus Votis; nihilominùs, multa alia requiruntur, & maximè consensus, & locus deputatus; tùm etiam; quia prædictum *cap. interrogasti*, non facit ad casum nostrum; cùm *ibi* fiat mentio de fœmina Professa in Conuentu Fœminarum; secùs, si profiteatur in Monasterio Virorum.

Monialis Professa in Conuentu Fœminarum, si ex aliquo accidenti fiat masculus, vbi nàm debeat degere, & an eius Professio sit valida? Qu. 34.

1 PRæsens casus non est impossibilis, sed de rarò contingentibus, & potest disputari duplici modo.

Et Primò, si Monialis, post Professionem fiat Hermaphrodita, an possit inter alias remanere? Ad quod dicas, sicut de Hermaphroditis dictum est; aut in ea præualet sexus masculinus, & sic debet statim eijci, & prorsus expelli, nulla postposita mora, iuxta *cap. diffinimus, causa 18. q. 2.* ob periculum continentiæ, & castitatis aliarum.

2 Quæ sic expulsa, poterit se transferre in Religionem Virorum, vel remanere in Sæculo, vbi etiam tenetur ad tria Religionis Vota; Quamobrèm, in sæculo stans non poterit contrahere; nec testamentum facere, sicut, & alij à Religione expulsi; qui licèt sint in sæculo, tamèn tenentur ad Vota essentialia; sicut, & Episcopi, qui à Religione assumuntur.

3 Et hoc ideò; quia Professio valida, vbiquè gentium obligat ad custodiam Votorū.

4 Ergò, ex quo in casu nostro supponitur Professio valida, proculdubio obligabit Professos ad obseruantiam Votorum; intrà, & extrà septa Monasterij.

5 Nec obstat sexus superueniens Moniali Professæ; quia sicut impedimentum dirimens, si superueniat matrimonio ritè contracto, non dirimit matrimonium iàm factum.

6 Vndè, coniux, si fornicetur cum consanguineo alterius coniugis; non ob id desinit esse coniux; sicut, nec etiam si fiat leprosa, vel quouis alio morbo affecta; quia impedimentum ditimens contrahendum, non dirimit matrimonium iam factum, prout docent communitèr *Doctores.*

7 Ità à pari, si hæc qualitas masculina adijciatur mulieri, validè in Religione Professæ, nō abrogat eius Professionem prætéritam, prout latè ostendit *Portell. ver. Profess. Hermaphrod. à nu. 1. vsquè in finem.*

8 Et arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum, vt sępè dixi, & constat ex *cap. inter corporalia, de translat. Episcoporum.*

9 Dixi, quòd si voluerit, poterit se transferre in Religionem Virorum; quia non potest cogi ad intrandum, nisi ex vrgentissima causa; tùm quia, eiectus ab vno Ordine, non tenetur intrare alium Ordinem, nec rogare Superiores, vt eum de nouo recipiant; nec potest cogi, vt iterùm reuertatur, prout latè *Nauar. super cap. non dicatis 12. q. 1. comm. 2. de Regul. à nu. 36. & lib. 3. cons. 64. eod. tit. nu. 1.* vbi agit de quodam Professo Ordinis Prædicatorum, ob eius incorrigibilitatem, ab eodem Ordine expulso; quandoquidèm nullus potest cogi ad crescendum per ascensum ad Religionem, quam non est Professus, ex *Text. & Glos. cap. gesta 74. distin.*

10 Tùm etiam; quia actus agentium nō extenduntur vltrà intentionem illorum, ex *l. non omnis, ff. si certum petatur.*

11 Hæc autèm Monialis nunquàm se tradidit Religioni, ad conuiuendum inter Mares; sed ad perpetuò commorandum inter Fœminas, in perpetua clausura; saltèm tacitè, ergò.

12 Proindè, benè dicit *Sanctus Bernard. in lib. de præcepto, & dispensat.* ibi, *Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum, quæ non promisi, &c.* Quia Subditus, per legem Obedientiæ non est cogendus vltrà promissum.

13 Tùm itèm; quia translati, ad hoc, vt sint de Ordine, ad quem se transferunt; tenentur renouitiare, & denuò profiteri; etiā si fiat transitus ex vna Religione ad aliam, quæ sit eiusdem speciei, prout dixi in *tract. de transeunt.* & constat ex *Bull. Greg. XV.* incip. *onerosa*, qua transeuntes de Familia S. Francisci ad Reformatos; tenentur iterùm integrum annum probationis agere; hic autèm annus probationis debet esse liber; alitèr, ob vim, & metum erit Professio nulla.

14 Et confirmatur; quia nemo potest cogi ad Virginitatem, vel Castitatem, quam non vouit seruandam, *cap. integritas 32. q. 1.*

15 Hæc autèm, de qua agitur, promisit seruare essentialia inter Sorores, & in perpetua clausura, vt dixi, non alitèr, nec alio modo; vndè hic modus profitendi resoluitur in conditionem, sine qua non, vide *Nauar. cit. loc.* vbi multa dicit, digna notatu, & *in com. 4. nu. 16.*

nu.16. quo examinat remedium prouidendi Fratribus Conuentualibus, qui vna die, iussu *Tij V.* etiam, adhibita Laica potestate fuerunt è proprijs domibus expulsi; ex iusta tamèn causa, non sine magna eorum molestia, & *ibid. nu.* 19.20.*&* 21. quo quærittur, an Prælatus possit, Regularem Subditum cogere ad transeundum in aliam Religionem? & *S. Thomas 2.2. qu.88. ar.3. ad 2. & q.89. ar.3. ad 2.* vbi dicit, quòd debet attendi intentio, saltèm tacita Vouentis, qua vouit obedire in illo Monasterio, & non alibi.

16 Aut Monialis, de qua suprà, præpotens est in sexu femineo, & sic poterit conuiuere intrà ceteras Sorores; quia femina est, dummodò alijs, vel sibi non sit occasio peccandi.

17 Secùs, de licentia Dom. Papæ absolui debet à clausura, & reponi in sæculo, vbi recipiet alimenta, ceteraquè sibi necessaria à Conuentu, in quo professa fuit, & obseruabit Vota suæ Regulæ, eo meliori modo, quo poterit; quod itèm procedit; si æquè potens fuerit in vtroquè sexu, vt dictum est suprà.

An sit valida Professio, si hæc Monialis fiat perfectè, & omninò masculus; adeò, vt in ea nullum remaneat vestigium feminæ? Qu. 35.

1 AFfirmat *Portell. cit. loc.* §. *alia dubitatio*, per ea, quæ dixi de matrimonio; licèt non debeat remanere in clausura Moniali[um]; sed mox eijci, & expelli, etiam sine licentia Papæ, ob periculum imminens corruptionis ceterarum, & cogi ad intrandum Religionem Virorum eiusdem Regulæ, pro obseruantia trium Votorum, quæ tenetur seruare, ex quo eius Professio remanet valida, de qua re *Comitolus 1. p. de contract. lib. in communi, cap.* 10. *q.*8. *nu.*4. vide *Rodr. in Comp. d. resol.* 101. *nu.*86.

2 Mihi autèm magis probatur negatiua *Nauar.* opinio; Vndè concedo, quòd hæc Monialis masculiata, seù mas effecta, debeat expelli à cetu Sororum.

3 Sed nego, quòd debeat cogi ad intrãdum claustra Virorum; per ea multa immediatè dicta, & docet *Glos. in cap. tuarum, de priuil.* & alij plures, quos citat *Comitolus cit. loc.* & *Sanchez de matrim. lib.8. disput.9. nu.*21. quia actus agentium non operantur vltrà intentionem eorum.

4 Nec censeo, quòd remaneat obnoxia Votis, sed absoluta à Religionis Iugo; adeò, vt desinat eius Professio ampliùs obligare; etenim Votum, & Iuramentum non obligant, si post Votum, status rei promissæ notabiliter mutetur; quia in quolibet actu, siuè per vltimam voluntatem, siuè inter viuos, etiam si cum iuramento fiat, semper intelligitur illa clausula, *rebus sic stantibus*, prout docet *Glos. in l. quod seruius, ff. de conditionibus ob causam,* & *ibi Bartol. nu.4. l. continuus, §. cùm quis, de verbor. obligat.* & refert ex multis decisum *Aloys. Ricc. in 3. par. decis.* 317. & *Sanch.* pòst alios *lib.3. ad Decal. cap.18. & lib.4. c.2.*

5 Quod magis procedit, si totaliter mutetur status, *Caiet. 2.2. q.185. ar.8. dub.2. & tom.1. Opuscul. tract.25. de obligat, & obseruan. præcept. q.2.* & *Sot. lib. vltim. de iust. quæst. vlt. art. vltim. ver. sed contrà.*

6 Proindè, qui vouit, ire Hierusalem, & post Votum mutatus est notabilitèr status eius, vt si Episcopus fiat, non tenetur ad Votum; quia, vt dixi, in promissione supponitur illa clausula, *rebus sic stantibus*; secus autèm.

7 In casu autèm, de quo agimus, status Personæ Vouentis mutatus est, nedùm notabilitèr, sed intrinsecè, & substantialitèr; Quamobrèm, facta est incõpossibilis ceteris Monialibus, nec se obligauit seruare Vota extrà septa Sororum; nec si mutata, vel conuersa fuisset in Masculum, vel desineret esse Femina; Ergò non remanet obnoxia Votis; cùm hæc sint vltrà intentionem vouentis.

8 Confirmatur, nàm si Vxor post matrimonium fiat perfectè masculus, & desinat omninò esse femina, per mutationem huiusmodi desinit esse Vxor, & censetur absoluta à lege coniugij, vt patet arguendo à diffinitione ad diffinitum.

9 Nàm valet illatio, si non est animal rationale; ergò, nec est homo; essentia enim matrimonij consistit in traditione, qua Coniux alteri Coniugi tradit corpus suum ad copulam coniugalem; Vndè matrimonium consueuit definiri, quòd sit coniunctio maris, & feminæ ad copulam coniugalem; sed in casu nostro ambo sunt masculi, ergò non possunt coniungi ad copulam maritalem, ex defectu materiæ, & incapacitate personæ.

10 Et sic per talem mutationem status, non minus, quàm per mortem soluitur à lege Viri, ex quo cessauit esse Vxor, vt patet in Aqua, quæ si conuertatur in Vinum; desinit esse Aqua.

11 Hìnc, quidam grauissimi *Doctores* tenent, quòd Religiosus, si fiat Episcopus, absoluitur à Iugo Religionis, iuxtà *cap. statutum* 18. *q.*1. nedùm quòad accidentalia, verùm etiam, & quòad omnia substantialia.

12 Adeò, vt Regularis factus Episcopus non teneatur Voto Paupertatis, nec Obedientiæ, nec itèm Castitatis, ex vi Regulæ, prout latè ostendit *Pasqualig. in moral. decis.* 267. *& sequen.*

13 Et hoc, ob mutationem status; quia mutato statu, mutantur omnia accessoria, &

men-

mensura obligationis, quæ nascitur ex Voto, est intentio Vouentis, vt docet *D.Thom.* 2.2.q.189. *ar.4. in corp.* & *ibidem Caiet.* cum alijs *Thomistis*.

14 Et tandem, in facti contingentia ità fuit decisum ab Illustrissimo Episcopo Diœcesis Vallensis, coràm Perillustr. Dom. Iosepho Giannolini de Cesena, per quem fuit dictum, quòd ambobus liceat ad secundas nuptias transire, ex quo Iuuencula desponsata N. euaserat masculus omninò, & refert *Thomas Thomai de Rauenna* in sua *Idea del Giardino del Mondo, in cap.18. fol.* mihi 39. vbi huius generis multa habes.

Professio facta, iuxtà Trid. sed contrà propria statuta, an sit valida? Qu.36.

DIxi hic suprà *quæst.*28. *& in tract.de Nouitiatu Receptorum, q.*19.*& *20.

*Professio ex defectu Aetatis, vel Nouitiatus, an sit nulla? Qu.*37.

1 ET dico, quòd validè profiteri non possumus, nisi annali Nouitiatu peracto, & ætatis anno completo decimosexto, quod habet locum, tàm in expressa, quàm in tacita Professione masculorum, & feminarum, ex *Decreto Sac.Conc.Trid.sess.*25. *cap.*15.*de Regul.* ibi, *In quacunque Religione, tàm Virorum, quàm Mulierum, Professio non fiat antè decimumsextum annum expletum; Professio autèm anteà facta, nulla sit, nullamquè inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut alios quoscunq; effectus.* hæc ibi.

2 Hinc nota, correctum esse ius antiquum, & quòad hoc non obstare.

Professio, an sit nulla, si deficiat vna dies pro complemento sexdecim annorum? Quæst. 38.

1 PER ea multa, quæ dixi in *tract. de Nouitiatu Receptorum, quæst.* 5. Respondeo affirmatiuè, & eò maximè; quia ætas præscripta à *Concil. Triden. dict. sess.*25.*de Regul.cap.*15. debet esse expleta, vt constat ex contextu, & sicut in sponsalibus requiritur ætas septem annorum, quæ debet esse completa, absquè eo, quòd ei deficiat vna hora, *D.Thom.*4.*sent. distin.*27.*q.*2. & *ibid. Sot. q.*2.*ar.*2. *concl.*2. *Armill.ver.matr. nu.*4. & *Nauar.in summ.cap.*22.*nu.*29.

2 Ità à pari, tempus sexdecim annorum pro validitate Professionis debet esse expletum, absquè eo, quòd ei desit vnum instans, & arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum ex *c.inter corporalia, de translat. Episc.*

3 Nec dices, quòd in omni materia, parùm pro nihilo reputatur, vt in horis canonicis, & furto, *Nauar.in summ. cap.*11. *nu.*4. quia quando lex generalitèr loquitur, etiam minimum includit, ex *cap.*3.*de appellat.cap. si proponente, de rescript.*

4 Sed *Conc.Trid.* in cit.*loc.* loquitur generalitèr, ibi, *In quacunq; Religione, tàm Virorũ, quàm Mulierum Professio nõ fiat antè, &c.*

5 Quod amplia ad annũ bisextilẽ, prout fuit sępè à S.Congr. decisum, & refert *Aloys. Ricc. in* 1.*par. decis. rerum fori. Eccles. decis.* 656. in 1.editio. post multos, quos supra citaui in *d. q.*5.

*Votum solemne Religionis, seù Professio nullitèr existens, vel ità per Iudices declarata, an habeat saltèm vim Voti simplicis; adeò, vt ad minus obliget in foro conscientiæ? Qu.*39.

1 REspondeo negatiuè, & est decisio *d.Conc.Trid.* ibi, *Aliter facta Professio sit nulla, nullamquè inducat obligationem ad quoscunq; effectus;* quæ verba vniuersalitèr prolata, excludunt omnem obligationem, etiam Voti simplicis.

2 Proindè, Profitens infrà annum probationis, vel antè dictam ætatem, non est obligatus ad Religionem; nequè in genere, nequè in specie, nec etiam in foro conscientiæ, prout sæpè censuit Sac.Congreg.Regular. & refert *Nicol.Garz.de Benef.p.*11.*cap.*9. *nu.*6. *Barbosa in Collect. ad d.cap.*15. *Triden. nu.*12.*&* 17.*& de officio, & potestate Episcopi, alleg.*101.*nu.*16.*& sequent.* & alij plures, quos *ibidem* allegat, & sequitur.

3 Et habetur expressè in *cap.is, qui Monasterium* 1.*de Regul.in* 6. quo *Capitulo* Professio facta antè annum decimumquartum declaratur nulla, nulliusquè obligationis, ibi, *Nisi eo completo, Professionem faciat, liberè potest in sæculum remeare*, Nec *ibidem* diceretur, quòd liberè posset in sæculum redire, si nullitèr Professus remaneret simplici Voto obligatus ad castitatem seruandam, vel ad Religionem reintrandum, prout scitè notat *Caiet.in* 2.2.*q.*88.*ar.*9. *in* 3.*not.in fin.*& *Sot. lib.*7. *de iustit. q.*2. *art.*2. *ad* 1.*argum.* vbi de Voto simplici, & solemni multa dicunt.

4 Nec obijcies *cap.quidàm, & cap.placet, de conuers. coniugat.* quo, etsi *ibid.* decidatur, Professionem esse nullam; nihilominus, & *ibid.* dicitur, eam obligare illos Professos, tàquàm simplex Votum castitatis; adeò, vt licitè non potuissent transire ad secunda Vota matrimonij.

Quia illi *text.* loquuntur ex præsumptione;

tione, qua præsupponitur, coniugem, seprius obligasse ad castitatem, independenter à Professione.

5 In foro autem animæ standum est intentioni Vouentis, prout *Glos. in præcit. Cap.* & *Sot. cit. loc.* & Egomet latè supra in *tract. de qualit. Recipiend. q.27.*

6 Proindè, coniux reuocata, sequuta morte reuocantis, non cogitur, in Religionem redire; ex quo solemne Votum non te-nuit, vt expresse dicitur in *d. cap. quidèm.*

7 Ex altera autem parte dictum fuit, licitè non posse ad secundas nuptias transire; hoc non ex Voto solemni; quia corruit, vt dictum est, ergò aliùde; quia fortè independenter à Professione, Castitatem promiserat; secus autèm non remansisset illa obligata; quia de connexis idem est iudiciū, & sublato principali, aufertur accessorium, prout sciunt omnes, & docet iuris *Regula 42. Sayr. Thesaur. cas. lib.2. cap.9. nu.19. P. Carol. Thes. in Trax. de pænis Eccles. p.2. ver. Relig. cap.3. nu.1. Palud. in 4. sent. dist. 37. ar.2. Sanchez de matrim. lib.7. disput.25. nu.8. & disput.27. nu.13.* & *Ant. Diana p.6. moral. tract.7. Miscell. resolut.51.* qui examinant dictum quæsitum, & illud Theorema, quo dicitur, quòd obligatio semel iuridicè extincta, nunquàm conualescit.

Religiosus nullitèr Professus, an incurrat suspensionem, si Ordines sacros suscipiat, & Irregularitatem, si susceptos exerceat? Qu.40.

1 SI scitè hoc faciat, affirmatiuè *Bonac. de claus. q.2. pun.10. difficul.5. nu.4. & de censur. disput.3. pun.8. q.1.* & *Diana p.4. moral. tract.2. de Irregularit. resolut.82.* tùm quia, Ordines sacros suscipit sine iusto titulo, quod est contra *Trid. sess.14. cap.2.* tùm etiam; quia accedit ad Ordines, sine Dimissorijs legitimi Prælati, contrà *Trid. sess. 23. cap.8.*

2 Tùm itèm; quia susceptos Ordines exercendo contrahit irregularitatem, *Barbosa alleg.7. nu.31.* & latè *P. Thesaurus in d.* sua *Trax. de pænis, par.2. ver. Ordin.* & præcipuè *cap.16.*

3 Secus autèm, si ignorantèr, vel metu infamiæ; quia hæc excusant, & leges humanæ non obligant, cum tanto incommodo, in foro conscientiæ.

4 Benè verum est, quòd prudentes Episcopi, ad euitandum euitanda, àntecaquàm Regulares huiusmodi promoueant ad Ordines, coràm ipsis faciant promouendos iurare, se spontè Professionem solemnem emisisse, ac ratam habere, & habuisse, faciuntq; hoc iuramentum in actis conseruari, *Gauant. in Manual. Episc. ver. Ordines maiores, nu.28. pag.* mihi 188. & *P. Diana cit. loc.* sed non desinas videre, quæ dico in *tract. de priuilegijs Nouitiorum, q.26.* & in *tract. de reclamat. q.22.*

Religiosus, per annum portans habitum Religionis, nec cum animo profitendi tacitè, nec cum animo non profitendi, sed neutro modo se habens, an in foro conscientiæ sit validè Professus? Qu.41.

1 NEgatiuè per argumentū desumptum à matrimonio carnali ad spiritualem, *cap. cùm apud, de spons. & cap. sufficiat 27. quæst.2.*

2 Si qui enim sint, qui post contracta sponsalia de futuro, copulam habeant, siuè cum voluntate contrahendi tacitè, siuè cum voluntate contraria, hoc est, cum fornicario affectu, siuè neutro modo, non faciunt verum matrimonium coràm Deo, prout colligitur ex *cap. is, qui, & cap. tua, de spons.* & docet *Nauar. comm.4. de Regul. nu.73. §. quoniam*, & in suo *Manuali Confess. cap.25. nu.144.* vide, quæ dixi hìc suprà *qu.14.*

Professio facta in aliqua Religione non approbata; quæ postmodùm approbetur à Domino Papa, an sit valida? Quæst.42.

1 REspondeo negatiuè; quia de essentia Professionis est, vt emittatur, & fiat in Religione approbata, iuxtà *Glos. in Clem. ex eo, de sent. excomm.* & *Glos. in Clem.2. de Regul. ver. Relig.* & *in cap.1. de Regul. in 6.* & docet *Nauar. lib.3. de Regul. cons.12. nu.1.*

2 Et additur, quòd si prædicta Professio ratificaretur in eadem Religione, post nouam approbationem, absq; præuio Nouitiatu; esset paritèr nulla, ob defectum anni probationis non factæ, ex *Decr. Conc. Trid. cap.15. de Regul.* quia Nouitiatus annus est simplicitèr necessarius, & necessariò debet fieri in Religione approbata, *Nauar. cit. loc. nu.2.*

3 Nec obstat, quòd emittantur illa tria Vota Religionis, in aliquo modo viuendi approbato; quia aliud est, approbari, vt modus viuendi, & aliud, vt communis Religio; quia modus viuendi non est Religio; vt patet in Eremitis; itèm patet in Confraternitatibus, & similibus; sed vide, quæ suprà hìc dixi *quæst.20.*

Pro-

Professiones nullæ, de iure communi, quot, & quænam sint? Qu. 43.

DIxi latè in *tract. de qualitatibus Recip.* vide ibi.

An dos Puellæ, quæ per dolum, & circumuentionem, ad Profitendum fuit inducta, debeatur Monasterio? Qu. 44.

DIxi in *tract. de successione Monasterij in bonis Professorum.*

SVMMA QVAESTIONVM

Tr. XII. De Reclamatione Professionis Nullæ.

REclamatio Professionis nullæ quid sit, quando, coràm quibus, & per quot exercenda? Quæst. 1.

Quæ, & quot requirantur ad validè reclamandum? Qu. 2.

Quinquennium à Triden. præfixum à quo tempore numerandum sit? Qu. 3.

Decretum d. cap. 19. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. an comprehendat Moniales? Qu. 4.

An dictum Decretum extendatur ad Regulares Ordinum Militiarum? Qu. 5.

Præfatum Decretum Trid. an procedat in quacunq; Professione tacita? Qu. 6.

Decretum prædictum, de non reclamando, elapso quinquennio, an fundetur in aliqua præsumptione? Qu. 7.

An hæc præsumptio ratificationis Professionis nullitèr factæ, obliget in Conscientia? Qu. 8.

Professus inualidè, si post elapsum quinquenniũ, dubitet de ratificatione suæ Professionis nullæ, an in foro conscientiæ remaneat obligatus? Qu. 9.

Præfatum Decretum, an comprehendat perpetuò inhabiles ad validè profitendum? Qu. 10.

An dictum Decretum comprehendat defectus Loci non designati à S. Sede? Qu. 11.

An prædictum Decretum comprehendat omnes defectus annullatiuos, tàm intrinsecos, quàm extrinsecos? Qu. 12.

Quinquennium dicendi de nullitate Professionis, an currat Religioso minori, aut ignoranti causas nullitatis suæ Professionis, vel quouis alio impedimento detento? Qu. 13.

Hæc Decisio, an habeat locum in eo, qui agit per viam restitutionis in integrum? Qu. 14.

An hæc restitutio in integrum fundetur in aliqua causa, & quæ sit illa? Qu. 15.

Impedimentum, vel iusta ignorantia, non reclamandi infrà quinquennium, an probetur iuramento ipsius reclamantis? Qu. 16.

Quibus ex causis super Professione nulla liceat reclamare? Qu. 17.

Reclamans contrà Professionem validam, an peccet mortalitèr, & quid, si falsis testibus obtineat, à Religione exire? Qu. 18.

Causæ huiusmodi nullitatis, an debeant coniunctim proponi coràm Superiore suo, & Ordinario, vel auditis Parentibus, & Renunciatarijs interesse habentibus? Qu. 19.

Iudicium cognoscendi causas nullitatis Professionis, an comprehendatur sub cap. 20. Trid. sess. 24. de Reformat. ità, vt infrà biennium debeat omninò terminari? Qu. 20.

Religiosus nullitèr Professus, si in foro fori, causas nullitatis deduxit, ad præscriptum Trid. sed nequiuit probare, ob quod, facultatem exeundi non potuit obtinere, an possit in foro Dei, habitum dimittere, & à Religione recedere? Qu. 21.

Religiosus sacris initiatus, reclamans super nullitate Professionis, an lite pendente maneat suspensus ab exercitio ordinum susceptorum; vsquè dùm habuerit sufficiens patrimonium, aut beneficium, iuxtà Trid. pro vitæ sustentatione? Qu. 22.

Ius dicendi de nullitate Professionis, ad præscriptum Trid. an competat Apostatis? Q. 23.

Si Episcopi Loci Ordinarij, huiusmodi reclamantes renocent ab Ordine iniustè, & in sæculum dimittant, ad quid tenentur? Qu. 24.

Professi nullitèr, si per solam sententiam Episcopi Loci Ordinarij fuerint egressi, Religione penitùs inaudita, an sint Apostatæ? Qu. 25.

Si Professi, elapso quinquennio, iniustè reclament, & sine speciali licentia Papæ fuerint egressi, an sint Apostatæ? Qu. 26.

Professio in foro Poli nulla, ob carentiam libertatis ipsius Profitentis, an possit fieri valida ex Constit. Eccles.? Qu. 27.

An prædictum Decretum Vrban. VIII. de non reclamando infrà quinquennium, nisi in Sac. Congreg. & coràm Dom. Papa, comprehendat etiam dispositionem cap. 19. Concil. Trid. de Regul. sess. 25.? Qu. 28.

Professus, an possit reclamare, ex quo eius Parentes tempore Professionis habitæ, erant in graui, vel extrema necessitate? Qu. 29.

Si Coniugatus, uxore corrupta, & dimissa, in aliqua

DE RECLAMATIONE Professionis Nullæ. Tract. XII.

Reclamatio Professionis nullæ, quid sit; quando, coràm quibus, & per quos exercenda? Quæst.1.

1 RÉclamatio Professionis nullæ, est clamosa contradictio in foro fori, legitimè facta, & sic denominatur à verbo, *reclamo*, teste *Calepino*.

2 Dixi legitimè facta; quia debet fieri coràm Iudice competente, cum causæ cognitione, partibus auditis, & iuxtà dispositionem *Conc.Trid. sess.25.cap.19.de Regul.* & *Decretorum* Sacr. Congreg. editorum, iussu *Vrb.VIII.* quæ per extensum posui suprà in *tract.de Domibus Nouit.q.14.* & refert *Pyrrhus Corradus in prax.dispens.Apostol.lib.5.cap.14.* vbi ad praxim multa habes, eruditè dicta à *principio*, vsquè ad *finem*, pag. mihi 239. & *Bordon.tom.1.resolut.33.*

Quæ, & quot requirantur ad validè reclamandum? Quæst.2.

1 TRia exigit prædictum *Conc.Triden.* ad validè reclamandum; Primò, vt inualidè Professus reclamet infrà quinquennium, à die Professionis computandum. Secundò, vt causas nullitatis, ob quas, prætendit, suam Professionem esse nullam, deducat coràm Superiore suo, & Ordinario. Tertiò, vt non dimittat habitum, antè hanc suã reclamationem; & si quid horum deficiat, non debet audiri, nimirùm ad eum finem, vt iuridicè declaretur liber à vinculo Religionis; adeòque vt dimittens spontè habitum, nullatènus sit admittendus; sed debet compelli, ad suam Religionem redire, ibiquè vti Apostata puniri, prout clarè constat in *d.cap.19.*

Quinquennium à Triden. præfixum, à quo tempore numerandum sit? Qu.3.

1 REspondeo, quòd in Professione expressa debet computari, à die Professionis factæ, vt dicitur in *d.cap.19.*

2 In tacita verò, à die, quo Religiosus incepit exercere proprios actus Professorũ; peracto tamèn Nouitiatus anno; quia *Trid.* non aufert Professionem tacitam; quippè quæ, ad instar expressæ debet regulari, *Nauar.comm.4.de Regul.nu.76. & ex quibus omnibus, Sanchez de matrim.lib.7.disput.37.nu.2.* & *Barbosa*, post multos in *Collect.Doct. in d. Capit.Triden. num.7. & de potestate Episcopi allegat.104. nu.16.*

3 Si roges, inclusiuè, an exclusiuè hæc dies computetur? sunt, qui dicunt, exclusiuè; quia dies termini non computatur in termino.

4 Tu autèm dicas, istud quinquennium fore, & esse supputandum, instar anni Nouitiatus, hoc est, de momento in momentum;

ità,

ità, vt quora hora facta fuit Professio tacita, vel expressa; eadem prorsus hora, in vltima die quinquennij finiatur terminus concessus ad reclamandum, *Bonac. de claus. q. 2. pun. 11. diff. 4. nu. 2. Barbosa in d. Collect. Trid. & allegat. 104. nu. 16.*

5 Et paret ex supradictis de *Nouitiatu q. 4.* & maximè, ex illis dictionibus appositis in *d. cap. 19. nisi*, & *tantùm*, quæ taxatiuæ cùm sint, ampliationem non admittunt; alitèr esset reclamare vltrà quinquennium, quod aduersatur *Trid.*

Decretum d. cap. 19. Conc. Triden. sess. 25. de Regul. an comprehendat Moniales? Quæst. 4.

1 AFfirmatiuè, & constat ex illa dictione, ibi, *quicunque Regularis*, quæ, cùm sit vniuersalis, comprehendit omnes personas, ex *l. d. procuratore, C. mandati, & cap. solitæ, de maiorit. & obed.*

2 Et additur, quòd genus masculinum concipit fœmininum, *Glos. in cap. si quis suadente 17. q. 4. Abbas in cap. 2. nu. 3. in fin. de stat. Monach. Cæsar de Graff. decis. 1. nu. 5.* & alij plures, quos allegat *Barbos. dict. 269.* & *Meroll. tom. 1. de volunt. disput. 1. cap. 2. diff. 1. nu. 544. ver. tertiò probatur, & tom. 2. de leg. disput. 6. cap. 6. nu. 53. fol.* mihi 361.

An d. Decretum extendatur ad Regulares Ordinum Militarium? Qu. 5.

1 ET dico, quòd sic; tùm quia sunt verè Religiosi, tùm etiam, quia ità fuit à Sac. Congreg. decisum, & refert *Gonzal ad Regul. 8. Cancell. nu. 62.* & præsertim, quòad Milites S. Ioan. Hierosolymitani, *Barbosa in d. Collect. cap. 19. nu. 13.* & *Armendariz lib. 7. de Religionib. l. 7. nu. 51.* de qua re vide Eminent. *Robertum Bellarmin. in d. Cap. Trid. ver. obseruationes*, & præcipuè *Aloys. Ricc. p. 3. prax. resolut. 325. fol.* mihi 258. & *p. 4.* eiusdem *Prax. Religiosor. Ordinum Milit.* vbi per multa concludit, quòd Regulares Militares, volentes eorum Professionem annullare, tenentur seruare ad vnguem omnia, & singula stabilita in *d. Conc. Trid.* quem in proprijs terminis sequitur *Nauar.* in suo *Opusculo iuris Canonici noui, concl.* 1. alias 116. *nu. 1.* & *Barbosa in d. alleg. 104. nu. 10.*

2 Et se fundant in efficacia dictæ dictionis, *quicunque*, quæ tāquàm vniuersalis comprehendit omnes Religiosos, tàm in stricta, quàm laxiori significatione repertos, & repetit idem *Ricc.* latè in *collect. 2637.*

Præfatum Decretum Trid. an procedat in quacunq; Professione tacita? Qu. 6.

1 ET dico, quòd sic; quia *Conc.* loquitur de Professione generalitèr, quæ Professio se habet ad tacitam, & expressam, tanquàm genus ad species; & ratio generis intrinsecè clauditur in qualiber specie, vt docent *Logici*, & colligitur ex *cap. porrectum, & cap. Vidua, de Regul. & c. nullus, de elect. in 6.*

2 Et additur, quòd lex disponens indistinctè de genere, vendicat sibi locum in eius specie, *l. de pretio, ff. de publ. in rem actione, & cap. solitæ, de maiorit. & obed.*

3 Etiam, si ranta ratio non suadeat in vna, quanta in alia, *Nauar. comm. 4. de Regul. nu. 73. Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 37. nu. 1. in fin.* & *Ricc. in collect. 2637.*

Decretum prædictum de non reclamando, elapso quinquennio, an fundetur in aliqua præsumptione? Qu. 7.

1 NAuar. & *Sanch. cit. loc.* Respondent affirmatiuè, & hoc ideò; quia *Trid. in d. cap. 19.* præsumit, Professos huiusmodi, ex quo infrà quinquennium non reclamauerunt, ratificasse, seù reualidasse Professionem suam, qualiscumq; illa fuerit.

2 Proindè, elapso quinquennio nequeùt ampliùs reclamare, vt *ibi* expressè dicitur.

3 Hæc autèm præsumptio, in qua se fundat *Trid.* est iuris, & de iure, prout omnes docent.

4 Etenim, præsumptio est triplex; nēpè, alia hominis, vt est illa coniectura, seù iudicium, quod in animo alicuius hominis nascitur ex varijs coniecturis; Alia est iuris, quæ dicitur esse probabilis coniectura, ex aliquo certo signo proueniens, iure præscripto; quæ, contrario non probato, pro veritate habetur, & onus probandi in Aduersarium transfert; & alia est iuris, & de iure, quam lex tanquàm firmum ius inducit; ità, vt aduersus illam nulla admittatur probatio, *Vinc. de Franch. decis. 69. nu. 7.* & *Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 3. nu. 16. & q. 4. nu. 3.*

5 Et quomodò ex concursu plurium præsumptionum oriatur in ciuilibus plena probatio, tradit *D. Reg. Capyc. Latro consult. 123. nu. 130.* Et in criminalibus, quando sunt multum vrgentes, *ibid. nu. 133.* & quomodò vna præsumprio tollat alteram, *Idem* sua *consult. 158. nu. 20.*

An hæc præsumptio, ratificationis Professionis nullitèr factæ, obliget in conscientia? Quæst. 8.

1 NEgat *Nauar. d. comm. 4. de Regul. nu. 73.*

nu.73.ver.aduerte quartò,Sanchez d.disput.37. nu.9. cui inhæret *Remig.Scropha in moral.q.8. à Sancto Fausto de Relig.statu, lib.5. qu.87.* & *Diana 1.p.moral.tract.10.de leg. resol.27.*

2 Tùm quia,in *d.Decr.Conc.Trid.*nullum verbum dicitur de foro conscientiæ, & vbi lex tacet;nos etiam tacere debemus;sed tantùm de foro externo,prout ibi, *non audiatur, nisi infrà quinquennium*, & ibi, *nullatenus ad allegandum quamcunq; causam admittatur.*

3 Tùm etiam; quia lex fundata in falsa præsumptione,non obligat in foro conscientiæ;tùm itèm,quia ad hoc,vt Professio nullitèr facta, fiat valida, prærequiritur liber cōsensus ipsius Religiosi; secus, non potest validari; quia consensus liber est de substantia Professionis.

4 Etenim, hoc matrimonium spirituale, intrinsecè pullulat à libero consensu contrahentium.

5 Et ob id nupèr *Vrban.VIII.* voluit,vt Professio nulla, per nullitèr Professum liberè ratificaretur;secus peccaret,exercendo actus Professorum;quia inualidè Professus,licèt in externo foro censeatur Professus; tamèn in foro Dei nunquàm erit verè Professus; nisi liberè consenserit.

6 Quapropter, cessante scandalo,nedùm elapso isto quinquennio, à *Trid.* præscripto; verùm etiam,transacto quocunq; alio longo tempore, poterit Religionem relinquere, absq; metu excommunicationis; itèm habitum deponere, absq; scrupulo Apostasiæ,& Ordines suscipere, alijs tamèn seruatis, sine metu censurarū,& Vxorem ducere eaq;oīa, quæ sæculares,absq;aliqua licētia possūt;qa cū hic, de quo agitur, non sit verè Professus; nullo vinculo adstrictus estReligioni,& in foro Dei,cēsetur,ac si Professionē illā nō fecisset;quia nullum præstat impedimētum,quod de iure non sortitur effectum, *cap.non præstat,de Regul,iur.in 6. Nauar.& à Sancto Fausto cit.loc, Sayr. decis.41. de Regul.* & *Ricc.in collect.1086,* vbi multa spectantia ad prædictum *Cap.Trid.in fin.& in Collect.2637.ver.de quo quidèm*, vbi latè ostendit, quòd,forma omissa corruit actus, èt in foro conscientiæ.

Professus inualidè, si post elapsum quinquennium dubitet de ratificatione suæ Professionis nullæ, an in foro conscientiæ remaneat obligatus? Qu.9.

1 ET dico,quòd sic,tùm quia,iu dubio recurrendum est ad præsumptiones;sed *Trid.* in casu nostro præsumit,huiusmodi Professum, ex quo infra quinquennium non reclamauit, ratificasse Professionem nullam, vt in *d.cap.19.*

2 Tùm etiam; quia in casu dubij Professio stat pro Religione, & pro eadem stat præsumptio iuris,& sic Religio fouet potiora iura,retinendi dictum Religiosum, & repetendi, si fuisset egressus; tàm in foro fori, quàm in foro poli, prout *Faustus in d.lib.5. qu.87.in fin. Meroll.tom.1.disp.3.cap.3.nu.283. Sanctarell. var.resol. par.1.q.48.nu.46.* & *Ant. Diana par.4. Moral. tract.3. de conscientia dubia, resolut. 49.*

3 Secus autèm dicendum de eo,qui dubitat intrà quinquennium; quia præsumptio stat in contrarium,& perseuerat tempus adhuc profitendum.

Præfatum Decretum, an comprehendat perpetuò inhabiles ad validè profitendum? Quæst. 10.

1 SAnchez *lib.7. de matrim. disput.37, quæst.4.nu.50. Peyr.de Subdito,q.1. cap.25.§.4.Bonac.de clausf.q.2.pun.10. §.5.difficul.4.nu.7. Rodriq.in Comp.resol.101.nu.74. Tortell.in dub.Regul.ver.Professio nulla, nu.52.* & *Barbosa in d.Cap.Triden. nu.21.* Negatiuè respondent.

2 Et hoc ideò; quia *Trid. in d. cap.19.* præsumit, & præsupponit, Religiosorum Professiones, expressè,vel tacitè, etsi nullitèr factas,verificatas fuisse,ex quo intrà quinquenium omiserunt reclamare,& ob id, negat aditum huiusmodi volentibus reclamare.

3 Hi autèm perpetuò inhabiles non præsumuntur, nec possunt præsumi, tacitè Professi per ratificationem internam, neque externam; proindè possunt semper reclamare,quocunque tempore decurso,per ea multa, quæ docet *Nauar. lib.3.de Regul. conf.1. nu.11. in 1.editione.*

4 Secus autèm, quod fauore Religionis introductum est,in ipsius damnum retorqueretur,contrà *l.quod fauore,C.de leg.*& contrà vulgatam *Regulam, quod in gratiam, de Regul.iur. in 6.*

5 Etenim,prædictum *Decret.Trid.*factum fuit in fauorem Religionis, nè ipsa dui perturbaretur à volentibus è Religione exire, quod totum oppositum eueniret, si Religiosos perpetuò inhabiles minimè posset à se eijcere,vel cogeretur, elapso quinquennio detinere; quis enim sani capitis dicet,quòd mulier in Monasterio Monachorum Professa,mentito sexu,elapso quinquennio non potest ex illo exire; sed ibidem tenetur remanere, *Nauar,cons.28.nu.12. & 48. nu.2.de Regul, in 2.editio. Sanch.cit.loc, nu,32. Peyr.* & *Bonac. vbi suprà,*

6 Nec obijcies, quòd *Trid.*non vult,Religiosum audiri,vltrà quinquennium ex quacunq; causa,ibi,*Vel quacunquè ex causa*; quia

Conc.

Conc. loquitur de personis habilibus ad profitendum, ad quas illa verba *Conc.* referuntur.

7 Secus autèm dicendum de his, qui sunt perpetuò inhabiles ad validè profitendum, ità multis citatis *Bonac.* & *Sanch.* in cit. *loc.* & est communis sententia *Doctorum.*

An d. Decretum comprehendat defectus Loci non designati à S. Sede? Qu. 11.

Dixi suprà *de Domibus Nouit. q.* 3.

An prædictum Decretum comprehendat omnes defectus annullatiuos, tàm intrinsecos, quàm extrinsecos? Qu. 12.

1 PEyrin. *tom.* 3. *priuil. Minim. in additam, ad Constit.* 7. aliàs 17. *Vrban. VIII. cap.* 12. *notat.* 1. negat, ibi, *Nàm dispositio Conc. Trid. non habet locum, nisi in casibus expressis, & qui de iure ordinario, Professionē inualidant.*

2 Id ipsum tenet *tom.* 1. *de Subdito, q.* 1. *cap.* 25. §. 4. *ver. respondeo, Conc. non procedere in Professione nulla, & irrita, ex statutis Religionis, à Pontifice confirmatis, sed procedere in causis irritantibus Professionem de iure,* vt sunt exempla, quæ *ibid.* afferuntur.

3 Affirmat tamèn, & meliùs *Franciscus Bordonus tom.* 1. *resol.* 23. *de reclamat. Professionis nullæ, & cap.* 7. *de Profess. Regul. quæst.* 16. *&* 17. *& cap.* 6. *q.* 19.

4 Et colligitur ex verbis illius *cap.* ibi, *aut quid simile*; itèm ex illis, *quacunq; de causa*; quæ verba debent referri, non ad impedimenta intrinsecea, & ordinaria, *ibi* expressa, sed ad alia quæcunquè non expressa, dummodò sint perpetua.

5 Secus autèm, hæ particulæ essent superfluæ; & sine causa appositæ in *d. cap.* 19. quod dicere nefas est, quia in iure, nec vna syllaba debet esse otiosa, ex *Glos. cap. solitæ, de maior. & obed. ver. tanquàm, Sanch.* multis citatis *lib.* 3. *de matrim. disput.* 26. *nu.* 6.

6 Et additur, quòd illa dictio, *quacunquè*, propter eius generalitatem comprehendit casus, etiam dissimiles, & docet *Glos. Clem.* 1. *de sent. & re iudicat. ver. quamuis initio.*

7 Nec non, & omne genus personarum, ex *Rota Diuersorum* 1. *p. decis.* 368. *nu.* 5. *Bonac. de claus. q.* 2. *pun.* 10. *diffic.* 4. *nu.* 7. *in fin.*

8 Nec obstat dicere, quòd *Trid. in d. cap.* explicat, & exemplificat de impedimentis, quæ iure ordinario, Professionem annullant, vt si fiat antè pubertatem, aut vi, metu, & dolo.

9 Tùm quia, exempla ponuntur in notiori materia, pro faciliori captu audientium, prout *Sanch.* notat in *lib.* 7. *de matrim. disput.* 37. *q.* 4. *nu.* 35.

10 Tùm etiam; quia exempla Regulam non restringunt, *l. damni infecti, ff. de damn. infect.* & ob id, exempla posita, alia impedimēta non excludunt, *Bordon.* cit. *loc.*

11 Proindè, defectus omissionis informationum à *Sixto V.* requisitarū stat sub dispositione *d. Decreti Trid. Rodriq. tom.* 3. *q.* 17. *ar.* 17. *in fin.* quod intellige, vsquè ad *Constit. Clem. VIII.* quam suprà posui in partem.

12 Amplia conclusionem ad eum, qui inualidè professus est, ob impedimentum descendentiæ ex genere Iudæorum, vel Saracenorum, aut Hæreticorum, contrà Statutum in Ordine Minorum, *Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 30. *ar.* 2.

13 Quod itèm extende ad eum, qui Nouitiatum fecit in Loco non designato à Sancta Sede contrà *Decreta Clem. VIII.* & ab *Vrbano VIII.* confirmata, per ea, quæ dixi in *tract. de Domibus Nouit. q.* 4.

14 Quod deniquè procedit in omnibus alijs *Constitutionibus* Summorum Pontificū, etsi fuerint post *Trid.* dummodò non loquantur de impedimentis perpetuò inhabilitantibus, de quibus dixi suprà cit. *loc.*

15 Nec dices, quòd *Conc.* loquatur de impedimentis, quæ erant vetera, vel quæ existebant suo tempore; quia lex semper loquitur, *l. Arriani, C. de Hæreticis*; & lex indefinitè loquens, quòad tempus, ad omne futurum tempus debet extendi, vt Omnes notant.

16 Ideoquè, etsi *Trid. in d. cap.* prisca impedimenta exprimat, posteriora tamèn non excludit.

Quinquennium dicendi de nullitate Professionis, an currat Religioso minori, aut ignoranti causas nullitatis suæ Professionis, vel quouis alio impedimento detento? Qu. 13.

1 SVnt, qui asserunt, de communi iure ciuili, viaquè ordinaria, hoc quinquennium à *Trid.* præscriptum non currere Regulari minori, nec ignoranti tale impedimentum, nec iustè impedito, quouis alio impedimento, de quibus multa *Emanuel Rodriq. QQ. RR. quæst.* 17. *art.* 16. *& ar.* 17. *ver. ex quibus infertur*, latè *Thomas Sanchez lib.* 7. *de impedim. matrim. disput.* 37. *q.* 2. *nu.* 18. *&* 19. *Corradus lib.* 5. *dispens. Apostol. cap.* 14. *num.* 42. *Aloys. Ricc.* 1. *p. Prax. fori Eccles. decis.* 658. in 1. editio. *fol.* mihi 779. & *Barbosa de potest. Episc. alleg.* 104. *nu.* 21.

2 Et potest colligi ex multis iuribus per *Sanch.* collectis, & præcipuè ex *l. non est incognitum, Cod. in quibus causis cessat longi temporis præscript. & l. bona fidei, ff. de acquir. rer. domin.* Ex quibus habes, præscriptionem non cur-

currere minori, siuè sit decem, siuè viginti annorum; quia minor ætas,& ignorãtia sunt maximum impedimentum, *Bald.cons.29. nu. 6. & sequen.* proindè, præfatum *Trid.* quinquennium non currere, durante toto tempore inhabili, veluti durante pupillari ætate, aut aliqua causa nullitatis irremisibilis, vt sunt inhabilitates personales, *Flores de Mena q.23.nu.68.*& *Barbosa* cit.*loc.*

3 *Nec obstant*, aiunt, *illa verba Trid.* ibi, *Quamcunq; causam, quibus significare videtur, quòd, elapso quinquennio, nullitèr Professus repellitur generalitèr ab allegando quascunq; causas, quæ litem possent mouere; Quia prædicta verba referuntur ad antecedentia; nempè, ad illa, quicunquè Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, Hier. Rodriq in Comp. resolut.*101. *nu.*73. & *Barbosa in collect.ad d.Cap.Trid.nu.*21.

4 Nihilominùs, affirmatiuè respondet *Ioan. Franciscus Leo in Thes. for. Eccles. de iurisdictione ordinaria,p.2.cap.*1.*nu.*42. *Barbosa alleg.*104.*nu.*21. *Remig.Scropha in Moral. q.*8. *num.*10. & *Martin.Bonac.de claus, q.2.pun.*10. *difficul.*4. *nu.*3.

5 Tùm quia, *Trid.in d.cap.*19. vtitur illis dictionibus, *nisi*, & *tantùm*, quæ cùm sint taxatiuæ, nullam, vt dixi, admittunt ampliationem.

6 Tùm etiam; quia iuxtà dispositionem *d.Conc.* hoc quinquennium est computandum à die Professionis, non autèm à die scientiæ nullitatis Professionis, nec à die cessationis impedimenti.

7 Secus, Reclamatio fieret vltrà tempus, à *Trid.* diffinitum,& Religio nunquàm quiesceret; sed continuò vexaretur à Religiosis volentibus reclamare contrà *Conc. Trid.* cuius mens fuit, velle prouidere paci, & quieti Religiosorum.

8 Tùm itèm; quia *Greg.XIII*, ex sententia *Congreg. Conc.* declarauit, eos, qui per vim,& metum, se Religionem Professos prætenderent; nisi intrà quinquennium reclamauerint, eo elapso non esse audiendos, etiã si allegarent, vim, & metum semper durasse, prout refert *Leo* cit.*loc.* & *Barbosa in d.cap.* 19.*Trid.ver.declarationes,nu.*3. & *Bellarm.ibidem in declarat, in fin.*

9 Nec dices, quòd impedito non currit tempus, ex *l.*1.*in fin. Cod.de annali exception.* quia hoc procedit, quando tempus præfigitur in odium negligentiæ; secus autèm, quãdo tempus præscribitur in fauorem alterius, prout in casu nostro; etenim tempus ponitur in fauorem Religionis, nè diù turbetur ab his, qui volunt in sæculum redire, prout latè *Nauar.comm.4.de Regul.nu.*71.*ver.*3.*Sanch.*2 *in d.disput.*37.*nu.*19.& *Portell.p.*3.*cas.*42. vbi disputat ad partes,& benè soluit obiecta.

*Hæc decisio, an habeat locum in eo, qui agit per viam restitutionis in integrum? Quæst.*14.

1 RElpondeo, quòd legitimè impeditus ad reclamandum infrà quinquennium, proculdubio, elapso quinquennio poterit vti beneficio restitutionis in integrum, prout latè *Nauar. in d. comm.*4. *de Regul. nu.*71. *& cons.*6.*nu.*2. *lib.*1. *de his,quæ vi, Sanchez* cit.*loc. Rodriq.tom.*3.*q.*17.*ar.*16. *Ludou.Miranda tom.*1.*Manual.q.*30.*ar.*3. *Nouar. in Lucern.Regul. ver.Profess. nu.*30. *& ver.reclamare,Barbosa in d.collect.Trid. cap.*19. *nu.*8. *& allegat.*104.*nu.*17. *Zachar.Pasqualig. decis.* 432.*Ricc.*1.*p.prax.decis.*657. in 1.editio.& in *collect.*2637. & *Tyrrus Corradus* in sua *prax. dispensat. Apostol. lib.*5.*cap.*14. *nu.*14.

2 Nec his obstat *Trid.* nec tot declarationes Sac.Congr.Eminent.Cardinal.quibus cauetur,vt elapso quinquennio non pateat aditus volentibus reclamare.

Quia, debent intelligi regularitèr, & ordinatiè; secus autèm extraordinariè, ceù est remedium restitutionis in integrũ,quod in omni *Lege*, & *Decreto* intelligitur exceptũ in subsidium miserabilium personarum.

3 Nec nocet, quòd præsumptio, in qua se fundat præfatum *Decret.Conc.Trid.* sit iuris, & de iure, contrà quam nulla admittitur probatio.

Quia, hoc, vt dixi, procedit in iudicio ordinario; fallit autèm in iudicio extraordinario, in quo quis nullitèr professus intendit probare iustam causam restitutionis in integrum, allegando causas, ob quas iustè, & verè, & realitèr non potuit reclamare infrà quinquennium; quia fortè durabat causa nullitatis suæ Professionis; nempè, metus, inhabilitas personæ, vel ignorantia, vel quid simile.

4 Ideòq; de nouo admittendus; nàm aliud est, allegare causas nullitatis Professionis,& aliud, allegare causas, ob quas non potuit infrà quinquennium reclamare; prout ex *Mascardo de probat. in princ. quæst.restitutionis in integrum*, & *Sanch.lib.*1.*præsumpt.*70. & alijs supracitatis.

5 Nec obstant obiecta *Bonac. de claus, quæst.2.pun.*10.*diff.*4.*nu.*4. *ver.Ego verò*; tùm quia, ex his eliduntur; tùm etiam; quia sunt contrà praxim,& declarationem tot Emin. prout notat *Nouar.* in sua *Lucerna Regular, ver. reclamare.*

6 Tùm quia, iuxtà vulgatam iuris regulam, metus semper durat, durante eius causa, ex *l.stipulatio hoc modo concepta 43. ff.de verborum obligat.* tùm etiam; quia legitimè impedito non currit præscriptio, ex *l.*1.*in fin.C.de annali exceptione*; quæ maximè pro-

cc-

cedût in remedio restitutionis in integrum; ex quo legitimè impeditus, si omittat reclamare, tali durante impedimēto, nō pôt dici negligens ad reclamandum; quia per ipsum non stetit, *Anna singul.114. & singul.341.* & *Graff. par.1. consi.1.de Regul.nu.3.* tùm itèm; quia ità censuit sæpè Sac. Congreg. in facti contingentia, *Bellarm.* & *Barbosa in d.collect. ad cap.19. Trid.* & additur stylus Cur. Rom. *Corrad.cit.loc.nu.43.* & stylus Cur. Rom. facit ius, *Rot.decis.516.de consuetudine*, in antiq.

7 Benè verum est, quòd petitio hæc restitutionis in integrum, quæ solet fieri post lapsum quinquennij, multa exigit, ad hoc, vt sortiatur effectum suum.

8 Et Primò, vt fiat coràm Sanctissimo; quia agitur de re graui, & de remedio extraordinario.

9 Secundò, vt ab eodem Sanctissimo obtineatur, *Portell.in dub.Regul. ver.Profess.nullæ,nu.49. Ricc.in d.decis.657.* propè *finem, fol.* mihi 777. *Barbosa in d.allegat.104.num.18.* & *Corrad.cit.loc. nu.14.*

10 Quoniam, Dom. Papa non solet huiusmodi reclamationem admittere, vt de facto testatur *Bellarm.in d.cap.19.Trid.in obser. doctrinæ, ver.à die Professionis.*

11 Tertiò, vt Orator in suo libello, vt suprà porrigendo, explicet legitimas causas nullitatis suæ Professionis, nec non, & causas, ob quas nequiuit infrà quinquennium reclamare, *Ioan.Baptista Lezana par.1. summ. cap.2.de obligat.regul.nu.7.*

Quia Dom. Papa non consueuit hoc concedere; nisi priùs saltèm sūmariè, cognitis nullitatibus deducendis, & iusto cognito impedimento non reclamandi intrà quinquennium, *Barbosa in d.collect.nu.10.* & *Corradus* cit. *loc. nu.15.*

12 Quartò, vt reclamatio fiat, habitu Regulari retento, iuxtà *Trid.*

13 Quintò, vt omninò obseruentur clausulæ in rescripto appositæ; nam in his commissionibus solet apponi illa clausula; *Dummodò causas, quas prætendit, deduxerit coràm Superiore suo, & Ordinario*; Itèm, & illa, *fiat, vt petitur, cognito tamen de expositis*, per quæ verba datur intelligi, quòd requiritur causæ cognitio, partibus auditis.

14 Item, & illa, *Dummodò huiusmodi Professionem tacitè, vel expressè non ratificauerit*; quia si ratificasset, non auditur, & in dubio præsumitur pro Religione.

15 Item, & illa, *Dummodò decennium à die emissæ Professionis lapsum non sit*; quæ clausula tempore *Vrb.VIII.* consueuit apponi, secus anteà, vt latè notat *Corrad.in d. prax.nu.53.* quippè, qui ad ritè obtinendum huiusmodi beneficium restitutionis in integrum, elapso quinquennio apposuit, per extensum modum, & formulam supplicandi Romanum Pontificem.

16 Non enim nouum est; etiam aduersus sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam succurri ex causa, & habetur in *l.si mater, ff.de except. rei iudicatæ*, *Sanchez in d. disput.37.nu.22.* vbi multa cumulat, & est omninò videndus cum *Nouar.in Lucerna Regul. ver.Profess. nu.30.*

An hæc restitutio in integrum fundetur in aliqua causa, & quæ sit illa? Q. 15.

1 AFfirmatiuè ex supradictis, & est *Decisio Rot. Rom.34. p.2. diversorum*, & *Cardin.Seraph. decis.635.nu.1.*

2 Et fundamentum eius, potissimùm est, læsio iustitiæ; quia ipsa restitutio in integrū non datur, sine læsione iustitiæ, & læsio non habet locum, vbi iniustitia, vel nullitas deficit, *Put.decis.16. de restit.spoliat.* & nascitur ex violatione legis, prout latè ead. *Rot.Rom. decis.13.* sub 10. die Decembris 1621. coràm *R.P.D.Merlino*, in vna *Vlisbonens.Professionis*, in qua multa habes de Professione tacita Regularium, & de tempore ad reclamandum contrà expressam, post notitiam nullitatis, & refert per extensum *D.Ascan. Tambur. in prax.gubernandi Moniales*, inter *Decisiones Sac.Rot.Rom. fol.38.* & *Barbos.in d. collect.ad cap.19.Trid.nu.15.in fin.*

Impedimentum, vel iusta ignorantia non reclamandi infrà quinquennium, an probetur iuramento ipsius reclamantis? Qu. 16.

1 NEgatiuè; quia contrà sic iurantem stat præsumptio iuris, & de iure; aduersus quam nulli creditur; maximè in foro externo, *Caiet.2.2.q.88.ar.1.in fin. Sot. de iustit.lib.7. q.1. ar.2. ver.arguitur autèm*, & *Nauar.in summ.cap.12.nu.27.*

2 Etenim, reclamantes, ex quacunquè causa, elapso quinquennio non sunt audiendi, ex *Trid cap.19. sess.25.de Regul.*

3 Dixi, maximè in foro externo; quia secus procedit in foro interno conscientiæ, per ea, quæ notat *Sanch.de matrim. lib.7.disput.37.nu.14.in fin.Portell.in dub.Regul. ver. Profess.nulla reclamatio, nu.49.* & *Barbosa in d.Cap.Trid. nu.12.*

4 Perindè, si Prælatus, consideratis omnibus diligentèr coniiceret, iurantem dicere veritatem, posset coràm Deo, illi credere, & consequentèr, excluso scandalo, illum dimittere è Monasterio; quia in his rebus sufficit certitudo moralis, *D. Barthol. à Sancto Fausto lib.5. q.89.*

Qui-

Quibus ex causis, super Professione nulla liceat reclamare? Qu. 17.

1 MVltæ sunt causæ, ob quas contingit, Professos reclamare; & harum aliæ sunt intrinsecæ, & ordinariæ; ceù est defectus consensus simulati, & ficta promissio; Aliæ verò sunt extrinsecæ, vt defectus consensus Monasterij, integritatis anni Nouitiatus, omissionis informationum, ad præscriptum *Sixti V.* & Loci designati, iuxtà *Decreta Clem. VIII.*

2 Et harum aliæ sunt perpetuæ, vt defectus sexus legitimi ad validè profitendum, ob quem Vir censetur perpetuò inhabilis ad profitendum in Monasterio Mulierum, & è contrà Mulier, ad profitendum in Monasterio Virorum.

3 Et aliæ temporales, vt sunt defectus ætatis, vis, metus, & similium, quæ tractu tẽporis desinunt esse, & cessant impedire validitatẽ Professionis, de quibus latè *Bonac. de clauf. q. 2. pun. 10. §. 1. difficul. 1. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 37. quæst. 4. nu. 30.* & Egomet latè in *tract. de Domibus Nouit. qu. 3.* & *Bordon. resolut. 8.*

Reclamans contrà Professionem validam, an peccet mortaliter, & quid, si falsis testibus obtineat, è Religione exire? Qu. 18.

1 SI Religiosus reclamat contrà Professionem validam, & ad id probandum vtatur falsis testibus, dubio procul peccabit mortalitèr, & restat Religioni obligatus.

2 Proindè, tenetur ad Regulam, & damnum illatum; quia iniustè fecit, & fraudulenter discessit; & nisi habeat animum redeundi, est verè Apostata, & Apostatarum pœnis subiectus.

3 Quod procedit in omni discessu à Professione valida, tacitè, vel expresè, *Bonac. de clauf. q. 2. pun. 10. diffic. 5. nu. 1.*

Causæ huiusmodi nullitatis, an debeant coniunctim proponi coràm Superiore suo, & Ordinario, vel auditis Parentibus, & Renunciatarijs, interesse habentibus? Qu. 19.

1 AFfirmatiuè deciditur respectu Superioris, & Ordinarij in *d. cap. 19. Conc. Triden. sess. 25. de Regul.* ibi, *Et tunc non alitèr, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coràm Superiore suo, & Ordinario.*

2 Et colligitur ex illa dictione, *&*, quæ regularitèr est coniunctiua, & copulatiua; vt in *l. si quis ità stipulatus, ff. de verbor. obligat. l. si hæredi plures, ff. de cond. instit. l. hæredi, §. Caio, ff. de fundo instructo*, & notat *Menoch. cons. 111. nu. 9. & cons. 117. nu. 54.* & *Gonzal. ad Regul. Cancell. 8. §. 7. proœmiali, nu. 123.*

3 Hic autèm Superior, coràm quo est reclamandum, non erit Superior totius Religionis, vel Prouinciæ, sed actualis Prior, seù Guardianus illius Monasterij, in quo fuit emissa Professio.

4 Et nomine Ordinarij intelligitur Episcopus illius Loci, in quo existit illud Monasterium, prout sępè fuit à Sac. Congreg. decisum, & refert, multis citatis *Barbosa in alleg. 104. nu. 12. & in collect. ad cap. 19. Trid. nu. 23. Corradus cit. loc. nu. 20.*

5 Amplia, vt nomine Ordinarij, veniat etiam eius Vicarius Generalis, Abbas, & omnis alius Prælatus, habens iurisdictionem, quasi Episcopalem in suo Territorio; itèm, & Capitulum, Sede vacante, *Bonac. cit. loc. de clauf. q. 2. pun. 10. difficul. 3. nu. 3.*

6 Amplia, vt id ipsum procedat in Superiore, cui in causa restitutionis in integrum fiunt commissiones super nullitate Professionis, iuxtà dispositionem *Trid.* vnà cum Ordinario, & decisum refert *Barbosa*, & *Corradus cit. loc.*

7 Hinc, si Superior per se solùm Professionem nullam declaret, & Religiosum è Monasterio eijciat; illum tenetur ad Monasterium reuocare, ex quo processit in declarando contrà formam à *Trid.* præscriptam, actus est nullus, & eiectus tenetur redire; quia formæ nihil addi, vel detrahi potest, ex *l. 1. §. opus nouum, ff. de nou. oper. nunciat.*

8 Forma etenim est de genere indiuisibilium, vt latè infrà dicam; Benè verum est, quia si Loci Ordinarius, simul sit Superior eiusdem Monasterij, in quo fuit emissa Professio; nimirùm, si Monasterium sit vnitum Episcopatui, solus Ordinarius potest de hac nullitate cognoscere; quia dùm *Conc.* vtrũq; coniungit, & hoc coniunctum in vna persona reperitur; supponit, vtrumq; adesse, *Barbos. in d. allegat. 104. num. 11.* & *Corradus cit. loc. num. 23.*

9 Amplia, id ipsum procedere in secunda, & tertia instantia, & totiès, & quando huiusmodi cognitio super nullitate Professionum fuerit à Dom. Papa Ordinario Loci, & Superioribus eiusdem Religionis vicinioribus copulatiuè, seù coniunctim commissa; quia in his est procedendum, sicut in prima instantia, prout refert à Sac. Congreg. decisum *Ioan. Franciscus Leo* in suo *Thesaur. fori Eccles. p. 2. cap. 1. nu. 42.*

10 Quod tene menti; quia sępè accidit, vt Orator in causa nullitatis suæ Professionis,

nis, in prima instantia succumbat, non probando, quod tenebatur probare, & ob id appellet ad Sanctam Sedem, à qua cognitio causæ huiusmodi committitur Ordinario, & Superiori Religionis coniunctim, sicut in prima instantia, *Pyrrhus Corradus* cit. *loc. nu.* 24. *in fin.*

11 Negatiuè verò respondetur respectu Parentum, vel Renunciatariorum, qui interesse habent in bonis Professi reclamantis, quos nō est necesse in hoc iudicio audiri, & ratio est; quia principale interesse est Religionis; istorum verò secundariū, & ità latissimè probat, & decisum refert *Io. Bapt. Larrea in decis. 63. & 64. Senat. Granaten.* qui infinitos *DD.* citat, & est in hoc articulo omninò videndus.

Iudicium cognoscendi causas nullitatis Professionis, an comprehendatur sub cap. 20. Triden. sess. 24. de Refor. ità, vt infrà biennium debeant omninò terminari? Quæst. 20.

1 Sacra Congregatio *Conc. Trid.* censuit, quòd sic, & refert per extensum *Barbosa in declarat. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19. nu. 3. in fin.* de quo *Decreto* terminandi causas infrà bienninm multa dicit *Franciscus Leo in Thes. fori Eccl. p. 2. cap. 1. nu. 70.*

Religiosus nullitèr Professus, si in foro fori causas nullitatis deduxit ad præscriptum Trid. sed nequiuit probare, ob quod facultatem exeundi non potuit obtinere, an possit in foro Dei, habitum dimittere, & à Religione recedere? Quæst. 21.

1 Affirmatiuè; deducto tamèn scandalo, & præiudicio alterius; quia ex quo verè Professus non est coram Deo, non tenetur in Religione permanere, *Bonac. de clauf. q. 2. pun. 10. difficul. 3. nu. 4.*

2 Nec obstat, quòd lite pendente non licet aliquid innouare, & quòd huiusmodi è Religione recessus indiget declaratoria Iudicis, & quòd nulli licet ius sibimet dicere, *l. nullus, ff. de testam.* quia hæc procedunt cum dicta limitatione, & in foro fori, & quando causa esset dubia; secus autèm in claris; præcipuè; quia fori solemnitas non tangit ius conscientiæ; multa enim sunt de foro Cæsaris, quæ non sunt de foro Dei.

3 Dixi, secluso scandalo; quia Væ homini illi, per quem scandalum venit.

4 Dixi, ablato præiudicio alterius, quod fortè occurreret, si Religiosus, nulla pendente Iudicis declaratoria, sub prætextu Professionis nullæ recederet à Claustris, & in Sæculum rediret; quia in tali casu priuaret Religionem sua possessione, quam in Professum habet, & per Professionem acquisiuit.

5 Quod procedit, etiam si possessio sit contrà ius, prout, multis citatis *Ricc. par. 4. decis. 86. nu. 3.* & colligitur ex *cap. persona, de priuil. in 6.* & docet *Anania in cap. cùm venissent, nu. 1. de instit.*

6 Quod amplia habere locum, etiam in eo, qui prætendit, suam Professionem esse nullam, ex quo fuit emissa infrà annum probationis, Nouitiatu non facto, in quo casu, ipso iure est nulla, nullamq; inducit obligationem, iuxtà dispositionem *Trid. sess. 25. cap. 5. de Regul. Ricc. in d. decis. nu. 4. in fin.*

Religiosus sacris initiatus, reclamans super nullitate Professionis, an lite pendente maneat suspensus ab exercitio Ordinum susceptorum; vsquè, dùm habuerit sufficiens Patrimonium, aut Beneficium, iuxtà Triden. pro vitæ sustentatione? Qu. 22.

1 Respondeo affirmatiuè; quia lite stante sub Iudice huiusmodi reclamantium, Religionis priuilegia ijs non suffragantur, sed potiùs suspenduntur; etenim ordinari ad titulum Religiosæ paupertatis, est priuilegium Religionis, quo vtuntur verè Professi, vel qui tales se existimant, bona fide; quod non potest dici de Reclamātibus, dùm sub Iudice lis est; quia aut res est dubia, aut sunt possessores malæ fidei; sed in dubijs tutior via est eligenda; ideoquè debent abstinere ab exercitio Sacrorum Ordinum, in Religione susceptorum, & ità seruatur in praxi.

2 Nec ista suspensio sibi dimittitur à Domino Papa, vel propter alias causas; nisi, ob adeptionem sufficientis Patrimonij, aut Beneficij, ad vitæ sustentationem.

3 Hi, namquè, vt decet, Professione annullata remanent, vt Clerici sæculares, qui ad præscriptum *Sac. Conc. Trid.* & *Constitut. Pij V.* debent ordinari; secus autèm, *Pyrrhus Corradus in prax. dispens. Apostol. lib. 5. cap. 14. nu. 55.* & Egomet latè dixi suprà in *tract. 6. de priuilegijs Nouit. quæst. 26. & tract. 11. de Professione nulla, q. 40.*

Ius dicendi de nullitate Professionis ad præscriptum Trid. an competat Apostatis? Quæst. 23.

1 Ex *cap. 19. Trid. sess. 25. de Regul.* quæsitum negatiuè resoluitur, ibi, *quod si*

si anteà habitum dimiserit nullatènus ad allegandum quamcunq; causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquàm Apostata puniatur; interim verò nullo priuilegio suæ Religionis tueatur, hæc ibi.

2 Quod *Decretum* procedit in Professione quacunquè, tàm expressa, quàm tacita, vt diximus suprà; quia loquitur indistinctè, & generalitèr, & præcipuè in foro exteriori, *Nauar. comm. 4. de Regul. nu. 77.*

3 Benè verum est, quòd hoc *Concil. Decretum*, etiam quoàd forum clamosum non procedit in eo Professo, qui habet iustam causam dimittendi habitum suæ Religionis, ceu est, qui non potest habere licentiam eundi ad reclamandum; nec ire, nisi habitu deposito; vel quia ei non permittitur proponere causam coràm Ordinario, & ob id, habitu dimisso, aufugit, vt reclamet.

4 Nec obstat *Decretum* præfati *Concil.* quia loquitur de his, qui temerè dimittunt, & colligitur ex illa dictione, *sponte*; qui enim dimitteret ex insta causa, non diceretur spôtè dimittere; sed coactè, ex causa, scilicèt impellente, *Nauar. cit. loc.* & ob id, abest resoluta voluntas dimittendi habitum, quod est de ratione Apostasiæ, tùm quia *d. Decretum Conc.* intelligitur ex æquo, & bono, quatènus non reassumat habitum; uàm illo reassumpto, poterit audiri; quia non videtur humanum, denegare perpetuò audientiam ei, qui iustam causam reclamandi habet, ex sola habitus dimissione, etiam temeraria; præsertim; quia mens *Trid.* est prouidere spolio Religionis, ob quod iuta denegaut prorsus adientiam spolianti; donec spoliatus ad pristinam professionem sit restitutus, *cap. 5. de restit. spoliat. & cap. 2. eod. tit. Sanch. disput. 37. nu. 1. & 4. de matrim. lib. 7.*

5 Igitur, restituto Monasterio ad suam pristinam possessionem per redditum Monachi, & ad reassumptionem habitus, poterit concedi audientia, vt expressè docet *Nauar. in d. comm. 4. de Regul. nu. 78. in fin.* & latè *Aloys. Ricc. p. 4. decis. 48. & 3. p. prax. fori Eccles. resolut. 320.* vbi eadem repetit, & *Pasqualig. decis. 432.*

6 Proindè, si quis, cessante scandalo, & præiudicio alterius, habitum dimittat, & fugiat à carceribus, antè reclamationem, & antè quàm deducat causas nullitatis suæ Professionis coràm Ordinario, & suo Superiore; sciens, aut inftè credens, suam Professionem non valere coràm Deo, in foro conscientiæ non peccat mortalitèr; nec etiam, quoàd forum fori meretur subire pœnas Apostatum, in *d. Conc.* præscriptas. Quia ex parte rei Religiosus non est, vt supponitur, & Religio nullum ius habet in eum, ex quo non est verè Professus, *Ricc. resol. 320.* & *Sanchez cit. loc. nu. 3.*

7 Et eò fortiùs, quia Rom. Pontifex, ex legitimis causis solet alicui Regulari habitus dimissionem concedere ad tempus, prout sibi meliùs benè visum fuerit, *Corradus in d. prax. lib. 5. cap. 14. nu. 48.*

Si Episcopi Loci Ordinarij huiusmodi reclamantes reuocent ab Ordine iniustè, & in sæculum dimittant, ad quid tenentur? Quæst. 24.

Dixi suprà *de Domibus Nouitiorum, quæst. 13.*

Professi nullitèr, si per solam sententiam Episcopi Loci Ordinarij fuerint egressi, Religione penitùs inaudita, an sint Apostatæ? Qu. 25.

Dixi suprà *de Domibus Nouitiorum, quæst. 13.*

Si Professi, elapso quinquennio iniustè reclament, & sine speciali licentia Papæ fuerint egressi, an sint Apostatæ? Quæst. 26.

Dixi suprà in *tract. de Domib. Nouitiorum, qu. 14.*

Professio in foro poli nulla, ob carentiam libertatis ipsius Profitentis, an possit fieri valida ex Const. Eccl.? Qu. 27.

1 Negatiuè; quia actus Professionis, quatènus se tenet ex parte Professi, dicit connexionem necessariam, ad liberam voluntatem ipsius Profitentis, quæ nô potest suppleri per Dom. Papam; nàm repugnat, vt quis dicatur liberè, & coactè insimul profiteri, *Rodriq. tom. 3. q. 17. ar. 16. in fin.*

2 Ergò, sese euertit dicere, quòd quis coactè, & liberè profiteatur; nec itèm per Altissimum Deum, iuxtà illud *Augustini* dictum, *qui fecit te sine te, non saluabit te, sine te*; quia ad hominis salutem, & iustificationem, necessariò requiritur voluntas nostra libera; secus autèm.

3 Benè verum est, quòd actus inualidus ex aliqua lege positiua, potest per Legislatorem validari, vt si dicat, *ad hoc, vt actus valeat in externo foro; volo, vt vestiatur talibus circumstantiis*, vt patet in *Testam.* & docet noster *Remig. Scropha in tract. de inualida Prof. dub. 10. nu. 5. & in moral. q. 8. nu. 5.*

4 Sed

4 Sed aliud est loqui de extrinsecis, & aliud de intrinsecis spectantibus ad validitatem Professionum Religiosorum.

An prædictum Decretum Vrb. VIII. de non reclamando infrà quinquennium; nisi in Sac. Congreg. & coràm Domino Papa, comprehendat, etiam dispositionem cap. 19. Conc. Triden. de Regul. sess. 25.? Qu. 28.

1 Affirmatiuè *Remig. Scropha in moral. quæst. 8. ar. 10.* ibi, *Immò rigorosiùs proceditur contra istos; nàm virtute Conc. infrà quinquennium poterat nullitèr Professus, prætendere nullitatem coràm Superiore suo, & Ordinario: Modò hoc non sat est; non enim potest coràm Superiore litigare; sed oportet, ire ad Sacr. Congreg.* hæc *ibi.*

2 Cui fauet *Pyrrhus Corrad. in prax. disp. Apostol. lib. 5. cap. 14. nu. 11. in fine*, ibi, *Quinimmò licèt anteà de stylo introductum videretur, vt etiam infrà quinquennium, pro huiusmodi irritanda Professione, ad Romanam Curiam, eiusq; Signaturam, recurreretur; per quam eiusdem nullitatis declaratio, committi consueuerat; eò itèm modo, quo ab ipso Conc. statutum est; nimirū Ordinario Loci, & Superiori Domus, & quãuis, absquè hoc speciali rescripto, potuissent dicti Superiores, intrà dictum tempus super huiusmodi nullitate procedere; ex quo contrarium colligi non potest ex contextu prædicti Concilij.*

3 *Attamèn hodiè omnis prorsus difficultas sublata est, cùm Sacra Congregatio Concilij, tàm super hoc, quàm alijs Capitibus, circa huiusmodi Professionem, quid de cętero seruandum sit, statuerit; dùm præcepit, quòd etiam infrà quinquennium requiratur specialis commissio Summi Pontificis;* hæc *ille.*

4 Et colligitur ex illis verbis *Decreti Vrban. VIII.* ibi, *Ad occurrendum motibus, qui possent in Religionibus oriri;* Quæ verba, generalia cùm sint, includunt omnes casus.

5 Itèm, & ex illis, *inhibendo, &c. nè inposterùm in hoc quoquo modo, se ingerant, absq; speciali eiusdem Sanctitatis commissione.* Quæ dictio, cùm sit paritèr vniuersalis, continet omnes modos, etiam improprios, ex *l. quidam, §. 1. ibid. Gloss. ff. de fideicom. liber.* & notat *Menoch. cons. 344. nu. 19.* vbi ait, quòd includit modos maiores expressis, & facit aliqua comprehendere, quæ aliàs minimè comprehenderentur.

6 Et aliquãdò ponitur pro *quomodocunq;* vt in *l. si extraneus, ff. de condict. causa data;* itè pro quocũq; casu, vt in *l. si cùm dotem, ff. soluto matrimonio, & in l. his solis, ff. de condit. indebit.* prout ex multis colligit *Aug. Barbosa de dict. & claus. dict. 286.*

7 Quod prudentèr factum est, tùm quia omne graue negotium debet referri ad Dominum Papam; tùm etiam, quia agitur de voto solemni, cuius cognitio spectat ad eundem Pontificem; maximè quando tractatur de *Constitut. Concil. & Conc. Trid.* vt dixi suprà, & praxis obseruat.

8 Nec dices, *Decretum* prædictum loqui tantùm de prætendentibus reclamare super nullitate Professionis, orta ex defectu Nouitiatus facti in loco non designato; secus autèm in alijs; quia in *d. Decreto* nulla reperitur dictio taxatiua; vndè, etsi occasio reclamandi fuerit desumpta ex Nouitiatu indebitè facto; prouisio tamèn facta est vniuersalitèr in fauorem Religionis, & ad occurrendum omnibus motibus volentium reclamare super nullitate Professionum, vndecunquè, & quomodocunq; prætensa, & hoc pro communi quiete Religiosorum.

Professus, an possit reclamare, ex quo eius Parentes, tempore Professionis habitæ, erant in graui, vel extrema necessitate? Quæst. 29.

Dixi latè in *tract. de qualitat. recip. q. 20. 21. & 22.* vbi huius generis multa habes.

Si coniugatus, vxore corrupta, & dimissa, in aliqua Religione Professionem faciat; an possit elapso quinquennio reclamare, & ab illa recedere ad nutum? Quæst. 30.

1 Hic casus non est de rarò contingentibus, & de eo plura dixi in *tract. de qualit. Recip. q. 16. & 17.* & ad praxim *Pyrrhus Coradus lib. 5. cap. 14. nu. 25.* & *Barbosa in d. cap. 19. Conc. Trid. de Regul. sess. 25. ver. declarationes, nu. 3. in fin.* vbi notat, quòd in facti contingentia Sac. Congreg. censuit, scribendum esse Ordinario Loci relictæ vxoris, qui prout iuris est, in isto casu procedat.

2 De quo iure est omninò videndus *Abbas in cap. Constitutus, & cap. veniens, de Conuers. Coniugat.* nàm solemni Professione peracta, & præcipuè elapso quinquennio, exigitur sententia declaratoria Domini Papæ, & ob id non debet ad nutum licentiari.

Defectus Loci non designati, an perpetuò inhabilitet Profitentes? Qu. 31.

1 Negatiuè, per ea multa, quæ dixi in *tract. de Domib. Recipiend. q. 3.*

Iudicium annullandi Professionem, ob defectum Loci non designati, ad quos spectet? Qu. 32.

DIxi suprà in *tract. de Domib. Recip. quæst. 9.*

Religio, an teneatur de nouo recipere legitimè dimissos, si voluerint in Religionem redire? Qu. 33.

1 AFfirmatiuè, per ea, quæ dixi in *tract. de domib. Recip. q. 15.*

Nullitèr Professi, & malè egressi, an sint recipiendi, & quomodò? Qu. 34.

DIxi in *tract. de domib. Recipiend. quæst. 16.*

An Religio possit reclamare contrà inualidè Professum, eodem modo, & iure, quibus potest è contrà, Professus nullitèr, reclamare cōtrà Religionē? Q. 35.

1 REspondeo affirmatiuè; tùm quia, correlatiuorum idem est iudiciū, & de vno dispositum, trahitur ad alterum, ex *l. fin. ff. de accept. l. fin. C. de indict. viduit. tollend. l. si quis seruo, C. de fur. Card. Tusch.* multis cumulatis *concl. 1041. lit. C.* & *Farinac. in fragm. lit. E. num. 235.*

2 Et horum correlatiuorum, vnum non potest esse sine alio, *Nauar. com. 3. de Regul. nu. 44.* & in correlatiuis, si quid est prohibitum vni, videtur, & prohibitum alteri, *Menoch. cons. 136. nu. 10.* & *Gonzal. in 8. Reg. Cancell. Glos. 50.*

3 Et correlatiuorum sublato vno, & alterum censetur tacitè sublatum, *l. alteri, ff. de adim. lega.* & vno expresso, dicitur expressum, & aliud, prout, multis citatis *Ioan. Mar. Nouar. decis. 141. nu. 4.*

4 Religio autèm, & Religiosus sunt correlatiua; etenim se habent, vt mater, & filius, vt omnes sciūt, ergo totum illud, quod *Trid.* disponit de Religiosis Professis ad reclamandum, censetur dispositum ad beneficium Religionis, alitèr non essent pares, nec forent correlatiua, sed ad imparia iudicarentur; quod non potest dici, *Bordon. de Profess. Regul. cap. fin. & var. resol. 23. num. 6.* & *Ioan. Anton. Nouar. 2. p. sum. Bull. tit. de reclamat. Relig. aduersus Professionem nullam*, vbi per extensum addncit *Decretum* Sac. Congreg. iussu *Vrban.* editum.

5 Tùm etiam, quia exprefsè constat ex eodem *Decreto Vrb.* ibi, *Si verò, vt suprà Recepti, & Professi è Religione exire, vel Superiores eos eijcere ausi fuerint.*

6 Quibus in verbis Dominus Papa supponit, Religionem posse, & debere reclamare, iuxtà dispositionem præfati *Trid.* ergò.

Religio, apud quos Iudices debeat reclamare? Quæst. 36.

DIxi suprà, & constat ex eodem *Decreto Vrb.* & *Conc. Trid. cap. 19. sess. 25. de Regul.*

Si solus Superior illius Domus, in qua Nouitius Professus est, nullitatem nouit, an possit vnà simul cum Episcopo Loci super hac nullitate iudicare? Quæst. 37.

1 NEgatiuè, si Prælatus Monasterij solus sit, vt nequeat per alios huiusmodi nullitatem probare; tum quia, dictum vnius, dictū nullius; tùm etiam, quia in hoc casu fungeretur officio Iudicis, & Partis, contrà dispositionem *can. nullus 49. q. 4.*

2 Nec in eo casu sufficeret solus Ordinarius Loci, sine Superiore Monasterij Nouitiatus; quia vterquè Iudex concurrere debet; alias sententia foret nulla; nempè data contrà formam *Conc. Triden. Nouar.* & *Bordon. cit. locis.*

An Religio possit ritè reclamare contrà bonum, & honestum Religiosum, inualidè tamèn Professum; sed sine sua culpa, vtputà, quia Professus in Loco non designato, vel antè ætatem, vel infrà annum Nouitiatus, vel sine legitimo consensu Capituli? Qu. 38.

1 REspondeo, quòd in tali casu, etsi Religio peccaret contrà Charitatem, expellendo Nouitium innocentem, eumq; priuando suo iure quæsito, ad validè profitendum; expulsio tamèn teneret; tùm quia, Religio in hoc casu vtitur iure suo; tùm etiam, quia nullum ius reperitur in contrarium, quod in casu posito Professus nullitèr non debeat exire.

Si nullitèr Professus nollet exire, an habeat aliquod remedium ad remanendum in Religione? Qu. 39.

1 REspondeo, quòd non, obstante reclamatione Religionis, poterit nullitèr Professus suam professionem publicè, & coràm testibus, etiam Superiore inscio, rati-

ratificare; virtute cuius, nō potest ampliùs à Religione eijci, nec ipse exire; quia validè Professo, non competit ius reclamandi, quod in vtroque procedit, prout *Nouar. cit. loc. n. 8.*

2 Sed in casu nostro, Professio est valida, siuè per primam Professionem, siuè per subsequentem ratificationem, parùm refert; satis est, quòd sit valida, prout ex multis ostendit *Bordon. cap. 7. q. 30. de Profess. Regul.* & latè in *var. resol. 23. q. 4.*

3 Quapropter, pars vtraque debet cessare à reclamatione; secùs fieret contra iustitiam; nempè, contra Professionem validam, quod non potest fieri, nec esse, sine peccato mortali, & præiudicio vtriusquè.

4 Insupèr, & contra Ecclesiam, quæ non vult, vt eijciantur, qui Professionem ratificauerunt, & patet ex suprà posita *Bulla Vrb. VIII.* & consuetis rescriptis Rom. Pontific. in quibus solet apponi illa clausula; *dummodò Professionem non ratificauerit*, quam clausulam purificant Coniudices, mediante iuramento volentis exire.

5 Nec dices, quòd fraus nemini debet patrocinari; quia hæc actio bona est, & specificatur à fine, quod est, validè in Religione remanere.

6 Nec obstat, quòd cœpisset reclamare; quia sumus in re integra, in qua datur locus pœnitentiæ.

An Religio, elapso quinquennio, possit reclamare super nullitate Professionis sui Subditi? Quæst. 40.

1 NEgatiuè, de iure ordinario, vt patet ex dictis; secùs autèm, per viam restitutionis in integrum.

An Religio, absquè interuentu Episcopi Loci, possit hodiè eos à se expellere, qui contrà Statutum Ordinis, Professionem fecerunt? Qu. 41.

1 N*Auar. lib. 3. de Regul. consil. 5.* in 1. editio. *nu. 13. in respons. ad 4. quæstion.* docet, quomodò in illo tempore potuisset Religio per suos solos Prælatos maiores; nēpè, per Generales, vel Prouinciales Ordinis cum eorū Capitulis, inualidè Professos, morbo affectos, & consimiles eijcere, ibi, *Quod remedium est eis, cuius Professio non est valida, ob prædicta, supplicare Prælatum Ordinis sui, qui sit Iudex competens eius, humilitèr, vt declaret, Professionem eius non valere, & itá non debere manere in Monasterio, agendo actus, quos non licet ei agere; nec impensis aliquibus, comedēdo, bibendo, & vestiendo, Conuentum grauare, & requirere, vt id faciat, vocato priùs Sindico, & eo audito, & vt ferat sententiam in scriptis, præsente Notario Monasterij præfati, & toto Conuentu, vel aliquibus testibus, in quibus contineatur, quòd ipse, ob tales causas non est verè Professus; & ideò declaret, cum non esse verum Religiosum Monasterij præfati, & dimittat eum, exutum veste, in nomine Domini; concedendo illi patentes literas sententiæ, & dimissionis, vt possit facere fidem suæ dimissionis, ad viuendum inter alios, ad gloriam Dei, & salutem Animarum*: hæc ille.

2 Id ipsum affirmat *Rodriq. tom. 3. q. 11. ar. 2.* vbi quærit, an isthæc dimissio debeat fieri in Capitulo Generali, & *in fin.* ponit cautelam expellendi; itèm *ibid. q. 17. ar. 9.* vbi tractat de laborante morbo Gallico, vel aliqua infirmitate contagiosa, & per extensum portat *Priuilegium Leon. X.* quod omnibus competit, ob communicationem.

3 Et sequitur *Ludou. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 52. ar. 2. concl. 5. & Laurent. Peyr. tom. 1. de Subdito, q. 1. cap. 25. §. 4.* multis citatis, quod fuisse in praxi testatur.

4 Attamèn hodiè, ab his cauendum est; tùm quia, hoc nobis prohibetur de iure Canonico, ex argum. *cap. cùm ad Monasterium, §. fin. de stat. Monach.* vbi Doctores communitèr docent, quòd agere de voto solemni, ad solum Pontificem spectat; tùm etiam, quia agitur de re graui, & de communi bono Religionis, cuius Generalissimus est Dominus Papa; tùm itèm, quia hodiè ad vnguem est obseruandum *Decr. Vrb. VIII.* suprapositum, quod omnes comprehendit, & nullum excipit; itèm, & *Decretum cap. 19. sess. 25. de Regul. Trid.* quod quippè comprehendit omnes defectus, vt dictum est, exceptis perpetuò inhabilitantibus; qui paucissimi sunt, & priuilegia, quæ aduersantur *Conc. Trid.* non viuunt, nec valent; tùm itèm; quia hodiè, seclusо casu incorrigibilitatis, non licet è Religione expellere quenquam, prout patet ex *Decreto* Sac. Cong. Emin. Cardinal. edito ex speciali mandato *Vrb. VIII.* sub die 21. Septembris anni 1624. Et habetur, inter cętera de Apostatis, in *tom. 4. Bullar. Cherub. pag.* mihi 267. §. 6. ibi, *Ad hæc, vt inposterùm è Religionibus nullus legitimè Professus*, de qua re vide, quæ dico in *tract. de expulsis, & eiectis.*

5 Nec his obstant priuilegia Religiosorum; tùm quia, vt dixi, fuerunt expressè abrogata in prædictis *Decretis*, tùm etiam, quia, contra dispositionem *Conc. Trid.* nihil operantur, *Bonac. de clausu. q. 2. pun. 12. §. 1. nu. 6.*

DE OBLATIS Religiosorum. Tract. XIII.

Oblatus vndè dicatur, & quotuplex sit? Quæst. 1.

1 OBlatus dicitur à verbo, offero, ceù donatus à verbo, dono; quò fit, vt is, qui se, & sua obtulit Monasterio, absquè eo, quòd Professionem emittat in aliqua Religione, à Santa Sede approbata, dicatur Oblatus, *Panorm. in cap. non est dubium, de Regular. Couarr. in cap. alma mater, p. 2. relect. §. 2. nu. 8.* vbi ostendit differentiam inter Conuersum, & Oblatum, *Sylu. in summ. ver. Oblat. & Erasm. à Chokier in tract. de iurisdict. Ordin. in exemptos, p. 1. q. 19. nu. 1.*

2 Hi autèm Oblati sunt in duplici differentia; nàm quidam dicuntur Oblati plenè; qui-

quidàm verò, non plenè: Ptimo modo, illi censentur esse, qui in forma iuris valida perpetuò, inreuocabilitèr, & cum effectu, se ipsos, & sua bona omnia, præsentia, & futura, nulla prorsus, quamuis minima, eorum portione, neq; in vsumfructum sibi reseruata, Religioni obtulerint, vel alicui Ecclesiæ donauerint.

3 Secundo modo, censentur illi, qui offerunt, vel donant sine contractu valido, qui solet stipulari cum debiris clausulis per publicum Notarium, coràm Testibus, & Iudice ad contractus, vt patet de donationibus, quæ fiunt in dies. Vel si donent bona, sed non personas, vel è contra; aut si offerant bona, sed non omnia, vel si donent omnia, & sibi teseruent aliquid in vsum, vel proprietatem, vt infrà immediatè dicemus, & docent, multis citatis *D. Reg. Carol. Tap. in auth. ingressi, C. de Sacros. Eccl. cap. 10. nu. 9.* vbi latè, & *D. Capiblancus de Baronib. tom. 1. pragm. 8. par. 3. nu. 55.* vbi mirificè de re nostra.

4 Itèm, hi quidam sunt Regulares; alij autèm, non Regulares, sed Sæculares, seù Ecclesiarum Sæcularium, de quibus omnibus latè *Pauorm. in cap. vt priuilegia, de priuil.*

5 Et Regulares; quidam sunt in Monasterio; quidam verò extrà; quidam cum contractu; quidam verò emitten tes Professionē, vt Conuersi; quidam autèm sunt in Monasterio, sine professione, & contractu, vt Tertiarij, qui actualitèr deseruiunt.

Quonàm modo Sæculares debeant fieri Oblati, & in oblationem admitti? Q. 2.

1 SÆculares, qui desiderant conuerti ad Dominum in via Patriarchæ Sancti Dominici, vel Sancti Francisci, debent esse viri Catholici, vitæ exemplaris, non autèm criminosi, non ære alieno grauati, non rariocinijs obnoxij, sed tales, quales Religiosorum status exposcit, & nos latè suprà diximus in *tract. de qualit. Recipiend.*

2 Nec hi debent admitti, aut tales fieri, nisi iuxtà statuta Ordinis, cui se offerunt, & donant, & ad præscriptum Sacrorum Canonum; nàm vltrà prædicta, alia multa requirūtur de iure canonico, quorum primum est, mutatio habitus, quo à Laicali statu distinguantur; prout dicitur in *cap. vt priuilegia 24. de priuilegijs*, ibi, *Hoc autem de illis Confratribus intelligitur, vel qui adhùc manentes in sæculo, eorum Ordini sunt obligati, mutato habitu sæculari, &c.* vbi *Glos.* subiungit, *mutato habitu sæculari; ità, quòd habitus illos distinguat ab habitu sæculari, licèt ex toto non habeant habitum Monachalem*: hæc *ibi.*

3 Et *Glos. in Can. duo sunt genera 7. verbo Conuersi 12. q. 1.* dicit, *& habebunt habitum illorum, eum quibus conuersantur*; id ipsum eadem *Glosa in Can. in nona 16. q. 7. & in cap. cùm dubium 5. in fin. de sent. excommunicationis.*

4 Secundū est, vt donatione irreuocabili teneatur sæcularis, se perpetuò tradere Religioni, vel sæculari Ecclesiæ. ad hoc, vt verè sit Oblatus, & docet *Glos. in Can. vt lex continentiæ 40. 27. quæst. 1. verb. Professi, & in cap. per exemptionem 9.* ibi, *perpetuòq;* *Oblati, de priuil. in 6. Clem. 1. in fin. de decimis, & cap. cùm congregare, §. 5. & cap. tuarum*, & refert decisum *Capella Tholosana*, vbi *Aufrerius decis. 8. Rodriq. quæst. Regul. p. 2. q. 123. art. 1. Barbosa de iure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 39. §. 2. nu. 44. Marta de iurisdictione, p. 4. casu 113. nu. 37. Card. Tuschus tom. 5. lit. O. conclus. 16. Couarr. in cap. alma mater, p. 2. relection. §. 2. nu. 8. de sent. excomm.* & declarauit Sacr. Cardinalium Congregatio, cuius *Decretum* per extensum, vide infrà.

5 Tertium est, vt præfata donatio fit, & fiat planè, & cum effectu, hoc est, quòd non reperiatur facta in fraudem, siuè simulatè de persona, & bonis; quia sic nihil illa operabitur, prout docet *Glos. in d. Clem. 1. de decimis, in fin.* vbi ponderans illud verbum, *cum effectu*, subnectit, *tollit hoc verbū fictiones, & fraudes, itèm conditiones, & pacta, quæ suspensum tenent talium oblationum effectum.*

6 Id ipsum docet *ibidem Ioan. Andr.* vndè non gauderet hoc faciens, ad fugiendum onera Communitatis; quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari, *cap. Sedes, de rescriptis, Syln. ver. Eccl. 1. dict. 5.* post *num. 5.* & *D. Reg. Tap. in d. auth. cap. 10. nu. 16. in verb. fina.*

7 Et his collige, prædicta requiri copulatiuè, ità, quòd si vnum desit, desinat, & contractus, & quòd inter cetera, duo plenè debent in hoc contractu concurrere, & reperiri; nempè, plena donatio personæ, & plena donatio bonorum, & hæc sequitur ad illam, vt quid accessorium ad principale, seù, vt accidens ad substantiam.

8 Vndè, si Oblati non Professi regularitèr, licentiarentur à Monasterio, bona per eos oblata reuocantur à Monasterio, *Bald. consl. 240. in fin. lib. 5.* quia videtur deficere causa finalis, *Castr. cons. 69. visa quadam cōmissione, in fin. lib. 1.* & alij plures, quos sequitur, & allegat *D. Episc. Maranta tom. 3. in respons. 64. nu. 23.* tùm quia, accessorium sequitur principale; tùm etiam, quia sub illa tacita conditione, intelliguntur donata, si in Religione permanserit; ergò ei recedenti, sunt omnia restituenda; prout præcipit, ac statuit *Conc. Trident.* de Nouitio, qui, relicto Monasterio, regreditur ad sæculum, prout elegantèr aduertit *Dom. Regens Sanfelic. tom. 2. decis. 191. nu. 2. & 3.*

Sim-

Simplex donatio bonorum facta Monasterio, an comprehendat futura? Qu. 3.

1 ET dico, non, quia sicut in simplici oblatione personæ non includuntur bona, vt Sacra Congregatio declarauit; ità in simplici donatione bonorum nō comprehenduntur futura, sed tantùm præsentia, *D. Reg. Tapia in d. auth. ingressi, ver. sua, cap. 10. nu. 14.* & *Sanch. in decal. lib. 7. cap. 34. nu. 1.*

2 Proindè, si quis simplicitèr obtulerit bona sua, non erit immunis à gabellis, etsi bona præsentia oblata transeant in proprietatem, & dominium Ecclesiæ.

Oblati in Religione viuentes, an sint personæ Ecclesiasticæ? Quæst. 4.

1 HI Fratres laici, qui Oblati nuncupantur, aut sunt in Monasterio, emissis tribus votis, sub aliqua Regula, & Religione approbata à S. Sede, & sic, re vera, sūt verè Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ, ceù cęteri Conuersi, qui veram Professionē emittunt in manu Prælati; quia sic habent totum illud, quod est necessarium ad faciendum verum Religiosum, *D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 7. Couarr. in cap. alma mater, p. 2. relect. §. 2. nu. 8.* & docet *Glos. in cap. vt priuilegia, ver. mutato habitu, de priuil. Rodriq. tom. 2. QQ. RR. q. 123. art. 1.* & latè *tom. 3. q. 21. ar. 1. Barbosa*, multis citatis *2. p. de off. & potest. Episcopi, allegat. 12. nu. 38. & 39.*

2 Aut sunt in Monasterio ex donatione, & contractu, cum habitu aliqualitèr mutato; & hi etiam sunt Personæ Ecclesiasticæ; quia, etsi careant ordine, & professionem non emiserūt; nihilominùs sunt personæ Deo dicatæ, & deuotæ, habitu, & habitatione Religiosis consimiles, vt latè probamus *quæstione sequenti*, vbi requisita ponimus.

3 Vndè, quemadmodum, & alij Tertiarij collegialitèr viuentes, debent gaudere Religionū priuilegijs, fori, & canonis, & immunitatis à gabellis, & vectigalibus, & habetur expressè in *cap. non dubium, de sent. excomm.* vt dictum est, & docent *Rodriq.* cum præcit. *vbi suprà, & tom. 3. QQ. RR. q. 1. ar. 8.* & magis diffusè *qu. 21. ar. 1.* & *Sylu. ver. Ecclesia 1. q. 5. dict. 5.* vbi latè, *Nauar. lib. 3. cons. 7. 12. & 81. de Regul.* edit. 1. *Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 29. ar. 3. Paul. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. nu. 2. vers. similia, Lezana tom. 2. summ. QQ. RR. cap. 8. num. 5.* & multis citatis *D. Reg. Tap. in d. auth. cap. 10. nu. 6. & 16.* & *D. Capiblanc. tom. 1. de Baronib. pragm. 8. par. 3. nu. 54. & seq.* vbi diffusè de re, & ego ad prædictorum maiorem claritatem iterùm quæro.

Oblati Regulares, in Monasterio existentes, an gaudeant priuilegijs suæ Religionis? Quæst. 5.

1 PEritissimus *P. Frater Emanuel Rodriquez tom. 2. QQ. RR. quæst. 123. ar. 1.* cum suo *Compen. resol. 104. Nauar. lib. 3. consil. 49. de Regul. Sanchez lib. 7. Decalog. cap. 8. nu. 42. & 43. Leonard. Duard. in comm. Bullæ Cœnæ lib. 2. in can. 15. q. 7. conclus. 3. nu. 9. Barbos. p. 2. de off. & potest. Episcopi, allegat. 12. nu. 39. & in lib. 1. de iur. Eccles. vniuers. cap. 39. §. 2. de priuil. Clericorum, nu. 44. Ioan. Bapt. Lezana par. 2. summ. cap. 8. de Conuersis, Laicis, & Oblatis, nu. 5. & 6. & par. 4. ver. Oblati, nu. 4. Castr. Pala. tract. 12. par. 2. nu. 10. Pelizzarius*, quem nouissimè post hæc, hùcusq; impressa vidi in suo *Manuali Regul. tom. 2. de vsu priuil. tract. 8. cap. 1. sect. 4. q. 9. nu. 68.* & clariùs *in tract. 8. cap. 6. sect. 2. de exemptione ab Ordinario, q. 7. nu. 99. Aloys. Ricc. p. 3. prax. resol. 128.* vbi quærit, an Oblati teneantur ad gabellas, *Erasmus à Chokier in tract. de iurisdictione Ordinarij in exemptos, p. 1. q. 19. nu. 2. Marta de iurisdict. p. 4. cent. 2. cas. 113. nu. 37. D. Reg. de Ponte in tract. de iurisdict. tit. de Oblatis, fol.* mihi 301. in manuscriptis, *D. Reg. Carol. Tap. in authen. ingressi, C. de sacros. Eccles. verbo sua, cap. 10. nu. 19. D. Reg. Fanfelic. tom. 1. decis. 1. nu. 10.* & magis clarè in *tom. 2. decis. 191. nu. 7.* & *D. Capiblanc. tom. 1. prag. 8. p. 3. de Baronibus, nu. 54.* post Collectaneum famosissimorum, & grauissimorum *Doctorum*, dicunt, quòd hi Oblati non gaudent priuilegijs suæ Religionis, nisi se, & sua obtulerint, & perpetuò stent, & seruiant in Religione, sub Obedientia Prælati; ducunturquè ex multis: Primò, ex immediatè decisis; quia scilicèt sic in Communitate viuentes, censentur Personæ Ecclesiasticæ.

2 Secundò, ex *cap. Ecclesiarum seruos 12. quæst. 2.* vbi immunitas Ecclesiastica non suffragatur Seruis Ecclesiarum; nisi actu seruientibus, & colligitur ex illis verbis, *Sed serui suprascriptorum officiorum, in eorum vsibus, vel Ecclesiæ laborent.*

3 Nota, quæsō ly, *sed*; quia coniunctio est discretiua, siuè aduersatiua, teste *Calepino*; discernit enim Seruos gaudentes priuilegio Clericali, à non gaudentibus.

4 Tertiò, ex *Decret. cap. 11. Conc. Trid. sess. 24. de Reformat.* vbi priuilegia, & exemptiones Oblatis Religiosorum concessa, & concedenda, limitantur solùm ad eos, qui infrà septa Monasteriorum, & sub eorum obediētia actu viuunt, & constat ex illis verbis, ibi, *Exceptis tamèn ijs, qui prædictis Locis actu seruiunt, & intrà eorum septa, ac domos resident, & sub eorum obedientia viuunt:* hæc ibi.

5 Quartò, ex *cap. quidam 32. de priuil.* vbi D. Papa, ex eo solùm determinat, Confratres

tres huiusmodi, non gaudere priuilegijs exemptionis; quia remanserunt in domibus suis,& liquet, ibi, *Verùm quandiù huiusmodi Fratres moram in Domibus suis fecerint, eos compellere poteris ad dicta iura tibi integrè persoluenda*: hæc *ibi*, vbi *Glos.in ver.moram*, subiungit, *& ità non sufficit sola receptio; nisi sequatur translatio plena.*

6 Quintò, ex quadam Declaratione Sac. Congregat. qua dictum fuit, Oblatos Religionis S.Ioannis Hierosolymitani, non gaudere priuilegijs suæ Religionis; nisi actu Militiæ seruiant, vel actu stent in domibus illorum,& sub illorum obedientia,& refert idem *Barbos.* in cit.*loc.de iure Eccles.nu.44.in medio, fol.*mihi *376.* & sequitur *Lezana in d.par.4. ver.Oblati,num.5.* & habetur expresse in cit. *loc.Conc.Trid.*ibi, *aut Militijs actu seruiunt.*

7 Et meritò hoc *ibi* dictum est, quia aliquis nō dicitur esse de numero Militum, aut Scholarium, priusquàm sit inter eos numeratus, *l.ex eo tempore,ff.de Militar.testam.l.Miles, ff.ex quibus causis maiores, Rebuff. de priuileg. Scholar. priuil.*141.

8 Quod totum ad Oblatos aliorum Religiosorum extendit *Glos.in cap. penult. de priuil. ver.moram, & Erasmus à Cochter in d.q.19. nu.3.*

9 Sextò, ex *cap.cùm, & plantare,§.de Confratribus, & cap.suarum,de priuil.& cap.per exemptionem eod tit.in 6.* Vbi dicitur, quòd ad fruendum priuilegio fori, & immunitatis à Gabellis, & Sæcularibus exactionibus, requiritur, vt oblatio prædictorum sit perpetua, & irreuocabilis, & refert de communi *Rodriq.in d.tom.2.q.123. ar.1.* vbi ex multis ostendit, quòd Oblati Religiosorum, qui mutato habitu non manēt in sæculo, sunt personæ Ecclesiasticæ; secus autèm, si in sęculo manent, quod priùs dixit *Glos.in cap.vt priuilegia 24. de priuil. ver. mutato habitu Sæculari, Couar.in cap.alma mater,par.2. §.2. nu.*8. & alij, quos allegat,& sequitur *Barbos.* in cit.*loc. de iur.Eccles.nu.44.in med.*

10 Vltimò mouentur ex alijs Declarationibus Sac.Congregat. factis iussu *Vrb.VIII.* fuit enim primò propositum infrascriptum dubium, *An Oblati alicuius Religionis iudicandi sint Personæ Ecclesiasticæ, adeò, vt fori priuilegio,& immunitate à Vectigalibus gaudeant.*

Sacra Congregatio, dubio semel, atquè iterùm examinato censuit, *Oblatos priuilegio, & exemptione, ità demùm debere potiri, si in forma iuris valida perpetuò irrefragabilitèr, & cum effectu, se ipsos,& bona sua omnia præsentia, & futura, nulla prorsus, quauis minima earum portione, nequè in proprietatem, nequè in vsumfructum sibi reseruata, Religioni obtulerint, & habitum aliqualitèr mutauerint; quòd si omnia prædicta simul non concurrant, nequè fori priuilegio, nequè immunitate à Sæcularibus exactionibus frui posse.*

11 Secundò, cùm in eadem Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium *Conc.Trid.*interpretum, iussu eiusdem D.Papæ propositum esset infrascriptum dubium.

An Oblati alicuius Religionis iudicandi sint Personæ Ecclesiasticæ, adeò, vt fori priuilegio, & immunitate à Vectigalibus gaudeant.

Sacra Congregatio, dubio semel, atquè iterùm proposito, ac examinato, cēsuit, *Oblatos priuilegio, ac exemptione, ità demùm debere potiri, si in forma iuris valida perpetuò, & irreuocabilitèr, pleuè, & cum effectu, se ipsos, & bona sua omnia, præsentia, & futura, nulla prorsus quauis minima eorum portione, nequè in proprietatem, nequè in vsumfructum sibi reseruata, Religioni obtulerint, & habitum aliqualitèr mutauerint. Quòd si omnia prædicta simul non concurrant, nequè fori priuilegio, nequè immunitate à Sæcularibus exactionibus frui posse, vt in sequentibus casibus.*

Primò, cùm quis obtulit personam cum reseruatione bonorum.

Secundò, cùm obtulit personam, nulla bonorum facta mentione, quippè non includuntur in simplici oblatione personæ.

Tertiò, cùm obtulit personam, & aliquam tantùm partem bonorum, quamuis maiorem.

Quartò, cùm obtulit bona omnia præsentia, & personam reseruato vsufructu.

Quintò, cùm obtulit personam, & bona omnia præsentia tantùm.

Sextò, cùm obtulit personam, & bona omnia præsentia, & futura, sed posteà à Superiore Religionis aliquam eorum partem, quamuis minimam, in emphyteusim recepit.

Septimò, cùm obtulit bona, vel omnia, vel partem eorum, absquè persona, quo casu personā offerentem fori priuilegio non gaudere, sed bona in Religionem cum effectu translata, esse immunia à Vectigalibus; dummodò offerens vsumfructum eorum sibi non retineat, eo namquè casu bona immunia non esse, etiam quòad proprietatē.

His tamèn omnibus casibus, quibus Oblati à priuilegio, & exemptione à iure communi excluduntur, seruandam esse cuiusquè Religionis consuetudinem, cuius vigore, ipsi tale ius priuilegij, vel exemptionis acquisiuissent.

Et per extensum refert authenticè *D. Augustinus Barbos.in d.1.lib.de iur.Eccles. cap. 39. §.2. nu.44.& 45.de priuilegijs Cleric.& in in Collectanea Bullarum,ver.Oblati, Aldan. in compend.canon.resol. lib.1.tit.10.nu.14. & 15. Nouar.in Lucern.Reg.ver.Oblati*, de qua Declaratione latiùs agit in *tract.de elect.& variat. fori,q.64. sect.2. Lezana tom.2.summæ, cap. 8. num.*8.

12 Ex quibus omnibus *D.Donatus Antonius de Marinis,tom.1. resol.quotid. cap.117. nu.6.*

num.6., post Collectaneum Illustrissimorum *Iurisconsultorum*, pro Regno Neapolitano normam, & theoricam vniuersalem instituendo, de communi, & vnanimi consensu Doctorum dicit, *Has qualitates requiri ad eximendum Oblatos à foro Laicali, & functionibus Fiscalibus.*

Prima, quòd Oblati, de quibus agitur, alicui Religioni probatæ eorum personam per legitimam, & expressam dedicationem obtulerint, & dicauerint.

Secunda, quòd fiat oblatio, nulla bonorum reseruatione, aut eorum vsusfructus facta; ità, vt in Oblationis instanti, omnia ad illud Monasterium transferantur.

Tertia qualitas, quòd in eorum Domibus, & cum Vxoribus non commorentur.

Quarta, quòd perpetuò stent, & seruiant Religioni.

Quinta, quòd modo debito Religionis portent habitum, à Saecularibus euidentiùs distinguentem.

Vltima, quòd non in fraudem ciuilium munerum hæc fiat Oblatio, vnum agentes, & aliud simulantes: hæc ille, *fol.* mihi 285. in impressione Neap. de anno 1641. cui subscribunt *Diana p.4. moral. tract.1. resol.31.* & *Lezana par.4. summ. in ver. Oblati, nu.4.*

Et possunt colligi ex *Capitulo Regis Roberti*, sub *tit. de Oblationibus, Priuilegio Clericorum, & quando ipso gaudere debent, vel non, fol.* mihi 359. in impressione Veneta, de anno 1590. vbi inter cętera hæc habentur.

Nos itaquè, diligenti habito super his, perpensoquè consilio: aduertentes proindè, quòd Fratres huiusmodi, nisi Religioni probatæ, se omninò reddiderint, suprà Religiosum portãtes habitum, à sæculari euidentiùs distinguentem, bonorum suorum retentione non facta, seù partis ad vsumfructum eorum, vel si cum vxoribus suis in domibus proprijs commorentur, non sunt communitèr à Laicorum eximendi legibus, sed iuris communis subijciendi Regulis, & præceptis. Deuotioni vestræ, præsentium authoritate mandamus, quatènus vbi Confratres, vel Oblatos tales in nostra Prouincia reperiri contingat, qui, vt prędicitur, non omninò, & se totalitèr eum monastico habitu diuinæ Religioni reddiderint, de bonis aliquid retinentes in vsumfructum: vel proprio, vel eum vxoribus proprijs commorantes, eùm sub nudæ appellationis velamine, & in fraudem accepisse munus huiusmodi Oblationis, rationabilitèr iudicet, & continet eos effectus, in collectis generalibus, subuentionibus, & muneribus cęteris personalibus, & realibus, siuè mixtis, quæ vniuersalitèr imponũtur Regni nostri fidelibus, personarum, & facultatum conditione pensata, contribuere, respõdere, & obedire, & parere deuotè, districtiùs, quibus expediens fuerit, remedijs cõpellatis, cogentes ipsos eorum Dominus satisfacere, respondere, & obedire paritèr de omnibus, in quibus illis, tàm personalitèr, quàm realitèr tenentur, & debent; nec non in ciuilibus, & criminalibus, coràm competentibus Iudicibus citati respondeant, prout ad vniuscuiusquè officium dignoscitur pertinere: hæc *ibi.*

Quod *Capitulum*, vti consonum iuri canonico, & Declarationibus Sacræ Congregationis, reformatum minimè vidi, nec audiui; vide, quæ dixi hìc suprà *q.2. in 3. requisito*, & *Campagnam* super hoc eodem *Capitulo Regis Roberti*, quod est 200. iuxtà suum ordinem, & in *Clementin. de vita, & honestate Cleric. nu.46.* & D. *Reg. Tap. lib.1. iur. Regni, titul. de Oblatis.*

Oblati in Religione viuentes, an possint validè matrimonium cõtrahere? Q.6.

1 DOminus Regens *Tap. in d. authen. ingressi, verbo sua, cap.10. num.6.* D. *Capiblanc. tom.1. Pragmat.8. p.3. nu.54. de Baronibus, Sylu. ver. Ecclesia, q.5. dict.5.* & *Couar. in cap. alma mater, p.2. relect. §.2. num.8.* ad quæsitum respondent affirmatiuè, si Votum castitatis non emiserint.

2 Amplia, vt hi, in tali casu possint validè nubere, & retrocedere; etiã si fecissẽt votum simplex Castitatis. Nàm Votum simplex Castitatis impedit matrimonium contrahendum; sed non dirimit, vbi fuerit contractum, *Miranda tom.1. Manual. Prał. q.29. ar.4.*

3 Verùmtamen peccarent, violando tale Votum, *Layman. vbi suprà,* & colligitur ex *cap. vnico, de Voto, & Voti redemptione, in 6.* & docet *Glos. in cap. vt lex continentia 27. q.1. ver. atquè* Conuersi, vbi dicit, quòd Conuersi, qui Professi non sunt, matrimonium contrahere non vetantur.

4 Quod dictum, verum esse ad maiorem claritatem, nupèr Sac. Congregat. declarauit, cuius verba per extensum refert *Barbos. de iur. Eccles. lib.1. cap.39. §.2. de priuil.* Cle*ric. nu.45. in med.*

5 Amplia, vt hi possint validè contrahere, sed non licitè, etiam inuito Superiore Monasterij, & hoc ideò; quia Religiosam Obedientiam, vt supponitur, minimè promisetũt.

Oblati vxorati in sæculo stantes, an gaudeant priuilegio fori, & immunitatis à Gabellis? Quæst.7.

1 HÆc quæstio est valdè difficilis, & nimis intricata, circa quam discrepant, & variant *Doctores*, licèt hìc suprà *q.5.* videatur decisa.

Tu autèm, vt scias punctum litis, & statũ controuersiæ, diligentèr aduerte Primò, quòd priuilegia, quibus potiuntur Oblati in Religione viuentes, sunt in duplici differentia;

quæ-

quædam competunt ipsis, quatènus personæ Ecclesiasticæ sunt; & quædam competunt ipsis ratione Religionum, quarũ sunt Oblati.

2 Secundò aduerte, quòd hi Oblati, dũ degunt in sæculo, extrà septa, iuxtà prædicta *Decreta* Sac. Congregationis, & *Conc. Triden. sess. 24. cap. 11. de Reformat.* priuantur vsu priuilegiorum suæ Religionis; perindè laboriosiùs quærendum est, an hi in sæculo viuentes, remancant, sintq; verè, & propriè Personæ Ecclesiasticæ, an verò largè, & impropriè?

3 Ad quod quæsitum negatiuè respondēt omnes illi famosissimi, ac eruditissimi *Doctores*, quos allegatui hìc suprà *qu. 5.* & mouentur ex pluribus vrgentissimis rationibus, quas *ibidem* extendi, & hìc non repeto, ob breuitatem, quam affecto.

4 Et addunt, quòd Priuilegium Clericale, de communi iure Canonico, de directo, & per se, nulli censetur indultum; nisi habentibus ordines, aut in Religioso statu existentibus, *cap. non dubium, cap. Parochiales, cap. ex tenore, & cap. de Monialibus, de sent. excomm.*

5 Hi autem, de quibus agitur, vt supponitur, non sunt ordinibus insigniti, nec in Religione viuentes; nàm ille dicitur in Religione viuere; qui degit intrà septa, sub actuali obedientia Prælati; iuxtà Regulæ disciplinã, nempè, vt Professus, aut, vt Nouitius, vel, vt Conuersus, cum Professione, vel sine; vt infrà dico in *tract. de Conuersis.* Quorum nullus, his potest adaptari; ergò, hi propriè, & verè non possunt dici Personæ Ecclesiasticæ.

6 Hinc, *Hostiensis in dict. cap. non dubium, Caiet. in cap. 10. de excomm. in percutientes Clericum, ver. nota septimò, Rodriq. tom. 3. q. 21. ar. 4. Chokier in tract. de iurisd. ordin. in exempt. 1. p. q. 19. nu. 13. Duar. in com. Bull. Cen. lib. 2. in can. 15. q. 3. nu. 3.* & *Lezana p. 2. summ. cap. 8. nu. 6. & p. 4. ver. oblati, nu. 6.* inferunt, Priuilegium *Canonis, si quis suadente, &c.* non extendi ad hos Oblatos in sæculo stãtes, quià scilicèt non sunt Personæ Ecclesiasticæ, & ampliant, proindè, instar Laicorum posse collectari, puniri, & castigari, *Ricc. p. 3. praxis, resolut. 128. Barb. alleg. 12. nu. 39.* & *lib. 1. de iur. Eccl. cap. 39. de priuil. Cler. nu. 44. Lezana* cum ceteris allegatis, vbi suprà.

Et hanc opinionem, etiam sequitur, & multis citatis tutatur D. *Reg. Sanfel. tom. 2. decis. 191. nu. 7. in fin. fol.* mihi 79. *D. Donatus Ant. de Marin. tom. 1. cap. 117. nu. 5. Nouar. de elect. & variat. fori, q. 64 num. 5. D. Capiblanc. tom. 1. Pragm. 8. p. 3. nu. 54. in princ. de Baronib.* & *D. Reg. Tapia in d. authen. ingressi, verbo sua, cap. 10. nu. 19.*

7 Alij verò Viri grauissimi, de quibus meminerunt *D. Reg. Tap. D. Reg. Sanfelic.* & *Barbos.* cum præcitatis, vbi suprà, dicũt, sufficere, ad hoc, vt Oblati gaudeãt Priuilegijs suæ Religionis, vel Ecclesiæ, cui se tradiderunt, quòd manentes in sæculo, sint Oblati plenè, perpetuò, & irreuocabilitèr, & mouētur ex multis.

8 Primò, ex *cap. cùm, & plantare, §. de Cõfratribus 3. de priuil.* vbi habentur hæc propria verba, *De Confratribus hoc constituimus vt si non se prædictis Fratribus omninò reddiderint, sed in proprijs suis omninò duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum suorum sententia nullatènus eximantur*; hæc *ibi*, vbi *Glos. in ver. nullatènus*, inquit, *& ità remanent de Iurisdictione Episcoporum.*

9 Secundò, ex *cap. vt priuilegia 24. eod. tit.* vbi deciditur, sufficere, ad effectum, vt Cõfratres gaudeant Religionis priuilegio, quòd manentes in sæculo, Ordini sint Oblati, mutato habitu sæculari, & quòd bona sua dent Religioni inter viuos, retento sibi vsufructu, & liquet in illis verbis, *Hoc autem de illis Cõfratribus intelligimus, qui vel, adhùc manentes in sæculo, eorum Ordini sunt Oblati, mutato habitu sæculari, vel eis, qui bona sua dederunt inter viuos, retento sibi (quandiù in hoc sæculo vixerint) vsufructu.* hæc *ibi.*

10 Tertiò, ex *Text. cap. per exemptionem, de priuil. in 6.* ibi, *Perpetuoquè Oblati*, & ex *tex. Clem. 1. de decimis*, vbi in *fin.* leguntur hæc verba, *Cęterùm præmissa extendi nolumus ad animalia, quæ per Religiosorum ipsorum Donatos, seù Oblatos tenētur, dùmtamen illi Religiosis eisdem cum effectu donauerint, aut obtulerint se, & sua*, hæc ibi, vbi *Glos. in ver. se, & sua*, subnectit, *Non sufficit ergo, quòd bona donassent manentes in sæculo, ipsorum fructu retento*, de quibus *Capit. Barbos.* in cit. *loc. de iur. Eccles.* multa dicit, allegando *Doctores.*

11 Quartò, ex *Decreto cap. 11. Conc. Trid. sess. 24. de Reform.* vbi Oblati extrà septa viuentes, subijciuntur Episcopo Loci, exindè inferunt, ergò sunt personæ Ecclesiasticæ, aliàs non subderentur.

12 Quintò, mouentur ex quadam Declaratione Sac. Congregat. cui fuit proposita hæc difficultas.

An Oblati, qui omnia supradicta adimpleuerint, fori priuilegio, & supradicta exemptione gaudeant, quamuis matrimonio copulati sint, siuè antè, siuè post oblationem contraxerint.

Sacra Congregatio respondit, *Gaudere, siuè antè, siuè post, de licentia Superioris Religionis matrimonium cõtraxerint*; & refert per extensum *D. August. Barbos.* in cit. *loc. de iure Eccles.* & aliam huic omninò similem, in facti contingentia refert *Laur. Peyr. tom. 3. priuil. Minimor. in additam ad Constitut. Iulij II. cap. 3. nu. 34. fol.* mihi 79.

13 Quæ autem opinio sit probabilior, alijs iudicandum relinquo.

14 Verumtamen, vt audio, hæc secunda opinio in hoc Regno minimè practicatur, vt

vt probant, & referunt *D. Reg. Sanfelicius dict. decis. 191.* & nouissimè *D. Eusebius Danza in addition. ad Grammat. dec. 10. nu. 18. 19. & 20.*

Oblatus plenè, si matrimonio copuletur, & indè liberos suscipiat, an per superuenientiam liberorum, possit donationem reuocare; vel eius filij possint oblata paterna ab Ecclesia repetere? Quæst. 8.

1 DE iure communi, donatio à Patre facta, mox ob superuenientiam filiorum reuocatur, iuxtà vulgatum *text. l. si vnquàm, C. de reuocan. donat.* vbi latè *Tiraquell. ver. reuertatur*, & *Clar.* post multos *§. donatio, q. 22.* & *Viuius in Sylua comm. opin. opin. 310.*

2 Quod procedit in vtroque foro, *Seraph. decis. 829.* & *Molf. in summ. in tit. de contractib. cap. 17. nu. 65. tom. 2.*

3 Et est verum, etiam si donator in instrumento donationis renunciasset dictæ *legi, si vnquàm*; quia Pater nō potest filijs præiudicium inferre, saltèm quoad legitimam. Vndè filij post donationem procreati, Patre mortuo, possunt iam dictam donationem reuocare; legitima .n. debetur filijs post mortem Patris, *Clar. cit. loc. ver. hac etiam opinio est proculdubio magis æqua, & benigna*, & secundùm eam testatur, plurièsfuisse iudicatum. *Thes. decis. 112. nu. 7. Surd. in tract. de Aliment. tit. 8. priuil. 31. q. 2.* quia naturali discursu non potest præsumi, quòd quis velit, in sua successione extraneum filijs præferre; & sic fundamentum dictæ *legis, si vnquam*, est verisimilis mens donātis; quia scilicèt, si tempore donationis de filijs cogitasset, talem donationem non fecisset; ità communitèr *Doctores*, & valdè eruditè docet *D. Reg. Tap. in d. cap. 10. nu. 26.* vbi ex multis ostendit, hanc oblationem posse reuocari, saltèm per superuenientiam liberorum.

4 Proindè, filius natus, iure communi potest repetere saltèm legitimam portionem suam, si pater omnia bona donauit, vt in *tit. C. de inofficiosis donat.* imò, nedùm partem, sed etiam, & totum reuocabit *d. l. si vnquàm*, & *ibi* ferè omnes *Doct.* & *Reg. Tap. vbi suprà.*

5 Hæc autèm, an locum habeant in donatione facta Ecclesiæ, cum distinctione respondeo; aut loquimur de iure fori; aut de iure poli; Primo modo, hoc est de iuris rigore, donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ, ob superuenientiam filiorum non reuocatur in totum; sed tantùm, quòad legitimā, & habetur expresè in *Decret. 17 q. 4. can. fin.* quod incip. *quicunquè 43.* & *ibi Glos.* vbi docet, quòd Ecclesia non cogitur totum reddere, sed tantùm legitimam portionem, vel *Canon corrigit legem*; & *Clar. cit. loc. q. 23. vers. quæro etiam*, & *Marc. Anton. Gennens.* in suis *practic. ab. Eccles.* de communi sententia *Doctorum, q. 295.* vbi latè, ac lepidè de hac re, & refert decisum in Lusitania *Gamma dec. 240.*

6 Quandoquidèm, vbi donatio fuerit facta filio de omnibus bonis; si nascantur alij filij, reuocatur, vsquè ad legitimam, *l. si totas, & l. si mater, C. de inoffic. donationibus.*

7 Quò fit, vt filij de nouo nati, possint pro eorum interesse instare pro reuocatione dictæ donationis, à patre factæ, & post mortem patris, quærelam proponere inofficiosæ donationis; quia de benignitate patris, non potest præsumi, quòd donasset omnia vni filio, si cogitasset, alios fore sibi nascituros.

8 Proindè, intelligitur donare sub illa tacita conditione, si alij sibi nō nascantur, quod est fundamentum prædictæ *l. si vnquàm.*

9 Causa autèm Ecclesiæ non minus fauorabilis est, quàm causa filiorum, vt colligitur ex *auth. si qua mulier, C. de Sacros. Eccles.*

10 Quibus adde, quòd Ecclesia ipsi donatori instar filij esse censetur, *Clar. cit. loc. Couar. lib. 1. var. resol. cap. 19. nu. 5. in fin. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 12. de pactis, & contractib. nu. 19. Molfes. in summ. in tit. de contractib. cap. 17. nu. 65. tom. 2.*

11 Secundo autem modo, hoc est in foro poli, & de æquitate naturali, in totum reuocatur; sic adeò, vt ad Populi ædificationē, Ecclesia, vel Monasterium restituat, susceptis filijs totum donatum, & oblatum, nè cogantur mendicare, aut valdè nimis laborare, *Clar. & Gennens. cit. loc.* & docet *Glos. in cap. si quis irascitur 17. quæst. 2.* & *D. August. serm. 49. de diuersis, cap. 4.*

Et refertur in *d. cap. fin. 17. q. 4.* ibi, *Quàm laudabile factum Sancti, & Venerabilis Episcopi Carthaginensis; quidam, cùm filios non haberet, nequè speraret, res suas omnes (retento sibi vsufructu) donauit Ecclesiæ; nati sunt ei filij posteà, & reddit Episcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donauerat*; hæc ibi.

12 Et sic ista restitutio totalis fit ex charitate, æquitate, & maiori honestate, *Bonac. tom. 2. de contractib. disp. 3. q. 17. punct. vlt. proposit. 1. nu. 10. vers. hinc sequitur*, & *D. Barbos. à Sancto Fausto de contractibus, dispu. 3. de donatione, q. 93.*

13 Verùm, non desunt, qui doceant, hāc totam restitutionem bonorum in casu posito ex iustitiā deberi, & colligitur ex *cap. quod à te, de Clericis Coniugatis*, vbi *Canones* statuerunt, quòd si Clericus donauit Ecclesiæ sui beneficij, si posteà contrahat matrimonium; donator potest reuocare, & Ecclesia tenetur restituere, & multò magis, si iam dictus Clericus ex Vxore habeat filios; quod vtiquè Ecclesiæ statutum fundatur in illa conditione taci-

tacita,& mente præsumpta; hoc est, quia si Clericus cogitasset de matrimonio, & indè liberis,nõ donasset Ecclesiæ,*Canones*,enim præcipuè intentionem respiciunt, *cap.cùm dilect,de donat.* & docet *Imol.in cap.fin.n.18. de donationibus*, quod propter identitatem rationis procedit in casu nostro.

14 Et confirmatur;nàm quamuis Imperator non posset ponere legem auferentem ius,iàm Ecclesiæ acquisitum,*cap.benè quidem, 96.dist. cap.Eccles.Sanct.Mariæ,de Constit.* etsi Ecclesia, & Papa sit legibus solutus, *cap.proposuisti,de concess.præbend.* Attamèn, non est solutus dictamine rationis naturalis, super quam fundatur dispositio dictæ *l.si vnquàm, Bald.in l.2.C.de seruitut.*quoniàm instinctu naturæ,& naturali discursu præsumitur, quòd Pater non donasset, si de filijs sibi nascituris cogitasset.

15 Quæ ratio militat in donatione facta Ecclesiæ; & Papa etiam debet seruare, quod est honestum, æquum, & rationi congruum, *Bart.in l.Imperium,ff.de iurisd. omnium Iudicũ;* nàm Ecclesia debet esse Mater honestatis,& pietatis,& est cultrix iustitiæ, *cap.1. de alienat. feud.*

16 Quàpropter tenetur in tali casu totum restituere; nõ quia Cæsar dixit,sed quia Deus dictat; lex enim naturalis obligat in foro conscientiæ, cùm sit participatio legis æternæ,'vt per multa ostẽdi in *tract.de legib.*

17 Proindè,tempore *S.Augustini*, Ecclesia Africana in praxi restituebat omnia,vt dicitur in *dict.cap.fin.* quia lex naturalis omnes obligat,in omni loco.

18 Er addo, quòd *Augustinus* præcessit *Iustinianum*; qui quidèm à *Sancto Augustino* accepit,quod sanciuit in *d.l.si vnquàm*,vt benè notat *Gennens.*in citata *quæst.in fin.* computando tempora.

19 Vndè,prærecensita Ecclesia Africana in casu nostro restituebat omnia, non ex vi præceptiua *Iustiniani*; quia tunc *Iustinianus* non erat; sed iussu naturæ,& præcepto naturali;quod vbiquè gentium viget, & obligat, vt dictum est.

20 Quod verius dices,si aduertas, quòd Ecclesia non habetur loco filij, nisi in casibus à iure expressis, *Bart.in auth.nisi rogati, C.ad Trebell.* & *ibi Salyc.*& *Felin.in cap.in præsentia, de probat.* & *Tiraquell.in d. l.si vnquàm,verb. libertas,nu.68.*

21 Et quòd *Canones* in materia contractuum, & successionum approbauerunt ius ciuile,*cap.1.& 2.de oper.nou.nunc.*

22 Vndè,non vi Laicali, sed Papali, Ecclesia prædictam legem seruat; quia Papa illam pro sua recepit, & confirmauit, & sic diuersæ Potestates,vtputà Laicalis,& Ecclesiastica,circa eãdem materiam,leges ferunt.

23 Benè verum est, quòd prædicta conclusio in multis casibus locum non habet; nàm fallit Primò,in donatione pro incertis, & malè ablatis, facta ab aliquo ob suæ conscientiæ exonerationem;quia dispositio prędictæ *l.si vnquàm* procedit in donatione gratuita, & donatio pro malè ablatis non est donatio,sed rei debitæ restitutio, *Tiraquell. ibid.*cit.*loc.* cum multis alijs, quos refert, & sequitur *Ioan.Mar.Nouar. in tract.de miserab. person.& in tract.de malè ablatis,priuil.13.n.3.*

24 Secundò fallit,si filij de nouo nati,sint illegitimi, spurij,vel naturales; hi quidèm nõ possunt prædictæ donationi officere, *Clar.* multis citatis,vbi suprà,*in q.23. ver.successiuè quæro;* si autèm naturalis per patrem legitimetur,an possit reuocationem petere,idem *Clar. ibid.*

25 Tertiò fallit,in filijs adoptiuis; quia multò minor est præsumptio affectionis, ad hos,quàm ad legitimos,vt de communi sententia *Doctorum*, resoluit *Gabr.lib.3.de donat. à nu.77.* vsquè *in finem.*

26 Quartò fallit, in donatione, in qua Pater expresè renunciauit cum iuramento conditioni, & menti præsumptæ, vt si promittat,non reuocare donationem, etiam propter superuenientem prolem, & habetur expresè in *l.vltim. C.de reuocand.donat.& cap.vlt.de donat.* & docet de communi *Clar.* in cit.*loc. q.22. ver.ex qua quidèm ratione in primis infertur,quòd si tempore donationis donator,de liberis cogitasset,non remanet locus d. l.si vnquàm;* poterunt tamèn filij,iuramento paterno non obstante,res donatas à Patre,à donatario exigere,saltèm quòad legitimam, iuxtà dispositionem *tit.C.de inoffic.don. Molfes.*cit.*loc.summ.* & *Io.Valer.in different.inter vtrumquè forum, ver.donans,diff.10.*

27 Quintò fallit, in donatione Ecclesiæ facta ob causam, ob quam donator tenebatur ex gratitudine, vel restitutione ob damnum illatum Monasterio, vel ex alia simili causa;nec non,& alias limitationes,& fallentias explicat *Aloys.Ricc.in collect.104.& collect.728. Layman.*& *Bonac.vbi suprà.*

Oblata,& donata, in casu restitutionis; quando,& quomodò sint per Ecclesiam restituenda? Qu.9.

1 ET dico,quòd sicut inofficiosa donatio, quam pater fecit contrà officium paternæ pietatis, non rescinditur; nisi post mortem patris;quia tunc filijs competit legitima,& tunc illa donatio incipit eis esse damnosa. Ità, & bona donata Ecclesiæ non sunt per ipsam reconsignanda de iure, nisi post mortem donatoris; nisi donator in vita petijsset absolutionem à iuramento,& aliun-

dè rescindisset donationis contractum; tunc enim sunt restituenda, iuxtà Iudicis sententiam, *Clar.q.13.& 24.in §.donatio.*

2 Nec debentur, sequuta morte donatoris, nisi petantur à filiis, & heredibus superstitibus defuncti; nàm si non reperantur, præsumuntur condonari, & dimitti, *Bonac.cit. loc.nu.10.*

3 Et multò minus Ecclesia tenebitur restituere fructus perceptos, ante aduentum filiorum; nàm donatarius percepit illos, tanquàm verus Dominus, *Gamma decis.40.& Rebell. q.10. de donationib.*

4 Quò fit, vt si post donationem nascātur filij donanti, & moriantur, anteaquàm donator repetierit rem donaram: donatarius non teneatur posteà, illam donatori reperenti restituere; quia donatio non fuit extincta, sed durat, & perseuerat in suo robore.

5 Secus autem esset, si Ecclesia restituisset donatori ob nonam natam prolem; quæ si post restitutionem moriatur, donatio Ecclesiæ extinguitur, & non reuiuiscit, absquè nouo consensu; quia ius extinctum non reuiuiscit, nec in illud datur actio, & sic Monasterium non posser restituta recuperate, *Molina de iustitia, & iure, disput.282.*

6 Si modò roges, an Monasterij Prælatus possit in tali casu oblata restituere, ijs scilicèt, ad quos spectat, absquè Papæ, vel Conseruatoris sententia?

Respondeo, quòd sic; nàm ex decisis, Episcopus habet potestatem restituendi totum, saltèm de æquitate Canonica, & Iure Poli, iuxtà *cap.fin.17.q.4.* absq; alio requisito.

7 Tùm etiam, quia oblata in casu, de quo agitur, non censentur donata absolutè, sed conditionaliter: vtputà, si donanti filij nō nascantur, ceù dat Nouitius Monasterio, si in eo permanserit, & dos datur Viro, matrimonio perseuerante, *l.vnic.§.cùm autem, C.de rei vxoriæ action.*

8 Quamobtèm, conditione non adimpleta, donatorum bonorum dominium, reuocabiliter, non autem irreuocabiliter translatum est pęnès Ecclesiam.

9 Nec obijcies, quòd ius Ecclesiæ acquisitū, non potest illi auferri, inconsulto Romano Pontifice, *c.ambitiosa, de reb.Eccl.non alien.*

Quia Prælatus Monasterij in casu, de quo agitur, non alienat, nec aufert de rebus Monasterij; sed debitum soluit; & id, quod suum non est, restituit; & in restituendo id, q Ecclesiæ non est, non exigitur Papæ consensus; etenim restitutio nil aliud est, quàm repositio rei alienæ in pristinum statum, & in priscam possessionem, & dominium, *D.n. Thom.2.2.q.62.ar.1.2.& 3.* & alienum restituere tenemur, iussu Dei; secus autèm peccamus, *cap.filius, in fin.de testam.& Caietan sum. verb.restitutio*, & *D.Episc.Maranta* moderne in proprijs terminis *tom.3.respons.54. nu.33.* Nihilominùs, ad maiorem cautelam, & vt omne os obstruatur, procuret Abbas Monasterij, super his interponi decretum per Iudicem Conseruatorem; eritquè ità longè distans ab omni calumnia.

Bona Oblatorum, sub ea conditione obtenta, & possessa, vt restituantur, si sine liberis decesserint, an per donationem, & oblationem eorundem, plenè factam, pertineant ad Monasterium donatarium? Qu.10.

1 SVpponо, Monasterium, cui fit plena donatio, esse capax bonorum, posseque in bonis alterius extranei succedere, eaquè emere, cùm necessum fuerit; prout sunt nostra Monasteria, ex nouo iure *Conc. Triden.sess.25.de Regul.cap.2.* & ex *Priui* [illegible] *Sixti Quarti*, quod incipit, *Considerantes*, & aliud, quod incipit, *Nuper per litteras*, vt in nostro *Bull.fol.147.lit.F.*

2 Et quòd Titius, vti vnicus hæres Patris sui inter alia, sub hac conditione paterna bona possideat, vt si sine liberis ab hac vita decesserit, sint eius propinquiorum in sanguine, prout iuris; Titio plenè oblato; an eius paterna bona transeant in dominiū nostræ Ecclesiæ, conditione illa non obstante?

Affirmant multi, eò, quòd Monasterium in casibus in iure expressis, habetur loco filij; prout expressè dicitur in *cap.in præsentia, de probat.& in §.& hoc præsenti, in authen.de Sanctiss.Episcop.* vbi apertè dicitur, *quòd Ecclesia Regularis facit deficere conditionem illam, si sine liberis, &c.* & sic talis cōditio fauore Religionis reijcitur, & habetur pro non adiecta; prout latè *Genuens.* in suis *practicab.Eccles.quæst.149.* vbi latè disputat ad partes, & respondet ad obiecta.

3 Sed in casu nostro teneas contrarium, quod est securius, & verius; nàm prædicta *Authent.* loquitur de Regularibus, & Religiosis Professionem emittentibus in Monasterio, quæ quippè Professio habetur pro morte ciuili, & ad Oblatos nō extenditur; nàm Oblatus, etsi sit plenè indictus Monasterio, ex quo Professionem non facit, potest validè matrimonium contrahere, & filios habere: Nec Oblatus potest dici verè Religiosus, ità *Angelica in summ.ver.hæres, nu.16. Sanchez lib.7. Decalog.cap.16.nu.28.* quos sequitur *Lezana, tom.2.Summ.QQ.RR.cap.8.nu.17.* & *D.Reg. Carol.Tap.in d.auth.cap.10.nu.5.& 27.*

Obla-

Oblati ex contractu, an possint recedere à Monasterio, cui plenè se obtulerunt? Quæst. 11.

1 NOn posse sine iuxtâ causa,& licentia Prælati, docet Glos. in d. cap. vt lex continentiæ 27. q. 1. immò, si recesserint,& moniti, redire contempserint, possunt cogi, & per censuras adstringi, prout fuit decisum in Conc. Toletano,& habetur expressè in cap. Liberti Ecclesiæ, iuncta Glos. 12. q. 2. & ibid. cap. Diaconi 35. etsi hi verè serui non sint.

2 Secus autèm veniretur aduersus donationis contractum, eiusque iuramentum, quibus inhæret iustitia Monasterij; nulli etenim licet, promissum pactum irritare, nec contrà iuramentum venire. Quia pacta debent custodiri, vt dicitur in cap. 1. de pactis, l. 1. ff. eod. tit. nec licet periurare, quia præceptum Domini est Exod. 20. Deutor. 3. & Matth. 5. Duard. in Bull. Cen. lib. 2. canon. 1. quæst. 18. nu. 6.

Oblatus, qui se, & bona obtulit Monasterio, si ab eo recedat, an oblata recuperet? Quæst. 12.

1 IN facti contingentia, teste Illustrissimo, ac Sapientissimo D. Reg. Sanfelicio tom. 2. decis. 191. quidam Laicus per contractum se, & bona transtulit in Monasterium, à quo postmodùm, de licentia Abbatis, capitularirèr habita, recessit cum bonis suis.

Verùm, Abbas inualidam retrocessionē prætendens, comparuit in Mag. Cur. Vic. petens, retrocessionem prædictam nullam declarari, & successorem donantis ad relaxandum bona donata condemnari; ex eo, quia reuocatio prædicta, & liberatio bonorum donatorum in præiudicium Monasterij fuit inualida, & nullius momenti; quod dictum ex multis nitebatur ostendere, tùm ex l. Prases, C. de transact. & l. prohibere, §. planè, ff. quod vi, aut clam. tùm etiam ex cap. 2. de donation. vbi habetur, quòd Prælatus non potest facere conditionem suæ Ecclesiæ deteriorem; tù itèm, ex allegatis per Annam allegat. 51.

2 His tamèn non obstantibus, in contrarium fuit iudicatum; & ratio decisionis potuit esse multiplex; tùm quia, bona fuerunt donata accessoriè ad personam; nàm non est verisimile, quòd spoliasset se omnibus bonis, non permanendo; ergo recedendo, reuocat omnia; tùm etiam, quia censetur, donasse causa mortis, hoc est, animo perseuerandi in Monasterio, & ab illo perpetuò recipiendi alimenta. Ar donatio causa mortis, morte non sequuta, potest reuocari, Abbas in cap. 3. ver. aut Professionem non fecit, de Cler. Coniug. & tandèm, quia oblatio, de qua agitur, non impedit retrocessionem donarorum; eò fortiùs, si conuentiones, & pacta inita inter donatarium,& donantem, non fuerint seruata, prout ex multis ostendit idem D. Reg. Sanfel. vbi suprà, nu. 4. quibus accedunt, quæ diximus hìc suprà, q. 2. in fin.

Oblati plenè, non emittentes Professionem, an possint ex vna, in aliam Religionem transire; non obstante oblationis contractu? Qu. 13.

1 NEgat Glos. in cap. vt lex continentia 27. q. 1. eò, quòd cùm quis se offert,& dat bona sua omnia Monasterio, efficitur seruus illius; sed ità est, quòd liberti nō possunt recedere de Ecclesia, cui sunt serui, vt 12. q. 2. cap. liberti, ergò.

2 Quod procedit, etiam si licentiam peterent à suis legitimis Superioribus, quia hi sic oblati, magis adstringūtur Monasterio, q̄ ceteri Professi, Syl. ver. Oblat.,& alij nō pauci.

3 Affirmant alij, quod credo verius,& probabilius; nàm hi Oblati ex obligatione,& contractu non sunt veri serui; nec eius filij nascuntur liberti Monasterij, vt supponitur; sed sunt pij, & deuoti Oblatores sui, & suorū bonorum, ad pias actiones exercendas, & sunt in Monasterio, non sicut serui, sed sicut liberi, sub gratia constituti, vt docet S. Augustinus in Regula.

4 Nec nocet donatio, & pactum, quin possint propter maiorem vtilitatem ad arctioris vitæ Regulā transire, quia in illa donatione subintelligitur illa tacita conditio, nisi ad meliorem Religionis Regulā se recipere voluerint; quod inclusū intelligitur in quacunquè oblatione, cum homine facta, docent Suar. tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 3. cap. 10. nu. 12. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 7. nu. 9. & Lezana tom. 2. Sum. QQ. RR. cap. 8. nu. 21.

5 Proindè, possunt ad quamcunq; Religionem transire; quia quælibet Religio est perfectior statu huiusmodi Oblatorum; seruatis tamèn, quæ necessariò requiruntur, ad hoc, vt vnus ritè possit, ex vna in aliam Religionem transire, de quibus suprà.

6 Quorum vnum est, Superiorum Oblatorum licentia; pactum enim tenentur seruare, vt in cap. 1. de pactis; nec possunt contra iuramentum venire, nisi de eius voluntate, de cuius præiudicio agitur; quod in praxi obseruat etiam Papa, ad præcauendum præiudicium tertij, vt dixi in illa clausula, De Superiorum licentia, & vides infrà in Decreto Sac. Congr. Regularium, adhibito ad promotionem Oblatorum ad Ordines, & refert Peyr. in formul. Prælat. lit. O. cap. 6. n. 5. & dicam infrà immediatè.

Obla-

Oblatus plenè, si obtenta Breui Papali fiat Sacerdos; inconsultis tamen sui Ordinis Superioribus; quid agendum? Quaest. 14.

1 RESpondeo, quòd in facti contingẽtia deber obseruari, & practicari *Decret.* Sacræ Congreg. Regularium negotijs præpositæ, quod refert *Peyr. in formulario Prælatorum, lit. O. cap. 6. num. 5.* quod est tenoris sequentis.

In causa Fratris Ludouici Piccinini Oblati Ordinis Minimorum, qui obtenta facultate per litteras in forma breuis, trãseundi à statu Laicali ad Clericalem, & se promoueri faciendi ad omnes sacros, & Præsbyteratus Ordines; de licentia tamen suorum Superiorum; se promoueri fecit ad dictos Ordines ab Episcopo Caprularum; non solùm, absquè licentia Patris Generalis, verùm, ipso contradicente; licèt Episcopus prædictus asseruerit, illum promouisse, vigore dicti Breuis, ac de licentia Nuncij Apostolici Venetiarum, & Prouincialis Prouinciæ dicti Fratris Ludouici. Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Regularium præposita, Eminentijs. Gypsio referente, censuit, pranominatum Fratrem Ludouicum Piccininum suspendendum; prout præsentis Decreti virtute suspendit ab exequutione suorum Ordinum, arbitrio Sacræ Congregationis. Romæ die 18. Nouembris 1633. Frater Antonius Cardinalis Sancti Onuphrij. Antonius Tornellus Secretarius; quam aliàs refert idem *Peyr. tom. 2. Religiosi, q. 3. cap. 1. nu. 149.*

Oblati Laici infrà Claustra viuentes, ex quo carent ordine, & professionem non emittunt, an possint habere proprium, & de illo disponere? Qu. 15.

1 NEgatiuè respondeo; tùm quia, omnes, qui transeunt ad Ecclesiam Regularem cum animo ibi habitandi in perpetuum, censentur, & intelliguntur vouisse, & renunciasse proprijs, *Glos. in cap. vt lex continentiæ 27. q. 1.*

2 Tùm etiam, quia huiusmodi Oblati Laici, etsi Professionem non emittunt; nihilominùs, aut sunt in Monasterio ex cõtractu, & donatione perpetua, & irreuocabili, iuxtà *cap. per exemptionem, de priuil. in 6. & cap. cùm, & plantare, §. vlt. & cap. tuarum,* qua sc, & sua omnia donauerunt Monasterio. Et sic non possunt venire contra contractum, & iuramentum exhibitum in donatione; immò, per talem donationem, re vera censentur abrenũciasse proprijs, in beneficium Ecclesiæ, cui se obtulerunt, eadem *Glos. cit. loc.*

3 Aut sunt in Monasterio sine contractu, sed tantùm ex gratia, & benignitate Prælatorum, quemadmodùm, & alij puri Tertiarij ad labores, & Religiosorum seruitia admissi, seruatis seruandis, iuxtà Religionis Statuta.

Et sic vti partes Sanctæ Societatis, & membra Religionis, tenentur ad Leges, & Statuta Ordinum, quorum sunt partes; pars enim, naturali lege tenetur correspondere suo toti; secùs autèm, peccaret.

4 Sed communi lege sancitũ est, vt nemini Regulariũ liceat aliquid, vt propriũ possidere, *Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 2.* ergò.

5 Quibus addo, quòd quisquè tenetur stare legibus loci, in quo reperitur, vel ad quem domicilium transtulit, vt latè dixi in *tract. de legib.* sic enim censetur oriundus, vel conciuis per adoptionem factus.

6 Et subiungo, quòd qui sentit commodum, debet paritèr, & sentire incommodum; ex quo ergò huiusmodi Oblati gaudent gratijs, & priuilegijs Ordinum, debẽt paritèr, & sentire incommoda eorundem; vtputà, alij subesse, & sine proprio, & absq; vxore viuere.

7 Secùs autèm, debent puniri, atquè priuari priuilegio fori, & canonis, & immunitatum à gabellis, & oneribus Laicorum, secundum quod Sacra Congregatio Cardinalium *Conc. Trid.* declarauit, vt suprà dictũ est, *q. 5.*

8 Nec obstat dicere, quòd hi, nec tacitè, nec expressè sint Professi; nàm satis est (vt dixi) quòd reperiantur in tali statu, & sint de corpore Religiosorum, *Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 34. nu. 1.*

9 Exindè patet, quòd non possunt disponere, nec testamentum facere, prout expressè deciditur in *caus. 19. q. 3. cap. 7.* ibi, *quia ingredientibus Monasterium, conuertendi gratia, vlteriùs nulla sit testandi licentia, sed res eorum, eiusdem Monasterij iuris fiant, apertè legis definitione decretum est;* itá *Gregor. Papa,* & docet *Glos. ibid.* qui enim in potestate alterius est, non potest testari, *Institut. quibus non est permissum, facere testam. in princ.* Vndè, filiusfamilias testari non potest, cùm sit constitutus in potestate Patris.

10 Secùs autèm dicendum, si huiusmodi Oblati in contractu donationis aliquid sibi reseruassent, & omnia non dedissent; quia, de sibi reseruatis, & non datis, possunt disponere, & testamentũ cõdere, quia reseruatorũ, & non concessorum restant veri Domini, etsi ex *Decreto* Sac. Congreg. careant Religiosorum Priuilegijs, *Lezana tom. 2. cap. 8. nu. 16.*

Oblatus, si per eum non stat, quin se, & sua Religioni deuoueat, vel sit quantociùs oblaturus, an gaudeat priuilegijs Religionis? Qu. 16.

1 ERasmus Chokier *tract. de iurisdict. Ordin.*

*din.in exemptos,p.1.q.19.nu.3. fol.*mihi 59. & *Laurent.Peyr.tom.3.priuil.Minim.*seu in *additam.ad Constit.Iul.II. cap.3.nu.34.in fin. fol.79.* aiunt,quòd sic;tùm quia, quæ proximè instant,inesse videntur, *l.lecta,ver.dicebam, ff.si certum petat.* tùm etiam, quia paria sunt,aliquid esse factum, vel proximè fieri destinatum, *l.vestimentum, ff.de auro,& argento leg.*

2 Verùm,hodiè hac in re debent attendi *Decreta* Sacræ Congregationis, suprapositæ, in q.5.& præcipuè quoad illa verba,*Plenè,irreuocabiliter*, & *cum effectu*, & *habitu aliqualiter mutato*, quæ referuntur, & debent referri ad actum consummatum. Vndè,voluntas resoluta,in re,de qua agitur,non reputatur pro facto;sed res debet atrendi,prout in se est;tùm quia, Priuilegium personale, ad hoc,vt inferat effectus suos, necessariò debet inhærere Personæ,actualitèr habenti qualitatem requisitam ad fruendum priuilegio;tùm etiā,quia sumus in odiosis, in quibus non fit extensio; agitur enim de Laicorum damno, & præiudicio,& sic,ad non expressa non licet extendere, *D.de Franch.decis.*449. & Egomet dixi hìc suprà,*de priuil.Nouitiorum,tract.6.q.19.*

3 Nec nocent allata iura, quia poterunt habere locum in his, quæ fiunt in instantī,in quibus fieri,& factum,est idem,vel in ijs, quæ etiam in animo,vel appetitu possunt puniri, aut præmiari; in multis enim, etsi desint vires, est tamen laudanda voluntas, vt cùm quis tentat occidere,vel quem veneno necare,potest,& debet puniri;in his enim,& alijs multis, animus, etiam effectu non sequuto, punitur,vt patet in crime Hęresis,in quo voluntas pro facto reputatur. Vel dicas, quòd prædicta iura procedunt in his, quæ habent effectum infallibilem,quod non potest adaptari ad casum nostrum.

Quid dicendum, si bona oblata non transierint in posse Ecclesiæ,cui Oblatus donauit? Qu. 17.

1 CVM distinctione resoluo quæsitum; aut hoc fit culpa Prælati Monasterij,cui facta est Oblatio; vtputà, quia noluit acceptare, vel conniuentèr se habuit, & neglexit incorporare; & in tali casu, culpa Prælati,alteri non potest, nec debet nocere; quæ enim pendent ex alicuius tertij voluntate,non stant in nostra potestate.

2 Nec prædicta *Decreta* Sac. Congreg. ad hoc obligant,vt in illis est videre; ad hoc ergo, vt Ecclesia bonorum huiusmodi Oblatorū faciat fructus suos; satis est, quòd Oblati ex parte eorum adimpleant adimplenda, & quòd per ipsos non stet, quominùs oblata transeant in actualem possessionem Ecclesiæ; ea verò, quæ tertij exigunt voluntatem, vt dixi, non stant in eorum potestate, prout colligitur ex *text. in l.turpia, & ibi* communitèr *Doctores,ff.de legat.*1.& docet *Ferdinandus Vasquez lib.3. quæst.illustr. cap.93.nu.3.* & *Michael Crass. sent. §.legatum, q.46.nu.13.* vbi agit de conditione mixta, pendente ex alterius voluntate.

3 Aut tandèm stat,vel stetit per ipsosmet Oblatos;ità,vt ipsi sint in culpa,& impediāt, nè oblata, & donata incorporētur Ecclesiæ, ad quam spectant; & sic deberent vtiquè per Episcopum Loci Ordinariū cogi, & puniri, iuxtà terminos *cap.si quem Clericorum Conc. Trid. sess.22.de Reform.*& in pęnam retardatæ Iustitiæ debent priuari immunitatis, & fori priuilegio; etenim, Notario pro Ecclesia stipulante, in ipsomet actu stipulationis, Oblatorum iura, actiones, & dominia transeunt in posse Ecclesiæ donatariæ, ex priuilegio *l.fin.C.de Sacros.Eccles.*

Oblati plenè, an teneantur ad decimas? Quæst. 18.

1 NEgatiuè deciditur in *Clem.1.de decimis, cap.Religiosi.in fin.* & procedit,etiam si essent in sæculo viuentes,vt constat ex illis verbis,ibi, *Cæterùm,præmissa extendi uolumus ad animalia, quæ per Religiosorum ipsorum Donatos,seù Oblatos tenentur;dùmtamē illi Religiosis eisdem cum effectu donauerint, aut obtulerint se,& sua:* hæc *ib*, vbi *Glos.in fin.* casus propositi,ità loqutur, *Sed ponamus,quòd Laicus donauit se,& sua Monasterio priuilegiato, quæritur, vtrum talis Laicus debeat soluere decimas? dicit Clemens,quòd non;*hæc *ibi.*

2. Et ratio esse potest; quia,vt dictum est, bona,iura, & actiones donantium, per donationem transeunt in dominium, & proprietatem Ecclesię;etiam sine traditione,& absq; vllo facto hominis, vt colligitur ex *d.l.fin. C.de Sacros.Eccles.*

3 Sed bona Ecclesiæ Regularis sunt omninò exempta ab oneribus, & factionibus Episcoporum,vt constat ex decisis *2.par.tract. 12. de exemptione Regularium*; ergò.

Oblati Regularium, quandoq; in sæculo viuentes, subduntur nè Episcopo Loci? Quæst. 19.

1 AFfirmatiuè deciditur in *c.11.Conc. Trid.sess.24.de Reform.* ibi,*Nec nō alios,cuicunquè Monasterio oblatos,vel quomodocunquè addictos, nihil ex ijs Priuilegijs detractum esse Ordinarijs intelligitur,quominùs ij,quibus ea iam concessa sunt,vel in posterùm concedi contigerit, ipsis Ordinarijs, tanquàm Apostolicæ Sedis Delegatis,plenè in omnibus subiecti existant;* hæc *ibi.*

2 Quæ

2 Quæ quidèm iurisdictio data Ordinarijs in præcit. *cap. Conc. Trid.* in Oblatos Regularium, extrà septa degentes, intelligitur tributa Ordinarijs cumulatiuè; non autem priuatiuè, quòad Superiores Regulares, & quòad causas criminales, non autèm quòad ciuiles; prout Sacra Congregatio consulta respondit, cuius propria verba authenticè refert *Barbos. de iure Eccles. vniuer. lib. 1. cap. 39. §. 2. nu. 45.* & *Ioan. Maria Nouar. in Lucerna Regularium ver. Oblati, in fin. & in tract. de elect. & variat. fori, q. 64. sect. 2.*

3 Exindè collige, quòd soli Prælati Regulares, & Iudices Conseruatores sunt veri Iudices suorum Oblatorum in causis ciuilibus; etiam si degant, vel habitent extrà septa Monasterij; ità, vt D. Episcopus Loci Ordinarius, quòad ciuilia non possit se intromittere; nisi forsitàn reperiatur esse Religionis Conseruator, quod intellige, procedere secundùm opinionem Sac. Congregat.

4 Et additur, quòd ijdem Prælati Regulares, quòad Oblatorum criminalia sunt etiā Iudices competentes; nàm Illustrissimus Loci Ordinarius, ex Declaratione prædicta, hęc habet cognoscere cumulatiuè; non autèm priuatiuè; hoc est, quòd in tali casu vnusquisquè potest procedere, & datur locus præuentioni, prout constat ex vi præfatæ dictionis, & docent *Couar. in cap. alma mater, p. 1. §. 12. nu. 3. Bellarm. in obseruat. doctrinæ ad d. cap. 11. Conc. Trid. in fin.* & *ibid. Barbos. in collect. super Conc. Trid. nu. 8.* de re vide *D. Reg. Carol. Tap. in authen. ingressi, C. de Sacros. Eccl. cap. 10. de Oblatis, num. 20. ver. secus verò, si omnia transtulisset.*

Prælati Regulares, an possint prædictis Oblatis Sacramenta porrigere, sine Parochi licentia? Quæst. 20.

1 AFfirmatiuè dic; si resideant intrà Claustra, sub cura, & obedientia Prælati, vbi re vera existentes, possunt à suis Prælatis communicari in Paschate, & vngi in morte, vt Sac. Congreg declarauit, & refert *Bellarm. in d. cap. 11. Conc. Trid. sess. 24. de Reformat.* quia in tali statu permanentes, censentur de foro Monasterij, & gaudent Professorum priuilegijs.

2 Secus autèm foris; nàm administrare Sacramenta in pompa Ecclesiæ, est actus iurisdictionalis, quem sine metu excommunicationis non licet exercere in alieno territorio, sine Loci Patroni, & Episcopi licentia.

3 Regulares autem extrà Claustra, non habent territoria, in quibus possint sine Parochi licentia Sacramenta ministrare, vt infrà dico *de Sororibus, & Tertiarijs.*

Oblati plenè, an possint sibi eligere sepulturam? Quæst. 21.

1 QVimuis, de iure quiuis masculus vel fœmina doli capax, possit sibi eligere sepulturā in Ecclesia sæculari, vel Regulari; tàm in propinquis, quàm in remotis partibus, vt dicitur in *cap. licet, & cap. non dubium, de sepult. in 6. ibiquè Glos.* & omnes *Doctores.*

2 Hoc tamèn fallit in Religiosis, vt in *cap. fin. eod. tit. in 6.* vbi dicitur, quòd *Religiosi, nisi à proprijs Monasterijs, adeò forsitan sint remoti, quòd ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non possunt, nequeunt (cùm velle, & nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi*; hæc ibi.

3 Vbi *Glos.* in casu pposito notat, quòd non licet Religioso sibi eligere sepulturam, nisi quando moritur in loco remoto, in quo non reperitur Monasterium sui Ordinis; secus autèm, in loco proximo, non multum distāte à suo Monasterio; & hoc totum permittitur, ratione incommoditatis, quod aliàs nō permitteretur, & colligitur ex illa dictione *Commodè*, & causa est; quia Religiosi non habent velle, nec nolle, vt in *textu.*

4 Totum hoc procedit in Oblatis plenè; tū quia, hi Oblati sunt Viri Religiosi, saltèm largè, vt constat ex decisis, & docet per multa iura *Didacus Couar. 2. p. relect. in cap. alma mater, §. 2. nu. 8.* vbi loquitur de Oblatis, qui manent in sæculo, qui sic adeò renunciauerunt proprijs, quòd nequeunt testari, vt dictum est hic suprà *q. 15.* & docet *Glos.* multis citatis in *cap. vt lex continentiæ 40. in caus. 27. quæst. 1. ver. Professi.*

5 Tùm etiam; quia non habent velle, & nolle, cum se, suaquè omnia, perpetuò, & irreuocabiliter obtulerint Monasterio, medio publico contractu, & iuramento; quò fit, vt hi, secundùm multos, sint magis adstricti Monasterio, quàm alij per solemnem Professionem; nobis autèm sufficit, quòd contractus iuratus hos obliget, & adstringat, deseruire Monasterio, quemadmodùm, & alios Fratres adstringit, & ligat Professio tacita, vel publica; etenim donatio irreuocabilis, qualificata, vt suprà, æquipollet Professioni; & sic ex æquo plenè Oblati, & Fratres Professi, vno ferè, & eodem vinculo, sunt apud Monasterium, ergo instar Professorum. Ergo, quòd moriantur in sæculo, vel in loco, non multum distante à Monasterio sui Ordinis, non possunt sibi eligere sepulturam, sed sepeliendi sunt in Ecclesia, ad quam spectant; sunt enim partes Monasterij, & ad illud spectant, sicut cęteri Fratres, vt dictum est, & iura docent.

6 Et hoc totum habetur expresè in *cap. vt*

cap. vt priuilegia 24. de priuilegijs, ibi, *Qui tamen sepeliantur apud ipsorum Regularium Ecclesias, ibique Glosa*, iuxtà *text.* dicit, quòd illi Oblati, qui mutato habitu sæculari dederunt se, & sua inter viuos, & moriuntur in sæculo, sunt sepeliendi apud Ecclesias ipsorum Regularium; nisi forsitàn prædictæ Ecclesiæ essent interdictæ; quia in tali casu possint alibi eligere, vel morientes, sepultura non electa, deberent tumulari in Ecclesia Parochiali, vel nisi ipsimet Oblati essēt nominatim excommunicati, vel interdicti; quia in tali casu carerent Ecclesiastica sepultura; de qua re vide *Sylu. ver. sepult. q. 8. dict. 7. Bonac. tom. 2. de contract. disput. 3. q. 21. punct. 3. proposit. 2. illat. 4.* & *Nouar. in Lucerna Regul. in fin.* vbi ex *Bulla Gregor. IX.* incip. *Tertiò nonas Februarij, etc.* dicit id, quod dictum est; aliàs prædicti Oblati non dicerentur frui, & potiri Priuilegijs Fratrum, & illorum habere communionem, contra tenorem prædictæ *Bullæ*, quæ per extensum habetur in *Bull. Patrum Carthusianorum, ver. Oblati.*

Ecclesia Mendicantium, pro tumulandis sibi Oblatis, qui in sæculo moriuntur, an teneantur Parochis soluere quartam funeralem? Qu. 22.

1 PRæsens quæstio est frequens in vsu, non tamèn sine magna molestia Religiosorum; quādoquidèm Reuerendi Parochi, ex quo his Oblatis in sæculo stantibus, Sacramenta administrant, ob Sacramentorū administrationem, importunè petunt, & sępè exigunt à nostris Ecclesijs portionem canonicam pro Mortuarijs præfatorum, pro nihilo reputantes, quòd prædefuncti sepeliantur in Ecclesijs exemptis, & quòd cùm in humanis essent, se plenè, suaquè omnia nobis obtulerint, perpetuò, irreuocabilitèr, & cum effectu, publico mediante contractu.

2 Verùm, malè exigunt, & re vera tenentur restituere, quia ob multa, Mendicantium Ecclesiæ, pro sepultura præfatorum, supradictam portionem canonicam soluere non tenentur, &

3 Primò, quia ius Episcopale, & Parochiale exigendi Canonicam portionem, fundatur in his, quæ ex vltima voluntate proueniunt, vt expressè habetur in *cap. requisiuisti 15. de testam.* ibi, *Quæ Testator pro anima sua legat in vltima voluntate, æqualitèr sint inter Episcopum, & Ecclesiam diuidenda*, & in *cap. 1. de sepulturis*, quod est valdè notandum.

4 De ijs autem, quæ inter viuos donantur, Episcopo canonica portio non debetur, prout apertè deciditur in *cap. de his 4. de sepult.* ibi, *Si verò ad Religiosa loca se in sanitate transtulerint, de his, quæ Locis pijs conferunt, cogi non possunt, aliquid prædictis Ecclesijs impertiri*; hæc ibi, & *cap. Theodosius 1. de statu Monac.* ibi, *Si aliquid illis pro diuersorum deuotione accesserit, &c.* vbi *Glos.* subnectit, de eo, quod *Monachis offertur, nihil debet Episcopus vendicare.* Per quæ, & alia similia iura *Petrus de Vbald. de canonic. Episcopali, & Parochiali, cap. 6. nu. 1.* & *Hostiens. in sum. tit. de sepultur. §. & de quibus*, quos, multis citatis sequitur *Megal. 1. 2. Instit. Confess. lib. 2. cap. 11. q. 5. ver. quòad secūdam sententiam*, faciunt Theoricam vniuersalem, quòd de bonis donatis inter viuos, Canonica portio non debetur.

5 Sed donata Religioni ab eo, qui eidem Ecclesiæ plenè, perpetuò, & cum effectu addictus est, ità in posse Religionis translata sunt, vt nullatènus, ab eo reuocari valeant, & Ecclesiæ donatariæ priuilegio gaudere debent, pro quibus Monasterium, non is, qui donauit, conueniendum est in foro competenti Ecclesiastico, prout benè docet *Marta de Iurisdict. p. 4. cas. 167.* & *Duard. in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 3. nu. 4.* quia à die stipulati contractus, dicuntur esse Monasterij, & inter alia eius bona computari, ex *l. fin. C. de Sacros. Eccles.*

6 Secundò, licèt Canonica portio debeatur Parochis, ob administrationem Sacramentorum, & ob pabula salutis, vt dicitur in *d. cap. requisiuisti, de testam.*

7 Nihilominùs, in multis casibus non debetur, prout docent *Petr. de Vbald.* & *Megal.* in cit. *loc.* & signantèr cessat ex Priuilegio D. Papæ, *cap. Constitutus, de Religiosis Domibus*, ibi, *Nos quoquè cùm libertatis priuilegium, vel protectionis præsidium aliquibus Ecclesijs indulgemus*, & in *cap. in nostra præsentia 10. de sepultur.* ibi, *De quibus quartum deducere nō tenetur.*

8 Mendicantes, & participantes eorum priuilegia, non soluunt quartam de quibuscunquè legatis, nec de alijs quoquo modo habitis, & acquisitis, siuè titulo donationis irreuocabilitèr inter viuos, siuè iure legati facti in vltima voluntate, non obstante *Clem. dudùm*, ob multa priuilegia, quæ notat *Rodr. tom. 1. q. 39. ar. 2. & tom. 2. quæst. 44. ar. 4. & 5.* & præcipuè ex priuilegio *Sixti IV.* & *Pauli III.* Societati Iesu concesso.

9 Confirmatur, nàm decimæ, & canonica portio pari passu ambulant, & certum est, quòd de dote Ecclesiæ decimæ non debentur, *Glos. in cap. nouum genus exactionis, de decimis*, & habetur in *16. q. 1. can. quæsti*, & magis expresse in *Clem. 1. de decimis, cap. Religiosi*, & cōstat ex decisis hìc immediatè suprà

10 Tertiò, quarta funeralis debetur Parocho, vel Episcopo de bonis, & in bonis defuncti, prout colligitur ex *cap. Nos instituta 1. de sepult.* ibi, *Tertiam partem sui iudicij*, hoc

est, eius, quod reliquit huic Ecclesiæ, in qua elegit sepulturam, vbi idem docet *Glos.* & replicatur in 2. *cap. eod. tit.* quod incipit, *Relatum*, ibi, *Omnium rerum, & possessionum, quas pro salute animæ suæ decreuerit disponere.*

11 Plenè Oblati, de quibus agitur, nihil habent, nisi alimenta sibi præstita à Monasterio, cui se, & sua omnia obtulerunt, secus non dicerentur plenè Oblati, nec Viri Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ.

12 Perindè, inanis est actio Actoris, quā Rei conuenti excludit inopia. Quia ex nihilo nihil fit, & non entis nullæ sunt partes. Hinc, inopes, & pauperes, ob bonorum carentiam, nec ad decimas, nec ad Canonicam portionem tenentur, etsi salutis pabula de manu Parochi recepissent per multa tēpora.

13 Quod procedit in Concionatore, si in sæculo moreretur, quia nihil possidet, & vbiquè gentium reperitur sub potestate sui Prælati, *Miranda, in Manuali Prælat. tom. 2. quæst. 48. ar. 9. concl. 3. Hier. Rodriq. in compend. resol. 18. nu. 15. Barbosa*, multis allegatis *de officio, & potestate Parochi, cap. 25. num. 28.* & *Rodriq. tom. 1. q. 39. ar. 4.* ex multis allegatis dicit, quòd si Nouitius egrediatur intrà annum Nouitiatus à Monasterio, & cum habitu, in domo Parētum curetur, si ibi decedat, sepelietur in eius Conuentu, sine aliqua obligatione ad quartam funeralem, & sequitur *Layman. lib. 3. de vltim. volunt. sect. 5. tract. 5. cap. 12. q. 4. ver. dico quartò*, ibi, *Sine obligatione soluendi quartam* Canonicam.

14 Quibus addo, ità Sacram Congregationem declarasse, prout refert *Laur. Peyr. tom. 2. priuil. Minim. Constit. 7. Pij V. in §. 10.* vbi recensentur quatuordecim casus, pro decisione Sacræ Congregationi præpositi, quorum decimus est sequentis tenoris.

Morendo li Frati, come auuiene alle volte, & in particolare de' Canonici Regulari Lateranesi, fuori del Monasterio, in casa de' loro Parenti, & hauendo i Curati amministrati loro i Sātissimi Sacramenti, se possano i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa, senza dirne cosa alcuna al Curato, e senza darli le raggioni Parocchiali.

Respondit ad decimum, *Regulares extrà Claustra decedentes, posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis*; hæc *ibi*, Quo in loco benè vides, administrationem Sacramentorum, non semper obligare ad quartam funeralem, patitur enim limitationes non paucas.

15 Nec obstat, quòd hi Oblati in sæculo morientes, habeant vestes, & naturæ necessaria, quia hæc itèm sunt res Monasterij, & ad nutum Prælati amouibiles, & censentur concessæ in vsum incertum, pro vitæ tantùm sustentatione.

16 Quæ omnia intellige, habere locum, & procedere in Oblatis, qui habent requisita, secundùm *Canones, & Apostolicas Constitutiones, & Decreta, & Declarationes* Sacræ Congregat. vide tamen, quæ dixi hic supra, *q. 5. nu. 4. & 5.*

Oblatio facta alicui Ecclesiæ, cui quæritur? Quæst. 23.

1. RESoluo cum distinctione quæsitum; aut res, de qua agitur, offertur Ecclesiæ Regulari, seù alicui Monasterio; & sic ei quæritur, vt expressè dicitur in *cap. Theodosius 1. de statu Monach.* ibi, *Cùm Monachis ibi seruientibus debeat proficere quidquid à Fidelibus taliter offerri contingit*; & *cap. nimis iniqua 16. de excessib. Prælat.* ibi, *Quidquid prædictis Fidelium pietas elargitur*; & docet *Glos. Clem. vnic. eod. tit. ver. audiant*, vbi subnectit, *& quod eis offertur, suum est*; quibus iuribus accedunt priuilegia posita in *tract. 13. de exemptione*.

2 Aut res offertur Ecclesiæ Sæculari, & sic subdistinguo, aut offertur Capellis fundatis intrà Parochiā, & sic quæritur, secundùm omnes, Rectori Parochiæ, & docent *Abbat. & Imola in cap. Pastoralis, de his, quæ fiunt à Prælat.* & *Barbos. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. de Oblationibus, cap. 23.* qui est omninò videndus; quia omnia tangit, *nu. 22. & sequen.*

3 Aut Capellæ, vel alicui Imagini existenti in aliqua domo priuata, extrà Parochiam, & sic acquiritur isti loco particulari, secundùm tamen dispositionem Episcopi, *Abbat. in cap. dilectus, nu. 4. de off. Ordinar.*

4 Quod dictum, multis citatis sequitur *Aloys. Ricc. p. 4. Dec. Cur. Arch. Neap. decis. 170. n. 6.* & *Reg. Carol. Tapia in authen. ingressi, C. de Sacros. Eccl. ver. ipso ingres.* post *cap. 55. nu. 15.* vbi *nu. 18.* ait, quòd dominium, & possessio prædictarum oblationum, ipso iure, transfertur in Ecclesiā, ad quā pertinent, absq; aliquo facto hominis, & quòd talis possessio multos bonos effectus nobis operatur, quot, & quales vide illum; quia eruditè, & latè loquitur.

Oblationes factæ Capellæ Sanctissimi Rosarij, vel Nominis Dei, aut alterius Cōfraternitatis, an possint à Confratribus eiusdem, ad libitū distribui? Q. 24.

1 HÆC quæstio fuit nupèr in facti contingentia valdè controuersa inter Nos, & Confratres Societatis Sanctissimi Rosarij, in Ecclesijs nostris erectæ.

Quippèqui rogati à quibusdam Monialibus, volebant de pecunijs, quas ex Fidelium eleemosynis in capsula possidebant, in fabricam Ecclesiæ earundem, quotulam partem ero-

erogare, inuitis Fratribus, & Capitulo dictæ nostræ Ecclesię nō audito, sub prætextu, quòd integrum foret eis, de huiusmodi oblationibus ad libitum disponere; sob quod P.M. Frater Remigius Seropha Venetus, fuit coactus in suis Moralib. quæst. 40. de re luculentèr discurrere.

2 Ad quem Ego breui manu negatiuè respondeo, ducorque ex multis. Et Primò, quia res oblatæ Ecclesiæ Regulari, vel Capellis fundatis intra ipsam, acquiruntur ipsi Ecclesiæ, vt constat ex allegatis iuribus hic immediatè suprà.

3 Nomine autem Ecclesiæ venit Communitas ipsa, seu Capitulum eiusdem, cum suo legitimo Capite, vt ex decisis, & docet Molinu de iustit. tract. 2. disput. 142. lit. D. §. quòd ad primum, ergò.

4 Secundò, quia huiusmodi Confratres, & consimiles, non sunt domini bonorum, & eleemosynarum dictæ Confraternitatis, sed Custodes, Depositarij, seu Conseruatores, & puri Administratores. Etenim nullus est dominus bonorum Ecclesiæ, Deò incarnato excepto, vt dictum est suprà, & docent Caiet. 2.2.q.43. ar. 8. ibique Bannes, & antè eos Symmacus Papa cap. non liceat 12. q. 2. ergò nulli integrum est, res Ecclesiæ alienare ad libitum sine rationabili causa; Dominus enim solus potest facere de re sua, quidquid voluerit; quia dominus est, & in re sua nulli subditur.

5 Tertiò, ex cap. 13. eius. 10. q. 1. vbi Damasus Papa ità loquitur, *Quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, quorum eleemosynas, & oblationes accipiunt; qua fronte præsumunt Laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel alijs concedere, cùm ipsi non debeant ex officio suo pro Populo orare? Ob hoc, Papam gloriosè mittere oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam, vt, & cæteri metum habeant, & amplius, hæc in Ecclesia nè fiant*; hæc ibi.

6 Id ipsum ibidem loquitur in subsequēti Cap. Calixtus Papa, sub hac forma verborum. *Sanctiorum Patrum canonibus consona sancientes, oblationes de sacratissimo, & reuerendissimo altari Beati Petri, & Saluatoris, & Sanctæ Mariæ Rotūdæ, aut alijs Ecclesiarum altaribus, siuè crucibus, à Laicis auferri penitùs interdicimus, & sub districtione anathematis prohibemus, & Ecclesias à Laicis incastellari, aut in seruitutem redigi, auctoritate Apostolica prohibemus*; hæc ibi.

7 Idemquè cum maiori emphasi fuit ab eodem Damaso Papa ibidem can. 15. decisum, sub hoc tenore verborum.

Hanc consuetudinem, quæ contra Sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omninò interdicimus, vt nullo modo, vnquàm oblationes, quæ intrà Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur; sed tantummodò Sacerdotibus, qui quotidiè Domino seruire videtur, liceat, comedere, & bibere; quia in veteri testamēto prohibuit Dominus panes sanctos comedere filijs Israel, nisi tantūmodò Aaron, & filijs eius; qui panes longè erant ab istis panibus, qui nunc in Sancta Ecclesia offeruntur; quia illi sub vmbra legis erant; qui vero modo sub gratia Spiritus Sancti, toto Mundo, Euangelio coruscante lucidiores esse videntur; qua fronte, aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedùm pro alijs Deo preces offerre? quia prauum est, & contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, quis illud agere conatur, quod ei nulla ratione cōceditur. Quia omnibus Sāctis Patribus, nostrisq; Prioribus placuit hanc sanctionem fieri; & Nos similitèr in eisdem persistere volumus, vt nullus audeat, irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere; si quis verò contra hanc regulam nostram, & cōtra regulam Sanctorum trecentorum decem, & octo Patrum, qui in Niceno Concilio, hoc constituerunt; temerarius præsumptor fuerit, & de cætero oblationes de Sacris Ecclesijs auferre moditus fuerit; sub anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus. Responderunt omnes, fiat, fiat; hæc ibi.

8 Ex quibus collige Primò, quòd ius ad oblationes, est Ecclesiasticum, & non Laicum; ergò ad Clericos, & non ad Laicos pertinet.

9 Secundò, quòd omnis contraria consuetudo per dictos *Textus* abrogatur.

10 Tertiò, quòd sicut oblationes, & res Ecclesiæ irregularis in Episcopi potestate consistunt, vt dicit Glosa in d. cap. 15. sub ver. Aaron; ità oblationes, & res Ecclesiæ regularis, in Prælatorum Regularium potestate remanent, secundùm dispositionem Regulæ, & Iuris Canonici; sunt enim Prælati Regulares Episcopi æquiualenter, & virtualitèr, vt dictum est suprà.

11 Quæ omnia proportionabilitèr extende ad illas Societates, & Confratrias Laicorum, quas clausas Vulgus appellat, ad quas nemo Sæcularium admittitur, nisi adimpletis prius Capitulis, & Statutis eiusdem Societatis. Hæ namquè Sodalitates habent sua specialia statuta, à legitimis Superioribus, sibi confirmata, secundùm quæ, debent gubernari, vbi dicere, quòd relictum à Confratribus, vel ab alijs huic priuato Oratorio, ipsi quæritur, secundùm dispositionem supradictorum Capitulorum, & proindè non aliàs distribuendum est; nisi secundum prædicta Capitula, & nisi seruatis seruandis, & congregatis legitimè auditis.

Oblationes factæ, vel relictæ ad certum, & determinatum vsum Confraternitati Rosarij. an possint in alium vsum expendi? Qu. 25.

1 NEgatiuè dic; tùm quia, Prælati Regulares, non sunt Domini oblationum, & eleemosynarum, suis Ecclesijs factarum, sed tantùm Administratores, quorũ est, exequi donantium voluntates; non autẽ de illis ad sui beneplacitum disponere, vt ex multis ostensum est suprà. Quod multò fortiùs procedit in Confratribus. Hi enim Regularitèr puram administrationem habent.

2 Tùm etiam; quia ità reperitur decisũ in *Clem. quia contingit, de Religiosis Domibus, in 6.* vbi inter cetera leguntur hæc formalia verba.

Cùm tamèn ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua quidèm Sedis Apostolicæ authoritate) conuerti. Hæc *ibi*, vbi *Glos. in ver. non ad alium*, subiungit, *etiam pium*, & ad id probandum adducit multa iura, quibus adde *Addit. ad Capell. Tholos. decis. 483. Marescot. var. resolut. lib. 2. cap. 42. nu. 1. Aloys. Ricc. in decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 170. p. 4.* & *Rot. Roman. in vna Bracharen. Oblationum 17. Decembr. 1612. coràm Emment. Pamphilio.*

3 Hinc, relicta, & data ad honorem B. V. Rosarij; vtputà, ad ornatum eius Statuæ, vel Altaris, vel pro fabrica, vel lampade argentea construenda, non possunt in alium vsum conuerti, nec altari Ecclesiæ concedi. Etenim nulli licet, vnum altare pro alio expoliare, *Scropha in moral. in d. q. 40. concl. 5. nu* 8.

4 Sed, si legatum ad vnum vsum, ex rationabili causa, in alium vsum necessariò sit conuertendum. cuius licentia requiritur?

Respondet *Barbosa in d. cap. quia contingit*, post collectaneum *Doctorum, nu. 13. & de off. & pot. Episcopi, allegat. 83. nu. 1. & sequen.* quòd solus Papa potest commutare pias voluntates Defunctorum, iusta, & rationabili causa existente, vt liquet in *dict. cap. quia contingit.*

5 Quod ego intelligo verum de iure antiquo communi, & re graui, & notabili. Quia hodiè Episcopus, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatus, potest vltimas Defunctorum voluntates commutare, iuxtà dispositionem *Conc. Triden. sess. 22. de Reformat. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.*

6 Nec non Regulares, de iure speciali possũt commutare legata facta suis Locis ad vnum vsum, in alium vsum, sine scandalo tamèn illorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet, vt constat ex multis *Priuilegys*, quorum propria verba extendit *Rodriq. tom. 2. q. 125. ar. 9. fol.* mihi 353. in impres. Venet. de anno 1611.

7 Perindè, si legata ad certum vsum non sufficerent, in alium vsum pèr Episcopum conuerti possunt, *Vgol. de off. Episcopi, cap. 61. nu. 3. Ricc. in collect. decis. p. 3. collect. 558.* vbi multas refert ampliationes, & expendit *Decretum Conc. Trid. Layman lib. 3. de instit. tract. 5. cap. 11. nu. 10. fol.* mihi 414. & *Guido Papa decis. 556.*

8 Amplia Primò, si vsus legati non potest adimpleri, & si res legata non possit deseruire pro vsu designato, impedimento iuris, vel facti, vel vbi legatum fuisset factum ad certũ vsum, non ità necessarium; poterit Episcopus commutare, hæc, & similia legata, *Barbos. in d. cap. quia contingit, de Relig. Dom. & in d. allegat. 83. nu. 12.* & *Diana p. 1. tract. 17. & 3. Miscell. resol. 26.* vbi diuersas refert opiniones.

9 Amplia Secundò, vt in dictis casibus Episcopus possit commutare pias Defunctorum voluntates; etiam nolente hærede Defuncti, *allegat. præd. nu. 6.*

10 Amplia Tertiò, vt Episcopus, Capellæ redditus, pro Missis celebrandis deputatos, in paramentorum emptionem, pro vna vice tantùm conuertere possit, pro celebratione earundem Missarum, *Ricc. in dict. collect. ver. 5. causa.*

11 Amplia Quartò, vt Episcopus, Monasterium construendum in vno certo loco, iussu Testatoris, si ibi construi nequit, possit alibi construi facere, *Ricc. in d. collect. in fin. & in 2. p. Decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 123. nu. 7. Farinac. decis. 126.* & alij plures, quos Egomet refero *2. p. tract. 1. q. 42.*

Oblationum prædictarum administratio, an possit Laicis committi, à quo, & ad quem finem? Quæst. 26.

1 REspondeo, quòd licèt Clerici non possint dominium oblationum, & eleemosynarum, suis Ecclesijs factarum, in Laicos transferre, cùm sit Ecclesiasticum, & ad Laicos non pertineat, vt constat ex decisis, & ostendit ex multis *Barbos. de iur. Eccles. vniu. lib. 3.* sub *tit. de Oblationibus, cap. 23. à n. 5.* vsquè in *finem.*

2 Nihilominùs, possunt Laicis illarum administrationem conferre, ad finem, illas expendendi in pios vsus eiusdem Capellæ, aut Societatis, prout legitimis Superioribus videbitur expedire; Et moueor ex multis.

3 Primò, quia administratio hæc, de qua agitur, non est Ecclesiastica, sed Laicalis; est n. puta, & simplex exequutio rei commissæ.

4 Secundò, ex quotidiana praxi omnium ferè Ecclesiarum, quibus à Christifidelibus oblationes fiunt.

5 Ter-

5 Tertiò, quia ità fuit sepè decisum in variis Tribunalibus, teste *Rot. Roman Toletana eleemosynarum die 29. Maij 1619. coràm R.P.D. Pirouano, Aloys. Ricc. 4. par. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 170. nu. 11. & Scropha in d. 9. 40. concl. 3. nu. 6.*

6 Quartò, ex *Bulla Pij V.* incip. *Consueuerunt Romani Pontifices*, vbi in §. 5. hæc præcisa verba leguntur.

Necnon eisdem Confraternitatibus, seù Sodalitatibus, quòd illarum ad id deputati Confratres, omnia, & singula, oblationes, & legata, seù donationes, aut alias quouis modo, siuè in testamentis, siuè codicillis, aut alia vltima inter viuos voluntate illis relicta, & erogata quæcunquè, quotcunquè, & qualiacunquè, etiam si speciali nota digna sint, percipere, exigere, leuare, & in Confraternitatum huiusmodi pios vsus conuertere, etiam Ordinarij Loci, aut cuiusuis alterius licentia desupèr minimè petita, liberè, & licitè possint; hæc ibi.

7 Quintò, in quibus expende, quæso, ly *ad id deputati*, & dices, ergò hi Confratres, nō propria auctoritate, sed ex legitima cōmissione, non in proprium commodum, sed in pios vsus propriæ Ecclesiæ, & Sodalitatum potuerunt dona recipere, & donata custodire, & conseruata dispensare; secus peccant mortalitèr, & tenentur restituere.

8 Et adde, quòd licèt Rector Ecclesiæ possit Laicos deputare, vt nomine suo eleemosynas, & oblationes recipiāt, & custodiāt.

9 Nihilominùs, hi Deputati non debent illas accipere de altari; quia, vt de communi aduertit *Ricc. vbi suprà*, inhonestum est, Laicos ponere manus super altare, vel illos extendere ad muros Ecclesiæ, vel Capellæ Rosarij, vbi appensa manent vota, in signū gratiarum acceptarum, vel in augmentum deuotionis Christifidelium, ad huiusmodi Loca confluentium.

SVMMA QVAESTIONVM

Tract. XIV. De Conuersis.

DE CONVERSIS

Tract. XIV.

Conuersio quid sit, & quotuplex, & vndè dicatur? Quæst.1.

1 COnuerfio, vt à nomine exordiar, interdùm pro conuerfatione ponitur, fępè verò pro inuerfo, fiuè inuerfione, quod eft inuerfum ire, & venit à verbo *inuerto, inuertis*, fcù *immuto, immutas*, quod eft, ordinem, aut priftinum ftatum permutare; tefte *Calepino*.

2 Et poteft fieri multis modis, Primò, ab infidelitate ad fidem Catholicam, vt in toto *tit. de Conuerfione infidelium.*

3 Secundò, à peccato ad ftatum gratiæ, iuxtà illud *Ioelis* 2. & *Zacchar. cap.1. conuertimini ad me in toto corde veftro, & ego conuertar ad vos.* De qua latè *Glof. in can. conuertimini, cauf.34. q.3. de pænit. dift.1.*

4 Tertiò, à fæculo ad Religionem, prout in *tot. tit. de Regul. & transeunt. ad Religionem*; quæ paritèr poteft effe multiplex. Nam quidam à fæculo, ex fola deuotione, nulla facta profeffione, ad Religionem conuertuntur. Quidam verò, profeffione emiffa. Quidam ad feruiēdum Choro; Quidam verò ad obfequia præftandum. Quidam ex cōtractu, Quidam verò fine contractu, Quidam perfonalitèr, & realitèr, Quidam verò realitèr, fed non perfonalitèr. Quidam plenè, & perfectè, Quidam verò femiplenè, & imperfectè, de quibus non pauca dicta funt hic immediatè fuprà *de Oblatis.*

Laici in fæculo ftantes, an poffint ad habitum Conuerforum admitti? Qu.2.

1 VTiquè Laici, etfi fint illiterati, aut illegitimi, poffunt ad habitum Conuerforum admitti; feruatis tamèn alijs de iure feruandis; & maximè *Decretis, & Inftitutionibus Clementis VIII.* nupèr fub *Vrbano VIII.* à Sacra Congregatione approbatis, & editis pro educatione, & receptione, & inftitutione Laicorum Conuerforum; qui in aliqua approbata Religione, trium votorum Profeffionem emittunt, de quibus fuprà latè egi in *tract. de Recipiendis.*

2 Et præfertim hi Laici, ad hoc, vt fint idonei ad habitum Conuerforum, debēt habere annum vigefimum fuæ ætatis, non criminofi, non ære alieno onufti, nō ratiocinij obligati, non vxorati, non fenes, nec debiles & impotentes ad manualia feruitia; debent deniquè, paucis exceptis, ea habere requifita, ficut, & qui ad habitum Clericorum admittuntur; vltrà ea, quæ requiruntur fecundùm propria Statuta, à S. Sede approbata, & quæ infrà noto de Qualitatibus Conuerforum.

An hi Conuerfi, qui Profeffionem folemnem funt emiffuri, debeant recipi in aliquo defignato Loco, & ibidem peragere probationis annum? Qu.3.

1 COnuerfi, in Dominicana Familia non poffunt recipi fine fpeciali licentia P. Prouincialis, qui non poteft, aliquē ad habitum Conuerforum recipere; nifi de confenfu Prioris, & duarum partium Fratrū, qui funt de Conuentu, in quo fuerit induendus, & fit filius, vt in *cap.13. de Recipiend. text. 3. dift.1. fol.43. colum.1.*

2 Nec admitti antè completum vigefimum ætatis fuæ annum, & nifi faltèm præcipua doctrinæ Chriftianæ capita nouerint; prout *Sixtus V.* & *Clemens VIII.* decreuit in *Inftitutionibus* editis pro receptione, & educatione Nouitiorum, quas habes fuprà, & notatur in cit. *loc.* noftræ *Conftitutionis.*

3 Nec in aliquo alio Loco, nifi in Conuentibus defignatis, vel defignandis ex *Decreto* eiufdem *Clementis*, & Sacræ Congregationis, & ex *Motu proprio Vrb. VIII.* quæ omnia fuprà pofui, & præfertim, ibi; *Nec quemquam ad habitum Regularem fufcipiendū, nec etiam Conuerfus, nifi in Conuentibus, Monafterijs, & Domibus, authoritate eiufdem S.D.N. propèdiem in vnaquaq; Prouincia defignandis, recipere, aut receptos ad profeffionem admittere, nullo modo audeant. Nec profiteri, nifi in eifdem Conuentibus defignatis, & elapfo probationis*

-uus

tempore, hoc est, completo vigesimo primo anno ætatis suæ, vt dictum est.

4 *Immò, vbi est consuetudo in nostro Ordine recipiendi Tertiarios, ibi nullus ad habitum Cõuersorum potest recipi, nisi prius per duos annos in habitu Tertiarij Conuentui inseruierit; vt sic eius spiritus, atque vires, quibus præcipuè in Fratribus Conuersis ordo noster opus habet, probentur.*

5 *Vbi verò consuetudo non est recipiendi Tertiarios, fuit statutum, vt recepti ad habitum Conuersorum; Primò duobus annis integris habitum Conuersorum deferant, quo biennio eorũ vires, & obsequia videantur, & probentur; an idonei sint ad labores: Deindè verò post biennium, annus tertius in eodem habitu pro probatione illis assignetur; ità, quòd si benè, vt par est, se gesserint, ad professionem post tertium annum recipiantur;* hæc ibi, *fol. 44. col. 1.*

6 Quò fit, vt in tali casu, si inuenti fuerint capaces, nequeant profiteri, nisi excesserint annum tertium supra vigesimum, cùm antè vigesimum completum non possint ad habitum Conuersorum admitti, iuxtà præcitata *Statuta Clemen.* & *Vrban. VIII.* quę hodiè omninò practicantur.

Si Conuersi sint recepti, & professi in Locis, & Monasterijs designatis; verùm probationis annum alibi, & in Conuentu non designato peregerint; an sit bona; & valida illorum professio? Quæst. 4.

1 QVidam perficietenùs *Decreta* legentes, putarũt, validam esse per illa verba *Decretorum* (*Recepti, & Professi*) & consequentèr ad nihil aliud teneri; cùm *ibid.* nulla alia fiat mentio de anno probationis, & tractu nouitiatus.

2 Attamèn, falluntur toto cœlo; quia hi profectò debent recipi in Locis designatis, & in illis permanere, & cursum Nouitiatus agere, & eo elapso profiteri, quæ copulatiuè requiruntur; secùs autèm, inualidè profitentur; quod clarè constat, tàm ex verbis *Decretorũ Clement.* quàm *Motus proprij Vrban. VIII.*

3 *Vrbanus* enim attendens, quòd horum, & consimilium probationis annus non haberetur in Locis, & Conuentibus approbatis, contrà prædicta *Clementis VIII. Decreta*; ac proindè talium professionem, nullam, & irritam fuisse; mandauit, & commisit, motu proprio, & ex certa scientia, die 11. Aprilis 1631. vt ratificarentur hæ inualidæ professiones; cuius *Bullam* suprà habes in *tractat. de Locis Recipiend.* & præsertim colligitur id, quod dico, ex illis verbis, *annum probationis in Monasterijs, seù Domibus Regularium, ad id designatis, minimè fecerunt*; itèm ex alijs, quæ sunt in *principio* illius *Motus proprij*, ibi, *Cùm itàq; sicut accepimus, quàmplures Ordinum, Cõgregationum, & Institutorum Regularium Professores, ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasterijs, seù Domibus regularibus, ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis, minimè fecerint; proindèq; iuxtà Cõstit. fel. record. Clement. [illegible] VIII. prædecessoris nostri, desuper editam, p[illegible]sio per eos subindè emissa inualida existat, [illegible]eligiosos prædictos, &c.* vt infrà; quod itè[illegible]olligitur ex *titulo, & rubrica* prædicti *M[illegible] proprij*, ibi, *Super Professionibus per Regulares emissis, non facto in Locis designatis Nouitiatu*; *rubrica* enim attenditur, sicut, & *textus*, vt *Iuristæ* docent; quibus addo, quòd secùs facere, esset eludere mentem Summorum Pontificum, & tot *Cõstitutionum*, & *Decretorum* causam finalem euertere, vel tollere; etenim Romani Pontifices, ea ad id designarunt Loca, in quibus viget Regularis obseruantia, vt in eisdem permanentes, vitam Regularem amplexi essẽt; trahũtur enim mores à conuersantibus; quid enim referret in Loco viridis obseruãtiæ, habitum suscipere, & mox adire locũ vitæ conuentualis, & conuentualitèr viuere, & postmodùm redire ad profitendum in Loco Regularis obseruantiæ? hæc enim omnia vafrè fierent, cõtrà intẽtum, & sanctam mẽtem tot Romanor. Pontif.; immò, si huiusmodi Conuersi haud tenerentur cursum Nouitiatus agere in Locis designatis, essent, ac fierent melioris conditionis, quàm Clerici; quod non est dicendum.

4 Exindè collige, eos, qui in Locis non designatis Nouitiatum peregerunt, etiã si in eisdem habitum susceperint, aut professionẽ emiserint, prædictis *Decretis* comprehendi; prout benè notat *Ioan. Bapt. Lezana tom. 2. Summ. QQ. RR. in cap. 8. nu. 26. in fin.* & *Bordon. tom. 1. resolut. 26. q. 36. nu. 81.*

5 Nec his obstat *Declaratio quarta*, facta in nostro *Capitulo* Generali, Romę celebrato, sub anno Domini 1629. ibi, *Declaramus circa caput 15. nostrarum Constitutionum, quòd Conuersi in Conuentibus, in quibus possunt recipi, non obligantur educari in domo Nouitiorum, neque cõprehẽduntur in Decretis de Nouitijs; sed seruetur circa illos Bulla Sixti V. qua præcipitur, vt habeant viginti annos completos, & sint in doctrina Christiana sufficientèr instructi; & quòd ità declarauit Congregatio Reformationis Regularium, die 20. Iulij 1602.*

6 Quia verum est, quòd Conuersi non debent educari in vna, & eadem domo, seù parte, & loco Conuentus designati, vbi educantur Nouitij Clerici, sed separatim, prout colligitur ex supradictis *Decretis*, ibi, *Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu, separatus ad*

dor-

dormiendum Locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur.

7 Illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum, iuxtà Ordinis statuta debêt esse subiecti, eaquè in Locis designatis agere, & addiscere, quæ infrà dicam, colligendo ex præcitatis ea, quæ spectant ad Conuersorum statum, *Remig. Scroph. in quæst. Moral. quæst. 8.* latè in proprijs terminis.

Qualitates, & circumstatia obseruandæ in receptione, probatione, & professione Conuersorum collecta ex suprapositis Decretis Sac. Congreg. & Bull. Summ. Pontif. quæ sint? Quæst. 5.

1 PRima, si quis annum 25. excedens, ad habitum Regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuêtus fuerit, in Conuersorum tantùm, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur; ipsi autèm Conuersi non recipiantur antè 20. ætatis suæ annum; & nisi saltèm præcipua doctrinæ Christianæ capita nouerint.

2 Secunda, quia quarundam Religionũ mos est, nedùm Conuersos ad Professionem admittendos; verùm, & Oblatos, vt vocant, recipere; circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquequè Religio suas peculiares Cõstitutiones, specialiaquè Instituta obseruare teneatur.

3 Tertia, cùm autèm, licèt Clericorum benè instruendorum cura debeat esse præcipua; Conuersorum tamèn Religiosa instructio, non sit prætermittenda; quin potiùs æquanimitèr amplexanda; quandoquidèm satis exploratum est, illorum etiam, cùm Regulam profiteantur eandem; perfectam educationem; tùm Religioni decorem, & ornamentum, tùm alijs Christifidelibus ædificationem, exemplum, atquè vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamèn, hac separatione nõ obstante, Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentum, iuxtà cuiusq; Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt; à quo nõ tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi; verùm etiam pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentalitèr orandi, diligentèr instruẽdi erunt, quod, vt commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesijs, statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officijs actualitèr occupati fuerint.

4 Quarta, tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solùm Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis suæ annum, quò ad Clericos decimumsextum, quò verò ad Conuersos vigesimum primum excesserint) ad Professionem admittantur.

5 Quinta, qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

6 Sexta, Superior cuiuslibèt Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit cõstitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusquè Nouitij Professio registretur, illamquè Nouitius Professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint subscribant.

7 Conuersus verò litterarũ ignarus Professus in eorundem testium, qui se subscripserint præsentia, propria manu signum crucis apponat, asseruetur què liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt; cœtera autèm vide in supradictis *Decretis.*

8 Quæ non obligant (meo videri) nisi pro Conuentibus designatis, vel designandis à Sãcta Sede, in Italia, & Insulis adiacentibus; exceptis similitèr quibusdã, prout sunt Carthusiani, & Fratres Minores strictioris obseruantiæ, Capuccini Sancti Francisci, Reformati, seu Regulares viridis obseruantiæ Ordinis Sancti Dominici, & alij plures; vt *ibid.*

Fratres Conuersi in Ordine Prædicatorum, an verè, & propriè sint Viri Religiosi, & Persona Ecclesiastica? Qu. 6.

1 REsoluo affirmatiuè quæsitum; ille namquè verè, & propriè dicitur Religiosus, & Persona Ecclesiastica, qui in aliqua Religione, à Sancta Sede approbata iurat, & vouet, obseruate Votum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; prout latè probaui in *quæst. 7. de Tertiarijs Coniugatis*, & est de mente *D. Thomæ, & Conc. Trid.* & habetur in *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.*

2 Hi autèm Conuersi in nostro Ordine, per plures annos sunt in Nouitiatu, sub cura Magistri, quo peracto, ad præscriptum Regulæ in manus Prælati solemnem Professionem emittunt, iurantquè, obseruare Religionis vota, nec nõ, & in ea permanere, & viuere, vsquè ad mortem, secundùm *Regulam B. Augustini, & Institutiones* Fratrum Prædicatorum; ergò sunt verè Religiosi, & Personæ Ecclesia-

clesiasticæ, & sepè sepiùs magnæ perfectionis,& bonitatis;nec video,quid eis desit, ob quod non possint dici verè Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ.

3 Hi quidèm,dimisso sæculo, habitum Religionis suscipiunt, conuertuntur ad Dominum,& se perpetuò mancipant obsequijs approbatæ Religionis.

4 Stant sub obedientia Prælati,& manducant panes *in* sudore vultus eorum;etenim recipiuntur ad labores, & Religiosorum seruitia,vt in nostra *Cōst.dist.1.c.13.tex.3.fol.43.*

5 Proindè, appellantur Laici, non quòd sæculares sint;sed quia ex instituto non possint Ordines suscipere,nec Choro inseruire, prout faciunt alij Clerici.

Et colligitur ex *cap.duo sunt genera 12. q.1.*& expressiùs ex *cap.vt lex continentiæ 27. q.1.*ibi,*Conuersi professi*,& sic *ibid.* computantur inter Personas Ecclesiasticas.

6 Et tandèm ad omne os obstruendum, id expresè concessit, & declarauit *Sixt.IV.* pro Tertiarijs, qui, editis tribus votis essentialibus, stant sub Regula, & iurisdictione Prælati Ordinis Mendicantium, *Rodriq.tom. 3.QQ.RR.q.72.ar.1.concl.3* & *Miranda tom.1. Manual.Prælat. q.36.ar.3.concl.2.*

7 Id ipsum nobis in specie cōcessit *Paulus Papa III.* sub anno Domini 1542. anno sui Pontificatus octauo, quæ est tenoris sequentis, & habetur in *Bull.* nostri Ordinis *fol.* mihi 207.

Paulus Papa III. Dilecti filij salutem,& Apostolicam benedictionem.Exponi nobis nuper fecistis,quòd licèt aliàs fel.record.Sixtus Papa Quartus prædecessor noster,accepto per eū,quòd quidā Fratres,& Sorores Tertij Ordinis S.Francisci, ex eius, vel prædecessorum suorum Rom. Pontif.speciali concessione collegialitèr viuentes, post annum probationis,in manibus sui Ministri, seù Ministræ,ab eorum Collegio canonicè electi, vel electæ,coràm toto suo Collegio tria substantialia vota emittebant, & quòd à plerisquè dubitatur,an talia vota essent solemnia, & Religionis obseruantiæ obligarent, per suas literas decreuerit,& statuerit,vota præfata,vt præmittitur emissa,vel quæ in futurum emitterentur de cętero,eam vim,& efficaciam habere, quam solemnia vota habent,& omnem inducere effectū, quem inducunt ipsa vota solemnia, facta per quoscunq;Religiosos, & Religiosas de Religionibus,à Sede Apostolica approbatis,mandans omnibus,& singulis cuiuscunq; gradus, dignitatis, conditionis, ordinis essent, sub quorum cura,vel iurisdictione Fratres, vel Sorores p̄fati degebāt, vel morabantur,aut degere, vel demorari cōtingeret in futurū,nè de cętero Fratres, vel Sorores p̄fati, p̄fata vota,modo p̄fato emittentes,matrimoniū de cętero cōtrahere,seù anteà cōtractū,post emissa vota huiusmodi cōsumare, vel Religionē ipsam dimittere,& ad sæcularem vitam redire permitterent. Quòdquè si ipsi Fratres,& Sorores contrarium fecissent, matrimonium huiusmodi nullum fuisse, & esse,Apostolica authoritate decernerent,ac ipsos Fratres,& Sorores,id facientes,excommunicationis sententia innodatos, tandiù denuncient;donec ad cor reuertētes,habitum dictæ Religionis resumerent,& votum,ac professionem suam,iuxtà statuta,& consuetudines dicti Ordinis obseruassent,meruissentq;ab huiusmodi excommunicationis sententia,à suis Superioribus absolutionē obtinere,put in eisdē literis pleniùs continetur, ac omnia,& singula priuilegia, & indulta,Apostolica authoritate eidem Ordini Sancti Francisci quomodolibèt concessa,vobis, & Ordini vestro generalitèr communicata fuerint.Nihilominùs,quia litteræ Prædecessoris huiusmodi vobis,& Ordini vestro prædictis, ac sub cura degentibus Sororibus tertij Ordinis,seù tertiæ Regulæ Sancti Dominici, & specialitèr communicatæ non reperiuntur à nonnullis hæsitatur, an litteræ prædecessoris huiusmodi etiam in Fratribus,& Sororibus dicti tertij Ordinis, seù tertiæ Regulæ Sancti Dominici collegialitèr, vt præfertur,viuentibus, qui tria vota huiusmodi emittere cōjuenerunt,locum sibi vendicent.Quarè nobis humilitèr supplicari fecistis, vt omnem hæsitandi materiam tollere, aliàsq; vobis,& Ordini vestro præfato, in præmissis opportunè prouidere,de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur quarumcunquè animarum salutem obnubilantia dubia de cordibus fidelium tollere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati,dicta authoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, ac statuimus, quòd vota per Fratres,& Sorores Tertij Ordinis, seù tertiæ Regulæ Sācti Dominici huiusmodi,eo modo emissa,secundùmq; vota per Fratres, & Sorores dicti tertij Ordinis Sancti Francisci emissa, iuxtà decretum prædecessoris huiusmodi, solemnia sint, & censeantur, ac eundem effectum prædictum faciant,& ad Religionis obseruantiam arctent,& obligent, mandantes omnibus, & singulis, sub quorum cura,aut iurisdictione Fratres,aut Sorores Tertij Ordinis, seù tertia Regulæ Sancti Dominici huiusmodi degunt,& morantur, seù in posterùm degere,vel morari contigerit,cuiuscūq; gradus, dignitatis, ordinis, aut conditionis existant,nè de cętero Fratres,vel Sorores Tertij Ordinis, seù tertia Regulæ Sancti Dominici huiusmodi,qui prædicta vota, modo præfato emiserūt, matrimonium contrahere, seù anteà contractum post emissionem huiusmodi consumare, aut Religionem ipsam dimittere,& ad sæcularem vitam redire permittant. Quòdquè si ipsi Fratres, vel Sorores contrarium fecerint, matrimonium huiusmodi nullum fuisse,& esse,eadem authoritate decernentes,ac Fratres, vel Sorores hoc facientes,excommunicationis sententia innodatos esse tandiù denuncient,donec ad cor reuersi,habitum

Religionis Sancti Dominici resumpserint, & votum, ac professionem suam, secundùm statuta, & consuetudines dicti tertij Ordinis, aut tertiæ Regulæ, modo prædicto collegialitèr viuentes obseruent, mereanturquè ab huiusmodi excommunicationis sententia à suis Prioribus absolutionem obtinere, non obstantibus Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Prædecessor in literis suis voluit, non obstare; cæterisq; contrarijs quibuscunquè. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesimasexta Iuly 1542. Pontific. nostri anno octauo.

8 Quàpropter, præfati Conuersi, vt suprà Professi, non posѕunt validè matrimonium contrahere; nec itèm testari, ex *cap. quia ingredientibus Monasterium 19. q. 3.* Nec habere proprium, nec subesse Laicis, aut iurisdictioni Episcopi Loci Ordinarij.

9 Sed sunt immunes, & exempti, sicut alij Professi; quorum in omnibus, & per omnia gaudent gratijs, & fruuntur priuilegijs, vt benè prædicta probat *D. Reg. Tapia in authen. ingressi, verbo sua, cap. 10. num. 3.* & *Grammatic. consil. ciuili 102. nu. 7. &* 8. optimè *Couar. de sent. excomm. p. 2. §. 2. nu. 8.*

An huiusmodi Conuersi gaudeant priuilegio Canonis, si quis suadente, &c.? Quæst. 7.

1 ITà profectò, tò, quòd nomine Monachi venit quilibèt Religiosus Professus, cuiusuis Religionis approbatæ, vt in *cap. cū illorum, de sent. excom. & cap. Religioso, eod. tit. in 6. & cap. non dubium, eodem tit. & cap. ex tenore, & cap. Parochianos, Sylu. in sum. ver. Ecclesia 1. q. 5. §. 6. Auila 2. p. cap. 5. disput. 2. dub. 11. concl. 4.* & *Graff. p. 1. lib. 2. cap. 49.*

2 Quod procedit, etiam si Conuersus sit tantùm Nouitius; quia nomine Monachi venit etiam Nouitius non Professus, *Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. de excommun. nu. 2.* vbi latè explicat *Canonem, si quis suadēte Diabolo,* in Clericum, vel Monachum manus violentas iniecerit, & *Bonac. tom. 1. de excomm. disp. 2. q. 4. pun. 3. nu. 7. proposit. 2.*

3 Et habetur exprefsè in *d. cap. Religioso, de sent. excomm. in 6.* vbi hoc priuilegium extenditur ad Nouitios, etiam si sint admissi ad Religionem, antè annos pubertatis; satis enim est, quòd in communi sub obedientia viuant, & deferāt Religonis habitū.

4 Secus autèm dicendum, si foret Nouitius admissus antè rationis vsum; quia, ad hoc, vt sit de corpore Conuentus, prærequiritur proprius consensus, sine quo haud posset Religiosorum gaudere priuilegijs, *Sanch. in opere Morali, lib. 5. c. 4. nu. 24. Bonac. vbi suprà, Marcell. Megal. in 3. p. instit. lib. 4. cap. 2. quæsit. 5. nu. 39.* & *Nauar. in consil. 12. de Regul. & conf. 1. eod. tit.*

Conuersus nullitèr Professus, an gaudeat iam dicto Priuilegio Canonis? Qu. 8.

1 ET quidèm, gaudere censeo; nàm Conuersus per Professionem inualidam non priuatur habitu, quem assumpsit, nec desinit esse pars, & membrum Religionis, in qua intēdebat profiteri; etenim remaner vti vnus de Nouitijs, ad quos etiam extenditur *Canonis* priuilegium; quandoquidèm hoc priuilegium *Canonis*, in his, fundatur in assumptione habitus Religiosi, quemadmodùm, & in Clericis fundatur in Ordine, quo quis Deo consecratur; ità communitèr *Doctores.*

2 Quod procedit, & est verum, etiam si Conuersus, sua culpa inualidè esset Professus, *Franciscus Bordon. tom. 1. var. resol. 28. de percussione in Religiosos, q. 9. nu. 24. Diana 4. p. resol. moral. tract. 1. resol. 31.*

3 Secùs autèm dicendum, si sit receptus ad habitum Religionis iniustè, nullitèr, & nō canonicè; quia inualida admissio, ob quamcumquè causam, seù inualidus in Religionē ingressus, nullum confert priuilegium, *Sanch. in opere morali, lib. 5. cap. 4. nu. 24.* & *Bonac. tomo 1. de excomm. disp. 2. q. 4. pun 3. prop. 2. n. 7.*

4 Nàm sicut Clericus inualidè initiatus prima tonsura (vtputà, quia eam recepit ab alieno Episcopo, absq; licentia proprij Episcopi) non gaudet priuilegio Clericali.

Ità a pari, & Nouitius, si inualidè Religionem ingrediatur, non gaudet Religiosorum priuilegijs.

5 Et habetur exprefsè in *cap. 2. 54. distinct.* vbi ponitur casus, quòd si Seruus fiat Clericus sine licentia Domini sui, *Canonis* priuilegio non gaudet, ibi, *Porrò Seruus non canonicè consecratus, postquàm de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat antè gradū, Marcell. Megal. 3. p. Instit. Confess. lib. 4. cap. 2. quæsit. 5. nu. 38. ver. sed quid dicendum;* Quod benè nota contra nonnullos oppositum tenentes, aut intelligentes, decisionem prædictam, habere locum post declarationem Superioris, ritè factam.

Conuersi Professi, si sint Apostatæ, vel sine habitu incedentes, an gaudeant prædicto priuilegio Canonis? Qu. 9.

1 ET dico, gaudere, quia in dictis casibus non desinunt esse Personæ Ecclesiasticæ, & Religiosi, & colligitur ex *cap. Monachi, & cap. de Monialibus, de sent. excommunicationis, Graff. p. 2. lib. 3. cap. 5. nu. 19. Sayr. lib. 3. cap. 26. nu. 36. Bonac. de excomm. q. 4. n. 4.*

2 Quod

2 Quod extende ad eiectos, & expulsos à Religione, tanquàm incorrigibiles; quia, adhùc remanent Religiosi,& debent incedere in habitu Clericali,sub Obediẽtia Episcopi, *Rodriq.tom.1.quaest.1.ar.4. & q.30. art.19.* & *Nauar.in fin.consil.77.de Regularib.*

3 Verùm,limita in degradatis; hi quidèm fori,& Canonis priuilegium amittunt, vt in *cap.degradatio,de pœnis,in 6. Megal.de censlib.4. de excomm. Bordon.tom.1.variar.resol.28.q.7.n.22.& Summista in ver.degradatio.*

Conuersus non baptizatus, etsi deferat Religionis habitum,an gaudeat priuilegio Canonis? Qu.10.

1 RESpondeo,gaudere; quia in Religiosis Mendicantibus Priuilegiũ fori,& Canonis non fundatur in Professione, nec in caractere alicuius Ordinis, prout est in Clericis;sed tantùm in assumptione habitus Religiosi, per quam fit de corpore Religionis, & de statu Mendicantium.

2 Quæ quippè assumptio habitus Religiosi,ob defectum baptismi non læditur, *Bordon.cit.loc.q.10.nu.25.*

3 Nec his obstat,quòd homo nõ baptizatus sit incapax Ordinis, & vt dicitur in *cap.1. & cap.veniens, de Presbytero non baptizat.* est enim baptismus Ianua omnium Sacramentorum, & docent communitèr *Theologi*,& *Canonistæ*, & consequentèr, quòd fit incapax eorum omnium,quæ fundantur in Ordine; quorũ vnũ est priuilegium Canonis.

4 Quia in nostro casu,etsi defectus baptismi excludat priuilegium Canonis, quod fundatur in Ordine;non tamẽ excludit,quod fundatur in assumptione habitus,ob quam fit pars,& Religionis membrum.

5 Et sicut homo non baptizatus,si confugiat in Ecclesiam,gaudet illius immunitate,ratione Loci,in quo reperitur; quia priuilegium locale comprehendit omnes existentes in loco; dummodò nõ fit de numero exceptuatorum, *Diana p.4.tract.1.resol.50.* ità omnes existentes in Religione gaudent hoc *Canonis* priuilegio,aliàs irrogaretur iniuria Religioni, & turbaretur status eius, in cuius fauorem concessum fuit hoc priuilegium,de quo impræsentiarum agitur.

An omnes hi Conuersi Laici, ex quo in Religionibus approbatis Professionem emiserunt, possint ad illarum Dignitates, & Prælaturas eligi, vel assumi? Quaest.11.

1 NEgatiuè respondeo; quandoquidẽ Laicus non est capax iurisdictionis spiritualis, qua Subditi in Religione reguntur;vndè de iure Prælatus debet esse Sacerdos,vt expressè dicitur in *cap.nullus, de elect.in 6. cap.1.de ætat.& qualit.Ordin.* & in *Concil.Trid. sess.24.de reformat.cap.12.*ibi,*Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascunquè, quibus animarum cura subest, promoueatur,nisi qui saltèm vigesimum quintum suæ ætatis annũ attigerit,& in Clericali ordine versetur, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur,*iuxtà *Constit. Alexandri Tertij, in Concilio Lateranensi* promulgatam,quæ incip.*Cùm in cunctis.*

2 Ergò, vt quis sit Prælatus, oportet, vt tẽpore electionis sit Sacerdos,vel talis,quòd saltèm possit posteà fieri,*Suarez tom.4.de Relig.tract.8. lib.2.cap.3. nu.20.*

3 Et ratione probatur;nàm potestas iurisdictionis spiritualis, etsi non sit ipsamet potestas Clauium;hoc est, ipsamet potestas remittendi peccata, tamèn ordinatur ad illam; immò,ex illa ortum habet, & nascitur.

4 Hæc autèm potestas remittendi peccata, solis dũtaxat Sacerdotibus traditur,& cõmittitur, vt vniuersalis Ecclesia testatur.

5 Proindè,Laicus nullatènus potest exercere actus veræ iurisdictionis spiritualis, ceù sunt censuras Subditis imponere, dispensare in Subditorum votis,vel vota commutare,& similia,*Sot.in 4.sent.dist.10.q.1.ar.4.* & *Palud. in cit.loc. dist.14.q.2.& Syl.ver.Abbatissa,§.1.*

6 Nec obstat,quòd *Sanctus Franciscus de Assisio* in sua *Regula*, auctoritate Apostolica confirmata, ordinauit, vt Conuersi in ipso Ordine,absquè sacris Ordinibus possint esse Prælati,& habere curam animarum.

Quia, etsi hoc authoritate Apostolica fieri poterat;tamèn,sapientèr iudicatum est, minimè conuenire,vt qui nõ habent potestatẽ ad consecrandum verum Christi Corpus, nec itèm illam habeant spiritualem potestatem circà corpus mysticum,*Sot.vbi suprà.*

7 Vndè, tale priuilegium cum sua praxi abijt in desuetudinem, & euanuit per cõtrarium vsum, *Rodriq.* eiusdem Franciscanæ Familiæ meritissimus *Alumnus tom.1. QQ.RR. q.15.ar.2.in med.*

8 Immò,à *Greg.IX.*in Generali *Capitulo* fuit in specie reuocatum;sic adeò, vt Fratres Conuersi sint inhabiles ad officia Ordinis, qui vsquè tunc dicta officia,vt Clerici exercebant, *Casarubios in compen.priuil.Fratrum Minorum,verbo Laici Fratres,vers.in Cap.Gen.*

9 Et hoc eis à Sancta Sede,tunc,censeo, fuisse concessum,ob penuriam Clericorum, & secundùm quod hodiè Monialibus conceditur,nempè,vt possint Subditis imponere præcepta,etiam obligantia ad culpam,iuxtà materiæ grauitatem, & leuitatem, cogere ad obseruantiam Regulæ,& Constitutionum,de-

linquentes punire, vota irritare, & alia omnia, quæ potestatem dominatiuam non excedunt, cuius capax est Laicus, & Conuersus cuiusuis Religionis, *Suar. in cit. loc.*

An prædicti Conuersi Laici, & vt suprà Professi, possint saltèm habere vocem actiuam, & suffragari in electione Prælatorum Ordinum? Qu. 12.

1 Iterùm negatiuè respondeo; quia de iure nemo potest sine vitio nullitatis, Capitulis interesse, nec in electionibus Prælatorum vocem habere, nisi ad minus sit in sacris Ordinibus constitutus, prout expressè habetur in *Clem. vt ij, qui, de ætate, & qualit. cap. ex eo, de elect. in 6. §. in Eccles. & in Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. de Reformat.* vbi dicitur, *Quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari Ecclesia diuinis mancipatus officijs, in Subdiaconatus ordine saltèm constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.* hæc *ibi.*

2 Per quæ verba cessant priuilegia, si quæ sint, in contrarium obtenta; quod omninò obseruatur in Ordine Prædicatorum, in quo itèm authoritate Apostolica, & iussu *Paul. V.* reperitur statutum, vt Fratres nostri in quacunquè canonica electione, actiuam vocem non possint habere, nisi sint Sacerdotes, & sex annos habeant à suà professione, prout est videre in *dist. 2. de elect. Prioris Conuent. cap. 2. lit. C. fol. 115. col. 1.*

3 Proindè, Fratres Conuersi in Dominicana Familia, nullatenus se intromittunt, nec actiuè, nec passiuè de electione Prælatorum, sicut, nec etiam de Choro, & Ordinis regimine; etenim ad solos recipiuntur labores; vnde habitum deferunt nigri coloris, & sunt in Monasterio sine tonsura, quia semper subsunt, & nunquàm præsunt.

4 Bene verum, quòd huiusmodi Conuersi possūt esse Procuratores, Sacristæ, & Oeconomi bonorum, aliaquè exercere, quibus non subest cura animarum, *Rodriq. tom. 1. QQ. RR. q. 5. ar. 2. in fin. Sylu. verb. elect. 1. q. 2. dict. 2. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 23. art. 5. & Lezana in Summ. QQ. RR. tom. 2. c. 8. n. 19.*

An hi Laici Conuersi, vel Tertiarij, degentes intrà septa, possint licitè sacra vasa tāgere; vtputà, Calices, & Corporalia, & vti superpelliceo lineo? Q. 13.

1 SAcra vasa tangere, vel corporalia, dum in eis continetur corpus, & sanguis Christi nostri Redemptoris, graue peccatum est, exceptis Sacerdotibus, & Diaconis, vt in *cap. non oportet, distin. 23.* & docet noster *Palud. in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 4.* quem sequitur *Suar. 3. par. tom. 3. disp. 81. sect. 8.*

2 Tangere autèm prædicta, cùm in eis non sit corpus, aut sanguis Christi, est etiam illicitum, prout colligitur ex *cap. in sancta, distin. 1. de consecrat. cap. sacratas.*

3 Sed transgressio huiusmodi, secluso contemptu, erit tantùm venialis; immò, cum causa rationabili, vel moralitèr necessaria, erit licita, & sine omni culpa, docet *Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. ar. 3. ad 3.* & *Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 6. nu. 18.*

4 Attamèn, ad tollendum omnem scrupulum, solet peti licentia à Sac. Congreg. Rituum, *Barbos. in collect. Bull. ver. licentia.*

5 Verùm, in Mendicantibus, ex speciali priuilegio cessat omne dubium; nàm *Calixtus III.* concessit, quòd Fratres Minores Laici possint tangere calices, & lauare corporalia, & alia Ecclesiastica, cùm expedierit, *Cæsarubius in comp. priuil. Fratrum Minorum, verb. Laici Fratres, num. 1. Rodriq. tom. 2. QQ. RR. quæst. 123. ar. 2.* & *Portell. in dub. Regul. verb. Laici Fratres.*

6 Sic itèm *Sixtus IV.* concessit pro Fratribus Conuersis Ordinis Sancti Augustini Congregationis Lombardiæ, *Confect. in collect. litter. Apost. inter priuilegia Sixti IV. n. 9.*

7 Et quòd possint vti superpelliceo lineo, more Clericorū; idē *Portell. cit. loc. n. 2.*

8 Quod procedit, etiam si dicti Laici fuissent bigami, vel homicidæ, *Lezana tom. 2. sum. cap. 8. nu. 35.*

9 Quæ priuilegia, & concessiones effectæ sunt vnicuiq; nostrum propriæ, ob cōmunē cōmunicationem priuilegiorum per ea, quæ dixi in *tract. de communic. priuil.* & quomodò viuant, etiam si sint factæ Oraculo viuæ vocis, vide quæ dico in *tract. de Oraculis.*

An hi Conuersi Laici, saltèm infrà probationis annum, possint ad statum Clericorum transire, & vti Clerici, ad sacros Ordines promoueri? Qu. 14.

1 CErtum est, non posse, ex *Decretis Clem. VIII.* editis pro Institutione Nouitiorum in Monasterijs designatis, vel designandis, quæ etiam approbata sunt à Sacra Congregatione *Conc. Trid.* sub *Vrb. VIII.* & habentur simul cum *Decretis de Apostatis, & Eiectis*, ibi, *Qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint,* & habetur in nostris *Constitutionibus, dist. 1. de Recipiendis, cap. 13. tex. 4. lit. L. fol. 44. col. 3. ver. denunciamus.*

2 Vn-

2 Vndè, limitatur potestas Magistri Ordinis nostri, quàm ex vi dictæ *Constitutionis* habebat ex *text.4.* prædicti *Capituli*, prout etiam limitatur, quoad hoc potestas omniũ aliorum Supremorum Prelatorum Ordinum; sic adeò, vt hodiè non possint huius viæ viros ad statum Clericorum licentiare, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ.

3 Quod optima ratione factum est, vt iuxtà præceptum *Apostoli 1. Epist. Corinth. cap.7. Vnusquisquè permaneat in ea vocatione, in qua vocatus est*; & vt itèm auferatur ansa, & occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere, non sine murmure, & Prælatorum molestia.

Quid, si Conuersus cum sola licentia Prælatorum Ordinum, vel ex se, sine licentia Sanctæ Sedis, ordines sacros susceperit? Qu.15.

1 Respondeo, quòd iste debet puniri, nedùm iuxtà *Constitutiones Apostolicas* de malè promotis, verùm etiam iuxtà propria Religionis Statuta.

2 Proinde, in facti contingentia quidam Conuersus Professus in Ordine nostro, ex se, & fraudulentèr factus Augustinianus, in quo paritèr statu, sacros Ordines suscepit; qui coactè reuersus, fuit iudicatus ad præscriptum nostrarum *Constitut. dist.1. de Recipiendis, cit. loc.* hoc est, fuit priuatus habitu Conuersorum, atq; solo habitu Tertiarij indutus, toto tempore suæ vitæ, ab exequutione dictorum Ordinum fuit suspèsus perpetuò, & inhabilis factus, ad pristina rediјt seruitia Conuersorũ.

4 Quia postmodùm, me Regentem in Generali Studio Consentino consuluit; an teneretur ad persoluendum officium Diuinum, & ad horas canonicas, ob ordines susceptos; & dixi, teneri, ob ea, quæ dico infrà *q.20.* verùm *Rodriq. tom.1.q.41.ar.19.* tenet contrarium, & se fundat in quodã *Decr. Leon. X.* cuius verba *ibid.* ponit, sub tali tenore, *Quando aliquis Frater Laicus ad Clericatum ascenderit, extrà obedientiam Prælatorum Ordinis, etiam si vsquè ad Sacerdotium promotus sit, postquàm reuersus fuerit, omni honore Clericali priuetur; nec permittatur, Canonicum persoluere officium, sed Laicorum officium persoluens, ad merum statum suum Laicalem reducatur*; hæc *ibi.*

4 Nec hodiè Superiores Ordinum possunt hanc facultatem facere; secus autèm facientes, sunt punibiles, & in pœnam debent ab officijs absolui, prout habetur in *cit. loc.* nostræ *Constitutionis*, & docent *Rodriq.* vbi suprà, *Portell. in dub. Reg. ver. Hora Canonica, nu.4.* & *Peyr. tom.2. de Prælat. cap.7.q.3.nu.27.*

5 Nec nobis nocet dictum *Decret. Leon.* tùm quia, non apparet authenticè; tùm etiam, quia non fuit generale, sed speciale, nempè, latum ad instantiã Fratrum Minorum.

Conuersi à nostro Ordine apostatantes, si in Apostasia sacros Ordines susceperint, cum postmodùm in Religionem redeunt, an possint, saltèm tonsuram, vel album habitum deferre? Qu.16.

1 Ex hucusquè modò decisis patet negatiua responsio, & habetur in *cit. loc.* nostrarum *Constitut. 1. dist. cap.13. de Recipiendis, lit. L. fol.44. col.1.* & colligitur ex *Decreto Leon. X.* ibi, *Omni honore Clericali priuetur, & ad meru statũ suum Laicalè reducatur.*

2 Et procedit de iure; quia inobediens, & rebellis non debet esse melioris conditionis, quàm sit obediens, & colligitur ex *cap. contingit, de dolo, & contum.* & ex *cap. eum, qui, de prębendis, in 6.*

3 Sed Conuersi, iustè, & legitimè recepti, non possunt vti tonsura, & habitu albo in nostro Ordine, ergò multo minus rebelles, & apostatæ.

4 Secus autèm, ex eorum peccatis reportarẽt honorem, & commoditatem, quod dedecet fateri, & est contrà iura, etenim ex delicto non debet quis facere conditionem suam meliorem, vt dicitur in *l.3. ff. de don. inter virum, & vxorem.*

5 Vndè, si prædicti delinquentes in hoc tolerarentur, non sine magno scandalo bonorum efficerentur nobilioris conditionis, & fouerentur in eorum malitia, *cap. si verè, de sent. excomm. in 6.*

6 Imò, in pœnam Apostasiæ (etiam si sit Clericus) debet abradi Caput, & omne signũ Monachatus aboleri, docet *Glos.* expresse in *cap. degradatio, de pœnis, S. Ant. 3. p. tit.14. cap. 16. §.6.* antè *medium*, & *Cæsarnb. in Compen. priuil. Minor. verb. Laici Fratres*, vbi latè de hac re, *in fin.* & *Rodriq. tom.2. QQ. RR. q.123. ar.3. & tom.1. q.20.*

An hi Laici Professi, possint ad alias Religiones transire? Qu.17.

1 Et dic, quòd sic, seruatis tamèn seruandis; de quibus multa dixi in *tract. de Regularibus transeuntibus ex vna in aliam Religionem.*

Conuersi, vbi consequuti fuerint Breue à Dom. Papa, de se transferendo ad habitum Clericalem; quonàm modo sint recipiendi ad talem statum? Qu.18.

Sup-

1 SVppono, Dom. Papam posse hanc licentiam concedere; qua habita, respõdeo, quòd in primis, & antè omnia est inspiciendus tenor *Breuis*, & quonam modo, & forma sit derogatum Religiosorum Statutis, & Pontificum decretis; nam reperiuntur quædam, quæ non censentur abrogata, nisi in specie abrogentur.

2 Nec non, si in dicto *Breui* adsit illa clausula, *De licentia Superiorum*; nã per istam clausulam datur intelligi, quòd inter cetera requisita requiratur voluntas Reueredissimi Patris Generalis, & Prouincialis promouendorum, prout Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regulariũ præposita, de mandato *Vrb. VIII.* declarauit, sub anno 1630. die 2. Augusti, & refert per extensum authenticè *Laur. Peyr. tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 1. §. 5. nu. 149.* & liquet ibi, *Clausulam, de licentia Superiorum in breuibus prædictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Prouinciali Oblatorum huiusmodi; ità, vt pro eorundem Breuium exequutione requiratur vtriusquè licentia, & consensus.*

3 Vel si itèm in dicto *Breui* dicatur, *attento, quòd N. ad talem statum idoneus reperiatur*; nàm in tali casu, præter consensus prędictorũ Prælatorũ, non requiritur consensus Capituli, nec examẽ de sufficiẽtia literaturæ.

4 Si verò desit ista secunda Clausula, *obtentis licentijs dictorum Superiorum Ordinis*, tã pro receptione, quàm pro professione trãsferendorum, debent alia requisita concurrere; prout in alijs recipiendis, quia Dom. Papa per iàm dictum *Breue* non cẽsetur, alijs qualitatibus pręiudicasse, vt sunt illæ pro institutione, & receptione Nouitiorum necessariæ; de quibus suprà latè diximus.

Religiosus Choro destinatus, an possit ad Ordinem Conuersorum transferri? Quæst. 19.

1 REsoluo affirmatiuè quæsitum; dummodò non sit in sacris constitutus, & hoc de voluntate Prælati; ità, vt in posterùm sit tantùm Laicus Cõuersus. Quod procedit, nedùm volũtariè, sed etiam coactè, in pęnam scilicèt alicuius grauis delicti, *Sot. lib. 10. de iustit. q. 9. ar. 3. ver. ad aliud verò, Ledesma 2. p. sum. tract. 9. c. 4. concl. 13. dub. 1. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. nu. 7.* & latè *Sanchez in Decalog. lib. 6. cap. 7. nu. 8.*

2 Quandoquidèm, non variatur substantialitèr status Religionis; immò, illæsus remanet; hic enim non fit transitus ad aliam Religionem, sed sub eisdem votis in vna, & eadem Religione restat.

3 Confirmatur; nàm sicut potest Prælatus alias grauiores pœnas suis Subditis infligere; vtputà, perpetui carceris, triremium, & electionis à Religione, prout colligitur ex *cap. in singulis, & cap. ea, quæ, de statu Monach.*

4 Ità in pęnam culparum potest Superior Choro destinatum, ab illo amouere, & ad statum Laicalem Conuersorum, hoc est, ad infima manualium seruitia transferre, ad tempus, vel in perpetuum, & tonsuram abradere, iuxtà mensuram delicti, prout sibi benè visum fuerit.

5 Quod limita, pertinere ad solos P. Generales Ordinum, & Prouinciales; nàm alij Prælati infimi non possunt hoc facere; quia agitur de re graui, & nimis præiudiciali, *Sanch. cit. loc. nu. 81.*

6 Verùm, si fieret ad petitionem eiusdẽ patientis, posset infligi, & fieri à Prioribus, de consensu tamèn sui Capituli; vtputà, ob insignem humilitatem alicuius Religiosi, vel ob ineptitudinem, quam quis habet ad Chorũ, qua nequit ad ordines sacros promoueri.

7 Dixi, dummodò non sit in sacris; nàm sacris insignitus, ad gradum inferiorem non potest eijci, nisi secus permitterẽt statuta Religionis, quibus standum est, *Sot. vbi suprà*, vel nisi in casu enormissimi delicti, & per sententiam Iudicis, prout fit, cùm quis ad triremes condemnatur.

Clericus à Choro remotus, & in statum Conuersorum translatus, teneturnè ad Diuinum Officium? Qu. 20.

1 ET (omissa aliorum sententia) Dico, quòd sic, secus, ex sua iniquitate reportaret commoditatem, eò fortiùs, quia in nostra Religione officium Conuersorum obligat semper, sed non ad semper, obligat enim cùm vacat, non ad mortale, sed eo vinculo, quo obligant aliæ nostri Ordinis *Constitutiones.*

2 Clerici autèm tenentur sub mortali Diuinum recitare officium; quia ex quo sũt Choro destinati, censentur totalitèr applicati cultui Diuino, & sic habent beneficium, interpretatiuè saltèm; hoc est, viuẽdi ex eleemosynis, vel de redditibus Monasterij, vel de quæstibus, qui eis conceduntur ab Ecclesia, ratione applicationis ad cultum Diuinum.

3 Nec censeo, quòd Prælatus possit Subditum absoluere, & deobligare ab officio, quod tenetur quis persoluere, ratione Ordinis, vel saltè Chori, cui ex voto, & professione iurauit assistere; ità *D. Anton. in 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 1. in fin.* quem non pauci sequuntur; & Egomet in *tractat. de transeunt, quæst. 34. num. 2.*

SVM-

SVMMA QVAESTIONVM
Tract.XV. De Tertiarijs Intrà Septa Monasterij.

Quonàm modo, & qua ætate, Tertiarij possint in Religionem admitti? Qu.1.
An Tertiarij degentes intrà septa Monasterij, gaudeant Professorum priuilegijs? Qu.2.
An hi Tertiarij, sint saltèm largè Personæ Ecclesiasticæ? Qu.3.
An supradicti gaudeãt priuilegio Canonis? Q.4.
Hi Tertiarij, si Claustra deserant, & habitum dimittant ad tempus, vel in perpetuum, an sint Apostatæ? Qu.5.
Tertiarij huiusmodi, an ritè, ac validè possint matrimonium contrahere? Qu.6.
Legatum factum N. sub illa conditione, si monachabitur, an debeatur ei, si fiat Tertiarius in Ordine Prædicatorum? Qu.7.

DE TERTIARIIS
Intrà Septa Monasterij. Tract.XV.

Quonàm modo, & qua ætate Tertiarij possint in Religionem admitti? Qu.1.

1 Cæteris paribus, eas debent hi qualitates habere, quas cęteri in Ordinem admittendi; de quibus latè suprà dixi *De Recipiendis ad habitum*, sic adeò, vt nõ sint criminosi, non ære alieno grauati, non vxorati, non ratiocinijs obligati, & per multum temporis sunt probandi, an habeant vires, & obsequia, & quo spiritu venerint; ità, vt sine aliorum quærela, in humilibus seruitijs possint Deo seruire.

2 Quò verò ad ætatem, de iure cõmuni, vt suprà dixi, debent esse suprà annos pubertatis; ità, vt plena deliberatione, possint se Religioni tradere; hi namquè, aut veniunt animo suscipiendi habitum Conuersorum, & sic debent eorundem requisita habere; aut veniunt, vt sint in Religione perpetuò Oblati, ex instrumento, & contractu, & sic indigent Oblatorum circumstantijs; in cęteris verò sunt attendenda cuiusuis Ordinis, & Religionis Statuta, à Dom. Papa approbata.

An Tertiarij, degentes intrà septa Monasterij, gaudeant Professorum Priuilegijs? Quæst. 2.

1 Et quidèm, gaudere dixi in *tract. de extensione priuil. q.21.* & colligitur ex *Concil. Lateran.* sub *Leon. X.* celebrato *sess. 11. in fin.* quod incip. *Dùm intrà mentis arcana, &c.* ibi, *Fratres autèm Tertij Ordinis, collegialitèr viuentes, seù cum Claustralibus habitantes, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs quibus Fratres Ordinis, cuius tertia Regula habitum gestant, gaudere debent.*

2 Quod itèm Sacra Congreg. *Concilij* declarauit, sub anno Domini 1608. die verò 1. Martij, cuius, per extensum *Decretum* refert *Barbosa in collect. Bullarum, ver. Tertiarij*, & *Peyrin. 1. tom. priuil. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 7. nu. 38.* & *Lezana in Summ. QQ. RR. cap. 14. nu. 40.* & est communis.

An hi Tertiarij sint saltèm largè Personæ Ecclesiasticæ? Qu.3.

1 Affirmatiuè respondeo, per ea, quæ habentur in *cap. duo sunt genera 12. q. 1.* vbi omnes Christi fideles per *S. Hier.* ad duo genera reducuntur; nempè Laicorũ, & Clericorum; ex quo ergò prædicti Tertiarij non sunt Laici; eò, quòd sunt extrà sæculum, sed intrà septa Religionis sunt sub cura Regularium, quorũ vtuntur cibo, & vestitu, Regula, & modo viuẽdi, & sunt in probatione, vt suprà dixi *qu. 1. nu. 1.* fit clara, & bona illatio, vt *ibid.* docet *Glos.* quòd sint sub genere Clericorum, & Personæ Ecclesiasticæ, *Syl. ver. Ecclesia 1. q. 5. Rodriq. tom. 2. q. 65. art. 5. & tom. 3. q. 73. ar. 1. concl. 3. & quæst. 73. ar. 1.* & *Mirand.* latè *in tom. 1. Manual. Prælat. qu. 36. per totam*, vbi de Conuersis, & Donatis.

2 Colligitur itèm ex *cap. quisquis inuentus 17. q. 4.* ibi, *Vel Monachis, siuè Deo deuotis*, nomine enim deuotorum, veniunt omnes stantes in aliquo Religioso statu, sub obediẽtia Prælati, & *cap. qui verè 16. q. 1.*

3 Item, ex *Constit. Honorij III.* quæ incip. *Religiosam vitam eligentibus*, qua noster Ordo fuit primitus confirmatus, sub anno Domini 1216., 11. Kal. Ianuarij, ibi; *Liceat quoq; vobis, Clericos, vel Laicos, liberos, & absolutos à sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos, absq; contradictione aliqua retinere;* hæc ibi.

4 Quod totum fuit multoties confirmatum, & præcipuè in *cap. vnic. de Religiosis domibus, in 6. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. de excommunic. nu. 2. ver. dubitatur autem primò, de Tertiarijs*, & egregiè, multis citatis, præcipuè *Lassar. & Gironda*, prædicta probat *D. Franc. del Castillo decis.* 88. *nu.* 2. 3. & 4. *lib.* 1. & *D. Reg. Sanfel. decis.* 418. *nu.* 5. *tom.* 3. vbi testatur de obseruantia, & vsu.

An supradicti gaudeant priuilegio Canonis? Qu. 4.

1 Profectò gaudere, docet *Glos. in d. cap. duo sunt genera* 12. *q.* 1. eò, quòd habent habitum illorum, cum quo conuersantur, vt in *caus.* 16. *quæst.* 7. & docet *Syluest. ver. Ecclesia* 1. *nu.* 6. & *nu.* 8. *in fin.* & *Iacob. de Graffijs in decis. aur. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 49. *de explic. Canon. si quis, nu.* 27.

2 Et sic ratione status, in quo reperiuntur, debent potiùs tali priuilegio; quò fit, vt extrà talem statum non gaudeant, ità *Rota in decis.* 332. *in antiquis, Felin. in cap. dilecta, de maior. & obed. in cap. nullus, de foro competent. Turrecremat. in cap. de viduis* 27. *q.* 1.

3 Proindè, hæc copulatiuè requiruntur, & quòd liberè eligant se subijcere seruitijs alicuius Religionis, à S. Sede approbatæ, & quòd stent sub obedientia, & potestate Superioris illius Religionis, & quòd illius deferant habitum, & quòd tandèm congregatim viuant, vt docent *Nauar. cap.* 27. *ver. octauo, nu.* 79. *Suar. disp.* 22. *sect.* 1. *nu.* 20. *de cens. tom.* 5. *Filiucc. q.* 9. *nu.* 14. *Carol. de Graffijs effect.* 1. *nu.* 92. & nouissimè *Bonac. tom.* 1. *de excommunic. disput.* 2. *q.* 4. *punct.* 3. *secunda proposit. nu.* 10. *Auila p.* 2. *cap.* 5. *disput.* 2. *dub.* 11. *concl.* 4 & *Laym. vbi supra.*

4 Et procedit de iure, ex *cap. Religioso, de sent. excommunic. in* 6. vbi hoc priuilegium ad Nouitios extenditur, etiam si Nouitij admissi sint ad Religionem, antè annos pubertatis, & professi non sint; quandoquidèm satis est, quòd viuant in communi, in aliqua approbata Religione, & quòd illius habitum deferant, & quòd stent sub obedientia illius Prælati, prout communitèr *Doctores.*

5 Id ipsum declarauit Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium, *Concil. Trid.* interpret. vt diximus suprà; & habetur itèm ex *priuileg. Eugen. III. Innoc. III. & Sixti IV.* prout *Syl. & Graff.* in cit. *loc.* quò fit, vt hodiè cesset omnis quæstio.

6 Verùm, oportet aduertere diligentèr, an hi Tertiarij sint infrà septa viuentes, ex libera electione; nàm si coactè, ità viuant, vel si sint infantes antè vsum rationis, haud poterint potiri prædicto priuilegio, *Sanchez in opere morali, lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 24.

7 Sic itèm, quotiescunq; ingressus huiusmodi Tertiariorum esset inualidus, ob quacunq; causam; quia admissio, seù ingressus inualidus, nullum priuilegium confert, & sicut Clericus inualidè initiatus prima tonsura; vtpura, quia illã recepit ab Episcopo alieno, siue licentia proprij Ordinarij, non gaudet priuilegio Clericali.

8 Ità, à pari, si quis in nostra Religione admissus fuerit inualidè, hoc est, sine debita licentia Prouincialis, sine debita ætate, in Loco non debito, vel sine alijs requisitis, ad præscriptum *Constitutionum*, & *Statutorum* nostrorum, prout sæpè fit, non gaudebit præfato priuilegio Canonis, *Bonac. cit. loc. nu.* 7.

9 Proindè, percussor huiusmodi Tertiariorum, non debet cęcutatim declarari, incidisse in Canonem; nec itèm euitari, etiam si sit notoriè percussor; sed debet præcedere monitoria citatio ad dicēdum causam, quarè non debet declarari, incidisse.

10 Quia ex parte percussoris, potest opponi, & excipi, quòd Tertiarius percussus nō sit ritè, & rectè admissus ad præscriptum *Constitutionum*, vel *Decretorum Sixti V.* & *Clem. VIII.* de quibus vide, quæ dico suprà *de Recipiendis.*

Hi Tertiarij, si Claustra deserant, & habitum dimittant ad tempus, vel in perpetuum, an sint Apostatæ? Quæst. 5.

1 Negatiuè respondeo, quia Apostasia est recessus à statu, verè, & propriè Religioso, quem quis solemni professione inrauit obseruare; horum antèm status propriè, & strictè Religiosus non est, quia hi solemnitèt non profitentur, *Bannes* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. & *Sanch. lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 6. & ob id, nequeunt, vt Apostatæ puniri.

2 Peccabunt tamèn; tùm contra votum simplex castitatis, si fortè illud emiserint, & illo non obstante, matrimonium contraxerint; tùm itèm, in dimissione talis habitus, si illum fortè vouerint, vel in ingressu, aut professione gestate promiserint; sunt enim quidam, qui iurant, ac profitentur, Tertiariorum seruare Regulam, prout in nostris *Constitutionibus*, *in fin. de Tertiarijs, & Sororibus, Le-*

zana

zana in Sum. QQ. RR. tom. 2. cap. 14. nu. 23. verùm ista Professio non obligat ad semper.

Tertiarij huiusmodi, an ritè, & validè possint matrimonium contrahere? Q. 6.

1 POsse equidèm, ex eo, quòd, vt supponimus, hi Tertiarij, etsi Claustralitèr viuant; nihilominùs, nullam solemnem professionem emittunt; etenim ex *cap. vnico, de voto, & voti redemptione, in 6.* matrimonium contractum, ratum, & non consummatum dirimitur, & contrahendum impeditur per solum votum solemnizatum per susceptionem sacri Ordinis, aut Professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus approbatis, & aduertit *Nauar. comment. 1. de Regul. in cap. cui portio 12. q. 2. nu. 18. & lib. 3. cons. 12. eod. tit. Miranda tom. 1. Manual. Pralat. q. 36. ar. 3.* & docet *Glos. in cap. duo sunt genera 12. q. 1. ver. Conuersi.*

2 Nec nocet, quod diximus, hos esse Personas Ecclesiasticas, nàm Acolythi sunt Ecclesiasticæ Personæ, & tamèn non tenentur continentiam seruare, vt dicitur *32. dist. si quis eorum*; vndè, possunt licitè, & validè matrimonium contrahere; peccarent tamèn, vt dixi, si ij se voto simplici castitatis obligassent.

Legatum factum N. sub illa conditione, si monachabitur, an debeatur ei, si fiat Tertiarius in Ordine Prædicatorum? Qu. 7.

1 ILlustrissimus *Aloys. Ricc. p. 4. collect. 1051.* super *cap eausam, qua, de elect. Barbosa de iur. Eccles. lib. 1. cap. 43.* sub *tit. de Religiosorum Ordinibus, nu. 8.* & antè eos *D. Franciscus del Castillo decis. Sicilia 88.* & alij plures, quos refert, & sequitur *Gutier. in q. 95. de Gabellis*, respondent ad quæsitum affirmatiuè: dummodò huiusmodi legatarius fiat Tertiarius intrà septa, ibiquè viuat, & degat, sub obedientia Prælati; quia sic connumeratur inter Personas Ecclesiasticas, & Regulares, *Ricc.* cum præcitatis, & constat ex decisis.

2 Secus autèm, si fit Tertiarius in sæculo, viuatquè priuatam vitam in sua propria domo, cum suis parentibus, aut vxore, Sic enim censetur, vt merus Laicus, & vti talis potest puniri, & castigari, *Viu. decis. 49. par. 1.* cum præcitatis, vbi suprà.

SVMMA QVAESTIONVM
Tract. XVI. De Tertiarijs Extrà Septa Monasterij.

TErtiarij vtriusq; sexus Ordinis nostri, qui dicuntur de Militia Iesu Christi, vel de pœnitentia S. Dominici, cur sic appellentur, & à quo, & quando fuerint instituti? Qu. 1.

Tertiarij huiusmodi, quarè vocantur de Tertio Ordine S. Dominici? Qu. 2.

An iste Ordo de Pœnitentia habeat modum, & Regulam viuendi, præscriptam à S. Dominico, & confirmatam à Dom. Papa? Qu. 3.

An in isto Ordine fuerint aliqua persona magna perfectionis, vel sanctitatis? Qu. 4.

An cæteri Mendicantes habeant Tertiarios vtriusq; sexus, ex legitima Institutione, & Confirmatione Rom. Pontif.? Qu. 5.

Quot sunt species Tertiariorum, & Sororum de pœnitentia? Qu. 6.

Tertiarij Vxorati, & Sorores maritata, in suis Domibus in sæculo stantes, an verè, & propriè sint Viri Religiosi, & Persona Ecclesiastica? Quæst. 7.

Tertiarij, extrà Congregationem viuentes, ex quo forsitàn iurant, Dei seruare præcepta; an ex vi huiusmodi Voti, in casu violati præcepti, peccent dupliciter; nempè, ratione violati Voti, & transgressi præcepti? Qu. 8.

Tertiarij, extrà Congregationem viuentes, an possint in Domibus proprijs ægrotantes, Sacramenta Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Vnctionis suscipere de manibus Prælatorum Regularium, quorum portant habitus, vel in eorundem Mendicantium Ecclesijs tumulari, absq; Parochorum licentia? Qu. 9.

Tertiarij in Congregatione viuentes, & vota essentialia Religionis emittentes in manu alicuius Episcopi, an sint verè Religiosi, & Persona Ecclesiastica? Qu. 10.

Tertiarij de pœnitentia Sancti Dominici, an possint vti Prædicatorum insignijs; nempè, nigro, alboq; colore, & nominari Confratres de Militia Iesu Christi, & Sanctissima Inquisitioni deseruire, ad conseruandam fidei puritatem, & ad Hæreticos extirpandos? Qu. 11.

Tertiarij vtriusquè sexus Ordinis nostri, qui dicuntur de Militia Iesu Christi, vel de pœnitentia S. Dominici, cur sic appellentur, & à quo, & quando fuerint instituti? Qu. 1.

1 Respondeo; quòd noster Sanctissimus Patriarcha *Dominicus* prædictum Ordinem de Militia, re vera instituit anno Domini 1221. tempore *Honorij III.* anno 5. Pontificatus eiusdem, ad defendendum Ecclesiæ iura, & contra Hæreticos decertandum.

2 Etenim venenosa Hæreticorum doctrina infecerat mentes hominum; ità, vt ferè omnia iura Ecclesiarum essét per Laicos occupata, qui ea possidebant, quasi iure hæreditario; vndè cogebantur Pontifices mendicare, nec vllam habebant potentiam, per quam possent errori resistere; & sic etiam ferè tota Italia hac infirmitate laborabat, non fine Catholicorum iniuria.

3 Quod egrè ferens Sanctus noster Pater *Dominicus*, Spiritus Sancti nutu, cępit pro diuitijs recuperandis Ecclesiæ, & iuribus rehabendis, cogitare, & certare, omni ex latere.

4 Igitur, aduocans sibi aliquos Laicos, Deum timentes, sibiquè præcipua denotione affectos, cępit cum illis efficacitèr tractare de ordinando quandam Sanctam Militiam, qua posset, iura Ecclesiæ recuperare; nec non, & resistere fidelitèr hæreticæ prauitati; quos iuramento adstrinxit, & eorum Coniuges iurare procurauit, quòd Viros suos non impedirent, quibus vitam æternam promisit; prout antiquissimi nostri Patres testantur, & refert noster *Pater Frater Vincentius Bandellus*, totius Ordinis Generalis Magister in *Prologo tractatus de initio, & fundatione Fratrum, & Sororum de Militia Iesu Christi*, qui est coniunctus *Volumini* nostrarum *Constitutionum*, *in fine*; & *D. Anton. in 3. p. Historiali, tit. 23, cap. 14. §. 2.*

5 Et hos Fratres sic coniunctos, S. P. *Dominicus* vocabat Fratres de Militia Iesu Christi, ex quo militabant pro defensione Ecclesiæ, Christi sanguine fundatæ.

6 Quippè, qui parta victoria, victis hostibus, & Ecclesiæ recuperatis iuribus, eorumq; Vxores superstites, volentes ordinatori, & institutori, iàm prædefuncto, & glorioso, reddere gloriam, & honorem, decreuerunt mutare nomen, vocariq; Fratres de pœnitentia *B. Dominici*; vt sicut ope Patriarchæ externos vicerant hæreticos hostes; ità, & intercessione eiusdem, & per ipsorum pœnitentiam, antiquum vincerent, & interiorem inimicum.

7 Proindè, pœnitentiæ nomen elegerunt, *P. Fr. Thom. Malueda in prima centuria Annal. nostri Ordinis*, in anno præcit. 1221. fol. 346. & *P. Fr. Petrus Martyr. Festus in summ. Constit. fol. 46.* cum alijs multis, quos ille citat, & *D. Ant. vbi suprà.*

8 Exindè, benè poteris cognoscere, Ordinem *S. Dominici* reperiri in Mundo, & esse institutum à Deo, ad proterendas, & extinguendas hæreses, & ad Dignitatem, Maiestatem, Immunitatem, Libertatemq; Ecclesiasticam propugnandam, & afferendam, & vindicandam, verbo, & doctrina, prædicatione, scriptis, armis, sanguine, & vita.

9 Testetur hoc noster *S. Dominicus*, qui tàm per se, quàm per Fratres suos, tàm intra Tolosa, quàm in Lombardia, hæreticos triumphaliter debellauit, prout fuit tempore suæ canonizationis coràm Summo Pontifice *Gregor. IX.* probatum legitimè, quòd centum millia Hæreticorum, & vltrà, conuersi fuerunt, tantùm in Lombardia, doctrina, & miraculis eiusdem! Quid dicam de *Sancto Petro Martyre*, de *Sancto Vincentio*, & de alijs tot Commilitonibus Ecclesiæ; ità *Ioannes Antonius Flaminius lib. 2. de vita S. Dominici*, *Ferdinand. Castillus lib. 1. Hist. Sancti Dominici, cap. 49. Beatus Raym. de Capua in vita Sanctæ Catharinæ de Senis, cap. 8.* qui fuit Magister Ordinis Prædicatorum.

Tertiarij huiusmodi, quarè vocantur de tertio Ordine Sancti Dominici? Qu. 2.

1 Respondeo; hoc ideò; quia Sanctissimus noster Pater, & Patriarcha *Dominicus* instituit tres Ordines; quorum Primus fuit Ordo Fratrum Prædicatorum, quem *Honorius Papa III.* approbauit, & confirmauit, sua *Constit.* incip. *Religiosam vitam eligentibus &c.* & fuit solemni ritu publicata, & subscripta manu decem, & octo Eminentissimorũ Purpuratorum 11. Kalend. Ianuarij, Inditione 5. anno Incarnationis Domini 1216. Pontificatus anno 1. quæ in principio nostri *Bull.* authenticè reperitur typis data, diligentia Reuerendissimi Patris Fratris Ste-

pha-

phani Vsusmaris Magistri Generalis, anno Domini 1556.

2 Secundus Ordo fuit Sororum Sanctimonialium; de quibus infrà; Et Tertius hic, de quo agitur, de Militia Iesu Christi, seù de pœnitentia S. Dominici.

An iste Ordo de pœnitentia habeat modum, & regulam viuendi præscriptam à Sancto Dominico, & confirmatam à Dom. Papa? Qu. 3.

1 ET dico, quòd sic; prout latè patet *in fin. nostrarum Constitut.* fuit enim institutus Ordo prædictus à nostro Patre *S. Dominico, vt ibid. fol. 17.* vbi modus, & forma viuendi, omniaquè necessaria ad huius vitæ statum; & postmodùm per diuersos Summos Pontifices approbatus, & signantèr, per *Gregor. IX. Honorium IV. Ioannem XXII. Innoc. VII. Eug. IV.* prout fusè in dicta *Legenda de S. Catharina de Senis, cap. 8.*

2 Qui quidèm modus viuendi dicitur regula largè sumpta; secùs autè propriè; quia status horum hominum, non potest dici verè Regularis, cùm non includat tria vota essentialia, quæ sunt in qualibet Religione necessaria, *Fr. Munio Hispanus*, qui compilauit formam, & modum viuendi huius generis Tertiariorum de pœnitentia, & *Fell. in cap. 1. sum.*

An in isto Ordine fuerint aliquæ Personæ magnæ perfectionis, vel sanctitatis? Qu. 4.

1 RESpondeo affirmatiuè; quandoquidèm, ex isto Ordine prodijt S. Catharina de Senis, prout *Raym. de Capua* eius Confessor in *cap. 8. vbi supra.*

2 Itèm, Beata Angela de Sancto Seuerino, B. Anna de Clamerono, B. Daniela de Beneuento, B. Margharita de Ciuitate Castelli, B. Ioanna de Vrbe Veteri, B. Helena de Pisis, B. Maria de Venetijs, de qua, legenda compilata fuit. Beata Margharita Soror Ducis Sabaudiæ, Vxor quondam Marchionis Monferrati. Beata Sibillina de Papia, prout refertur in *tract.* prædicto *de initio, & fundatione Regul. in fin. Constit.* & refert *Maluenda in dicta prima centuria, fol. 149.* quibus omissis, & alijs ferè infinitis; meo videri, potest addi Soror Paula de Sancto Thoma, de Neapoli, de cuius vitæ sanctitate agitur apud Curiam Archiepisc. Neap. ad hoc, vt quàm citissimè, seruatis seruandis, Beata declaretur.

An cæteri Mendicantes habeant Tertiarios, vtriusq; sexus, ex legitima Institutione, & Confirmatione Romanorum Pontificum? Qu. 5.

1 ET dico, quòd sic; nàm Sanctissimus Patriarcha *Franciscus de Assisio* instituit præfatum tertium Ordinem de pœnitentia, anno Domini 1221. acceptando in Fratres, & Sorores quoscunquè fideles, vtriusquè sexus, qui eum in via Domini sequi voluissent; prout ex eiusdem Ordinis *Cronic. p. 1. lib. 2. cap. 33.*

2 Et illis hominibus sic receptis, præscripsit, saltèm oretènus quendam modum, & formam viuendi, qua huiusmodi Tertiarij, virtuosiùs, & fructuosiùs operarentur, quàm alij communitèr Christi fideles, ex ead. *Cronic. lib. 9. cap. 11.*

3 Et iste modus viuendi, sic institutus, fuit dubio procul multòties successiuè à Roman. Pontific. confirmatus, & præcipuè ab *Honorio III.* & à *Nicolao IV.* alijsquè multis, docent *Alfons. Casarub. in Compen. priuil. Minor. ver. Tertiarij Fratres, & Sorores, & verb. Regula Frat. & Soror. Tertij Ordinis,* & *ibi Corduba, & Capucinus, Rodriq. tom. 1. QQ. RR. ar. 1.* & *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 36. ar. 1. Portell. tom. 1. dub. Regul. verb. Tertiarij,* & *Hier. Rodr. in comp. resol. 135.*

4 Sic itèm Augustiniani habent potestatem, & facultatem admittendi, & recipiendi Tertiarias, ad instar Mantellatarum, seù Pizocherarum Ordinum Minorum, & Prædicatorum, ex *Bonifacio IX. Eugen. IV.* & *Martino V.* vt constat etiam ex *Mari Magno,* & ex *Iulio II. in Bull.* præcetetis apud *Laur. Empoli in Bullar. Eremitarum Sancti Augustini,* & ex *Sixto IV. in Bull. Dùm attēta,* edita anno 1476. vbi in specie conceditur, posse recipere Tertiarios, vtriusquè sexus, vltrà quod, id eis competit ex mutua communicatione priuilegiorum; quicquid alij dicant.

5 Id ipsum possunt, & Patres Carmelitani, & Patres Sanctissimi *Francisci de Paula,* Minimi nuncupati, prout ex *Bull.* per extensum positis in tot *Bullarijs Ordinum* est videre apud *Rodriq.* in sua *Collect. priuil. Laur. de Peyr.* & refert *Lezana in Summ. QQ. RR. tom. 2. cap. 14. à nu. 1.* vsquè ad 43. *per tot. d. cap.*

6 Quod similitèr extende ad Fratres Ordinis Seruitarum; prout colligitur ex *Paul. II. in Bulla Exposcit vestræ,* & ex *Leon. X. in Bulla, Dudùm per nos,* de anno 1519. vbi inter Fratres Mendicantes annumerat, & Seruitas, & ad alios Regulares; si qui sint, hac facultate gaudentes.

Quot sunt species Tertiariorum, & Sororum de pœnitentia? Qu. 6.

1 DE communi sententia *Doctorum*, hi Tertiarij de pœnitentia (sic enim vocantur omnes cuiusquisquè sint Ordinis) versantur in triplici differentia.

2 Nàm quidam ipsorum, & præsertim primò primi sunt illi, qui non faciunt professionem, nec iurant obseruare vota, cuius Religioni necessaria; nec viuunt in Congregatione, nec in Claustro; sed stant in proprijs domibus cum suis vxoribus, & filijs, aut familijs, prout cœteri sæculares; excepto, quòd obseruant ea, quæ in Regula sunt annotata, & approbata per *Innoc. VII*, & *Eugen. IV*. in nobis, & per *Nicolaum IV*. in Minoribus.

3 Alij sunt, qui forsitàn tria iurant seruare vota; verùm non emittunt illa, sub aliqua approbata Regula, & determinata à Sancta Sede; quorum aliqui sic viuentium in Congregatione viuebant, seù viuunt; alij verò, nō in Congregatione, & Communitate, sed in Eremitorijs, & separatim, cum habitu tamē Religioso, ab aliquo Regulari accepto, vel quem ipsi propria authoritate acceperunt.

4 Alij tandèm reperiuntur Tertiarij, qui in Communitate, & approbata Religione viuentes, vota emittunt, & iurant, Religionis essentialia seruare, sub Prælatorum obedientia; sicut, & ceteri, qui inter septa degunt.

5 Hi, quippè sunt illi, quibus *Leo X*. anno Domini 1521. *Bulla Inter cetera*, quæ est 42. inter *Bullas* huius Pontif. *tom. 1. Bull. Cherub fol.* 541. Regulam *S. Dominici*, & *S. Francisci* adaptauit, & accommodauit, quos postea *Pius V*. anno Domini 1568. in *Bulla*, incip. *Ea est officij, in 2. tom. Cherub.* inter *Bullas* huius Pontif. 63. *pag* 258. *Bullarij*, reformauit, de quibus vide *Flauium Cherub.* filium *Laertij in Compen. prædictarum Bull. tom. 1. fol.* 104. *& tom. 2. fol. 52. Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. q. 36. ar.* 1. 2. 3. & per totam *quæst. Casarub. in compen. priuil. Min. ver. Tertiarij, §. ex prædictis omnibus, Laur. Peyr. tom. 1. priuil. Min. in Constit. 4. Sixti IV.* & *Lezana tom. 2. QQ. RR. cap. 14. nu.* 1. de quibus singulis, aliquantulum oportet sub breuitate discurrere.

Tertiarij Vxorati, & Sorores maritatæ in suis domibus in sæculo stantes, an verè, & propriè sint Viri Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ? Qu. 7.

1 PRiscis postpositis disputationibus, negatiuè respondeo, & ducor ex multis; Primò, quia de intrinseca ratione Religionis in communi, cuius finis est, perfectionem consequi omni via faciliori, consistit in tribus votis; nempè, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, ad quæ omnes virtutes reducuntur, *S. Thom. 2. 2. q. 184. ar. 5. in corp. & q. 186. ar. 9.*

2 Hi autèm Tertiarij domi manentes, & Sorores maritatæ, vt suprà, nequeunt prædicta vouere, & multò minus obseruare, vt omnibus constat; etenim habent proprium, ius, & rerum proprietatem; & quicquid acquirunt, sibi acquirunt; nec non, & vxores, vel maritos, & licitam copulam carnalem quæ omnia ex aduerso stant contra vitam Cęlibem, & Religiosam paupertatem.

3 Et hæc prædicta tria vota; sic adeò sunt Religioni intrinseca, & substantialia, vt ipsis sublatis, desinat esse Religio, prout ex *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap.* 1. ibi, *Cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari; si enim illa, quæ bases, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, vt totum corruat ædificium, necesse est.*

4 Et clariùs in *Clem. exiui, §. cùm igitur in primis, de verbor. significat. & cap. cùm Paulus 1. q. 1. & cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monachorum*, ib. *Nequè existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit aliquo modo dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis; ità sunt annexa Ordini Monachali, vt contra eam, nequè Summus Pontifex possit indulgere licentiam*; hęc *ibi*, quæ sunt valdè notanda, & menti tenenda.

5 Et additur, quòd ad faciendum Religiosum Regularem, non satis est, vouere illa iam tria recensita vota; sed requiritur etiam aliqua solemnitas extrinseca, à Sancta Sede instituta, *D. Thom. cit. loc. 2. 2. q. 184 in corpore*, quia ex tali solemnitate à Dom. Papa approbata, resultat vinculum indissolubile; prout docent nostrates, & notat *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. q. 72. ar. 2. ver. quarum concessionum*; Proindè, si aliquis voueat, hoc modo, *promitto Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem*; nisi addat, *Secundùm Regulam huius, vel illius, &c.* non esset verè Religiosus, *Nauar. lib. 3. cons. tit. de Regul. cons. 49.* & *Rodriq. tom. 3. QQ. RR. q. 21. ar. 1. & q. 78. ar. 2.*

6 Hinc, idem *D. Thom.* cit. *loc. 2. 2. q. 186. ar. 9. in corpore* docet, quòd Votum Professionis, respicit principalitèr præfata tria vota, Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ, & minus principalitèr (supple) habet, respicere vitam Regularem; volo dicere, quòd ad hoc, vt homo possit dici verè Religiosus, necessum habet; nedùm obseruare prædicta tria vota, sed illa etiam obseruare in Religione approbata, & in vita aliqua Regulari, *Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. pun. 5.* & *Ledesm. de statu Religiosorum in communi, cap. 4. concl. 3. dub. 1.*

7 Vndè, Apostata à Religione, non solū

est

est reus Voti castitatis, in casu, quòd fornicetur, ea parte, quia incontinens, vel inobediens; verùm etiam, quia deseruit vitam Regularem; & sic duplici afficitur turpitudine peccati. Vita autèm Regularis hęc exigit, & primò, quòd Religiosus sit subiectus Regulæ, quod est quoddam priùs, quàm obseruare Regulam.

8 Quæ quippè subiectio stat in hoc, quòd Regulæ, & Constitutiones sint Subditis præscriptæ à Prælatis, cum authoritate, & potestate; & secundò, quòd Subditorum est, ità eas obseruare, vt si transgrediantur, meritò Superiores possint illos punire, & ab illis pęnas exigere.

9 Hæc autèm non concurrunt in casu nostro, nec locum habent in prædictis Tertiarijs, vtriusq; sexus, ergò.

10 Secundò, moueor ex *text. Clem. 3. de sent. excomm.* vbi deciditur, huiusmodi Fratres tertij Ordinis, tanquàm cęteros Laicos admitti non posse à Fratribus Minoribus ad Diuina, tempore interdicti, ibi, *Districtius inhibemus, nè de cętero aliquem, vel aliquos prædictorũ*, supple, *Tertiariorum, etiam si super hoc habeant illi priuilegijs quibuscunquè, muniti extiterint, ad Diuina in suis Ecclesijs, tempore interdicti quoquo modo admittant.* hæc ibi, vbi *Glos.* de Sororibus, & Fratribus tertij Ordinis Sancti Francisci, multa dicit.

11 Tertiò, ex *Conc. Lateranensi*, sub *Leone X.* celebrato, anno domini 1516. die verò 15. mensis Decembris, *sess. 11. in fin. tom. 5. cõcil. fol.* mihi 180. *& in Bull. Cherub. pag. 509.* inter *Constitutiones* huius Pontificis 22. & in alia, incip. *Nupèr in Sacro Lateranensi Concil.* vbi statutum fuit, Fratres, & Sorores tertij Ordinis, in proprijs domibus habitantes teneri ad omnia onera Laicorum.

12 Quartò, ex infinitis eruditissimis *Doctoribus*, quos allegant, & amplectuntur *Carol. de Grassis de effect. Cleric. effect. 1. num. 92. Hyer. Rodriq. in compen. resol. 136. nu. 1. in fin. & in addit. nu. 11. Ricc. p. 2. decis.* 88. vbi quærit, an Tertiarij Sancti Francisci gaudeant priuilegio *Canonis, si quis*, & *p. 4. collect.* 1051. vbi ex multis decisum refert, Fratres, & Sorores huiusmodi, in sæculo priuatam vitam agentes, cum vxoribus, & maritis, Laicos iudicari, & ad gabellas teneri, & *Barbosa* longa manu *p. 2. de off. & potest. Episcopi, allegat.* 12 *nu. 40. & de iure Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 27. de priuileg. Clericorum, num. 41. Castillus decis. Siciliæ* 88.

13 Nequè his obstat dicere, quòd hi Tertiarij, in sæculo viuentes dicuntur de tertio Ordine, & quòd multa habent priuilegia, sibi concessa à Domino Papa, & quòd deferunt vestes suæ Religionis, quibus à Sæcularibus distinguntur.

14 Quia, vt dixi, hic immediatè suprà *q. 3.* hi sunt de Tertio Ordine Sancti Dominici, hoc est, de illis, qui stant in sæculo, & præter indulgentias, nihil commune habent cum Fratribus Claustralibus; & quamuis eorum institutum dicatur Ordo, hoc est, modus benè viuendi, à Sancta Sede approbatus; non tamèn dicitur Ordo Religiosus, vel regula Religiosa; nisi largè, & impropriè, & illorum Habitus, Constitutiones, & Regulæ, sunt normæ benè viuendi, sed non Religionis Regularis, *Capiblan. de Baronibus, tom. 1. prag. 3. nu. 54. p. 3. & Rodriq. in d. resol. nu. 1. in fin.*

15 Quamobrèm, grauitèr errant illi, qui pietatis intuitu, inconsideratè procurant, nè prædicti Tertiarij decimas soluant, primitias offerant, & munia Vniuersitatũ obeant, sub prætextu, quod sint immunes, & liberi à Laicorũ exactionibus, & tributis, & sic cęteros cõciues aggrauant; quia quantum oneris aufertur his, tantùm infertur illis, *Miranda tom. 1. Manual. q. 36. ar. 4. concl. 3. in med. & Rodriq. tom. 3. q. 73. ar. 1. in med. §. ex quibus colligitur.*

16 Et addo, quòd huiusmodi procurantes, meo videri, tenentur de damno illato, iuxtà illud, qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, & quod est causa causæ, est causa causati.

17 Et subiungo, eos incurrere excommunicationem, latam à *Sixto IV.* contrà talia procurantes, prout liquet in *Bulla*, quæ incip. *Detestanda nonnullorum ambitio*, quæ citatur in *Compend. priuil. Minor. ver. Tertiarij, Fratres, & Sorores*, §. 10.

18 Nec Prælati Regulares super his, qui stant in sæculo, habent iurisdictionem, aut aliquam authoritatem, sed tãtùm quandam superintendentiam spiritualem, sicut boni Patres spirituales, qui salutem spiritualem omnibus, & præcipuè deuotis procurant.

19 Nec hi Tertiarij, in sæculo viuentes frustrà, aut perperàm Religiosum habitum deferunt, vel sumere procurãt; quia, etsi hinc nullum temporale emolumentum habeant, lucrantur tamèn indulgentias, & gratias spirituales, quas illis non paucas, Papæ concesserunt, *Rodriq. tom. 3. q. 74. ar. 11. Miranda* cit. *loc. concl. 3. in fin. Festus in summ. cap. 3. & 4. de priuil. rerum, & personarum Fratrum de pœnitẽtia, Portell. in dub. ver. Tertiarij, nu. 2. & 3. & tom. 2. respon. p. 1. cas. 16. nu. 7.* & *Bordon. resolut. 28. q. 6. nu. 19.*

Tertiarij extrà Congregationem viuentes, ex quo forsitàn iurant, Dei seruare præcepta, an ex vi huius voti in casu violati præcepti, peccent duplicitèr, nempè, ratione violati voti, & transgressi præcepti? Qu. 8.

1 No-

1 NEgatiuè respondeo, eò, quòd Votum Religionis, vt dixi, exposcit, vt fiat ad obseruandum tria vota, in aliqua Religione approbata. Tùm quia, duo sunt de essentia voti, alterum, quòd sit deliberata promissio; vndè, non sufficit propositum; sed vltrà requiritur promissio, *D. Thom. 4. sent. q. 88.* & habetur in *cap. literarum tuarum, de voto*, vbi dicitur, quòd propositum non est votum, & in *cap. qui bona 17. quæst. 1.* vbi propositum non obligat ad mortale, & latè docet noster *Sylu. in summ. verb. votum 1. q. 2.* per *Doctores* multos, & iura.

2 Alterum est, vt ista deliberata promissio fiat de meliori bono, scilicèt, cadente sub consilio, & non sub præcepto; quamobrèm, Votum non potest esse de necessario absolutè; vt si quis voueat mori; hoc enim fit, non voluntate, sed ex necessitate.

3 Nec itèm propriè de eo, quod est necessarium ex suppositione salutis æternæ; vt putà, quòd quis non fornicabitur, aut transgredietur Dei præcepta; de his non potest fieri Votum propriè; sed largè; hoc est, non ratione necessitatis ad salutem; sed voluntariæ adimpletioois; & sic sub voto baptizati cadit abrenunciatio pomparum Sathanæ, & obseruatio fidei Christianæ, *Sylu. cit. loc. q. 4. nu. 4.* de communi sententia *Doctorum*.

4 Votum autèm in casu nostro, non potest esse Religionis, nec Votum simplex; quia non cadit super re, supererogationis, & consilij; sed de re, necessaria ad salutem; tùm quia, est quoddam simplex propositum, & promissio de velle liberè adimplere præcepta, & de non volendo resistere motioni Diuinæ; Non enim hi Tertiarij per talem promissionem intêdunt se obligare ad aliquod speciale, suprà præcepta Diuina, ob cuius transgressionem, Rei fiant culpæ mortalis, vel venialis; sed tantùm promittunt, obseruare Regulam, ad præscriptum Rom. Pontif. hoc est, ꝙ ratione Regulæ non teneantur ad peccatū mortale, nec veniale cuiuscūq; generis.

5 Quapropter, sicut Baptizatus, ex quo vnum Dei præceptum transgrediatur, non committit duplex peccatum; nempè, vnum ratione violati Voti, & alterum causa præcepti transgressi; quia promissio, in baptismate facta, non concernit aliquod speciale super præcepta indicta, & acceptata; ità à pari Tertiarius, qui promisit, diuina seruare præcepta, si illa transgrediatur, de hac circumstantia promissionis, non tenetur se accusare, vbi sua coràm legitimo Sacerdote, confitebitur peccata; ità *Carill. lib. 3. de Tertiarijs, c. 5.* allegatus per *Portellum, vbi infrà.*

6 Vndè, furtum per Tertiarium commissum, non mutat speciem peccati; sed remanet in eodem genere furti, sicut est in cęteris Laicis; prout, multis citatis docet *Portellus tom. 1. dub. reg. ver. Tertiarij, nu. 5.*

Tertiarij extrà Congregationem viuentes, an possint, in domibus proprijs ęgrotantes, Sacramenta Pęnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis suscipere de manibus Prælatorum Regularium, quorum portant habitum, vel in eorundem Mendicantium Ecclesijs tumulari, absquè Parochorum licentia? Quæst. 9.

1 REsoluo negatiuè quæsitum; quia de iure communi canonico, soli Parocho ex officio competit, Sacramenta administrare; est enim talium administratio, actus iurisdictionis, quam Regulares super Laicos non habent; nec etiam quòad Sacramenta.

2 Imò, excommunicantur Religiosi, Eucharistiam, Extremam Vnctionem ministrātes, vel Matrimonia solemnizātes, sine Parochi licentia speciali, vel generali; prout declarauit *Eug. IV.* & habetur in *Supplemento Minor. concess. 4.*

3 Quod itèm colligitur ex *Conc. Lateranensi*, sub *Leon. X.* celebrato in sępè dicta *Constit. Dùm mentis arcana, §. Fratres autem, & Sorores Tertij Ordinis, in proprijs domibus habitantes, sepulturam, vbi voluerint, eligere valeant* (supple *saluis Iuribus Ecclesiæ Parochialis*) *sed die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non, & Extremam Vnctionem, cęteraquè Sacramenta, Pænitentiæ Sacramento dùmtaxat excepto, à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incūbunt, perferenda, teneantur, &c.*

4 In extrema autèm necessitate, existimo, Regularibus licere, tàm Viaticum, quàm Extremam Vnctionem infirmis ministrare; sub tacita ratihabitatione Parochi, ex cōcessione *Pauli III.* facta Societati Iesu, in qua excipitur dies Resurrectionis, & mortis articulus, *ibiquè* subiūgitur, *Nisi necessitas vrgeat*, quæ ob mutuam priuilegiorum communicationem, cęteros cōprehendit Regulares, *Rodr. tom. 1. QQ. RR. q. 56. ar. 5. Suar. tom. 4. disp. 44. sect. 2. nu. 4.* cum alijs, quos citat *Mancin. dub. 10. in Pract. Visitat. Infirmor. pract. 8. nu. 3.*

5 Quò verò ad sepulturam adest Declaratio Sacræ Congregat. Regularium, qua, lite orta inter Fratres Ordinis Minorum, & Archypræsbiterum, seù Parochum Loci Fiani Nepens. Diœces. in sepeliendis eiusdem Ordinis Tertiarijs, fuit decisum, Tertiarios huiusmodi, si qualitatibus, in *Bulla* fęl. record. *Leone Papa X.* præscriptis, sint præditi; hoc est, si Viri collegialitèr, aut claustralitèr viuant, Mulieres verò, Virginalem, aut Cęlibē, aut

aut castam Vidualem, sub expresso voto, & Tertiariorum vitam ducant, posse, & debere, etiã inuito Parocho, ac minimè requisito Parocho, in supradictis Fratrum Ecclesijs sepeliri; secus verò, si prædictis qualitatibus careant; de quo voto, & vita cęlebi, infrà dico.

6 Quod *Decretum* de ordine *Vrb. VIII.* fuit publicatum, & propositum, ad hoc, vt ab omnibus obseruaretur, & signatum, & munitum fuit die 8. Aprilis 1628. prout per extensum refert *Laur. Peyr. in tom. 3.* seù in *Additamentis ad Constitut. Leonis X. cap. 4. nu. 56. fol. 118.* & idem *Peyr. in tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 4. Sixt. IV. nu. 33. in fin.*

Tertiarij in Congregatione viuentes, & vota essentialia Religionis emittentes, in manu alicuius Episcopi, an sint verè Religiosi, & Personæ Ecclesiasticæ? Quæst. 10.

1 ITerùm negatiuè respondeo, per ea, quæ suprà dixi multotiès, & sępè; quia de essentia, & formalitate veræ Religionis, prærequiritur, vt vota solemnizentur sub aliqua Religione approbata, & determinata à Sancta Sede, ità *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 4. nu. 74.* & *Portell. in dub. Regul. tom. 1. verb. Tertiar. in addit. nu. 3. & in 2. tom. in cas. 16. nu. 8. Peyr. tom. 1. priuil. Minim. in Constit. Sixti IV. §. 7. nu. 32.* & *Lezan. tom. 2. in sum. QQ. RR. c. 14. n. 6.*

2 Tùm quia, Episcopus non potest nouam Religionem instituere, nec nouam Regulam Religiosis assignare; hoc enim spectat ad solum Romanum Pontificem, prout habetur expressè in *cap. vlt. de Religiosis domib.*

3 Nec idem potest aliquem ad professionẽ alicuius approbatæ Religionis admittere; nisi sit Prælatus illius, vel Delegatus, ad hoc specialitèr à Dom. Papa, quia ad Prælatum spectat, quem suo Ordini irreuocabilitèr, & vsq; ad mortem incorporare; hęc enim admissio, seù acceptatio Professionis est actus Iurisdictionalis; Episcopus autèm in sibi exemptos, Iurisdictionem non habet; ità *Nauar. de Regul. cons. 18. & consil. 62.* vbi citat *cap. ad Apostolicam, de Regular.* vbi docet, in tali casu Professionem esse nullam.

4 Nec obstat, quòd Episcopus in Conuentu Monialium recipiat Professiones ipsarum; hoc enim facit ex Delegatione Sedis Apostolicæ, vel ex quo fuerit Prælatus illius Conuentus, in quo Monialium Professiones recipit.

5 Tùm etiam, quia huiusmodi Vitorum Congregatio non debet foueri, sed destrui, & supprimi, iuxtà *Constitut. Pij V.* incip. *Lubricum vitæ*, anno Domini 1568. quæ est in *tom. 2. Bullar. Cherub*, inter *Bullas* huius Sancti Pontificis, *nu. 76.* & transfert *Rodriq. in Collect. priuil. fol.* mihi 944.

6 Quod itèm colligitur ex *Bull. Gregor. XIII.* quam idem *Rodriq.* ponit in *dict. Bull. fol. 1017.* qua prouisum fuit, vt quidã Didacus, & socij eius, quos ad professionem recipiebat, sine authoritte Sedis Apostolicæ (erãt enim hi in Congregatione viuentes sub Regula, à Papa minimè approbata) Professiones ratificantes, subijcerentur Ordini S. Basilij.

7 Et causam Dom. Papa assignat, ibi, *Cùm autèm Eremitæ ijdem prædictam Professionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint, eademquè Professio nulla, & inualida reddatur, &c.* ergò sumus in alias decisis, *Cæsarub. in Compend. priuil. Mend. ver. Tert. nu. 24.*

Tertiarij de Pęnitentia Sãcti Dominici, an possint vti proprijs Prædicatorum insignijs; nempè, nigro, alboquè colore, & nominari Confratres de Militia Iesu Christi, & Sanctissimæ Inquisitioni deseruire, ad conseruandam fidei puritatem, & ad Hæreticos extirpandos? Qu. 11.

1 ET dico, quòd sic; quemadmodùm, & nupèr factum est in Regnis Hispaniarum; vbi zelo fidei, hi Tertiarij in vnũ corpus redacti, ordine sodalitio Sãctæ Inquisitioni deseruiunt, & Apostolica, & Regia authoritate in Conuentibus nostris congregati, in bonis operibus se exercent, & multa bona procurant; prout testantur publica acta *Capituli* Generalis Vallisoletani, anno salutis 1605. in festo Pentecostes 29. Maij. Præsidente Reuerendissimo Magistro Generali totius Ordinis Prædicatorum Fr. Hieronymo Xauierre celebrati, sub hac forma verborum.

Declaramus, Supremum Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum Senatum, authoritate Apostolica, & Regia decreuisse, vt in omnibus Regnis sibi subiectis, Ordo militaris de Militia Iesu Christi, Cruce signatorum Militum à Patre nostro Beatissimo Dominico contrà Hæreticos institutus, & à Summis Pontificibus approbatus, & confirmatus, de nouo restauraretur, & si opus est, instituatur; quorum Congregatio in nostris Conuentibus habeatur, obtenta tamèn priùs licentia ab Inquisitoribus. Quarè Potentissimus Hispaniarum Rex Catholicus, fidei Zelator, & Defensor acerrimus; Sanctæquè Inquisitionis, & nostræ Religionis Protector optimus, instaurationem Ordinis Militiæ Iesu Christi desiderans, suo decreto Regio sancinit, atquè concessit omnibus prædictis Sanctæ Inquisitionis Ministris, vt possint nostris Prædicatorum Insignijs, alba videlicèt, & nigra Cruce, floribus veluti liliorum termina-

minata, & deaurata super vestes uti; ipsisque decorari in festis Beatissimi Patris nostri Dominici, Beati Petri Martyris, B. Raymundi, & in solemnitate Sacratissimi Corporis Christi, & in omnibus actibus fidei, propositione, & publicatione edicti Sanctæ Inquisitionis, & quotiescunque Regia Maiestas, aliquod ingreditur Regnum, vel Ciuitatem, vt cõstat ex Registro originali in Archiuijs Sanctæ, & Generalis Inquisitionis Supremi Senatus conseruato, sub data Vallisoleti 29. Iulij 1603. per manum Notarij, & Secretarij Ferdinandi de Villegas.

Quamobrèm, ordinamus, & mandamus omnibus Fratribus nostri Ordinis, in Conuentibus Sacræ Inquisitionis Hispaniæ subiectis commorantibus, ubi commodè fieri potest, vt summa, qua poterunt, diligentia, deuotione, & solemnitate curent, prædicta festa simul cum præfatis Militibus, & Sanctæ Inquisitionis Ministris celebrare, Processiones solemnes, & pomposas in quibus Reliquiæ Sanctorum, & Vexilla Sanctæ Inquisitionis deportentur, ità componere, & ordinare, sicut tanti Patris S. Dominici, primi Inquisitoris, Principis, & Institutoris Sancti Officij, filios, & Diui Petri Martyris inuicti fidei propugnatoris Commilitonis; nec non Beati Raymundi totius Hispaniæ Inquisitoris alumnos decet. Maluenda in annalib. nostræ Religionis, sub anno Domini 1221. *fol.* 350.

SVMMA QVÆSTIONVM

Tract. XVII. De Sororibus In Sæculo.

Sorores Tertiariæ, in sæculo stantes, ad habitum Tertiariarum, à quo debent admitti? Qu. 1.

An Romanus Pontifex ritè, & rectè potuerit his Sororibus clausuram indicere? Qu. 2.

Tertiariæ degentes in sæculo, si in manu Prælati suæ Religionis, voueant vitam virginalem, aut castitatem vidualem, & sub dicto voto, & habitu vitam ducant, an dicantur personæ Religiosæ, vt non teneantur ad collectas? Qu. 3.

DE SORORIBVS

In Sæculo. Tract. XVII.

Sorores Tertiariæ, in sæculo stantes, ad habitum Tertiariarum, à quo debent admitti? Qu. 1.

1 INnocentius Septimus, sua *Constitut.* incip. *Sedis Apostolicæ prouidentia circumspecta*, edita sub anno Domini 1404. 14. Kal. Nouembris, Pontificatus sui anno primo, confirmauit Regulam, & modum viuendi Tertiariorũ de penitentia Sancti Dominici, insimul, & *Capitula* omnia, quorum *primũ* est, vt nullus recipiatur ad habitum Tertij Ordinis, nisi per Magistrum, seù Rectorem, vel Priorem dictæ Confraternitatis, aut de ipsorum licentia; seruatis tamèn quibusdam circumstantijs, quæ leguntur in dicto *primo cap.* vt est videre *in fine* nostrarum *Constitutionum*, & in nostro *Bullario* edito per P. Fr. Stephanum Vsusmaris Genuensem, eiusdem Ordinis Generalẽ Magistrũ, *fol.* mihi 97.

2 *Sixtus Quartus* in *Bulla* incip. *Apostolicæ seruitutis officio*, idem nobis concessit, vt in dicto *Bullario, fol.* 141.

3 Id idem *Sixtus* concessit Carmelitis, sub anno Domini 1476. vt in *Mari Magno*, quod incipit, *Dùm attenta*, & in *Speculo* eiusdem Ordinis, *fol.* 88. & refert *Lezana tom.* 1. *summ. cap.* 3. *nu.* 22. vbi dicit, quòd prædictum priuilegium comprehendit Mulieres cuiuscunquè status, scilicèt, Virgines, Viduas, & Coniugatas.

4 Id ipsum *Paulus II.* concessit Fratribus Eremitis de S. Augustino, per speciale *Diploma*, quod per extẽsum refert *Ioan. Bapt. Confect. in collect. priuil. fol.* 41. quod incipit, *Exposcit vestræ deuotionis sinceritas*, sub anno Domini 1470. Pontificatus sui anno sexto.

5 Id idem concessit Dominicanis *Paulus* Papa *Tertius*, sua *Bulla* incip. *Exponi nobis nupèr fecistis*, quam de verbo ad verbum extenten-

tendit *Emanuel Rodriq.tom.3. quæst.72. ar.2.* ex qua infert, Tertiarios Ordinis Diui Dominici esse verè Religiosos.

6 Verùm, prædicta priuilegia videntur edita pro Sororibus collegialitèr viuentibus in sæculo, prout aduertit idem *Rodriq.tom.1. q.55.ar.14.* vbi latè de re, & *Barbosa lib.1.de iure Ecclesf.cap.39. §.2. de priuil.Cleric. nu.42. ver.ad discursum.*

7 Et habetur expresè in *Constit.Iulij II.* incip.*Considerantes*, qua anno Domini 1509. Pontificatus sui anno septimo, die verò 13. Decembris, constitutum fuit, Prælatos Ordinis Prædicatorum posse harum Sororum, tria Religionis vota, vel vnum saltèm castitatis recipere, & liquet ibi, *Et insupèr, quòd Mulieres prædicti Ordinis, quæ Sorores de pœnitentia nuncupantur, & collegialitèr viuunt (si sibi placuerit, & illæ hoc cupiant) ex benignitate Apostolica, tria vota Religionis in manus tuas, aut illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, emittendi licitè valeant*, hæc ibi, vt in *dict.* nostro *Bull. fol.*173.

8 Id ipsum colligitur ex *Bulla*, ab eodem Pontifice nobis concessa, sub anno Domini 1510. die verò 27. Februarij, quæ incip. *Exponi nobis fecistis, &c.* ibi, *Sorores quoquè, de pœnitentia S. Dominici nuncupatæ, collegialitèr viuentes, & volentes vouere tria vota Religionis, iuxtà nostram concessionem, eadem authoritate volumus, vt profiteantur tibi, & pro tempore existenti Magistro Generali, vel alteri vices Generalis Magistri gerenti, vsquè ad mortem, secundùm Regulam B. Augustini, & propter hoc tamen non teneãtur ad clausuram, nec ad officium Diuinum, magis, quàm ex sua regula Tertij habitus tenentur, &c.* vt meliùs est videre in *dict.* nostro *Bull. fol.* mihi 174. *lit. A.*

9 Ex quibus benè apparet, quòd iampridèm multæ Sorores reperiebantur collegialitèr viuentes in sæculo, & insimul habitantes sub cura quarundam, sine Regula, Professione, & Voto, non sine tamèn scandalo, & pernicie animarum.

10 Quàpropter, iussu *Pij V.* fuerunt monitæ, & coactæ, vnà cũ earum Superioribus, solemne votum Professionis emittere, & se subijcere perpetuæ clausuræ, quæ autèm dictum votum emittere noluerunt, prohibitæ sunt, alias in posterùm in suas Congregationes admittere, vt clarè constat ex sua *Bulla*, incip. *Circa Pastoralis officij*, edita anno Domini 1570. & est 8. *in Bull.Cherub.* inter *Bull.* eiusdem Pontific.

11 Hodiè verò, si tales aliquæ reperiantur, debent impediri, supprimi, & annullari, nisi professionem emittant, cum quarto voto de perpetua clausura, ex Declaratione Sac. Congregat. facta anno Domini 1596. die 22. Ianuarij, & refert *Piasec.* in sua *Praxi par.2. cap.3. nu.57.* & *Peyr.tom.1. priuil.Minim. in Constit.4. Sixti IV §.7. nu.35.*

12 Quæ quippè Professio debet fieri sub manu legitimi Superioris, & in aliqua Regula approbata à Sancta Sede.

13 Proindè, *Ioan.XXII.* & *Clem.V.* fel.rec. Rom.Pontif. salutaribus *Constitutionib.* Virorum, ac Mulierum Cœtus, authoritate priuata erigi, & institui damnarunt, & tanquàm exitiosos palmites auferri voluerunt.

14 Insupèr, & *Vrban.VIII.* sua *Constit.* incip. *Pastoralis Rom.Pontif.* edita sub anno Domini 1630. die 13. Ianuarij, sui Pontif. anno octauo, suppressit, & annullauit quandam Congregationem Mulierum Iesuitissarum, quæ in nonnullis Italiæ, & Vltramontanis partibus, citrà vllam Sedis Apostolicæ approbationem, ab aliquot annis in vnum conueniebant, vitæ Religiosæ ducẽdæ prætextu, peculiarem, & distinctum à cęteris habitum vsurpabant, & cętera multa faciebant; de quibus, *Papa ibid.* conquæritur, & dolet, pront est videre in *4.tom.Bullar.Cherub.* quæ est 110. inter *Bullas* eiusdem Pontificis, de qua re vide *Rodr.tom.1. QQ.RR. quæst.46. ar.3. & 4. & tom.3.q.73.ar.1. Barbos.in Collect.Bullar. ver.Tertiarij, & Tertiariæ*, & *Miranda tom.1. Manual.Prælat.q.36.ar.3.concl.1. & 2.* vbi latè *per totam quæstionem.*

An Romanus Pontifex ritè, & rectè potuerit his Sororibus clausuram indicere? Quæst.2.

1 FVit occasio dubitandi; quia hæ Mulieres expresè clausuram non vouerant; sed tria tantùm Religionis vota; nẽpè, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis; fuerunt postmodùm à *Pio V.* Pontifice Maximo coactæ, clausuram ingredi, illamuè seruare perpetuò.

2 Vndè, cęperunt quidam mussitare; an Romanus Pontifex, posset cogere Religiosos ad arctiorem vitæ Regulam, quam professi non sunt, nec iurarunt obseruare?

Et negatiuam partem sequentes, dicebant, quòd specialis obligatio, quæ reperitur in Religiosis ad obediendum Romano Pontifici, nascitur ex voto Obedientiæ, vt *Lessius lib.2. de Iustitia, cap.41. dub.9. nu.74.* & *Sanch.lib.6. summ. cap.2. nu.2.*

3 Religiosi autèm per votum Obedientiæ, quod emittũt, obligantur primò, & principalitèr Romano Pontifici, tanquàm Supremo Generali omnium Ordinum, & Religionum, quæ quippè obligatio sic facta, non se extendit ad ea alia, quæ in Regula non continentur, directè, vel indirectè.

4 Proindè, Papa nequit Professum in vna Religione compellere ad seruandum alterius

Religionis arctius institutam, prout docent *Oldrad. consl.96.nu.1. Dec.cap.ad nostram,in noua editio. nu.10.de appellat.Cordub.in exposit. Reg.D.Francisci,cap.15.q.2.dub.6.D.Reg. Tapia in authent.ingressi.cum ipso ingressu,cap.1. nu.71.C.de Sacros.Eccles.*

5 Verùm, etsi iste discursus sit verus; nihilominus facit pro nobis, quia indicere his Sororibus clausuram, saltèm indirectè, spectat ad Regulã; & Prælatorum præceptum, quod est necessarium ad custodiam Votorum, obligat Subditos, vt per plura ostendimus *in tract.de potestate Prælat.* & docet noster *Dominicus Bannes 2.2. q.1.ar.10.dub.6. in fin.* & *Sylu.in summ.ver.Religio 6.q.6.* quos sequitur *Rodriq.tom.1.QQ.RR. q.44.ar.1.* cum alijs, quos allegat *P.Merolla tom.2.disput.4.de leg. cap.4. coroll.1. nu.92.*

6 Hinc, optimo iure præfatus *Pius V.* potuit iàm dictis Sororibus perpetuam indicere clausuram; quia id non induit nouam austeritatem, nec est suprà, vel contrà Regulam; etenim spectat ad primam, saltèm indirectè; quia experientia compertum est, cum multa iactura Castitatis, Moniales illas vagari, & facilitèr offendi, & induci ad peccandum à lasciuis Iuuenibus.

7 Vndè, in custodiam promissi Voti Castitatis, clausura fuit valde nimis necessaria, *Nauar.comment.4. nu.40.de Regul.* & *Glos.in cap.vnic.de stat.Regul.* & confirmatur per *Sacr.Concil.Trid.sess.25.de Regul.cap.5.*

8 Quod itèm factum est, per eundem *Pium V.* sub anno Domini 1567 per specialem *Bullam*, qua iussit, & statuit, omnes Franciscanos Conuẽtuales, vel Claustrales, in Hispania degentes, ex suis Conuentibus eijci, & transire ad aliquem Ordinem ex Mendicantibus, qui arctiorem vitam continent; & hoc in custodiam, & tutamen promissi voti Continentiæ, Obedientiæ, & Paupertatis.

9 Id ipsum antè eũ fecit *Bonifacius VIII.* qui vniuersis Monialibus clausuram indixit, prout habetur in *c.vnic.de stat.Regul. in 6.*

Tertiariæ degentes in sæculo, si in manu Prælati suæ Religionis, voueant vitam Virginalem, aut castitatem Vidualem, & sub dicto voto, & habitu vitam ducant, an dicantur personæ Religiosæ, vt non teneantur ad collectas? Qu.3.

1 HÆC quæstio est de difficilioribus, & proculdubio nubilosa, pro cuius claritate, & statu controuersiæ aduerte primò, quòd in *Bulla Leonis X.in Concil.Lateranensi* edita, & *Decretis* Sac.Congregat. infrà positis, diuersimodè decernitur de Viris, & Feminis Tertiarijs; nàm Viri Tertiarij, ad hoc, vt gaudeant priuilegijs sui Ordinis, omninò necessum est, vt collegialitèr viuant, aut cum Claustralibus habitent, non alitèr, nec alio modo.

2 Illi autèm dicuntur viuere collegialitèr, qui viuunt in aliqua communi Domo in sæculo, aut Collegio, sub habitu, & Regula Tertiariorum, approbata à S.Sede.

3 Hi verò cum Claustralibus, qui sub dicto habitu, & Regula Tertiariorum morantur, intrà septa, sub obedientia Prælati suæ Religionis.

4 Feminæ autèm Tertiariæ, Pizzocheræ, Mantellatæ, seù Beatæ, & similes, ad hoc, vt fruantur priuilegijs suæ Religionis, non requiritur, vt collegialitèr, aut cum Claustralibus habitent; sed sufficit, quòd Virginalem cęlibem, aut castam Vidualem vitam ducãt in Domibus suis, aut suorum consanguineorum, vel affinium; facto tamẽ priùs voto simplici in manu sui Prælati, de seruando vitam cęlibem, aut castitatem Vidualem, sub habitu, & Regula Tertiariorum dicti Ordinis.

5 Aduerte secundò, quòd *Pius V.* vt dictum est immediatè suprà, sub anno Domini 1566. sua *Constit.* incip. *Circa Pastoralis officij nostri*, & est octaua inter *Bullas* huius Pontificis, in *Bull.Cherub.* inhærendo *Constitutioni Bonif.VIII. in cap.1. de statu Monach. in 6.* & *Decreto Conc.Trid. sess.25.cap.5.de Regul.* statuit, omnes Moniales, etiam Tertiarias, in Congregatione viuentes, ad clausuram teneri, & ad illam cogi, sub iuramento, & voto, & volentes, absquè professione, & clausura viuere, damnat, & inhabiles reddit, vt liquet ini eius §.3. & 4. vbi habentur hæc præcisa verba.

Mulieres quoquè, quæ Tertiariæ, seù de pœnitentia dicuntur, cuiuscunquè fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, si, & ipsæ professæ fuerint, ita, vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur, quòd si votum solemne non emiserint, Ordinarij vnà cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ut post emissionem, & professionem, eidem clausuræ se subijciant; quòd si recusauerint, & aliqua ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniantur; Cæteris autèm omnibus sic, absquè emissione professionis, & clausura viuere omninò volentibus, interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemuè recipiant. Quòd si contrà huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuẽdum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibèt Professiones, & receptiones irritas facimus, & annullamus; hęc ibi.

6 Et quod Gregor. XIII. idem statuit, sub anno

anno Domini 1572. anno 1. sui Pontificatus, sua *Constit.* incip. *Deo sacris virginibus*, & est 8. inter *Bull.* eiusdem in *Bull. Cherub.* approbando dictam *Bullã Pij V.* mandat Ordinarijs Locorum, vt Conuersas professas, ad clausuram cum alijs Monialibus reducant, & non professas, nec profiteri volentes, dimisso habitu, domum remittant; neque alias, nisi Professionem emissuras, & sub clausura perpetua mansuras, recipi permittant, vt constat ex illis verbis §. 5. ibi.

Cęterùm, quod attinet ad Conuersas Professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas, sub certis conditionibus ibi contentis permisit, posse manere extrà Monasteria pro colligendis eleemosynis, eiusdem Locorum Ordinarijs iniungimus, vt quibus Monasterijs prædictarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, supradicta, vel alia qualibèt ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura, cum alijs Monialibus reducant, neque à suis Monasterijs ampliùs exire permittant. Conuersas verò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu, domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mãsuras, in Monasteria huiusmodi recipi permittatur. hæc ibi.

7 Et quod idem *Gregor. Papa XIII.* sub anno 1575. 21. Martij, Pontificatus sui anno 3. sua *Bulla*, quæ incipit, *Ex benigna Sedis Apostolica promisione*, quam refert per extẽsũ *Ioan. Bapt. Confect.* & est 6. inter *Bullas* eiusdem Pontificis, voluit, priuilegia, immunitates, libertates, &c. communicari, & extendi ad Tertiarias, & Tertiarios, etiam de Tertio Ordine de pęnitentia, in Congregatione tamen viuentes; secus seorsum, disiunctum, & singulatim, prout clarè colligitur ex illis verbis, ibi.

Nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis obseruantia, & Sancta Clara, ac Tertio de pęnitentia nuncupato; etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de Obseruantia huiusmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiarijs nuncupatis, Sororibus, Personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, & Locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi suffragari, illisquè frui, vti, gaudere, quãdò, & quotiès opus fuerit, & posse, & debere in iudicio, & extrà, ac in foro conscientia in omnibus, & per omnia. hæc ibi.

8 Hinc, *Doctores* circa quæsitum cępęrunt altercari, & variare.

Emmanuel Rodriq. tom. 3. q. 72. ar. 3. in §. circa quas, dicit, has Tertiarias non esse Religiosas, & *q. 73. ar. 1.* vbi extendit *Decretum Concil. Lateranensis*, sub *Leone X.* editum super his, in *§. colligitur*, inquit, *Quòd neque Mulieres, quæ promiserunt continentiam virginalem, vel vidualem, possunt modò gaudere priuilegijs suæ Religionis*, & *quæst. 74. ar. 11.* post allegatos, ait, *Quantum autèm ad Mulieres Tertiarias, virginalem, vel vidualem castitatem vouentes, huic tributo obnoxias esse credo.*

9 Id ipsum amplectitur, & validè tutatur *D. Reg. Sanfelic. tom. 3. decis. 418.* vbi inuehit contrà tenentes contrarium, & maximè contrà *Dian. nu. 5. in fin.* & contrà *Cordub. nu. 6. in fin.* & mouentur ex multis.

10 Primò, quia Tertiariæ, de quibus agitur, nec largè, nec strictè, nequè propriè, neq; impropriè possunt dici Personæ Ecclesiasticæ, aut Religiosæ, vt constat ex decisis in *tract. 16. q. 7. nu. 1. de Tertiarijs extrà septa*; hæ namquè non habent certam regulam, nequè vota Religionis profitentur, licèt habitum deferant, omnia negotia sæcularia admittunt, plura possident, contrahere possunt, velle, & nolle habent omninò liberum; ergò, nullatènus dicendæ sunt Ecclesiasticæ, aut Religiosæ Personæ.

11 Confirmatur assumptum, & magis declaratur, Votum Cęlibatus exhibitũ per has Mulieres ad præscriptum *d. Concil. Lateranens.* nõ est solemne; sed simplex, vt idẽ *Leo X.* declarauit in *Bulla*, quæ incip. *Nupèr in Concil. Lateranensi*, edita die 7. Martij 1518. Pontificatus sui anno quinto, quæ per extensum habetur in *Bull.* & *Collectione Bullar. Rodr.* & est 44. inter *Bullas* eiusdem Pontif. *fol. 312.*

12 Hoc autèm Votum simplex, non impedit, quin hæ Mulieres possint validè matrimonium contrahere, quamuis peccent, ex quo veniunt contra votum, quo Deo promiserunt, castitatem seruare.

13 Nec exigit, vt Episcopus Loci Ordinarius teneatur explorare earundem voluntates, cùm domi hoc Cęlibatus votum emittunt, an liberè, vel coactè illud emiserint, prout tenetur facere in Monialibus, iuxta *Decretum cap. 17. Conc. Triden. sess. 25. de Regul.* prout plurièś Sacr. Congregatio declaranit, teste *Nouar. in Luc. verb. Tertiaria, nu. 8. Barbosa in collect. Bullar. eod. ver.* & *Lezan. par. 2. sum. cap. 14. nu. 28.*

14 Nec cõprehendit alia duo vota Religionis, vt idem *Leo* declarauit in dicta *Bulla*, quia, vt dictum est, hoc votum nõ est solemne, sed simplex: ob quod obligationem Religiosam, seù Monachalem non inducit, sed tantùm obligat ad culpam mortalem.

15 Secundò, ex *cap. indemnitatibus 43. §. supradicta, de elect. in 6.* vbi Mulieres, in sæculo viuentes, vt pęnitentiam agant, & liberiùs Deo vacent, si communem vitam ducãt, & in communi possidentes, sint sub vnius Superioris obedientia, gaudent priuilegio fori, aliàs non gaudent, vt liquet ibi.

Supradicta siquidèm, nedùm in Monasterijs, in quibus sunt Moniales viuentes sub aliqua de Religionibus approbatis; sed etiam in illis, vbi sunt iuxtà quarundam Prouinciarum consuetudinem Mulieres, quæ nec proprijs renunciant, nec Professionem faciunt Regularem, sed viuunt, ut in sæcularibus Ecclesijs, Canonici Sæculares, volumus, per omnia obseruari; hæc *ibi*.

16 Tertiò, ex prædictis *Constitutionib. Pij V. & Gregorij Papæ XIII.* quæ sunt omninò consonæ *Sac. Conc. Triden.* quæ quidèm Papales *Constitutiones* per clausulas *ibi* appositas, nunquàm censentur abrogatæ; nisi in specie abrogentur.

Et hanc opinionem tenent, probant, atq; defendunt *Bologuet. cons. 22. per totum, Eugenius cons. 26. Gratian. cap. 363. nu. 28. Barbos. de potest. Episc. alleg. 12. n. 41. Bellet. disquis. Cleric. p. 1. tit. de exemptionib. §. 1. nu. 43. Crass. de effect. Clericat. effect. 1. nu. 93. Giurb. in Consuetud. Messan. cap. 3. Glos. 4. nu. 25. Capiblanc. de Baronib. pragm. 8. p. 3. nu. 54. Borrell. in Summa decis. par. 1. tit. 43. de for. campes. nu. 139. Cyuall. de violentia, p. 2. q. 61. n. 24.* sic decisum refert *Viuius decis. 49. nu. 10.* & *D. Thor. tom. 3. compend. sect. 3. in ver. remissia, ad Iudicem Ecclesiasticum,* sic seruari strenuè probat, & decisum refert *D. Reg. Sanfelic. dict. decis. 428. tom. 3.* & infiniti *DD.* citati per prædictos, hanc sequuntur sententiam.

17 Verùmtamen, *Erasmus Chocbier in tract. de Iurisdictione Ordinarij in exemptos, p. 1. q. 17. nu. 16. Riet. p. 2. Decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 88. in fin. Ciarl. contr. forens. cap. 18. Paul. Squill. de priuil. Cleric. cap. 7. dub. 1. nu. 42. Portell. in dub. verb. Tertiarij, num. 7. Peyr. tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 4. Sixt. IV. §. 7. in fin. Diana p. 1. moral. tract. 2. resol. 84. & p. 4. tract. 1. resolut. 31. ver. notandum est, Hier. Rodr. in compend. resol. 136. nu. 8. Nouar. p. 1. de elect. & variat. fori, sect. 2. q. 66. nu. 14.* & in *Luc. Regul. ver. Tertiarij, Dom. Don. Aus. de Marinis lib. 1. cap. 117. nu. 12. Barbos. in collect. Bull. ver. Tertiarij, & lib. 1. de Iure Eccles. cap. 39. de priuil. Cleric. nu. 41. & cap. 43. de statu, & vita Regularium, nu. 7. Bordon. resol. 28. q. 6. nu. 20. Naldus ver. clausura, nu. 7.* & nupèr *P. Franc. Pellizzarius in tract. de Monialib. cap. 9. quæst. 28. nu. 49.* dicunt, quòd præfatæ Tertiariæ fruuntur priuilegijs Ordinis, sub cuius Tertiæ Regulæ habitu incedunt; etiam si seorsim habitent in sæculo, in domibus consanguineorum suorum, aut affinium, & secundum hanc opinionem refert decisum per *Sac. Consil. D. Thoro tom. 1. compend. in ver. manialis, in libris Additionatis,* & *D. De Marin. vbi suprà,* & mouentur ex multis.

18 Primò, ex eo, quia Tertiariæ huiusmodi, si vitam virginalem, aut castam vidualem simplicitèr traducant, sub expresso voto tertiæ regulæ, habitum deferendo, ratione talis tertiæ regulæ, approbatæ à Sancta Sede, & voti facti censentur verè Personæ Ecclesiasticæ, ac Religiosæ; nam votum simplex, quod fit ex vi alicuius statuti particularis, approbati à Sancta Sede, dicitur Votum status Religiosi, & cõsequentèr facit hominem verè Religiosum, vt constat ex votis simplicibus, quæ faciunt Fratres Societatis Iesu, Nouitiatu peracto, & docet *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. nu. 3.*

19 Secundò, ex *Concil. Lateranensi*, sub *Leone X.* celebrato anno Domini 1516. *sess. 11. in fin. tom. 5. Concil.* vbi hoc totum, quod quæritur, fuit decisum, & iuridicè publicatũ.

20 Tertiò, quia ità idem *Leo* declarauit, sua *Constitut.* incip. *Nupèr in Concil. Lateranensi*, edita die 7. Martij 1518. de qua dictum est suprà, & constat ex illis verbis, ibi.

Ità, vt Mulieres, Virginalem, aut Cęlibem vitam simplicitèr vouentes, etiam consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes; priuilegijs, & immunitatibus prædictis, in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant; non obstãtibus, &c. hæc *ibi*.

21 Quartò, his addunt Declarationes, & Decreta Sac. Congreg. iussu *Clem. VIII.* edita, sub tali forma verborum.

Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum consulta respondit, Fratres Tertiarios; Mantellatos, Corrigiatos, aliosquè similes, ità demùm Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum assumpserant; priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialitèr viuant, seù cum Claustralibus habitent, & Mulieres virginalem, seù cęlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicta habitu vitam traduxerint, quemadmodùm cauetur Constitutione Concilij Lateranens. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autèm voto Mulierum alia duo, scilicèt Paupertatis, & Obedientiæ nequaquàm includi; Quinimò, huiusmodi Mulieres, si vitam virginalem, aut cęlibem simplicitèr, expresseque vouerint, etiam in cõsanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegijs Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionemquè ab Ordinarij Iurisdictione frui debere, quemadmodùm idem Leo posteà declarauit Constitutione edita die 1. Martij anno 1518. quòd si Fratres, Sororesq; Tertij Ordinis, quid ampliùs prætendunt vigore consuetudinis, posse ius suum prosequi in iudicio ordinario. Hieron. Cardin. Pamphilius.

Nec non alia sub *Paulo V.* edita sub tali tenore.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum sæpiùs respondit, minimè posse Sacerdotes Regulares, Mulierum Tertij Ordinis, quas de Pœnitentia, vel Bizochas vocant,

con-

confessiones Sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati, ad confessiones personarum sæcularium audiendas; quemadmodùm, nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis Sanctiss. D. N. Iesu Christi; verùm quòad sepulturam, atquè alia priuilegia, Fratres, Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosquè similes, ità demùm Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum assumpserint, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si verè collegialitèr viuunt, seù eum Claustralibus habitent, & Mulieres virginalem, seù cœlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodùm cauetur Constitutione Concilij Lateranensis, sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autem voto Mulierum, alia duo, scilicèt Paupertatis, & Obedientiæ, nequaquàm includi; Quinimò huiusmodi Mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simplicitèr, expresseque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegijs Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionemq; ab Ordinarij iurisdictione frui debere, vt idem Leo posteà declarauit, Constitutione edita, die 1. Martij 1518. An autem prædictæ qualitates in huiusmodi Tertiarijs concurrant, Ordinarij Loci esse iudicium; præterea si contingat, aliquas ex prædictis Tertiarijs, sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes, ità demùm in Ecclesijs Ordinis, cuius habitum assumpserũt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minus, in Ecclesijs Parochialibus, sepeliendas esse decernit.

Superioribus autem Regularibus, sufficienti facultate, ad id à Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) licere Mulieres ad huiusmodi habitũ recipere, atq; ad ipsos, vestiendi eus officiũ pertinere; non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse; nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, atquè in ætate, saltèm, quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, vndè sufficientèr viuere possint, & non cum alijs Viris, quàm cum consanguineis, vel affinibus, in primo tantùm gradu, sibi coniunctis, cohabitent, & ab Ordinario Loci, licentia priùs impetrata, qui non alitèr eam concedat; nisi de prædictis, præuio examine diligenti, sibi constiterit.

Verùm, in huiusmodi habitu concedendo, repetitiuè deferendo, omninò à velo suprà caput, quod superlectum vocant, à pectorali, quod vulgò dicitur sottogola, & à patientia, abstinendum esse; quinimò eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum, deferre deprehensæ fuerint, illa dimittere, etiam per censuras Ecclesiasticas, ab Ordinarijs Locorum compellendas esse decernit.

22 *Supradictis verò Decretis Mulieres Tertij Ordinis, quæ collegialitèr viuunt, non comprehendi, quinimò eas dispositioni Constitut. Pij Papæ V. editæ Romæ anno* 1566. *4. Kalend. Iunij, quæ incip. Circa Pastoralis, penitùs subiacere, expressè declarat. Non obstantibus quibuscunquè in contrarium facientibus. Datum Romæ* 20. *Decembris anni* 1616. & referunt per extensum *Chochier, Barbos. Peyr.* & *Nouar.* cit. *loc.*

23 Exindè inferunt, legatum relictum, sub illa conditione, si Monacha bitur, extendi ad prædictas Tertiarias, *Ricc. collect.* 1011. *p.* 4. *ver. Ego consultus, Nouar. in cit. loc. de elect. & var. for. nu.* 16. & *Barbos. vbi suprà; D. Thom. tom.* 3. *compend. sect.* 2. *in ver. legatum dotis, & Addit. Duard. lib.* 2. *Bullæ Cœnæ, canon.* 15. *qu.* 3. *lit. D in fine.*

24 Et hoc votum castitatis simplex, per easdem Tertiarias emissum, vt suprà, non posse commutari, ab habente generale priuilegium commutandi vota simplicia castitatis; quia vota status, quæ fiunt ex vi particularis instituti, à S. Sede approbati, non cadunt sub generali facultate commutandi similia vota; iuxtà iuris regulam, *non cadunt sub generali concessione, quæ speciulem rationem habent, Pellizzar. in tract. de monial. cap.* 1. *q.* 5. *nu.* 9.

Ex quibus omnibus, benè vides, Amice Lector, quæstionem diù accuratissimè disputatam, hucusq; nõ fuisse, vno, & eodem modo decisam; habet enim varias decisiones, varios, & contrarios Doctores, ad quos te remitto, eorum fundamenta expende, & expunge, & lento gradu ambula.

Hæc pro nunc satis sint, de Quarta parte praxis, ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, & honorem Beatissimæ Deiparæ, semperquè Virginis Mariæ, ac S. Mariæ Magdalenæ, S. Catharinæ Virgin. & Mart. Protectricum, & Patronarum Ordinis, B. Agnetis de Monte Polit. B. Colũbæ Reatinæ, B. Margharitæ de Sauoia, B. Margharitæ de Castello, B. Margharitæ Filiæ Regis Vngariæ, & aliarum Ordinis nostri, salua semper Ecclesiæ cẽsura.

Finis Quartæ Partis.

Errata	Sic	Corrigito.
Fol.10.col.1.ver.33.	suspiendum,	suscipiendum.
Fol.16.col.1.ver.5.	per accincto.	pro accincto.
Fol.35.col.2.ver.36.	Sacerdorio,	Sacerdotio.
Fol.43.col.2.ver.42.	manumittete,	manumittere.
Fol.45.col.2.ver.51.	frustatorum,	frustratorium.
Fol.49.col.2.ver.60.	successore,	successores.
Fol.69.col.2.ver.30.	seruandis,	seruando.
Fol.73.col.2.ver.41.	docent,	docet.
Fol.76.col.2.ver.50.	ingnorent,	ignorent.
Fol.84.col.1.ver.10.	Regulares,	Regularis.
Fol.85.col.1.ver.28.	Religine,	Religione
Fol.91.col.2.ver.26.	Conuentuaiem,	Conuentualem.
Fol.93.col.1.ver.22.	exercitijs,	exercitij.
Ibid.in Monasterio,		in Monachis.
Fol.eod.col.2.ver.52.	Contrictionis,	Contritionis
Fol.94.col.1.ver.19.	aliquid,	aliquod.
Fol.eod. col.1.ver.43.	diguatur,	distinguatur.
Fol.96.col.1.ver.19.	acquiriri,	acquiri.
Fol.98.col.1.ver.45.	plurimum	plurium.
Fol.107.col.1.ver.11.	Patti,	Patri.
Fol.109.col.2.ver.17.	teneantur,	teneatur.
Fol.112.col.1.ver.46.	& continuus perfiei paritèr,	& continuus paritèr,
Fol.eod.col.2.ver.41.	ratificatiouem,	ratificationi.
Fol.113.col.2.ver.12.	esthæc,	isthæc.
Fol.eod.col.2.ver.30.	transmiterentur,	transmitterentur.
Fol.140.col.1.ver.41.	Puerili.	Pueruli.
Fol.146.col.2.ver.37.	contraxexerit,	contraxerit.
Fol.149.col.2.ver.21.	petitur,	reperitur.
Fol.160.col.2.ver.2.	sint,	sit
Fol.177.col.1.ver.10.	adimittunt,	admittunt.
Fol.184.col.1.ver.37.	adientiam,	audientiam.
Fol.eod.col.1.ver.58.	Apostarum	Apostatarum.
Fol.185.col.2.ver.38.	notar,	notat.
Fol.189.col.2.ver.35.	& his,	& ex his.
Fol.190.col.2.ver.33.	oblari,	oblati.
Fol.193.col.1.ver.14.	allegatui,	allegaui.
Fol.194.col.1.ver.43.	reddit,	reddidit.
Fol.199.col.1.ver.35.	Crime	Crimine.
Fol.205.col.2.ver.15.	illos	illas.
Fol.206.col.2.ver.10.	ratiocinij.	ratiocinijs.
Fol.207.col.1.ver.4.	repiendi,	recipiendi.
Fol.208.col.1.ver.48.	Conuentum,	Conuentuum.
Fol.220.col.1.ver.5.	cuiusquisq;	cuiusquè
Fol.222.col.2.ver.39.	ratihabitatione,	ratihabitione
Fol.eod.col.ead.ver.55.	Leone Papa	Leonis Papæ.
Fol.224.col.2.ver.11.	Commilitonis,	Commilitones.

Cętera verò,aut minima,aut leuiora sunt,quæ de se Lector poterit corrigere.

Ad Lectorem Beneuolum.

Lege amabò hucusquè impressa,Candide Lector,nam si paululùm Vertigo recedet à me,quantocyùs tibi præmanibus erunt Tractatus de Eremitis, & Monialibus ,instar impressorum efformati, eruntq; dictæ Quartæ Partis totale complementum, & finis: nec non, & alij de Ecclesijs Regularium, Immunitate ipsarum, Horis canonicis, Celebratione Missarum,Capellis , Confraternitatibus , Sepulturis, Quarta Funerali, & alijs annexis, qui vtique, ad Quintam Partem efformandum, sufficientes erunt,Faxit Deus promissa perficere,quem te precor,pro me orare,& vale.





INDEX COPIOSISSIMVS

Rerum Notabilium, ferè Omnium, quæ in hac Prima, Secunda, Tertia, & Quarta Parte continentur.

Margina les numeri 1. Primam, 2. Secundam, 3. Tertiam, & 4. Quartam Partem significant.

I N D E X

va-

I N D E X

a 2 tio-

INDEX

Adam

Adiectio

Adire

Administratio Administrator

Admissus

Adoptans

Aduenticium

Aduerbium

Aedificare, Aedificium

Do-

an

4 An-

INDEX

2 Apo-

INDEX

I N D E X

I N D E X.

Bea-

INDEX

citio

I N D E X

I N D E X

tem

I N D E X

Ca-

I N D E X

Cau;

I N D E X

INDEX

tis,

I N D E X

1 Clau-

I N D E X

can-

Conditio.

Confessarius.

Confessio. Confessus.

Confessor.

I N D E X

Coniectura.

Coniugale vinculum.

Coniugatus.

Coniux.

Connexum.

Consensus.

e Con-

quàm

I N D E X

e 2 2 Con-

Consuetudo.

mam

INDEX

2 De-

Defectus.

Defensio.

Deflorans

Deformis. Deformitas

Defunctus.

f 2 De-

I N D E X

3 Di-

INDEX

INDEX

1 Do-

INDEX

Donum

Dos

Dubitare. Dubium

2 Ec-

INDEX

2 Ec-

2 Eie-

Elargitio

Eleemosyna

Electio

3 Ele-

INDEX

b 3 Ele-

I N D E X

3 Ele-

INDEX

INDEX

INDEX

gio-

non

I N D E X

I N D E X

INDEX

Finis

Firma

Fœmina

Forma

Fornicatio

Forus

Francifcani

Frater

INDEX

arctio-

3 Ge-

I N D E X

2 Grex

nien-

4 Im-

I N D E X

In-

I N D E X

I N D E X

m 2 In-

INDEX

Lampades

Largitio munerum

Laudatio

Lectio. Lector

Legatum

1 Lex

INDEX

2 Vbi

INDEX

Liber-

1 Li-

INDEX

Magister

Maior

Maior pars

Maior quantitas

Mala fides

Mala, Malum

Malefactor

Mancipare

INDEX

Mi-

INDEX

4 Mo-

I N D E X

Monasterium

Loco

Moneta.

Mo-

I N D E X

Monialis

Monitio.

Mora

2 No-

I N D E X

4 No-

4 No-

INDEX

I N D E X

3 Offi-

1 Ora-

Or-

INDEX

INDEX

I N D E X

Percussio.Percussor

Peregrinus

Peremptoria

Perfectio

Periculum

Periurare

Po-

I N D E X

3 Po-

INDEX

r 1 Præ-

2 Præ-

INDEX

r 2 3 Præ-

INDEX.

2 Præ-

INDEX

2 Præ-

I N D E X

3 Præ-

Præsbyter

Præscribere

Præscriptio

vt

sub

Prior

4 Prio-

I N D E X

1 *Pri-*

INDEX

1 Pri-

INDEX

INDEX

2 Pro-

I N D E X

4 Pro-

I N D E X

I N D E X

Profitens, Profiteri

Prohibitum

Promissio, Promittens

Promotus

tract.

INDEX

3 Pro-

Qua-

INDEX

Re-

deu-

INDEX.

I N D E X.

2 Re-

I N D E X

I N D E X

Reincidentia

Relatiua

Relictum

Religio

2 Re-

Re-

I N D E X

Religiosus

x de se

2 Re-

x 2 2 *Re-*

Reliquiæ

Remedium

Remissio

Remotio. Remouens

Renuncians. Renunciare

2 Res

INDEX

3 Re-

INDEX

2 Rex

I N D E X

Sa-

I N D E X

y forte

INDEX

be

INDEX

4 Soro-

Sta-

Sub-

INDEX

2 Su-

I N D E X

INDEX

I N D E X

3 *Voca-*

I N D E X

vi,

F I N I S.

